231.558
2/1834 John, Chrysostom, St.
.J64 Operum
vol.1/2
Reference

Date Due			

Cardinal Spellman Library
St. Pius X Seminary
Graymoor, Garrison, N. Y.

DEMCO

NEW YORK
BENZIGER BROS.
CINCINNATI & ST. LOUIS.

25 [illegible]
13, = $24. [illegible]

✝ LIBRARY ✝
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/collectioselecta0012john

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

LXX.

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

I.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALICE;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE, BELIN ET PLON,

VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS SEPTUAGESIMUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXIV.

This is the property of
Southern Evangelical Semi
5000 Tilley Morris Road

231.558
2/0834
J64
v.1
Ref

S. P. N. JOANNIS
CHRYSOSTOMI
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,
OPERUM
PARS I.
HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS I.

HOMILIÆ IN VETUS TESTAMENTUM, ET 1° IN GENESIM.

Ref
BR65
.C42
1834
v.1-2

SANCTUS CHRYSOSTOMUS,

ARCHIEPISCOPUS CONSTANTINOPOLITANUS.

(ANNO 407.)

GRÆCUS.

Joannes, latine *Chrysostomus*, græce vero Μελιστάγης, vel ὁ τὴν γλῶτταν κρυσοῦς, vel Χρυσορρήμων dictus, Antiochiæ in clarissima illa Cœlesyriæ urbe natus est, Secundo patre et matre Anthusa, parentibus honestis quidem et catholicis, sed minus opulentis, anno, ut videtur, 347 [1]. Patre juvenis adhuc orbatus, sed a matre, sanctissima vidua, fidei doctrinis et virtutis amore imbutus, vigesimum octavum ætatis annum agens a Meletio Antiochensium episcopo baptizatus est, et lector ordinatus anno circi-

[1] Non consentiunt inter se eruditi de variis S. Chrysostomi vitæ temporibus: juxta Fabricium natus est anno Christi 354, presbyter ordinatus anno Christi 386, ætatis 32, episcopus denique consecratus anno Christi 398, ætatis 44. Juxta Feller natus est decem antea annis scilicet anno Christi 344, presbyter ordinatus anno Christi 383, ætatis 39, et consecratus pontifex anno Christi 398, ætatis 54. Unde cum mortuus sit anno Christi 407, juxta Feller vixit 63 annos, et juxta Fabricium solummodo 53. Nobis autem satius visum est patrum Benedictinorum computandi modum sequentes, nativitatis tempus ad annum 347, presbyteratus ad 386, episcopatus autem ad 398, referre, ita ut sexagesimum annum agens mortuus sit.

ter 369. In eloquentia Libanium doctorem habuit, in philosophia Andragathum, in sacris litteris eumdem Meletium, et in monastica disciplina Evagrium Carteriumque et Diodorum postea Tarsensem episcopum, quem encomio etiam celebravit.

Tum Basilii consortio frequens uti, et cum illo de rebus divinis quotidiana miscere colloquia. Abeunte autem in eremum Basilio, materna auctoritate, ne illum sequeretur, prohibitus Joannes, maternas inter ædes solitariam agere vitam instituit. Nec tamen sua illi impedimento fuit solitudo, ne Theodorum lapsum, scriptis duabus epistolis, ad meliorem frugem revocare conaretur. Crescente autem in dies tanti viri fama, ab episcoporum conventu pontificatus dignitatem subire rogatus est; quo certior factus, imminentis officii pondus fugiendo latitandoque studiosius declinare festinavit, quam invadere alii blandiendo postulandoque consueverunt. Circa annum 374, liberior factus Joannes, terrenis voluptatibus abdicatis, secessit primum in montem juxta Antiochiam, ubi quatuor annis cum seniore eremita degit, deinde in horrendam specum, ubi duobus annis solus ita corpus vigiliis, labore, jejuniisque debilitavit, ut anno circiter 380 Antiochiam repetere morbo cogeretur. Sed non prius quam tres libros adversus oppugnatores vitæ monasticæ, diversis licet titulis insignitos, eadem doctrina nihilominus conspicuos, scribere curaverit. Quæ autem Chrysostomum in eremi solitudinem

adduxerat Dei providentia, ut ad destinatum munus sedula verbi divini meditatione aptior exurgeret, eadem jam doctiorem sanctioremque factum in Antiochiæ tumultum reduxit, ut a Meletio diaconus, anno Christi 381 ineunte, ætatis 34, à Flaviano autem presbyter, anno Christi 386, ætatis 39, consecraretur.

Diaconus in lucem emisisse videtur tum libros ad viduam juniorem, tum eximium et longiorem de virginitate librum, tum librum de S. Babyla, tum denique perfectissimos de sacerdotio libros, omnibus semper et ubique sacerdotibus commendandos. Verum enim vero statim atque ad sacerdotale ministerium assumptus est, concionandi officium suscepit, deputatus a Flaviano, quo præsente, primam habuit summa cum modestia et animi demissione homiliam, ut pote qui se non semel *adolescentulum* μειρακιον et μειρακισκον vocet, licet pene jam quadragenarius, peccatoremque libenter prædicans, cœlum addat et terram, et elementa omnia, et feras, et bestias, et homines, et angelos ad celebrandum Dominum a Davide sæpius incitari, peccatores vero nunquam.

Ad hoc tempus referendi primo sermones novem in Genesim, deinde contra Anomæos Judæosque conciones, quibus intermixtæ fuerunt in SS. Meletium et Philogonium homiliæ, necnon de Natali et de Baptismo Christi, cum aliis quibusdam. Vix unus vel alter annus effluxerat, cum, exasperato impe-

ratore Theodosio propter memorabilem illam Antiochenorum seditionem, dejectasque et raptatas per urbem statuas, ampla patuit Chrysostomo nostro ad concionandi facultatem exercendam materies. Antiochenis quippe inter spem et metum fluctuantibus, dum repentini casus novam inexpectatamque quotidie vel sperandi vel timendi causam offerrent, imparatus fere semper Chrysostomus, prout res sese dabant stylum vertere coactus, sæpe ex tempore illas admiratione dignas orationes pronuntiabat, modo ut in calamitate versantem populum consolaretur, modo ut fractos periculi magnitudine animos confirmaret, tum præcipue ut occasione imminentium malorum Antiochenos ad vitia corrigenda et mores componendos monitorum frequentia deduceret. Nemo est autem qui nesciat, quam terribilis divina intonet judicia, quam lenis dejectas mentes erigat, quam flebilis detestandos exaggeret errores, quam mirabilis tandem et precantis supplicationes pontificis, et condonantis clementiam principis commendet.

Per duodecim annos totus prædicationis muneri deditus, omnes illas, quæ nunc extant, successive emisit homilias, quarum aliæ varios sacræ Scripturæ libros, datis interpretationibus, explicandos suscipiunt, qualia sunt præclara illa, in Psalmos, in S. Paulum, et maxime in Matthæum commentaria; aliæ vero vel ad debellandos Gentiles, vel ad stabilienda fidei mysteria, vel ad commendandam pœnitentiam,

vel ad extollendas Sanctorum virtutes diriguntur.

Defuncto circa annum 398 Nectario, Chrysostomus, cujus fama jam late inclaruerat, ejus loco in Constantinopolitanum episcopatum sufficitur, et a Theophilo patriarcha Alexandrino, jubente Imperatore, consecratur. Qua sede potitus, non solum Anomæis, qui luporum instar rapacium oves disperdere tentabant, confutandis comprimendisque curam dedit, sed « a sanctuario incipiens, » sacerdotes ad meliorem frugem et exemplo, et auctoritate, expulsis præsertim ex eorum domo virginibus, revocare aggressus est. Nec interea sermonum quasi necessariam consuetudinem intermittere, inter quos præcipuæ eminent, tum sive in epistolas ad Ephesios, ad Colossenses, ad Hebræos, sive in Acta Apostolorum conciones, tum duodecim Constantinopolitanæ inventæ nuper homiliæ.

Cum autem in superbiam luxumque magnatorum liberius inveheretur, in potentium quorumdam odium incidit, Eutropii maxime Imperatori familiaris, Gaïnæ tyranni, cui ecclesiam Arianis tribuendam denegavit, aliorumque omnium, quos procul ab urbe relegandos curavit, Arii discipulorum, quibus etiam patrocinatus est Theophilus Alexandrinus, Chrysostomo dudum infensus, sive quia ipse hunc invitus consecraverat episcopum, sive quia ille expulsos ex Nitriæ eremo plures monachos, qui Fratres Longi vocabantur, tanquam nimium Origeni faventes, in communionem, abnegato peni-

tus errore, receperat. Nec diu defuit dejiciendi Joannis occasio : cum enim pro more suo concionatus mulierum luxum fastumque insectaretur, orationem ita vulgus excepit, ac si Eudoxiam Augustam perstringere voluisset. Nec mora : res ad Augustam defertur ; muliebres incenduntur iræ ; Imperator repetitis questibus fatigatur ; urgetur Theophilus, ut cito veniens congregato concilio in Chrysostomum sæviat. Frustra Chrysostomus extraneos infensosque recusavit judices, et Nicenæ disciplinæ observantiam efflagitavit ; inauditus in conciliabulo « ad Quercum » dicto an. 403 damnatur, deponitur, expellitur ; facto autem vehementi terræ motu, concussoque palatio, tremefacta Eudoxia revocatum brevi Chrysostomum in sedem restitui curavit.

Concurrente in occursum plebe, accensas inter faces, lætitiæque clamores triumphantis more urbem ingredi, et episcopalem cathedram ascendere cogitur. Tunc duas ad populum homilias habuit, quarum in priore, populo congratulatur, quod non obstantibus, qui tunc agebantur, ludis circensibus, « omnes in ecclesiam, ceu torrentes, confluxerint, » in posteriore vero convertitur in laudes Eudoxiæ Augustæ, quam, ad sedandos exasperatæ plebis animos, encomiis celebrat.

Sed non diuturna Joanni tranquillitate frui licuit; vix enim duo a reditu menses intercesserant, cum res iterum innovantur. Erecta enim juxta ecclesiam sanctæ Sophiæ argentea Eudoxiæ Augustæ statua,

pro recepto more populares ludi celebrati sunt, quorum non solum licentia christiani mores lædebantur, sed tumultu etiam divina interturbabantur mysteria. Cujus quidem flagitii impatiens Chrysostomus, pristina loquendi libertate hos omnes qui ejusmodi ludos vel agebant, vel præcipiebant, vel intuebantur, vehementer insectatus est. Eudoxia vero id in contumeliam suî dictum reputans, rursus Joannis perniciem machinata, synodum episcoporum adversus illum congregari procurat. Stabant contra Chrysostomum plurimi ex Cappadocia, Phrygia, Ponto et Syria episcopi ; pro Chrysostomo autem quadraginta duo pontifices, totusque populus, qui magna cum alacritate ejus doctrina fruebatur. Altera nihilominus vice a sede beatus doctor expellitur, ut pote qui a synodo damnatus et depositus sedem suam, sine novi concilii decreto, repetere præsumpsisset. Ecclesia excedere jussus, imperterritus respondit, « se a Deo ecclesiam accepisse, et » ab illo solo ejici posse. »

Cum autem imminente Paschatis tempore, vereretur Imperator, tum diei sanctitatem, tum ne motus populi excitarentur, dixere primipilares Chrysostomi hostes, Acacius scilicet et Antiochus : « In caput » nostrum sit Joannis depositio. » Veniebant ex altera parte quadraginta illi episcopi qui Joanni consentiebant, obnixe precantes ut Ecclesiam Dei in pace relinquerent, maxime propter Pascha, et propter eos qui regenerandi erant. At cum nihil

impetrare possent, Paulus episcopus Cratiæ clamavit : « Eudoxia, Deum time ; tuorum liberorum mi» serere ; neque violes sanctam Christi solemnitatem » sanguinis effusione. » Quo dicto, mœrentes abierunt.

In ipso igitur Sabbato sancto ad vesperam in ecclesias ingressi milites, Clerus omnis ejectus, et obsessum undique armis sanctuarium. Mulieres, quæ se exuerant ut baptizarentur, vel nudæ aufugere, vel acceptis vulneribus ejici : sanguine impleri piscinæ, et cruore sacri latices rubescere. Omnia mixta turbataque : profanatum a militibus sanctuarium ; extracta in lucem mysteria ; sanguis ipse Christi in impiorum vestes effusus ; vacuæ in tantis festivitatibus ecclesiæ ; ubique per fora, per domos, per solitudines, per omnes civitatis partes omnia lamentis, ejulatibus et fontibus lacrymarum plena : expugnatam diceres ab hostibus civitatem. Chrysostomus tamen Constantinopoli adhuc in episcopalibus ædibus post Pascha bimestri spatio permansit, nec semel sicariorum insidiis appetitus, noctu diuque a fidelibus custodiebatur, donec cogente Imperatore, episcopis et diaconissis valefaciens, dicensque : « Cursum meum consummavi, et vultum » meum non amplius videbitis, » prorumpentibus undique lacrymis, egressus est.

Agebatur annus 404, cum Joannes in exilium amandatur, vel potius expellitur ; quanquam scripta Innocentius Papa I epistola improbatum Theophi-

lum ad generale legitimumque concilium convocasset. Ipso autem exeunte Joanne, emissa subito flamma illam, in qua solebat concionari, sedem, totamque brevi ad tectum usque progressa combussit ecclesiam; inde vero ad ædes Senatus, quæ palatio proximæ erant, intactis interpositis, transiliens, illas in cinerem redegit, soli ædiculæ parcens, in qua sacra vasa servabantur.

Suffecto igitur in ejus locum Arsacio quodam sene, non sine multis periculis et laboribus Cucusum pervenit, ubi ne Ecclesiæ lateret inutilis tum plures scribere epistolas, tum Gothorum catholicorum magnam curam gerere, tum Antiochenos simul et Constantinopolitanos monitis in sacræ fidei dogmatibus confirmare, tum piorum mentes ad perfectiorem virtutem, missis ad Olympiadem egregiis duobus libris, promovere non cessavit, ita ut propagandæ religionis zelo semper et ubique flagrans in persecutione clarior exul effulserit, quam pontifex antea Constantinopoli. Nec dolorum adhuc finis: Isaurorum non ita multo post incursionibus, asperrima licet hyeme, deserta petere loca cogitur, Arabyssumque confugere, munitius oppidum, ex quo iterum pertractus, inter militum continuas vexationes tempestatisque improbitatem, Pityuntem in locum regionis Tzanorum desertissimum raptari jubetur. Cum autem Comanis appropinquassent, a Basilisco martyre divinitus his verbis admonitus: « Confide, frater Joannes, crastino enim die simul

» erimus ; » assumptis, quam habebat, splendidissimis vestibus, susceptisque dominicis symbolis, cum pro more suo dixisset : « Gloria Deo propter omnia, » et ultimum « Amen » obsignasset, appositus est ad patres suos et ad Christum transiit.

Obiit autem sexaginta annos natus 14 septembris die, an. 407, Honorio septimum, et Theodosio iterum Consulibus. Memoria S. Joannis paulo post obitum per totum orbem restituta fuit ; corpus autem ejus Constantinopolim cum ingenti celebritate relatum anno 438.

Theodosius autem Junior imperator, ut ait Theodoretus, « oculos et frontem loculo admovens pro » parentibus supplicavit, petens ut iis qui per im- » prudentiam peccassent, veniam concederet. » (*Hist. Eccl.* VI, XXXI.)

Præter autem memoratas prius homilias, et descriptos supra tractatus, plurima supersunt opera quæ ex ordine inferius digesta studiosus lector uno oculorum intuitu libenter poterit complecti. Hic unum addere liceat ; talem nempe extitisse Chrysostomum, ut de illo difficile pronuntiandum occurrat, utrum animi dotibus, an fortitudinis magnitudine, utrum eloquentia an doloribus clarior effulserit : « Adhuc sub judice lis est. »

Illud autem apud omnes convenit, nullum sive inter Græcos, sive inter Latinos oratores tanta eloquentia inclaruisse, ita ut solus « Cicero Christianus » dici mereretur. Si enim ad res ipsas attendere

volueris, habes illam argumentorum vim, quæ dissolutis omnibus omnium difficultatum nodis devictum errorem veritatis splendoribus opprimit; sin autem dicendi modum considerare magis placuerit, quam perspicuus lectoris cujuslibet oculis patet, nemini non intelligendus! Quam purus et venustus in loquendo! Quam verborum delectu et abundantia mirabilis! Quam cupiditates excitare potens! Quam efficax modo plausus, modo lacrymas, nunc odium, nunc amorem, iram sæpe, sæpius misericordiam imperare, prout orationis materies suggesserit!

Non errabant ergo sive Nilus monachus, cum Joannem « maximum orbis lumen » (*Epist. ad Arcad.*); sive Isidorus Pelusiota, cum « divinum il- » lum (*Epist. ad Symmach.*), et sapientem arcano- « rum Dei interpretem, et Bizantinæ ecclesiæ imo « omnium Ecclesiarum oculum » (*Epist. ad Eusthath.*); sive Cyrillus Alexandrinus, cum Chrysostomo « eloquentiorem » nullum extitisse prædicabant (*Epist.* VIII *ad Constantinopol.*). Non errabat Cassianus, cum plebem increpans: « Mementote, aiebat, » magistrorum veterum, sacerdotumque vestrorum, » Gregorii nobilis per orbem, Nectarii sanctimonia » insignis, Joannis fide ac puritate mirabilis; Joannis, » inquam, Joannis illius, qui vere ad similitudinem » Joannis Evangelistæ et discipulus Jesu et Apos- » tolus, quasi super pectus Domini semper affec- » tumque discubuit. Illius, inquam, mementote,

» illum sequimini ; illius puritatem, illius fidem, » illius doctrinam ac sanctimoniam cogitate. Illius » mementote semper doctoris vestri ac nutritoris, » in cujus quasi gremio quodammodo amplexuque » crevistis : qui communis mihi ac vobis magister » fuit, cujus discipuli atque institutio sumus. » (*De Incarnat. Dom.* VII, XXXI.) Non errabat denique Suidas, cum ejus « linguæ profluvium ipsas » Nili cataractas superare asserebat ; nullumque ab » omni ævo tanta dicendi copia abundasse, adeo » ut solus merito aureum illud et divinum nomen » consecutus sit. » Nemini autem ratum erit et admittendum, quod sequitur, illum nempe « ob summum » temperantiæ zelum in dicendo liberrimum fuisse » et ad iram proclivem. »

Non displicebit sane hic tandem perlegere quæ de Chrysostomo sensit dixitque Photius. Ita habet de homiliis in Genesim : « Dictio hic illius de more » perspicua est et pura ; splendida insuper ac fluens » apparet, multam interim cum sensuum varietatem, » tum gratissimorum exemplorum copiam exhibens. » In humile tamen hic dicendi genus dictio pronior, » tanto est ea qua in homiliis in Acta Apostolorum » utitur inferior, quanto hæc a commentariis in » Apostolum ac Psalmos superatur. Cum enim ubi- » que orationem puram, illustrem ac bene disposi- » tam non sine voluptate artificiose contexat, in his » maxime scriptis virtutibus illis exemplorumque » ubertate, atque enthymematum copia, et cum ita

» opus sit, etiam gravitate excellit; quin, ut semel » dicam, verbis hæc monumenta, compositione, » methodo, sensibus, et id genus apparatu, præs- » tantissime exornata edidit. » (*Biblioth. Cod.* CLXXII *et seqq.*)

Illustrissimo ac reverendissimo DD. GUILLON, episcopo Marochiensi, eloquentiæ sacræ in facultate theologicâ parisiis professori, qui jam a multis annis tot tantasque curas legendo vertendoque in gallicum sermonem Chrysostomo impendit, ejusdem operum in lucem emittendorum justissime cura debebatur; quam quidem clarissimus scriptor non sine noto affectu solitaque doctrina suscepit. Perfectior certe eminet Patrum Benedictinorum versio, quam ut illi corrigendæ, ut aiunt, aut potius debilitandæ sacrilegam quasi manum admovere auderemus. Sed cum ordo juxta seriem temporum compositus nonnullam in legentium mentes confusionem necessario injiciat, ordinem novum juxta rerum argumenta eligere satius esse credidimus. Ordinem autem illum a DD. GUILLON, tam Joanni Chrysostomo familiari, sapientissime nexum et lucidissime digestum, hic prout ejus calamo descriptum est, ad verbum, studiose lector, habeto.

Triplicem itaque in partem totum opus Benedictinorum dividitur.

PRIMA pars in duas classes dispartita, seriem continuam et absolutam exhibebit tractatuum de veteri

ac novo Testamento editorum, quos tum An tochiæ adhuc presbyter, tum Constantinopoli evectus ad episcopatum, et singulis fere diebus per quadragesimam muneri concionatorio assidue incumbens, protulit flumen illud eloquentiæ inexhaustum. Quæ pars a quarto editionis benedictinæ volumine orsa, tomos subsequentes continebit usque ad paginam 328 tomi duodecimi ; interjectis identidem homiliis quas promiscue sparsas in priscis editionibus, et in ipsa Benedictinorum editione reperire est, ita ut non solum nihil desit quod fœtu uberrimo sanctus doctor edidit, sed insuper quod cunctis profecto utilissimum videbitur :

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

Secunda pars conciones et libros in eadem Benedictinorum editione absque methodo collectos complectetur, qui seu ad fidem seu ad morum disciplinam spectant ; quam nuncupamus Miscellanea.

Tertia panegyricos, laudationesque dabit, et epistolas. Hæsimus porro genuinis et omnium judicio comprobatis operibus. De iis autem quæ inter spuria recensentur et minus bonæ notæ, quanquam sub Chrysostomi nomine circumferantur, omnino silebimus.

Quocirca maximam hac in re, imo totam nostris antecessoribus laudem rependimus, nihil nostrum esse ingenue fessi, atque unum hoc laboris nostri, qualiscumque est, nobis assignantes, quod Benedic-

tinam editionem pleniorem simul et expeditiorem reddere curaverimus.

PRIMA PARS.

HOMILIÆ IN SACRAM SCRIPTURAM.

CLASSIS I.

Homiliæ in vetus Testamentum, ex editione Benedictinorum.

I. Homiliæ LXVII in Genesim, t. IV, p. 1-643.

Sermones IX in Genesim, ibid., pag. 645—697.

Homiliæ VI de Creatione mundi, t. VI, pag, 455 et seqq. (Sub nomine Severiani Gabalorum episcopi.)

Plures aliæ ad commentarios libri Geneseos referendæ sunt, nimirum homilia in hæc verba : « *In principio fecit Deus cœlum et terram; et* » *Adam, ubi es?* » Septima earum quas Chrysostomus Antiochiæ inter hujus urbis tumultum edidit.

In illud : « *Deambulabat Deus in meridie in Paradiso;* » inter easdem octava. Nona in illud Psalmi : « *Cœli enarrant gloriam Dei.* » Tom. II, pag. 64 et seqq. Quas suo loco retinuimus more antecessorum

In illud : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et ecce valde bona*, t. VI, p. 532.

In illud : *Faciamus hominem*, etc. *Et : Cur primus homo ab imagine Dei decesserit*, t. VI, p. 535.

II. Expositio in Psalmos ad meliorem normam concinnata, t. V, p. 1 et seqq.

Homilia in illud : *Verumtamen frustra conturbatur omnis homo*, t. v, p. 566. (Incertum an integra sit Chrysostomi.)

III. Interpretatio in Isaïæ prophetæ capita octo, t. vi, p. 1 et seqq.

Homiliæ vi in Isaïam, ibid., p. 91—145.

In locum Isaïæ vi, 2, homiliæ ii, t. vi, p. 106.

In eumdem locum et in ii paralipomenon : *Elatum est cor Osiæ*, homiliæ iii, t. vi, p. 111.

In eumdem locum Isaïæ et de Osia, tom. vi, p. 131.

In illud Isaïæ : *Ego Dominus feci lumen*, t. vi, p. 145.

In Seraphim, t. vi, p. 137.

De Sigillis librorum Isaïæ, t. xii, p. 403. (Dubia; creditur esse Severiani.)

IV. Homilia in illud Jeremiæ : *Domine, non est in homine via ejus*, t. vi, p. 157.

V. Interpretatio in Danielem, t. vi, p. 200.

VI. De obscuritate veteris Testamenti homiliæ ii, t. vi, p. 180.

De uno et eodem legislatore utriusque Testamenti, t. vi, p. 403.

De prophetiarum obscuritate, t. vi, p. 168.

VII. *In diversos veteris Testamenti locos.*

Homilia de B. Abraham, t. ii, p. 741. (Mutila.)

Homilia de Melchisedecho, t. vi. p. 265.

Homilia de Joseph et continentia, t. VI, p. 299.

Homilia de agonibus sancti Job, t. XII, p. 340.

Homilia de serpente æneo Moysis, t. VI, p. 51. (Dubia.)

De Anna matre Samuëlis sermones V, tom. IV, p. 699.

De Davide et Saüle homiliæ III, t. IV, p. 748.

Homilia in Eliam prophetam, t. VI p. 600.

Homilia in Eliam et viduam, t. III, p. 328.

De pœnitentia et mœstitia Achab, t. II, p. 287,

CLASSIS II.

In novum Testamentum.

I. *De Evangeliis.*

I. Commentarius in S. Matthæum evangelistam una cum proëmio et fragmento sequente, t. VII, p. 1 et seqq.

Opus imperfectum in S. Matthæi Evangelium homil. LIV, t. VI. ad finem.

II. Commentarius in S. Joannem apostolum et evangelistam. Homiliæ LXXXVIII, tom. VIII, p. 1 et seqq.

In illud Joannis: *In principio erat Verbum*, t. XII, p. 415. (Dubia.)

III. Homiliæ in quædam loca novi Testamenti.

In hæc verba. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, t. XII, p. 382, ubi de ludis circensibus.

Filius ex se ipso nihil facit, t. VI, p. 255.

In qua potestate hæc facis, t. VI, p. 417.

Angusta est porta, t. III, p. 25, et de oratione dominica.

Messis quidem multa, operarii autem pauci, t. XII, p. 387.

IV. Homilia in diem natalem Christi, t. II, p. 354.

Homiliæ de nativitate Christi, t. VI, p. 392.

De baptismo Christi et de Epiphania, tom. II, p. 367.

In paralyticum dimissum per tectum, tom. III, p. 32.

In paralyticum qui annos triginta octo decubuerat in infirmitate sua, t. I, p. 547. (Quæ est duodecima adversus Anomæos.)

In parabolam debitoris decem millium talentorum, t. III, p. 1.

In Chananæam, t. III, p. 432.

De petitione filiorum Zebedæi, t. I. p. 513. (Quæ est octava adversus Anomæos.)

Homil. II in proditionem Judæ, t. II, p. 376.

Alia in proditionem Judæ, t. II, p. 721.

In Lazarum conciones IV, t. I, p. 707—762.

In quatriduanum Lazarum et de Christi precibus,

t. I, p. 525. (Quæ est contra Anomæos nona.)

De Christi precibus (decima adversus Anomæos, t. I, p. 714.)

In illud : *Pater, si possibile est, transeat*, t. III, p. 15.

Homiliæ III de cœmeterio et cruce, et latrone, t. II, p. 397—422.

De resurrectione Christi, t. II, p. 423.

In Pascha, t. III, p. 750. (Genuina licet adversetur Fronto-Ducæus.)

De Ascensione Christi, t. II, p. 417.

Alia de eodem argumento, t. III, p. 758.

Homil. II de Pentecoste, t. II, p. 457.

V. Quod Filius sit æqualis Patri, seu de consubstantiali, (quæ est septima adversus Anomæos), t. I, p. 501.

Quod Christus sit Deus, adversus Judæos, t. I, p. 558.

De consonantia utriusque Testamenti, (quæ est undecima adversus Anomæos), t. I, p. 541.

II. *De Actibus Apostolorum.*

Cur in Pentecoste acta legantur, tum in inscriptionem altaris, et in principium Actorum homiliæ VI, t. III, p. 50—90. Quarum tertia particulatim inscribitur : *De utilitate lectionis Scripturarum.*

Extat alia in principium Actorum festo Ascensionis D. N. J. C. annexa, quam retulimus ad hunc diem.

Homiliæ LV in librum Actuum Apostolorum, t. IX, p. 1—141.

Homilia in illud: *Paulus adhuc spirans*, etc., t. III, p. 98.

De mutatione nominum homiliæ II, t. III, p. 98—140.

III. *De Epistolis B. Pauli.*

Prologus et homiliæ XXXII in Epistolam ad Romanos, t. IX, p. 425.

Homil. LXXIV in Epistolas ad Corinthios primam et secundam, t. X, p. 1-654.

Commentarius in Epist. ad Galatas, ibid., p. 657.

Homil. XXIV in Epist. ad Ephesios, t. XI, p. 1-187.

Homil. XV in Epist. ad Philippenses, ibid., p. 189-320.

Homil. XIV in Epist. ad Colossenses, ibid., p. 322-423.

Homil. XIV in Epist. ad Thessalonicenses primam et secundam, ibid., p. 425-545.

Homil. XXVIII in Epist. ad Timotheum, ibid., p. 547-727.

Homil. IX in Epist. ad Titum et Philemonem, ibid., p. 729-790.

Præfatio et homiliæ XXXIV in Epist. ad Hebræos, t. XII, p. 1-318.

IV. *In diversos loeos Epistolarum S. Fauli.*

In illud : *Scimus quoniam diligentibus Deum*, etc., t. III, p. 150.

Si esurierit inimicus, etc., t. III, p. 157.

Homil. III in illud : *Salutate Priscillam*, etc., t. III, p. 171. (Ubi de colendis sacerdotibus.)

Propter fornicationem, t. III, p. 193.

Mutier alligata est legi, t. III, p. 203, seu de libello repudii.

Nolo vos ignorare fratres, t. III, p. 228.

Oportet hæreses esse, t. III, p. 240.

Homil. III in illud : *Habentes eumdem spiritum*, t. III, p. 260.

Utinam sustineretis, t. III, p. 291.

Sive per occasionem, etc., t. III, p. 300.

Vidua eligatur, t. III, p. 311.

In faciem ei restiti, t. III, p. 362.

Hoc autem scitote quod in novissimis diebus, t. VI, p. 278.

Utere modico vino, etc. (Quæ prima est homiliarum vulgo *de statuis* dictarum, t. II, p. 1—20. Reperiuntur inter Miscellanea.

Divitibus præcipe : non sublime sapere. (Secunda inter homilias *de statuis*.) t. II, p. 20—34. Quam videre est in classe III Miscellaneorum.

PARS II.

MISCELLANEA.

I. Synopsis in sacram Scripturam, tom. VI, pag. 314 et seqq. (Extat *de utilitate lectionis Scripturarum* homilia quæ ad expositionem libri Actorum refertur, quam videsis.)

De incomprehensibili Dei natura contra Anomæos homiliæ VIII, t. I, p. 444 *.

De sancta et individua Trinitate, t. I, p. 832. (Dubia.)

Libri VI de fato et Providentia (dubia), t. II, p. 753.

Dæmones non gubernare mundum, t. II, p. 246—260.

De diabolo tentatore homiliæ II, t. II, p. 260—276. (Posterior inscribitur *contra ignaviam.*)

Ad Stagirium a dæmone vexatum, libr. III, t. I, p. 154—227.

Liber quod nemo læditur nisi a seipso, tom. III, p. 444.

Adversus Judæos homiliæ VIII, t. I, p. 587—688. (Inter quas homilia in eos qui in Pascha jejunant, et alia contra judaïsantes, et cum eis jejunantes.)

* Numerantur homiliæ adversus Anomeos duodecim ; septem posteriores de diversis tractant, quas ad sua argumenta retulimus, videlicet quæ sexta reputatur, *de laudibus S. Philogoni* agit; octava, *de petitione filiorum Zebedæi* ; nona *in quatriduanum Lazarum* ; duodecima *in Paraliticum*.

Cathecheses ad illuminandos, homiliæ IV, t. II, p. 225.

Libri VI de sacerdotio, t. I, p. 362—436.

Non esse ad gratiam concionandum, t. II, p. 658.

Cum presbyter fuit ordinatus, t. I, p. 436.

Libri III adversus oppugnatores vitæ monasticæ, t. I, p. 44—115.

Comparatio regis et monachi, t. I. p. 116.

Liber de virginitate, t. I, p. 268.

Ad viduam juniorem libri II, t. I, p. 338—349.

Quod regulares fœminæ viris cohabitare non debeant, t. I, p. 248.

Contra eos qui subintroductas habent, t. I, p. 228.

Quales ducendæ sint uxores, t. III, p. 211. (Hæc homilia inscribitur *Laus Maximi.*)

De non iterando conjugio, t. II, p. 349.

De resurrectione mortuorum, t. VI, p, 209.

Homiliæ II de consolatione mortis, t. VI, p. 301.

De futurorum deliciis, t. III, p. 423.

Ad Demetrium de compunctione, t. I, p. 122.

Ad Stelechium de compunctione t. I, p. 140-153.

Ad Theodorum lapsum homilia secunda quæ prima perperam numeratur, t. I, p. 35—42.

Ad Theodorum lapsum homilia prima quæ verè est secunda, t. I, p. 1—36.

Ascetam facetiis uti non debere, t. I, p. 808, (Dubia.)

De pœnitentia homil. IX, t. I, p. 279 et seqq.

De pœnitentia, t. XIII, p. 190.

De pœnitentia et eucharistia, t. II, p. 348.

De precatione homiliæ II, t. II, p. 778. (Inter dubias.)

Contra ignaviam et de diabole tentatore homiliæ III, t. II, p. 265.

De continentia, t. VI, p. 209.

Contra ebriosos, t. I, p. 437.

De fugienda simultate, t. I, p. 815. (Dubia.)

In Kalendas. t. I, p. 697. (Apud Savill. et Morell, inscribitur : *In eos qui novilunia observant.*)

Contra circenses ludos et theatra, t. VI, p. 272.

Homiliæ XXI de statuis inter tumultum Antiochenum dejectis habitæ, quas in unum collectas, non obstante argumentorum differentia, hìc integras servavimus.

De gloria in tribulationibus, t. III, p. 140.

De terræ motu, t. XII, p. 325.

Post terræ motum, t. II, p. 717.

Homilia habita in templo sanctæ Athanasiæ, t. XII, p. 356.

Liber in eos qui scandalizati sunt, t. III, p. 465.

De mansuetudine, t. XII, p. 422.

De perfecta charitate, t. VI, p. 237.

De eleemosyna, t. III, p. 248. Seu de collatione in Sanctos.

De non evulgandis fratrum peccatis, t. III, p. 344.

De non anathematizandis vivis atque defunctis, t. I, p. 691.

Non esse desperandum, t. III, p. 354.

Alia in idem argumentum, t. XII, p. 323.

Ob cladem Eutropii homiliæ II, t. III, p. 380.

Cum Saturninus et Aurelianus in exilium missi sunt, t. III, p. 405.

De recipiendo Severiano, t. III, p. 412. (Ejusdem Severiani sermo de pace, cum susceptus esset a B. Joanne episcopo Constantinopolitano.)

Homil. II antequam ipse iret in exilium, t. III, p. 415—423.

Homiliæ II post reditum ab exilio, t. III, p. 424—443. (Ubi de Chananæa.)

Quod sit psallendum, t. XII, p. 347.

Liturgia S. Chrysostomi, t. XII, p. 776. (Incerta.)

PARS III.

PANEGYRICI, ELOGIA ET EPISTOLÆ.

Homiliæ III in sanctos Macchabæos, t. II, p. 622.

Homilia de sancto Eleazaro et septem fratribus, t. XII, p. 393.

Homiliæ VII de laudibus sancti Pauli, t. II, p, 476.

Homilia in sanctos Petrum et Eliam, t. II, p. 729. (Dubia.)

De B. Philogono, t. I, p. 592. (Quæ est sexta adversus Anomæos.)

In S. Meletium, t. II, p. 519.

In S. Lucianum, ibid., p. 524.

Homiliæ II in S. Babylam, ibid., p. 531,

Homilia in sanctos Juventinum et Maximinum, t. II, p. 578.

In sanctam Pelagiam, ibid., p. 585.

In S. Ignatium Antiochenum, ibid., p. 592.

In S. Eustathium, ibid., p. 603.

In S. Romanum, ibid., p. 611.

In S. Bernicen et Prosdocen, ibid., p. 634.

De quatriduano Lazaro et in sanctas Domninam, et Bernicen, ibid., p. 647.

In S. Julianum, ibid., p. 671.

In S. Barlaam, ibid., p. 681.

Laudatio sancti Drosidis, ibid., p. 688.

Homilia in S. Phocam, ibid., p. 703.

In S. Theclam, t. II, p. 749. (Dubia.)

In S. Bassum, t. II, p. 724. (Dubia.)

De sanctis Martyribus, t. II, p. 650.

In Martyres, ibid., p. 667.

In Martyres Ægyptios, t. II, p. 699.

In omnes sanctos Martyres, t. II, p. 711.

Laus S. Gregorii illuminatoris, t. XII, p. 821. (Dubia.)

Laus Diodori Tarsensis, t. III, p. 747.

De laudibus Theodosi magni, t. XII, p. 353.

D. Chrysostomi epistolæ t. III, p. 515 usque ad pagin. 746, Ad Olympiadem et alios.

Epistola ad Innocentium papam romanum, t. III, p. 515.

Epistola ad imperatricem Eudoxiam, apud bibl. Patrum Andr. Gallandii, t. VIII, p. 224. (Dubia.)

Epistola ad Theodorum Mopsuestenum, t. VI, p. 332.

Hujusque DD. GUILLON, cujus methodo in dividendis S. Chrysostomi operibus sapienter excogitatæ, juxta solitum notitiarum morem varias editiones, versionesque varias adjungimus.

INNUMERAS pene dixerim particulares diversorum sancti Joannis Chrysostomi operum editiones, quibus quidem brevitatis causa prætermissis, hic illas tantum rescribemus, quæ sive græce, sive latine, sive in utraque lingua pleniores prodierunt.

Græce tantum recusa sunt beati doctoris scripta, primum anno 1529, *Veronæ*, 4 vol. fol.: deinde vero curante *Savilio* clarissimo Angliæ scriptore *Etonæ* in Anglia, 8 vol. fol.

Latine vero tum *Venetiis* apud *Aldum* anno 1503, et *Basileæ* apud *Pfortz* anno 1504, 2 vol. fol.; tum iterum *Basileæ* anno 1517, 3 vol. fol., et 1522, 5 vol. fol., quæ quidem posterior editio recusa est *Parisiis* anno 1524, in totidem tomos divisa. Locupletior paucis abhinc annis, id est annis 1530 et 1533, curante *Froben*, *Basileæ* in lucem emissa est; in illa collectione vera passim opera cum spuriis immixta reperies. *Joan. Hucher de Verneuil*, græcis latinisque manuscriptis attentius revisis, novam editionem curavit *Parisiis* annis 1543 et 1546, quam suscepit illa a *Sigismondo Galenio* stampis submissa *Basileæ* annis 1547 et 1558, necnon et duæ recentiores a *Philippo Montano* ibidem ordinatæ annis 1556 et 1576, et *Parisiis* anno 1570. Editio *Venetiarum* anni 1574, parisiensis et basileensis perfectionem minime assequitur : sed altera ibidem prælo subjecta est anno 1585, in 4°, cum notis *Nobilii*. Ejusdem *Nobilii* simul, et *Billii*, et *Hervetis*, et *Zini* curis ex *Nivelli* officina prodierunt iterum Chrysostomi opera annis 1581 et 1588. Pleniores autem evaserunt editiones *Parisiis* anno 1613, *Antuerpiæ* anno 1614, et *Lugduni* anno 1687, emissæ, quarum duæ priores ad *Ducæum* referuntur.

Græce autem et *latine* ex ejusdem *Frontonis Ducæi* recensione et versione lucem viderunt sex volumina, *Parisiis* confecta anno 1609, quibus adjungendi sunt sex alii tomi ex editione *Commelini* a *Claudio Morello* stampati anno 1633 ; quæ quidem editio completa tandem emissa est ab eodem *Morello* duodecim tomis, undecim vero voluminibus fol., et deinde accuratius *Francofurti* anno 1698. Sed omnes omnino præcedentes editiones obscuratæ sunt ab illa, quæ, curante *D. de Montfaucon* Benedictino, prodiit *Parisiis* annis 1718 et 1738, 13 vol. fol. quam quidem, excepto ordine in melius mutato, ad verbum sequi curavimus.

Gallice demum prodierunt: 1° *Homiliæ in Genesim* versæ a *Nicolao Fontanio*, 2 vol. in-8°.—2° *Homiliæ in S. Matthæum D. de Marsilly* interprete, aut, ut creditur, *D. Lemaistre* et *D. de Saey* ejus fratre, anno 1665 Parisiis, et postea ad quatuor vices recusæ. — 3° *Homiliæ in S. Joannem* a *D. Lemerre* anno 1641, 4 vol. in-8°. — 4° *Homiliæ in Actus Apostolorum a D. de Bellegarde*, 1 vol. — 5° *Homiliæ in epistolas S. Pauli a Nicolao Fontanio* anno 1684, 7 vol. in-8°. Ille quidem se emendare coactus est, quia sanctum doctorem Nestoriano more loquentem produxerat. — 6° Sermones delecti cum nomine *de Marsilly* aut potius *de* Sacy stampati, D. autem *de Bellegarde* tribuendi, 3 vol. in 8°, 1690, 1691.— 7° *Homiliæ ad populum Antiochenum* a de *Maucroix*, anno 1789. — 8° *Compendium S. Chrysostomi in vetus et novum Testamentum*, 4 vol. in-8° a *Nicolao Fontanio*. — 9° *Opuscula* a *D. de Bellegarde*. — 10° *Epistolæ* a patre *de Bonrecueil*, 2 vol. in-8° cum libris ad *Olympiadem*, anno 1732. — 11° *Liber quod nullus offenditur nisi a scipso a Petro Pelissiere*. — 12° *Homiliæ in Epiphaniam*, etc... ab *Antonio de Laval*, anno 1620.—13° Idem liber *quod nullus offenditur*, etc... a *Carolo Oudino* in-12, anno 1664. — 14° *Liber de officiis regum*, in-8°, anno 1593. — 15° *De cognitione boni et mali*, anno 1596. — 16° *De veritate sacramenti altaris*, anno 1596.— 17° *De Magdalena*, anno 1599, quæ quidem ultima quatuor opera a *Frederico Morello* versa sunt. — 18° *De Sacerdotio* cum nomine *D. Lamy*, sed opera *D. Lemaistre*, anno 1660, et sæpius postea. — 19° *De Providentia* a *D. Hermant*, anno 1658, in-12. — 20° *De Sacerdotio* iterum a *Richardo le Blanc*, anno 1563. — 21° *Homiliæ, Sermones et Epistolæ* delectæ ex S. Chrysostomo, cum variis ejusdem operum fragmentis, auctore *D. Auger*, 4 vol. in-8° ; quæ versio præcedentibus longe anteponenda extitit. — 22° Denique novem tomi *Bibliothecæ Gallicæ DD. Guillon* a tomo x ad XIX, ubi præciarissima B. doctoris opera sive fragmenta elegantissime interpretata reperies.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ LXVII IN GENESIM.

HOMILIA I.

I. Gaudeo [1] et lætor videns hodie Ecclesiam Dei, filiorum suorum multitudine ornari, vosque omnes multa cum jucunditate concurrisse. Nam cum alacres vultus vestros intueor, voluptatis quæ in animabus vestris est, conjecturam capio maximam : quemadmodum et Sapiens quispiam dicebat, « Corde lætante viret facies [2]. » Eapropter et ipse hodie ingenti alacritate surrexi, una vobiscum lætitiæ illius spiritualis particeps futurus, et volens adventus sanctæ Quadragesimæ, remedii, inquam, animarum nostrarum, vobis annuntiator esse. Communis enim nostrum omnium Dominus, veluti pater filios amans, cupiens ea quæ unquam peccaverimus abluere, hanc nobis per sanctum jejunium curationem adinvenit. Nullus igitur mœstus, nullus tristis appareat, sed omnes exultent et gaudeant, ac gloriam referant in animarum nostrarum curatorem, qui hanc optimam nobis aperuit viam, et illius

[1] Vide D. Guillon, t. XI, p. 276 et seqq. — [2] Prov. XV, 13.

adventum magna cum alacritate accipiant. Confundantur Gentiles, pudore se abdant Judæi, videntes nostram charitatem hilari studio illius adventum salutantem ac excipientem, discantque per experientiam, quantum inter nos sit et ipsos intervallum. Et illi quidem ferias et festa nominent ebrietatem, omnemque aliam intemperantiam, ac turpitudines, quas verisimile est eos inde contrahere : at Ecclesia Dei, ea quæ illis adversa sunt, nempe jejunium, ventris despectum, et omnes alias virtutes illius comites, ferias appellet. Hæ enim veræ feriæ sunt, ubi animarum salus, ubi pax et concordia est, ubi omnis hujus vitæ apparatus abigitur; ubi clamor, et tumultus, et coquorum discursus, et pecudum mactationes e medio tolluntur : quies vero omnis, et tranquillitas, et charitas, et gaudium, et pax, et mansuetudo, et innumera bona pro illis in usu sunt. De illo igitur pauca, obsecro, charitati vestræ colloquamur, idque primum rogemus ut sermones illos nostros placide suscipiatis, quo domum, fructum quemdam insignem assecuti, redeatis. Neque enim temere et frustra huc convenimus, ut unus quidem loquatur, alius vero quæ dicuntur plausibus excipiat, et sic hinc excedamus : sed ut et nos frugiferum quiddam, et saluti vestræ conducibile loquamur, et vos lucro e dictis nostris accepto, et amplæ utilitatis fructum nacti, hinc exeatis. Ecclesia sane officina quædam est medicinæ spiritualis; et eos qui huc veniunt, oportet non ante domum redire, quam ubi congrua remedia acceperint, illaque suis vulneribus adhibuerint. Nam quomodo audire solum, et operibus nihil præstare, nihil profuturum sit, audi beatum Paulum dicentem; « Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed » legis factores justificabuntur[1]. » Et Christus concionando dicebat : « Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine,

[1] Rom. II, 13.

»intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem »Patris mei qui in cœlis est[1]. » Igitur scientes, dilecti, nullam utilitatem ex auditu esse, nisi bona opera sequantur, ne simus auditores duntaxat, sed etiam factores, quo ipsa opera sermones sequentia multæ nobis fiduciæ sint occasio. Proinde explicitis vestræ mentis sinibus, sermones de jejunio suscipite. Et quemadmodum castam quamdam et ingenuam sponsam ducturi, thalamis undique tapetibus ornatis, domoque tota purgata, et ingressu omnibus inhonestis ancillis interdicto, in cubiculum illam introducunt : pari modo vellem etiam vos expurgata mente vestra, valeque deliciis et voracitati dicto, matrem omnium bonorum, et pudicitiæ, aliarumque virtutum omnium magistram, jejunium, inquam, explicitis vestræ mentis sinibus suscipere, ut et vos majori fruamini voluptate, et illud congruentem vobis suam medicinam conferat. Nam si medici pharmaca dare volentes, ut putridum et corruptum humorem expurgent, a corporali hoc cibo abstinere præcipiunt, ita ut pharmaci efficaciæ non sit obstaculum, sed operari, suamque vim illud possit ostendere: multo magis nobis spirituale hoc remedium, hoc est, utilitatem quæ ex jejunio est, suscepturis, tenuitate victus nostram mentem expurgare, et leviorem reddere convenit, ut ne, ebrietate demersa, utilitatem, quæ ex illo provenit, adimat.

II. Porro scio quidem fore ut multis ea, quæ hodie a nobis dicenda sunt, mira videantur : sed, obsecro, ne consuetudini temere serviamus, sed ratione res nostras instituamus. Numquid enim lucri quidpiam ex quotidiana crapula, jugique ebrietate nobis accedit? Et quid dico lucrum? imo multum damnum et jactura intolerabilis inde expectatur. Cum primum enim mens vinolentia multa

[1] Matth. VII, 21.

fuerit obruta, statim et in ipso initio utilitas quæ a jejunio est, repellitur. Quid enim insuavius, dic, obsecro, quid item turpius, quam cum usque ad mediam noctem meracum sorbentes, sub auroram, solis jubare oriente, vinum quasi recens ingestum spirant, et occurrentibus quidem injucundi, ministris vero despiciendi apparent, et deridentur ab omnibus, qui modo quid deceat vel leviter intelligunt; et præ omnibus illis, quando propter nimiam illam et immodicam intempestivamque ac inutilem intemperantiam, in se divinam provocant indignationem? « Ebriosi » enim, inquit, « regnum Dei non possidebunt [1]. » Quid igitur illis miserius fuerit, qui ob parvam et perniciosam voluptatem, a regni vestibulis ejiciuntur? Absit autem ut quis ex iis qui hic convenerunt, hoc morbo implicitus sit! sed utinam omni cum frugalitate et continentia, etiam hoc die convivati, et a tempestate ac procella, quam ebrietas generare solet, liberati, in portum animarum nostrarum, jejunium, inquam, appellere contingat, ut multa cum ubertate illius bona consequi possimus. Enimvero sicut crapula humano generi innumerorum malorum causa est et fomes, ita etiam jejunium ventrisque neglectus omnium nobis bonorum semper causa fuit. Nam Deus cum ab initio hominem condidisset, et sciret eum hoc remedio ad animæ salutem multum habere opus, statim et in principio hoc mandatum primo parenti dedit, dicens : « De omni ligno quod est in paradiso, comedendo » comedes, de ligno autem scientiæ boni et mali, ne co- » medatis ipso [2]. » Jam dicere, hoc comede, hoc ne comedas, jejunii figura erat. Porro cum hoc mandatum servare oportuisset, hoc tamen ille non fecit : sed ventris intemperantia victus, et transgressionem operatus, ad mortem condemnatus est. Quoniam enim malignus ille

[1] 1 Cor. vi, 10. — [2] Gen. ii, 16, 17.

dæmon, et nostri generis inimicus vidit primum parentem in paradiso versantem, vitamque illam miseriæ expertem, et eum qui corpori sic annexus erat, tanquam angelum super terram agere, volens illum supplantare et dejicere ampliorum promissionum spe, illum etiam iis quæ in manibus habebat, spoliavit. Tantum est malum non se continere intra proprios limites, sed majoribus inhiare. Et istuc ipsum Sapiens quidam declarans dicebat : « Invidia » autem diaboli mors intravit in mundum [1]. » Vides, dilecte, quomodo ab initio statim ex crapula mors ingressum habuit? Considera autem iterum et post hæc divinam Scripturam subinde delicias incusantem ac dicentem alicubi : « Sedit populus manducare et bibere, et surre- » xerunt ludere [2]. » Alibi vero : « Et comedit, et bibit, et im- » pinguatus est, et incrassatus, et recalcitravit dilectus [3]. » Quin et Sodomorum incolæ indeprecabilem illam iram cum ex aliis malis, tum hinc sibi accersiverunt. Audi enim Prophetam dicentem : « Hæc iniquitas Sodomorum, » quod in satietate panum lasciviebant [4]. » Morbus enim ille, quasi radix et fons quidam malorum omnium est.

III. Vidisti crapulæ nocumentum? vide etiam jejunii præclara facinora. Quadraginta dies cum jejunasset magnus Moses [5], legis tabulas accipere potuit [6] : et quoniam ut descendit, vidit populi iniquitatem, quas cum tanto studio, et assiduitate accipere potuit, eas abjectas contrivit, absurdum esse censens ebrium et prævaricatorem populum leges a Domino conditas accipere : quapropter denuo quadraginta dierum jejunio opus habuit admirandus ille Propheta, ut tabulas propter ipsorum iniquitatem contritas, iterum superne receptas deportaret [7]. Totidem dierum jejunium et magnus Elias trans-

[1] Sap. II, 24. — [2] Exod. XXXII, 6. — [3] Deut. XXXII, 15. — [4] Ezech. XVI, 49. — [5] Exod. XXI, 18. — [6] Id. XXXIV, 18. — [7] Id. XXXI, 28 et 29.

egit [1], vitataque mortis tyrannide, et curru igneo quasi in cœlum raptus, etiam usque in hanc diem mortem non expertus est. Vir quoque desideriorum, peracto multorum dierum jejunio, admirandam illam visionem nactus est, et leonum furorem compescuit, in oviumque mansuetudinem vertit, non naturam commutans, sed, feritate manente, appetitum mutatum cohibens. Hoc jejunio et Ninivitæ usi [2], sententiam Domini revocarunt, efficientes ut tam jumenta quam homines illud susciperent, et sic abscedentes unusquisque a malis studiis, ad clementiam universorum Dominum provocarent. Et quid circa servos ulterius versor? etenim possemus et alios plurimos commemorare et in veteri, et in novo Testamento per jejunium celebratos; verum operæ-pretium est ut ad communem nostri omnium Dominum veniamus. Dominus enim noster JESUS CHRISTUS et ipse quadraginta dierum præmisso jejunio [3], sic certamen contra diabolum aggressus est, omnibusque nobis exemplum dedit, ut per illud armemur, et ex illo robur sumamus, ut ad pugnam contra diabolum instruamur. At hic fortassis rogaverit quispiam eorum qui acutius vident, et excitatiore animo sunt: Quare totidem, quot servi, dies Dominus jejunare conspicitur, et numerum illum non transgreditur? Non hoc temere, neque frustra, imo vero sapienter et pro ineffabili illius benignitate factum est: nempe ne existimetur apparenter tantum advenisse, et non assumpsisse carnem, vel extra humanam esse naturam, propter hoc illum ipsum numerum jejunat, neque alios his diebus adjicit, sic volens contentiosorum impudentiam frenare. Nam si rebus ita gestis, quidam etiamnum ista loqui audent, nisi horum præcisus hanc illis ansam ademisset, quid non dicere aggressuri erant? Ideo noluit plures dies jejunare, sed to-

[1] 3 Reg. XIX, 8. — [2] Jon. III, 7. — [3] Matth. IV, 2.

tidem, quot servi, ut reipsa nos erudiat se eadem qua nos carne amictum, et a natura nostra extraneum non fuisse.

IV. Cæterum quoniam a nobis demonstratum est, quam magna sit jejunii vis, et quam multiplex ex illo utilitas, idque exemplo servorum ac Domini est ostensum; ideo obsecro charitatem vestram, ut scientes quantum ex illo sit lucrum, ne utilitatem tantam, quæ ex illo paratur, per desidiam repellatis : neque contristemini propter illius adventum, sed gaudeatis et exultetis secundum beatum Paulum, dicentem : « Quanto externus noster homo corrumpitur, tanto internus renovatur [1]. » Jejunium enim animæ nostræ alimentum est : et sicut corporalis iste cibus impinguat corpus, ita et jejunium animam habiliorem efficit et valentiorem, leves ei pennas parat, ut in sublime feratur, et summa contemplari queat, voluptatibusque et omnibus quæ in hoc mundo habentur suavia, ipsa sit superior. Et quemadmodum leviores naves maria velocius transeunt, contra multis oneribus gravatæ submerguntur : ita jejunium quidem leviorem reddens mentem, efficit ut facilius hujus vitæ pelagus transmittat, et in cœlum, ac cœlestia suspiciat, et nihili faciat præsentia, sed ut umbras, et somnia diffugere censeat. Verum ebrietas et crapula degravans mentem, et impinguans corpus, captivam facit animam, undique illam oppugnans, neque sinit rationis judicium firmum consistere, sed impellit ut in præceps feratur, et omnia contra propriam salutem operetur. Igitur, dilecti, ne segniter instituamus ea quæ ad salutem nostram attinent; sed scientes quanta mala hinc nasci soleant, fugiamus damnum quod ex illa provenit. Neque enim in nova lege solum, ubi majus veræ philosophiæ studium, majora certamina, magni sudores, multa bravia,

[1] 2 Cor. IV, 16.

et ineffabiles coronæ, deliciis nobis interdicitur, sed etiam in veteri, quando Judæi adhuc umbræ assidebant, et lucernæ erant affixi, et velut pueri qui lacte nutriuntur, sic paulatim educabantur, neque tunc permittebantur deliciis vacare. Et ne existimetis nos temere delicias accusantes ista dicere, audite Prophetam sic loquentem : « Væ » iis qui veniunt ad diem malum, dormientes in lectis » eburneis, et lascivientes in stratis suis, comedentes hæ- » dos ex gregibus, et vitulos ex medio armentorum lac- » tentes, bibentes defæcatum vinum, et pretiosis unguen- » tis uncti, quasi stantia hæc arbitrati sunt, et non quasi » fugientia [1]. » Vidistis quantam accusationem contra delicias afferat Propheta, idque cum Judæis disserens, stupidis, ingratis, et quotidie ventri deditis? Considerate enim verborum diligentiam : cum enim illorum vituperasset crapulam et immodicam temulentiam, tunc subdidit : « Quasi stantia arbitrati sunt, et non quasi fugientia : » tantum non ostendens gutturis et labiorum tenus esse fruendi voluptatem, et ultra non progredi. At voluptas quidem brevis est ac temporaria, dolor autem perpetuus et fine carens. Et hæc, inquit, cum experientia didicerint, quasi stantia arbitrati sunt omnia, et manentia, et non quasi fugientia, hoc est, avolantia, et ne ad momentum quidem permanentia. Talia enim sunt omnia humana et carnalia : nondum recte advenerunt, et avolarunt. Istiusmodi sunt deliciæ, istiusmodi divitiæ, istiusmodi universa hujus vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum; sed magis quam fluminum fluenta prætercurrit, nudosque ac solos relinquit eos qui illis inhiant. Atqui spiritualia non sunt talia, sed secus ac diverso modo habent, quam illa : sunt enim firma, immobilia, vicissitudinem non accipientia, ad omne sæculum

[1] Amos. VI, 3 et seqq.

se extendentia. Quantæ igitur non fuerit dementiæ nutantia cum immobilibus commutare : temporalia cum iis quæ in sæculum duratura sunt; perpetuo manentia cum iis quæ avolant; et ea quæ nobis illic grave supplicium paritura sunt, cum iis quæ in futuro sæculo felicitatem summam afferunt? Hæc, obsecro, omnia considerantes, dilecti, magnamque salutis nostræ curam habentes, aspernemur delicias et inutiles et perniciosas; amplexemur jejunium, omnemque aliam philosophiam, et magnam vitæ exhibeamus mutationem, ac quotidie ad agenda bona opera festinemus : ut cum per omne tempus sanctæ Quadragesimæ, spirituales merces negotiati fuerimus, et multas virtutum divitias congesserimus, sic mercamur et ad sanctum Domini diem pervenire, et cum fiducia ad tremendam et spiritualem mensam accedere, participesque fieri cum pura conscientia ineffabilium illorum et immortalium bonorum, ac impleri ea quæ illinc provenit gratia, precibus et intercessione eorum, qui placuerunt ipsi Christo clementi Deo nostro, cum quo Patri ac Spiritui sancto gloria, imperium, honor nunc et semper, et in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA II.

In creationis principium. In principio fecit Deus cœlum et terram [1].

I. Vestros ego hodie amabiles intuens vultus, ingenti voluptate impleor. Etenim ne patres quidem filiorum

[1] Gen. 1, 1.

amantes tantum gaudent ac lætantur circumstantibus illis, et alio quodam decore ministerioque voluptatem sibi afferentibus, quantum ego nunc gaudeo et lætor, quia video vestrum spiritualem hunc cœtum tam compositis ornatisque moribus hic adesse, et immodico audiendi eloquia divina desiderio flagrare, contemptisque carnalibus epulis, ad spirituale convivium contendere, et reipsa comprobare dictum illud Domini : « Non in pane solo vivet homo, sed » in omni verbo quod egreditur per os Dei [1] » Agedum et nos quoque agricolas imitemur : ac quemadmodum illi sicubi agrum repurgatum, et ab herbarum nocumentis liberum viderint, ubertim seminant : ita quoniam nunc spirituale hoc nostrum arvum, Dei gratia, purum est ab affectionibus quæ interturbare solebant, sublatum quoque est e medio voluptatis studium, et nusquam procella, nusquam tempestas cogitationum; sed tranquillitas et magna quies mentis, quæ spiritualia præ carnalibus animo concipit, et quasi assumptis alis usque in cœlum ipsum, ut ita dicam, subvolat; paucis hodie apud charitatem vestram disseramus, et appositis Scripturæ divinæ dogmatibus, subtiliora hodie adire sensa tentemus. Nam si nunc hoc non fecerimus, cum jejunium est et gulæ contemptus, et tanta bonarum cogitationum serenitas : quando talia vestræ charitati apponere poterimus? an cum aderunt deliciæ, comessationes, et magna desidia? Quin tunc neque ipsi, ut par est, hoc faciemus, neque vos aliquid eorum quæ dicentur, quasi a tenebris quibusdam a cogitationum procella submersi excipere poteritis. Nunc autem tempus hoc, si quod aliud, hisce disciplinis maxime idoneum est : quando serva jam non insurgit adversus dominam, sed libenter fert habenas, facile persuadetur, multam præ se fert obedientiam, incompositos carnis motus compescit, et

[1] Matth. IV, 4.

intra suos manet terminos. Jejunium enim est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus, continentium magister, quod omnem ætatem et sexum quasi diademate quodam ornat. Nusquam hodie tumultus, vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus : sed omnia illa abierunt, et hæc civitas honestam quamdam, continentem, et sobriam matronam imitatur. Unde cum mecum cogito repentinam mutationem hodie factam et repeto memoria hesterni diei perturbationem, admiror et obstupesco jejunii vires et potentiam, quomodo in singulorum conscientias ingressum, transformaverit cogitationes, expurgaverit mentem, non magistratuum tantum, sed et privatorum : non liberorum tantum, sed et servorum : non virorum tantum, sed et mulierum; non divitum tantum, sed et pauperum; non eorum tantum qui græcam linguam edocti sunt, sed et barbarorum. Sed quid dico magistratuum et privatorum? etiam ejus qui diadema gestat, similiter ut aliorum, conscientiam ad hanc obedientiam inflexit. Nec hodie ullum discrimen inter mensam divitis et pauperis : sed ubique frugalis victus est, alienus a luxu et apparatu, majorique hodie voluptate ad mensam tenuem quique accedunt, quam pridem cum multa delicata edulia multumque vinum meracum proponebantur.

II. Vidistis, dilecti, ex ipsis præludiis jejunii virtutem et potentiam? idcirco et ipse majori hodie alacritate, quam antea, sermones aggredior : sciens me in pingui profundoque arvo seminaturum, quod nobis multifarios fructus pro seminibus concreditis protinus reddere poterit. Discamus igitur, si placet, quid velint sibi verba beati Mosis hodie lecta. Sed attendite, obsecro, diligenter his, quæ a nobis dicuntur. Non enim nostra in medium afferimus, sed illa ipsa quæ nobis divina gratia in vestram con-

cesserit utilitatem. Quæ autem hæc sunt? « In principio » fecit Deus cœlum et terram [1]. » Merito hic dubitatur, quam ob causam beatus iste Propheta, qui etiam ipse multis sæculis post creationem mundi vixit, hæc nobis exponat. Sane non temere hoc agit, nec frustra. Etenim Deus humani generis conditor, ab initio per seipsum hominibus loquebatur, eo quo homines poterant audire modo. Sic enim ad Adam venit: sic Cain increpavit: sic cum Noë locutus est: sic apud Abraham hospitatus est. At ubi in malitiam magnam omne hominum genus prorupit, neque tunc sese totum ab hominum genere avertit Opifex omnium: sed quia sua familiaritate postea indigni facti fuerunt, iterum suam erga illos amicitiam innovare volens, quasi longe absentibus litteras mittit, conciliaturus sibi universam hominum naturam. Et has quidem litteras dedit Deus, attulit autem Moses. Quid igitur dicunt hæ litteræ? « In principio fecit Deus cœlum et terram. » Considera in hoc, charissime, quam admirabilis et eximius sit iste Propheta. Alii enim omnes Prophetæ ea dixerunt, vel quæ multis postea temporibus futura erant, vel quæ statim eventura essent: beatus autem iste, natus cum jam multa mundi transissent sæcula, ducem sortitus supernam dexteram, dignus est habitus ut illa nobis diceret, quæ ante ortum suum omnium Dominus formaverat. Idcirco his incipit verbis: « In principio fecit Deus cœlum et terram: » Quasi ad omnes nos clara voce clamet, et dicat: Num ab hominibus doceor, ut hæc loquar? Is ipse qui hæc cum non essent, fecit, ut essent, lingam meam ad isthæc enarranda impulit. Igitur obsecro, ita auscultemus, ita nostris ratiociniis longum vale dicamus, quasi hæc non jam a Mose, sed per linguam Mosis ab ipso universorum Deo audiamus. « Ratiocinia enim hominum timida sunt, inquit, et

[1] Gen. I, 1.

» incertæ cogitationes eorum. » Grato admodum animo accipiamus quæ dicuntur, ne progrediamur ultra quam fert mensuræ nostræ tenuitas, neve curiosius quæ supra nos sunt indagemus : id quod veritatis hostibus evenit, qui voluerunt propriis ratiociniis universa expendere, non cogitantes impossibile esse humanæ naturæ Dei opificium penitus explorare. Quid, inquam, Dei opificium, cum neque hominis, qui nobis natura cognatus est, artes penitus indagari possint? Dic enim, quæso; quomodo per metallicam artem auri natura conflatur? vel quomodo vitri puritas ex arena efficitur? Verum non habes quæ dicas. Si igitur hæc quæ ante oculos sunt posita, et quæ per Dei benignitatem humana operatur sapientia, intelligi nequeunt; quæ a Deo ipso facta sunt, curiositate tua inquires, homo? Quam assequeris veniam? qua te tueberis defensione, ita insaniens, ut quæ supra naturæ tuæ captum sunt, speculeris? Dicere enim ea quæ sunt, ex subjecta materia esse facta, et non confiteri omnium Opificem ea ex nihilo creavisse, desipientiæ extremæ signum fuerit. Beatus itaque Propheta iste, obturando insipientium ora, auspicaturus librum, sic cœpit : « In principio » fecit Deus cœlum et terram. » Cum igitur audis, « fecit, » nihil aliud ultra curiosius quære : sed humum spectans, dictis fidem habe. Nam Deus est qui omnia facit, et in aliam formam mutat, ac secundum voluntatem suam omnia apte convertit. Et vide quantum nostræ parvitati se attemperat : nihil de invisibilibus virtutibus disserit, neque dicit : « In principio fecit Deus Angelos, vel Archangelos. » Non simpliciter, neque temere hanc nobis doctrinæ viam paravit. Quia enim Judæis loquebatur, qui toti præsentibus rebus inhiabant, neque spirituale quidquam animo concipere valebant, eos a sensibilibus ad cognoscendum universi opificem inducit, ut ex creaturis fabricatorem

mundi discentes, adorarent Creatorem omnium, et non in creaturis ipsis permanerent et quiescerent. Nam cum licet hæc ita facta sint, non intermiserint ex creaturis deos facere, et divinum honorem fœdissimis brutis exhibere; in quam non amentiam incidissent, nisi tanta erga eos attemperatione fuisset usus?

III. Nec mireris, dilecte, quod Moyses hac via incesserit, qui in principio, et in præludiis, crassioribus locutus est Judæis : quandoquidem Paulus quoque tempore gratiæ, cum tantum prædicationis esset incrementum, disputaturus cum Atheniensibus, a visibilibus doctrinam cœpit his verbis : « Deus qui fecit mundum, et omnia quæ in eo »sunt; hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manu»factis habitat templis, nec humanis manibus colitur [1]. » Quia enim talem eis competere sciebat doctrinam, hanc docendi viam arripuit. Ad eos enim qui suam suscipiebant doctrinam, a spiritu ita dirigebatur, et eos ita docebat. Et ut scias hujus rei causam fuisse personarum varietatem, et auditorum crassitudinem, audi illum ipsum : ad Colossenses enim epistolam scribens, non hac ambulat via, sed aliter cum eis loquitur, et dicit : « Quia in ipso creata »sunt omnia, quæ in cœlis sunt, et quæ in terra, visibilia »et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Princi»patus, sive Potestates, omnia per illum, et in illum creata »sunt [2]. » Joannes autem tonitrui filius clamabat, dicens : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est »nihil [3]. » At non sic Moses, et merito : nec enim erat consentaneum ut solido pascerentur cibo, quibus adhuc lactis alimonia opus erat. Nam quemadmodum ludimagistri pueris, qui a parentibus ipsis commendantur erudiendi, prima tradunt elementa : quos pueros qui ab illis postea suscipiunt, sublimioribus et perfectioribus doctrinis

[1] Act. XVII, 24 et 25. — [2] Coloss. I, 16. — [3] Joan. I, 3.

imbuunt : ita et beatus Moses, et Doctor gentium, ac Filius tonitrui fecerunt. Nam Moses quidem cum primus omnium instituendam suscepisset humanam naturam, docuit auditores prima elementa. Joannes autem et Paulus iis quos a Mose acceperant, postea perfectiora tradidere. Igitur jam didicimus quare ita se attemperaverit ad nostram tenuitatem, et eum Spiritu sancto loquentem, prout auditoribus congruebat, omnia exposuisse : simulque ille omnes hæreses, quæ sicut zizania pullulaturæ erant in Ecclesia, eradicat per hoc quod dicit : « In principio fecit »Deus cœlum et terram. » Unde si Manichæus ad te accesserit, dicens materiam præexistere, si Marcion, si Valentinus, si Gentiles, dic illis : « In principio fecit Deus cœlum »et terram. » Sed quid, si non credit ille Scripturæ ? Tu posthac ipsum averseris, velut furibundum et mente captum. Nam qui omnium Opifici non credit, et veritatem mendacii arguit, qua unquam dignandus est venia ? Habet ille fucatum colorem, et mansuetorum personas induit, tegitque sub ovilla pelle lupum. Sed tu ne decipiaris, imo hac ipsa de causa illum magis exosum habe, quod mansuetudinem quidem erga te conservum simul et, contra Dominum autem universorum Deum bellum gerat, et neque seipsum salutem suam prodere animadvertat. Cæterum nos firmam teneamus petram, et ad principium iterum regrediamur : « In principio fecit Deus cœlum et terram. » Attende nunc, quomodo ex ipso opificii modo divinæ naturæ dignitas enitescat; quomodo Deus præter humanum morem, suum perficiens ædificium, prius cœlum extendat, postea et terram substernat : prius culmen, et postea fundamentum. Quis tale quid vidit ? quis audivit ? In hominum sane operis nihil tale unquam fuerit : sed jubente Deo, voluntati ejus parent et cedunt omnia. Ne igitur humanis rationibus divina curiosius excutiamus, sed ex operibus manu-

ducti, admiremur Artificem. « Nam invisibilia ejus, inquit, » ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervi- » dentur [1]. »

IV. Quod si veritatis hostes adhuc dicunt non posse ex nihilo aliquid fieri : interrogemus eos : Primus-ne homo ex terra formatus est? an forte aliunde? omnino dicent ac fatebuntur quod ex terra. Dicant igitur nobis quomodo ex terra facta sit natura carnis. Ex terra enim lutum, et lateres, et figulinum vas, et testa fieri solet : quomodo ergo natura carnis facta est? quomodo ossa, et nervi, et arteriæ, et adeps, et cutis, et ungues, et capilli, et ex una subjacente materia diversarum substantiarum qualitates? Sed ad hæc ne mutire quidem poterunt. Quid autem dico de corpore nostro? dicant nobis de pane, quo quotidie reficimur, quomodo, cum unius speciei sit, transmutatur in sanguinem, et pituitam, et bilem, et in varios humores. Et panis quidem sæpe habet colorem frumenti, sanguis autem ruber vel niger est. Si igitur hæc, quæ quotidie ante oculos versantur, nunquam nobis dicere poterunt, difficilius de aliis Dei opificiis digna loquentur. Quod si post tantam demonstrationum copiam, adhuc suam contentionem roborare volunt, neque nos desistemus sæpe eadem ipsis objicere, dicentes : « In principio fecit Deus cœlum et terram. » Hoc enim unicum verbum sufficit nobis ad subvertendas omnes adversariorum turres, et ad revellenda ab ipsis fundamentis humana ratiocinia : atque si vellent vel sero a sua contentione desistere, possent per hoc in veritatis viam manuduci. « Terra autem invisibilis erat, et incom- » posita [2]. » Cujus gratia, die, quæso, cœlum clarum et perfectum creavit? terram autem informem effecit? Neque hoc temere factum : sed ut cum didiceris meliorem creationis partem ab eo formatam et absolutam, nihil postea

[1] Rom. 1, 20. — [2] Gen. 1, 2.

dubites, neque putes id ex potestatis imbecillitate factum. Ad hæc, et alia ratione informem terram creavit; quia enim ipsa est nutrix, et mater nostra, et ex ea facti sumus, atque educamur, ipsaque nostra patria est, et commune sepulcrum : reditus enim noster ad eam rursus est; et quia variis per eam bonis fruimur; ideo ut ne homines ob usus necessitatem, plus quam dignum est, eam colerent, ostendit primum rudem et informem : ut ne beneficia terræ telluris naturæ imputes; sed ei tribuas, qui illam ex nihilo ut esset, creavit, propter hoc ait : « Terra autem » erat invisibilis et incomposita. » Forte statim et ab initio mentem vestram subtilioribus sententiis nimium torsimus, ideo hic sermonem sistere par est. Rogamus autem charitatem vestram, ut dictorum sitis memores, et semper hæc memoria teneatis : atque una cum sensibili mensa, cum hinc abieritis, apponite et spiritualem mensam. Dicat vir aliqua eorum, quæ nunc hic sunt dicta : audiat mulier, discant pueri, discant et domestici, fiatque domus ecclesia, ut effugetur diabolus, in fugam vertatur malus ille dæmon, et inimicus salutis nostræ : requiescat autem ibi Spiritus sancti gratia, et omnis pax et concordia muniat inhabitantes. Nam si eorum, quæ jam dicta sunt, memores fueritis, et majore studio ea, quæ posthac seminaturi sumus, susceperitis, nos quoque majori studio atque ubertate dicemus, quæ nobis suppeditabit gratia Dei, si germinare viderimus ea, quæ nunc a nobis dicta sunt. Quandoquidem et agricola cum viderit semina nasci, majore alacritate arva considerat et excolit, atque alia serere gestit.

V. Ut igitur alacriores nos reddatis, jam dictorum certam custodiam demonstrate, et cum rectæ fidei dogmatibus vitam quoque vestram diligenter curate. « Luceat, » enim, inquit, « lux vestra coram hominibus, ut videant » opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in

»cœlis est[1] : » ut et vita consonet fidei dogmatibus, et dogmata prædicent vitam. « Fides » enim « sine operibus »mortua est[2], » et opera sine fide mortua sunt. Nam licet sanam teneamus doctrinam, si vitam negligamus, nihil nobis proderit doctrina. Rursus, si vitæ curam diligentem gesserimus, in fidei autem placitis claudicaverimus, neque sic nobis aliquid lucri fuerit. Ideo convenit utrinque ædificium hoc nostrum spirituale communiri. « Omnis » enim, inquit, « qui audit hos sermones meos, et facit »eos, assimilabitur viro prudenti[3]. » Vide quomodo non solum audire nos velit, sed etiam facere et operibus obedientiam exhibere : hunc prudentem vocavit, qui operibus sermones subsequentibus conspicuus sit : qui vero tantum ad sermones pervenit, et non ad opera, eum stultum vocavit : merito certe : quia ille domum suam super arenam ædificavit; propterea neque ventorum vim ferre potuit, sed statim corruit[4]. » Tales enim sunt desides animæ, non solidatæ super firmam petram spiritualem. Non enim de ædificio, et de domo nunc est sermo : sed de anima, quæ a tentatione quavis quatitur. Nam venti, pluviæ, et fluviorum nominibus, tentationes nobis subindicavit. Atenim qui constans, vigil, et sobrius est, hac ratione firmior evadit : et quanto majores intentantur afflictiones, tanto ejus virilitas et fortitudo magis augentur. Deses autem et supinus, si vel tenuis quædam tentationum aura afflarit, statim vacillat, et animo concidit, non ob naturam tentationum, sed ob voluntatis infirmitatem. Quocirca oportet sobrios esse, et vigiles, et ad omnia præparatos : ut et in prosperitate modesti ac non effusi, et in afflictionibus quæ nobis infliguntur, sobrii et prudentes, perpetuas gratias referamus benigno Deo. Si sic res nostras instituerimus, multum gratiæ divinæ asse-

[1] Matth. v, 16. — [2] Jac. II, 26. — [3] Matth. VII, 24. — [4] Ibid. 26.

quemur: poterimusque præsentem vitam secure transmittere, et in futura vita magnæ fiduciæ opes reponere: quam nobis omnibus assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul et sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

De iis quæ sequuntur hæc verba, In principio fecit Deus cœlum et terram[1] *usque ad illud*, Et factum est vesperum, et factum est mane dies unus[2].

I. Thesauro cuipiam comparatur divinarum Scripturarum lectio: nam sicut ex illo quisquis vel frustulum carpere valet, multas sibi parat divitias: ita et in sacra Scriptura, etiam in brevi dictione ingentem sententiarum vim, et immensas divitias invenire licet. Et non solum thesauro similia sunt divina eloquia, sed fonti quoque, largis perennibusque scaturienti fluentis: id quod ex rebus ipsis heri omnes didicimus. Nam ut proœmia libri Geneseos incœpimus, in explanando hoc dicto, « In principio fecit Deus » cœlum et terram, » totum tradendæ doctrinæ destinatum tempus insumpsimus, et neque sic totum expedire valuimus. Magna enim est hujus thesauri abundantia, et larga fontis hujus spiritualis fluenta. Nec mireris, charissime, si nobis hoc accidat: etiam qui ante nos fuere, pro viribus suis aquas inde hauserunt: et similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic totum evacuare poterunt: sed magis interim augescunt fluenta, et cres-

[1] Gen. 1, 1. — [2] Ibid. 5.

cunt alvei. Hæc enim spiritualium fluminum natura est, ut eo magis scaturiant, et accrescat spiritualis gratia, quo quis magis inde haurire studet. Propter hoc et Christus dicebat : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit » in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent » aquæ viventis[1] : » quibus verbis horum fluentorum abundantiam nobis indicat. Quoniam igitur spiritualium fluentorum natura talis est, age afferamus omnes mentis nostræ vasa, ut impletis illis domum redeamus. Nam quando videt gratia spiritus fervens desiderium, et vigilem mentem, tunc et gratiam suam opulentam liberalius largitur. Abducamus igitur nos ab omnibus hujus vitæ curis, et resectis iis quæ cogitationes nostras velut spinæ suffocant, ad spiritualium desiderium mentem nostram totam transferamus, ut magno inde reportato lucro, et ingenti utilitate percepta, ita hinc recedamus. Cæterum ut vobis manifestior sit sermo, pauca quædam ex hesternis dictis in memoriam charitati vestræ referemus, ut sic iis quæ heri dicta sunt, hæc nunc dicenda quasi in unum corpus conjungamus. Ostendimus enim heri, ut meministis, quomodo beatus Moses enarrans nobis horum visibilium elementorum creationem et opificium, dixerit : « In principio fecit » Deus cœlum et terram : terra autem erat invisibilis et in» composita : » et vos causam docuimus, quare Deus terram informem, et nullis figuris expolitam creaverit; quæ, opinor, omnia mente tenetis : necessarium est igitur nos ad ea quæ sequuntur hodie progredi. Nam postquam dixit, » Terra autem erat invisibilis ac incomposita, » nos accurate docet, unde invisibilis esset et inculta, dicens : « Et » tenebræ erant super abyssum, et Spiritus Dei superfere» batur super aquam[2]. » Vide hic quam nihil superflui admisceat beatus Propheta, et quomodo non omnia particu-

[1] Joan. VII, 37 et 38. — [2] Gen. I, 2.

latim narret, quæ creata sunt : sed cum docuerit nos de cœlo et terra, quæ plurima in se continent elementa, prætermittat alia. Nam cum de aquarum opificio nihildum dixisset, ait : « Et tenebræ erant super abyssum, et Spiri» tus Dei superferebatur super aquam. » Hæc enim tegebant faciem terræ ; de tenebris loquor et abysso aquarum. Hinc didicimus omne quod videbatur, fuisse abyssum aquarum tenebris velatam, et opus habuisse sapiente opifice, qui omnem hanc informitatem discutere, et ornatum aliquem in omnia posset inducere. « Et tenebræ, » inquit, » erant super abyssum, et Spiritus Dei superferebatur super » aquam. » Quid sibi vult quod dicit : « Et Spiritus Dei su» perferebatur super aquam? » Mihi videtur hoc significare fuisse in aquis efficacem quamdam et vitalem operationem, nec fuisse simpliciter aquam stantem et immobilem ; sed mobilem, et vitalem quamdam vim habentem. Nam quod immobile, omnino inutile est ; quod vero movetur, ad multa conducit.

II. Ut igitur doceret nos beatus ille Propheta aquam illam magnam et ineffabilem habere vim quamdam vitalem, dicit : « Et Spiritus Dei superferebatur super aquam. » Idque non absque ratione Scriptura divina præveniendo dicit : sed eo quod postea dictura sit nobis, animalia ex aquis istis ex præcepto Dei omnium conditoris producta fuisse, propterea auditorem hic nunc docet non sine causa aquam illam constitisse, sed ut moveretur, discurreret, et omnia allueret. Quandoquidem igitur diffusa erat magna universi visibilis informitas, præcepto suo Deus, optimus ille artifex, deformitatem illam depulit ; et immensa lucis visibilis pulchritudo producta tenebras fugavit sensibiles, illustravitque omnia. « Et dixit, inquit, Deus ; » Fiat lux ; et facta est lux[1]. » Dixit, et facta est : mandavit,

[1] Gen. 1,3.

et tenebræ quidem fugatæ sunt, lux autem producta. Vides ineffabilem potentiam? Verum qui errore præoccupati sunt, non attendentes dictorum consequentiam, neque audientes beatum Mosem dicentem : « In principio fecit Deus » cœlum et terram; » et mox subdentem : « Terra autem » erat invisibilis et incomposita, » eo quod tenebris et aquis esset obtecta; sic enim visum fuit Domino ab initio eam producere; dicunt antea fuisse subjectam materiam, et tenebras præextitisse. Quid hac amentia pejus? Audis Deum in principio fecisse cœlum et terram, et ex nihilo quæ sunt facta fuisse, et dicis prius extitisse materiam? Quis eorum qui mentem habent, tantam ferret insaniam? Numquid homo est opifex ille, ut opus habeat subjecto aliquo ad demonstrandam suam artem? Deus est cui omnia cedunt, qui verbo et præcepto suo omnia condidit. Attende enim, dicit solum, et producta est lux, et abscesserunt tenebræ. « Et distinxit Deus inter lucem et inter » tenebras. [1] » Quid est, « distinxit? » Unicuique locum proprium distribuit, congruensque tempus definivit. Et postquam hoc factum est, tunc suum cuique vocabulum indidit. « Vocavit, » enim, inquit, « Deus lucem diem : et te» nebras vocavit noctem [2].» Vidisti optimam distinctionem, et admirabile opificium, quod omnem rationem transcendit, uno verbo et præcepto factum? Vidisti quantum se nostrorum ingeniorum parvitati attemperavit beatus ille Propheta, imo benignus Deus per Prophetæ linguam erudiendo omne hominum genus; ut sciat eorum quæ facta sunt ordinem, quis universi sit opifex, et quomodo unumquodque productum sit? Quoniam enim adhuc imbecillius erat humanum genus, quam ut perfectiora capere posset; propterea pro auditorum imbecillitate, Prophetæ linguam movens Spiritus sanctus in hunc modum nobis omnia

[1] Gen. 1, 4. — [2] Ibid. 5.

edisserebat. Et ut discas illum ob mentis nostræ imbecillitatem hoc enarrationis temperamento fuisse usum, vide quomodo tonitrui Filius, cum jam hominum genus ad virtutem profecisset, non jam hac via ingrediatur, sed in sublimiorem eruditionem auditorem subducat. Nam ut dixit; « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum[1]; » mox subjicit : « Erat lux » vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in mun» dum[2]. » Nam quemadmodum hoc loco lux ista sensibilis præcepto Domini producta, tenebras illas visibiles abscondit : sic et lux mentalis tenebras errorum effugavit, et ad veritatem errabundos manuduxit.

III. Suscipiamus ergo gratissimo animo illa a divinis Scripturis documenta, et ne adversemur veritati, neque in tenebris maneamus : sed ad lucem properemus, operemurque digna luce et die, sicut et Paulus admonet dicens : « Sicut » in die honeste ambulemus[3], » et ne operemur opera tenebrarum. « Et vocavit, » inquit, « Deus lucem diem, et tenebras vo» cavit noctem. » Sed quod ferme nos præterierat, necessarium fuerit iterum repetere. Nam postquam dixerat. « Fiat » lux, et facta est lux, » subjunxit : « Et vidit Deus lucem, » quod bona esset[5]. » Vide quæso hic, dilecte, quam temperata verborum ratio. Quid igitur ? an priusquam fieret lux, nesciebat eam bonam futuram? sed postquam producta fuit, ex aspectu primum opifex pulchritudinem et bonitatem ejus productæ percepit? Et quis sanæ mentis tale quidpiam dixerit? Nam si homo qui aliquid per artem operatur, priusquam fabricetur quod vult facere, et priusquam efformet, scit usum ejus quod elaborare statuit : quanto magis omnium Opifex, qui verbo omnia ex nihilo ut essent produxit, sciebat, antequam lucem faceret, eam esse bonam? Quare ergo hac dictione usus est? Demittit

[1] Joan. I, 1. — [2] Ibid. 9. — [3] Rom. XIII, 13. — [4] Gen. I, 4.

se, et secundum humanam consuetudinem hæc omnia loquitur beatus ille Propheta. Et quemadmodum homines cum aliquid magno studio elaboraverint, et finem laboribus suis imposuerint, tunc tandem per experientiam et probationem opus laudibus extollunt : ita et divina Scriptura nunc cum se ad nostrarum aurium infirmitatem demisit, et dixit : « Et vidit Deus lucem, quod bona esset, » tunc subjecit : « Et distinxit Deus inter lucem, et inter te» nebras : et vocavit Deus lucem, diem, et tenebras vocavit » noctem, » et suam cuique regionem distribuit : nam ab initio cuique suos terminos præfixit quos perpetuo absque impedimento custodiret : id quod cuilibet, qui recte sapiat, contueri licet, quomodo ex eo tempore usque in præsens, neque lux terminos suos transgressa sit, neque tenebræ suum ordinem præterierint, confusione et perturbatione quadam introducta. Sane hoc unum ingratis illis sufficere deberet, ut crederent et obedirent iis quæ a divina Scriptura dicta sunt: ita ut vel elementa imitantes, quæ cursum inoffensum perpetuo servant, dimensos terminos suos non prætergrediantur, sed agnoscant propriam naturam. Exin postquam utrique suum nomen dedit, utrumque in unum copulans dicit : « Et factum est vespere, et factum est mane dies » unus [1]. » Finem diei et finem noctis unum expresse nominavit, ut ordinem aliquem et consequentiam statueret visibilium, nullaque fieret confusio. Verum discamus oportet a Spiritu sancto per linguam beati hujus Prophetæ, quæ primo die condita sunt, et quæ aliis. Nam et istuc ipsum clementem Deum sese attemperantem exhibet. Neque enim inops erat omnipotens illius manus, et infinita sapientia, ut non posset uno die producere omnia. Quid dico, uno die? et simplici momento poterat. Sed quandoquidem res non ob suam utilitatem produxit; neque enim ulla re opus habet; sed

[1] Gen. 1, 5.

ob suam benignitatem et bonitatem condidit omnia; idcirco successione quadam et per partes condidit, et doctrinam nobis manifestatam de rebus conditis per linguam beati hujus Prophetæ tradidit, ut hæc accurate docti, non incidamus in eorum sententiam qui humanis ratiociniis moventur. Si namque, his illo modo peractis, non desunt qui fortuito res omnes factas esse asserant; si non tam attemperata docendi ratione nos dignatus esset, quid non fuissent ausi, qui adversus salutem suam quæque et dicere et facere student?

IV. Quid enim miserius et insipientius iis, qui talia dicere attentant, et affirmant res fortuito fieri, fraudantque omnem creationem divina Providentia? Quo pacto enim rationi consentaneum fuerit, dic, oro, tanta elementa, et tantum ornatum absque aliquo moderatore et omnia conservante gubernari? Et navis nunquam poterit absque gubernatore maris fluctus permeare; milesque nihil strenuum et egregium absque prætoris ductu et auspiciis gerit; et domus constare nequit, nisi adsit qui eam administret: mundus autem hic immensus, et elementorum illorum ornatus, fortuito et temere ferri poterit, nullo existente qui omnia possit moderari, et qui per suam sapientiam ea contineat et conservet? Verum quid ulterius contendimus illis probare ea, quæ et cæcis, ut in proverbio est, perspicua sunt? Attamen ne omittamus proponere eis doctrinam Scripturarum, sed omne impendamus studium, ut ab errore liberati, ad veritatem reducantur. Nam licet adhuc præoccupati erroribus sint, ejusdem tamen, cujus nos, generis sunt: et par est ut magnam eorum curam habeamus, nunquam torpescentes, sed diligentia summa facientes ea quæ in nobis sunt, utilem illis medicinam adhibeamus, ut saltem tandem aliquando ad veram sanitatem redeant. Nihil enim ita curat Deus, ut

animarum salutem. Id clamat Paulus, dicens : « Qui vult om-» nes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire[1]. » Et iterum Deus ipse ait : « Nolo mortem peccatoris, » sed ut convertatur, et vivat . » Propter hoc etiam naturam hanc omnem produxit, et nos formavit, non ut pereamus, neque ut in supplicium nos mittat; sed ut salvos faciat; et ab errore liberatis, regno frui nobis concedat. Hoc enim nobis præparavit, non nunc postquam facti sumus, sed ante jacta fundamenta mundi, sicut ipse dicit : « Venite benedicti Patris mei, in hæreditatem accipite præ-» paratum vobis regnum ante constitutionem mundi[3]. » Vide benignitatem Domini, quomodo antequam formaretur mundus, et produceretur homo, infinita ipsi bona præparaverit : ostendens quantam nostri generis providentiam gerat, et se omnium salutem velle. Talem igitur habentes Dominum, tam misericordem, tam benignum, tam mansuetum, cum nostræ, tum fratrum nostrorum salutis curam geramus. Nam et hoc nostræ salutis argumentum erit et occasio, si non solum pro nobis ipsis solliciti, sed et proximo utiles fuerimus, et ipsum ad viam veritatis deducamus. Et ut discas quantum bonum sit cum nostra aliorum etiam salutem lucrari, audi Prophetam ex persona Dei dicentem : « Qui educit pretiosum a vili, quasi » os meum erit[4]. » Quid hoc est? Qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel a peccato ad virtutem proximum induxerit, pro virili parte humana me imitatur. Etenim ipse cum Deus sit, propter nihil aliud nostram induit carnem, et propter humani generis salutem factus est homo. Sed quid ego nostram illum induisse carnem dico, cæteraque omnia sustinuisse humana, quando etiam crucem suscepit, ut nos peccato obnoxios a maledicto liberaret? Et hoc quoque Paulus clamat, dicens : « Christus nos

[1] 1 Tim. II, 4. — [2] Ezech. XVIII, 23. — [3] Matth. XXV, 34. — [4] Jer. XV, 19.

» redemit a maledictó legis, factus pro nobis maledictum [1]. » Si igitur ipse, qui Deus est et ineffabilis essentiæ, ob benignitatem ineffabilem hæc omnia propter nos et propter salutem nostram suscepit : quid non a nobis æquum est præstare erga eos, qui cognati sunt ac membra nostra, ut ereptos eos ex diaboli faucibus, in viam virtutis inducamus? Nam ut anima corpore præstantior est : ita iis qui indigentibus pecunias et facultates suppeditant, majoribus præmiis digni sunt ii, qui admonendo et continue docendo, in viam rectam supinos et desides inducunt, monstrando eis et vitiorum deformitatem, et divinæ virtutis pulchritudinem.

V. Hæc igitur omnia cum sciamus, præ omnibus aliis hujus vitæ curis, de salute animæ proximos alloquamur, eamdem illis sollicitudinem ingerentes. Optabile enim, optabile plane, ut anima, cui hæc continuo inculcantur, possit reduci ex abysso malorum, in quorum medio versamur, et compescere affectuum, qui perpetuo animam nostram infestant, rebellionem. Idcirco nobis opus est magna vigilantia, quoniam et continuum nobis est bellum, et induciæ nullæ : ideoque Paulus dicebat Ephesiis scribens : « Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et » carnem : sed adversus principatus, adversus potestates, » adversus mundi dominos, rectores tenebrarum sæculi » hujus, adversus spirituales nequitias in cœlestibus [1]. » Ne existimetis, ait, vulgare nobis certamen proponi : non adversus ejusdem generis adversarios nobis est certamen, neque ex æquo exercitus noster instructus est. Nos enim qui corporibus sumus annexi, in acie collocati sumus, ut cum incorporeis virtutibus confligamus. Sed ne timeatis : nam licet inæqualis sit pugna, magna tamen armorum nostrorum virtus est. Subjungit enim hæc, quasi diceret :

[1] Gal. III, 13. — [2] Ephes. VI, 12.

Quoniam novistis hostium naturam, ne animo concidatis, ne torpescatis ad pugnam; sed propter hoc « Suscipite ar- » maturam Dei, ut possitis resistere insidiis diaboli[1]. » Multæ enim ejus sunt insidiæ, hoc est viæ, per quas negligentiores supplantare nititur : quas diligenter cognoscere operæ-pretium est, ita ut effugiamus ejus conatus, et nullum ipsi ingressum permittamus. Quin et linguæ diligens habenda est custodia, et oculi muniendi sunt, et mens purganda, et perpetuo ad pugnam paratos esse convenit, quasi fera aliqua nos invadat, et lædere conetur. Propter quod cœlestis illa anima, Doctor gentium, lingua orbis, nihil non agens pro salute Discipulorum, postquam dixit, « Ac- » cipite armaturam Dei; » iterum subjicit, et nos undique muniens, et invictos faciens, sic dicit : « State igitur ac- » cincti lumbis vestris in veritate, et induti thoracem fidei, » et calceati pedes vestros in præparatione evangelii pacis. » In omnibus assumite scutum fidei, in quo possitis omnia » tela illius ignita extinguere, et galeam salutaris accipite » et gladium spiritus, quod est verbum Dei[2]. » Vidisti quomodo omnium membra muniverit; et quasi in prælium egressuros primum zona cingat, quo expeditiores simus ad cursum : dein induat nos thorace, ne a jaculis vulneremur, sed et pedes munivit, et undique armavit fide. Hæc, ait, hæc ignita tela hostis extinguere poterit. Quænam autem sunt tela diaboli? malæ concupiscentiæ, immundæ cogitationes, perniciosi affectus, furor, invidentia, invidia, ira, odium, pecuniæ concupiscentia, et cætera omnis ignavia. Hæc, ait, omnia extinguere poterit gladius spiritus. Et quid dico, extinguere? etiam ipsum hostis caput amputare valebit. Vidisti quomodo roboravit Discipulos? quomodo eos antea cera molliores, ferro fortiores effecit? Quoniam enim nobis bellum est, non adversus carnem et sangui-

[1] Ephes. vi, 11. — [2] Ibidem, 14-17.

nem, sed adversus incorporeas virtutes; ideo neque carnalibus nos armis munivit, sed arma nostra omnia spiritualia sunt, sic radiantia, ut eorum fulgorem dæmon ille malus ferre nequeat.

VI. Talibus igitur armis induti, ne horreamus pugnam, ne fugiamus congressum; sed neque ignavi simus. Nam sicut, nobis vigilantibus, malignus dæmon nunquam armorum nostrorum virtuti prævalebit, si voluerimus irritas facere ejus machinationes: sic si desides fuerimus, nulla nobis utilitas erit; quandoquidem inimicus salutis nostræ nunquam dormitat, et omnia, quæ saluti nostræ obsunt, operatur. Undique igitur armemus nos ipsos, et a verbis temperemus, et ab operibus abstineamus, quæ nos lædere possunt; et cum abstinentia a cibis, tum aliarum virtutum, tum liberalitatis in pauperes specimen exhibeamus: scientes quanta nobis merces ob curam illis exhibitam reposita sit. Nam, « Qui miseretur, ait, pauperi, fœ-» neratur Deo [1]. » Vide usuræ raram naturam et admirabilem: alius est qui accipit, et alius qui se dando fœnori obnoxium facit; neque hoc solum spectandum, sed etiam quod in hoc usuræ genere neque ingratum animum, neque ullum aliud damnum experiamur. Neque enim quemadmodum hic centesimam solum promittit, sed centuplo plura datis, nec solum centuplo plura, sed hæc dantur in præsenti vita, in futuro autem vita æterna: et in præsenti quidem vita, si quis nobis solum duplicia polliceretur pro iis quæ a nobis dantur, parati essemus illi omnem nostram substantiam offerre; tametsi sæpe multi ingrati sint, multæque sint avarorum fraudes. Etenim plurimi qui probi habentur, debitum non solvunt, vel quod ingrati sint, vel sæpe inopia prohibente. Circa Dominum autem omnium nihil hujusmodi suspicandum; sed et capi-

[1] Prov. xix, 17.

talis summa in tuto est, et centuplum hic promittitur dantibus, et in futurum vita æterna nobis reservatur. Quæ igitur nobis defensio erit, si negligentes fuerimus, et non festinaverimus centupla pro paucis accipere, et pro præsentibus futura, et pro temporalibus æterna; sed placide pecunias januis et vectibus incluserimus, et indigentibus non expenderimus ea quæ ibi nullo usu et temere jacent, ut in futuro sæculo eorum subsidia inveniamus? « Facite, » inquit, vobis amicos ex mammona iniquitatis : ut cum » defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula [1]. » Scio multos non modo non astipulari iis, quæ a nobis nunc sunt dicta, sed etiam ea ut delirium et fabulam audientes, verbis nostris minime esse attentos. Unde ego crucior et doleo quod neque rerum experientia, neque tantæ Dei promissiones, neque timor futurorum, neque quotidianæ admonitiones nostræ apud tales quidquam proficiant. Non tamen cessabo, etiam sic, ab hoc dando consilio, donec eos frequentia monitorum superatos, attentos atque vigilantes reddidero, atque ex crapula et ebrietate, quam in obtenebratam illorum mentem aviditas pecuniarum invexit, eruere valuero. Scio enim, scio fore ut per gratiam Dei, sermonum nostrorum frequentia, et jejunii studium ipsos vel sero a difficili hoc morbo liberare, perfectæque sanitati restituere possit, ut et ipsi a suppliciis, quæ eis parata sunt, liberentur, et nos a tristitia eruamur, et pro omnibus gloriam referamus Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. xvi, 9.

HOMILIA IV.

Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquæ, et dividat inter aquam et aquam ; et factum est ita [1].

I. Videns ego, dilectissimi, alacrem et quotidianum vestrum conventum, magnam percipio voluptatem, et clementi Deo gloriam de profectu vestro referendi finem non facio. Nam sicut esurire, corporalis sanitatis indicium est ; ita et studio magno audire divina eloquia, bonæ animi valetudinis certissimum est argumentum. Ideo et Dominus noster Jesus Christus in suis beatitudinibus, quas in monte protulit, dicebat : » Beati qui esuriunt et sitiunt justi» tiam, quoniam ipsi saturabuntur [1]. » Quis igitur digne vos laudare valeat, qui semel ab omnium Domino beatitudinem accepistis, et ab eo infinita bona expectatis ? Is enim Domini nostri mos est, ut quoties videt animam aliquam multo desiderio, studioque maximo spiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratia et opulentis donis suis locupletet. Unde et ego in vestram utilitatem et ædificationem expecto, ut uberior et nobis doctrinæ sermo concedatur. Propter vos enim, et propter vestrum profectum, omnem hunc laborem toleramus : ut et vos citius ad ipsum virtutis fastigium ascendatis, futuri vitæ divinæ magistri omnibus qui vos respiciunt : et nobis major dicendi fiducia accedat, qui videmus non in vanum, nec frustra nos laborare ; sed quotidie semen hoc spirituale in vobis crescere : neque sicut in Evangelio seminanti evenit, ita et nobis contingere. Ibi enim una tantum pars salva fuit, tres

[1] Gen. 1, 6. — [2] Matth. v, 6.

perierunt. Quia semen quod secus viam cecidit, sine fructu mansit : et quod inter spinas, suffocatum est : quod autem in petram, in superficie manens, fructum afferre nequivit [1] : hic in gratia Dei spes est, fore ut, cum omne in terram bonam ceciderit, alii reddant fructum centuplum, alii sexagesimum, alii trigesimum. Hoc nostram alacritatem fovet, hoc mentem excitat, quod sciamus non in vanum, nec frustra sermones nos facere : sed arrectis auribus, et intenta mente dicta nostra accipi. Atque hæc non adulando charitati vestræ dico, sed conjecto alacritatem ex iis quæ heri a nobis dicta sunt. Videbam enim vos omnes avidos doctrinæ ab ore meo pendentes, et omnia facientes, ne quid vos dictorum præteriret. Præterea continui plausus maxime testabantur vos dicta magna voluptate suscipere. Qui autem aliquid volupe audit, certum est illud profunde in animo figere : ibique altius reponens, facit ne eradi delerive queat. Quis igitur digne vos laudare, et nos beatos prædicare posset, qui in aures loquimur audientium? « Beatus enim, ait, qui » loquitur in aures audientium [2]. » Hoc præclarum opus jejunio acceptum refero, hoc remedium salutem operatum est animarum nostrarum. Quod si ab initio statim tantum nobis robur ostendit, procedentibus diebus quanta expectanda utilitas affutura? Unum hoc vos obsecro, in timore et tremore salutem vestram operemini, et nullum aditum concedite inimico salutis vestræ. Nam videns nunc spirituales vestras divitias, insanit et ferocit, et « sicut leo rugiens » circumit, quærens quem devoret [3]. » Verum si sobrii fuerimus, nulli prævalebit per gratiam Dei.

II. Talia enim sunt arma nostra spiritualia, quibus nos induit Spiritus gratia, sicut heri charitatem vestram docuimus. Si igitur his continuo membra nostra munierimus, nulla tela ab illo emissa ad nos pertingere poterunt, sed

[1] Matth. XIII, 4-8. — [2] Eccli. XXV, 12. — [3] 1 Pet. V, 8.

irrita ad ipsum reditura sunt. Adamante enim solidiores Dei gratia nos efficit, et si volumus, omnino invictos. Itaque sicut qui adamantem tundit, nihil adamanti nocet, sed seipsum fatigat, et robur suum imminuit; et qui contra stimulos calcitrat, suos pedes cruentat; in hunc modum res se habent nostræ cum salutis nostræ adversario, si armis quæ nobis Spiritus sancti gratia exhibet, continuo nos muniamus. Tanta enim illorum virtus est, ut radios inde fulgurantes adversarius sustinere non possit, sed illis oculi ejus excæcentur. His, quæso, armis semper nos muniamus, et sic muniti in forum nos conferamus; sic apud amicos simus, sic opera aggrediamur: et quid dico in forum? etiam in Ecclesiam pergentes, instructi illis simus, et domum redeuntes, et dormientes, et evigilantes, neque unquam per totam vitam nostram illa deponamus; commigrant enim nobiscum, et ad illam vitam magnum fiduciæ nobis argumentum sunt. Non enim sicut sensibilia arma corpus gravant: sed levius reddunt, et expeditius, ac sublimius, roburque augent. Tantum curæ sit, ut ipsa quotidie abstergamus, ita ut fulgida sint, et radiis excæcent oculos maligni dæmonis, omnia contra salutem nostram machinantis. Age, quoniam satis vos armis instruximus, consuetam nunc vobis mensam apponamus, et ea quæ hesternam lectionem sequuntur, deinceps charitati vestræ proponamus, rursum admirabilem illum convivii exhibitorem beatum Mosem, magnum Prophetam, bonæ hujus doctrinæ ducem facientes. Videamus igitur quænam sint ea quæ hodie nos docere vult, et diligenter dictis ejus attendamus. Non enim sua virtute loquitur, sed quæcumque illi Spiritus sancti gratia insonat, ea per suam linguam, docendo humanum genus, profert. Consummato igitur de die primo sermone, postquam formata luce dixit: « Factum est vespere, et » factum est mane dies unus; » iterum dicit: « Dixitque Deus

» Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit distinguens inter » aquam et aquam [1]. » Attende hic, charissime, doctrinæ consequentiam. Quoniam enim antea nobis dixit, post cœli et terræ creationem : « Terra autem erat invisibilis et in- » composita : » et causam apposuit, propter hoc fuisse invisibilem, quia tenebris et aquis obtegebatur : omnia enim erant aqua et tenebræ, et nihil præterea : et postea præcepto Domini productam esse lucem et factamque distinctionem lucis et tenebrarum, ita ut illa diei appellationem acceperit, hæc vero noctis : iterum nos docere vult eum, sicut tenebras separavit producta luce, et utrisque congruum vocabulum indidit, ita et multitudinem aquarum præcepto segregare.

III. Et vide ineffabilem potentiam, quæ omnem humanam excedit rationem. Nam solum jubet, et accedit aliud elementorum, et aliud decedit. « Dixitque, ait, Deus : Fiat firma- » mentum in medio aquæ, et sit distinguens inter aquam et » aquam. » Quid est, « Fiat firmamentum? » Quasi quis dicat humana lingua : Fiat paries quidam et septum in medio dividens et separationem inducens. Et ut discas magnam elementorum obedientiam, excellentemque virtutem Opificis, ait : « Et factum est ita. » Dixit solum, et opus secutum est. « Et fecit, ait, Deus firmamentum, et divisit » Deus inter aquam, quæ erat sub firmamento, et inter » aquam, quæ erat super firmamentum [2]. » Facto firmamento, inquit, jussit aquas alias sub firmamentum ferri, alias autem supra dorsum esse firmamenti. Sed quid tandem esse dicemus hoc firmamentum? Aquam-ne densatam, vel aërem quemdam convolutum, vel aliam substantiam? Nemo prudentium hoc temere asseveraverit. Oportet enim magna modestia et grato animo ea quæ dicuntur a nobis accipi, et non ultra naturam nostram progredi, et scrutari quæ supra nos sunt ; sed hoc solum scire et tenere apud nos,

[1] Gen. 1, 6. — [2] Ibid. 7.

præcepto Domini productum esse firmamentum, in separationem aquarum, quod valeat alias sub se continere, alias vero sursum in dorso suo ferre sublimes. « Et voca» vit, ait, Deus firmamentum cœlum [1]. » Vide quomodo eadem consequentia etiam nunc divina Scriptura usa est. Nam sicut dixit heri, « Fiat lux; » et postquam producta fuit, tunc subjecit : « Sit distinguens inter lucem et inter » tenebras, » et sic lucem diem vocavit; ita et hodie dixit : « Fiat firmamentum in medio aquæ. » Dein sicut de luce dixerat, ita et hic docuit nos usum firmamenti, « ut divi» dat, ait, inter aquam et aquam. » Et postquam hunc ejus usum declaravit, tunc sicut luci nomen dedit, ita et firmamento suum nomen imposuit. « Et vocavit, ait, firma» mentum cœlum, » hoc quod videtur. Et quomodo, inquies, volunt aliqui, factos multos cœlos ? Non ex divina Scriptura hoc didicerunt; sed ex suis ratiociniis hoc inferunt. Beatus autem Moses nihil his amplius docet : nam ut dixit, « In principio fecit Deus cœlum et terram : » et dein causam docuit quare terra esset invisibilis, nempe quod obtecta a tenebris et aquis abyssi; post formationem lucis, ordine et consequentia quadam utens, inquit : « Et dixit Deus : Fiat firmamentum. » Deinde postquam docuit diligenter usum istius firmamenti, et dixit, » ut distin» gueret inter aquam et aquam, » istuc ipsum firmamentum quod aquarum separationem faciebat, cœlum vocavit. Quis igitur post tantam doctrinam feret eos, qui ex sua mente loqui, et contra divinam Scripturam multos cœlos dicere audent ? At inquiunt : Ecce beatus David laudem Deo offerens, dixit : « Laudate eum cœli cœlorum [2]. » Ne turberis, dilecte, neque putes sacram Scripturam sibi ipsi alicubi contrariam : sed disce potius dictorum veritatem, et tenens diligenter illius doctrinam, obtura aures illi contraria dicentibus.

[1] Gen. 1, 8. — [2] Psal. CXLVIII, 4.

IV. Et quid hoc sit, quod dicere volo, audite magna attentione, ut ne facile moveamini a volentibus quidquid in mentem venerit dicere. Omnes divini libri veteris Testamenti Hebræorum lingua ab initio fuere compositi, et in hoc nobiscum consenserint omnes. Non multis autem annis ante adventum Christi, rex quidam Ptolemæus in colligendis libris admodum studiosus, multis aliis diversisque coactis, operæ pretium putavit hos etiam libros colligere. Ea de causa quosdam Judæorum Jerosolymitanorum accivit, qui eos in græcam linguam verterent : quod etiam perfectum et absolutum fuit. Factum autem est hoc divinæ dispensationis opus, ut non solum hebraïcæ linguæ periti, sed et omnes qui totum orbem inhabitant, ex eis utilitatem perciperent. Quodque admirabile ac stupendum est, qui illud egit, non Judæorum religionem sectabatur, sed idolorum cultui deditus erat, et ipsis contraria sentiebat. Hoc enim modo se habent omnia quæ a Domino nostro dispensantur, ut per adversarios semper crescant veritatis præcepta. Hæc autem non temere vestræ charitati narraverim, sed ut scire possitis non hac lingua, nostra, inquam, sed hebraïca, fuisse hos libros compositos. Dicunt igitur qui linguæ ejus apprime gnari sunt, cœli nomen plurali numero ab Hebræis vocari, quod confitentur etiam qui Syrorum linguam sciunt. Et nemo ea lingua dicit cœlum, sed cœli. Atque idcirco sic dictum est a beato Davide, « Cœli » cœlorum : » non quod multi sint cœli; non enim hoc nos docuit beatus Moses; sed quia mos est linguæ hebraïcæ unam rem nominare plurali numero : quia si multi essent, non omisisset Spiritus sanctus per linguam beati hujusce Prophetæ, et aliorum formationem nos docere. Hæc diligenter retinete, obsecro, ut possitis obstruere ora eorum qui contraria ecclesiasticis doctrinis afferunt, et in tuto videatis virtutem eorum quæ in Scriptura continentur. Nam

idcirco frequenter hic convenitis, et nos uberiorem doctrinam communicamus, « ut parati sitis omni poscenti » vos rationem reddere [1]. » Sed ad consequentia redeamus, si placet. « Et vocavit, ait, Deus firmamentum cœlum. Et » vidit Deus quod esset bonum [2]. » Attende quantum his verbis humanæ se attemperet infirmitati. Nam sicut de luce dixit : « Vidit quod esset bona : » ita et nunc de cœlo dicit, hoc est, de firmamento : « Et vidit, inquit, Deus, quod es- » set bonum : » docens nos per istud immensam pulchritudinem ejus. Quis enim non obstupesceret atque admiraretur quod firmamentum tanto tempore vigentem servet pulchritudinem, et quod quantum progreditur tempus, tantum augeatur et pulchritudo? Quid enim speciosius eo, quod laudem ab ipso Opifice accepit? Nam si nos hominis opus videntes absolutum, admiramur figuram, situm, pulchritudinem, proportionem, elegantiam, aliaque omnia; quod factum est a Deo quis digne laudarit, præsertim cum ab ipso Domino laudem accepit? Hæc enim dicta ita sunt, ut se attemperaret nostræ fragilitati : videbisque hoc per singulas creaturas dici, et ita multis antea sæculis profligari ausum eorum, qui linguam suam aculturi erant contra opificium Dei, et dicturi : « Quare hoc et hoc factum est? » Talia igitur dicturos ante comprimit, dicens : « Et vidit » Deus quod esset bonum. » Quando autem audis, vidit Deus, et laudavit, intellige dictum, prout dignum est de Deo loqui. Nam qui produxit, etiam priusquam formaret, sciebat formandæ rei pulchritudinem. Sed quia nos homines tanta sumus imbecillitate circumdati, aliter hoc intelligere non potuimus : ideo sic direxit beati Prophetæ linguam, ut ad erudiendum humanum genus, tanta verborum uteretur crassitudine.

V. Quando igitur sublevas oculos, et spectas cœli pul-

[1] 1 Pet. III, 15. — [2] Gen. I, 8.

chritudinem, magnitudinem, utilitatem, tunc inde ad Opificem ascende, sicut et sapiens quidam dicebat : « Ex » magnitudine et pulchritudine creaturarum, universi condi» tor per proportionem consideratur [1]. » Et vide etiam, ex horum elementorum formatione, quanta sit Domini tui virtus. Nam cui sagax et probus est animus, si voluerit singula visibilia scrutari ; et quid dico, singula quæ facta sunt ? suam solam formationem si accurrate voluerit considerare, videbit ex parvis illis immensam et ineffabilem Dei potentiam. Quod si visibilia sola sufficiunt nobis ad docendam potentiæ Conditoris magnitudinem, si et ad invisibiles veneris virtutes, et mentem extenderis ad Angelorum exercitus, Archangelorum, supernarum Virtutum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Cherubim, Seraphim : quæ mens, qui sermo poterit enarrare magnificentiam ejus ineffabilem ? Nam si beatus propheta David, cum dispositionem visibilium considerasset, exclamabat dicens : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine ! omnia in » sapientia fecisti [2] : » si, inquam, vir tanto spiritu præditus, et dignus habitus, cui incerta et occulta Sapientiæ divinæ manifestarentur, sic exclamabat, quid diceremus nos qui terra et cinis sumus, et debemus continuo vultum submittere, et obstupescere universorum Domini ineffabilem benignitatem ? Et quid dico Prophetam ? Beatus ipse Paulus, anima illa ad cœlos usque sublimis, corpore circumdatus, et cum incorporeis virtutibus certans, in terra ambulans, et animi studio cœlum peragrans, cum in unam partem dispensationum Dei incideret ; de Judæis et Gentilibus loquor, quod illi quidem ejecti, hi autem in locum illorum introducti fuissent ; et secum dubitaret, et internorum oculorum vertigine laboraret, exclamavit dicens : « O alti» tudino divitiarum et sapientiæ, et scientiæ Dei, quam in-

[1] Sap. xiii, 5. — [2] Psal. cvii, 24.

» scrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus[1] ! » Sed hic libenter rogarim eos, qui de generatione Filii Dei curiosius exquirunt, et sancti Spiritus dignitatem auferre tentant : unde vobis, obsecro, tantæ audaciæ temeritas? a qua temeritate in tantam ruistis insaniam? Nam si Paulus ille tantus et talis judicia ejus, hoc est, dispensationes et gubernationes, inscrutabilia esse dicit, et non dicit incomprehensibilia, sed inscrutabilia, ita ut scrutari ea nemo possit, et investigabiles dicit vias ejus ; iterum idem dicens, vias mandata vocans et præcepta ; quomodo vos substantiam ipsam Unigeniti curiosius explorare, et Spiritus sancti dignitatem, quantum in vobis est, imminuere audetis? Videte, dilectissimi, quantum malum sit non diligenter attendere ad ea quæ in divinis Scripturis sunt contenta. Illi enim si cum sagaci et proba mente doctrinam divinæ Scripturæ accepissent, et non sua ex proprio ratiocinio excogitassent, neutiquam in tantam venissent amentiam. At nos neque sic cessemus divinæ Scripturæ testimonia ipsis objicere, et aures nostras ad pestilentes eorum doctrinas obsepire.

VI. Sed nescio quomodo iterum ab impetu orationis in hæc evecti sumus, et a contextu excidimus, ideo iterum ad priora redeat sermo. « Et vocavit, ait, Deus firmamentum » cœlum, et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est » vespere, et factum est mane dies secundus[2]. » Appellatione indita firmamento, et laudato opere, finem imposuit diei secundo, et dixit : « Et factum est vespere, et factum est » mane dies secundus. » Vidisti quanta diligentia nos docet, finem lucis vesperam vocans, et finem noctis mane, et totum illud diem : ut ne erremus nos, neque putemus vesperam finem esse diei, sed manifeste sciamus utriusque spatium unum diem implere. Et vespere finem lucis recte

[1] Rom, xi, 33. — [2] Gen. i, 8.

quis dixerit, mane autem, hoc est, finem noctis, complementum diei? Hoc enim vult divina Scriptura manifestare dicens : « Et factum est vesperum, et factum est mane dies » secundus. » Forte prolixius sermonem extendimus, non data opera, sed ab ipsa, ut dixerit quispiam, verborum consequentia, quasi rapido quodam amne vi abstracti. Vosque hujus rei causa estis, qui magna cum voluptate dicta nostra auditis. Nihil enim sic excitare potest dicentem, et sententiarum magnam copiam illi afferre, ut auditorum alacritas. Et sicut supini et desides auditores etiam multum eloquio valentem reddunt segniorem : ita vos per Dei gratiam, etiamsi muti essemus plus quam lapides, possetis nostrum stuporem emendare, et somnolentiam discutere, cogereque ut dicamus ea quæ vobis conducunt, et ad vestram institutionem pertinent. Quoniam igitur tales estis, utpote a Deo docti, et secundum beatum Paulum, « potestis » alios admonere [1] : » age, obsecramus vos, ut si per quod aliud, maxime per jejunii tempus, magnam bene vivendi curam geratis : nec fiat vobis sermo fastidiosus, si quotidie de eisdem loquamur. Eadem enim dicere mihi quidem non grave, secundum beatum Paulum, vobis autem tutum [2]. Opus enim habet anima nostra, segnis cum sit, continua admonitione. Et sicut corpus hoc quotidie opus habet corporali alimento, ut ne in magnam ægritudinem incidens, nihil facere possit : ita et anima opus habet spirituali cibo, et optima vitæ ratione, ut in consuetudinem aliquam bonorum perveniens, invicta sit, et resistere possit maligni hostis insidiis.

VII. Quotidie igitur ejus virtutem operose curemus, et nos ipsos examinantes, nunquam deficiamus. Rationarium quoque nobis conficiamus eorum quæ accipimus, et eorum quæ expendimus : quidnam utiliter et bene locuti simus

[1] Rom. xv, 14. — [2] Philip. III, 1.

et quod otiosum verbum protulerimus ; et iterum, quid utile per aures in animam intromiserimus, et quid, quod detrimentum afferre possit. Præterea et linguæ regulas aliquas et canones ponamus, ita ut prius ruminentur et ponderentur verba, et postea proferantur sermones. Mentem vero ita instituamus, ut ne quid damnosum promat : et si forte aliquid tale forinsecus inferatur, id statim ut superfluum et perniciosum amoveamus : et si intrinsecus nascatur, statim pia cogitatione illud fugemus, et ne existimemus inediam usque ad vesperam ad salutem nobis sufficere. Nam si perversis Judæis dicebat benignus Dominus per Prophetam : « Ecce anni septuaginta : numquid jejunavistis » mihi jejunium ? Et si comederitis et biberitis, nonne vos » comeditis et bibitis? Hæc dicit Dominus omnipotens : ju» dicium justum judicate, misericordiam et miserationem » faciat unusquisque cum proximo suo : et viduam et orpha» num et advenam et pauperem non opprimatis : et malum » unusquisque vestrûm erga fratrem suum non cogitet in cor» dibus suis [1]. » Si igitur illis qui in umbra sedebant, et tenebris errorum affixi erant, nihil proderat solum jejunium, cum hæc bona opera non facerent, et e corde malum erga proximum non eliminarent, qualem habituri nos sumus defensionem, a quibus majora exiguntur : et non solum hæc facere jubemur, sed et inimicos diligere, et eos demereri ? quid dico, demereri ? imo etiam pro ipsis Dominum precari [2], et orare ut salutis illorum curam gerat ? Hoc enim nobis potissimum in die illo terribili patrocinabitur, et redemptio maxima erit peccatorum nostrorum, si sic affecti fuerimus adversus inimicos nostros. Licet enim magnum sit, et arduum præceptum, si tamen præmium cogites repositum strenue id exequentibus, nihil omnino videbitur, etiamsi valde arduum sit. Quodnam est hoc ? « Si hoc feceritis, ait

[1] Zach. VII, 5-10. — [2] Luc. VI, 27 et 28.

» similes critis Patri vestro, qui in cœlis est. » Et ut manifestius hunc sermonem nobis declaret, subdidit : « Quia solem » suum oriri facit super malos et bonos et pluit super justos » et injustos[1]. » Imitaris enim, inquit, pro humanis viribus Deum. Nam sicut ille non solum justis, sed et iis qui mala operantur, « solem oriri facit : » et pluviam et imbres annuos non bonis solum suppeditat, sed et improbis : sic et tu si non solum diligentes te diligis, sed etiam inimicos, pro virili Dominum tuum imitaris. Vidisti quomodo in supremum culmen eduxit eum qui hanc operari valet virtutem[2]. Verumtamen ne difficultatem rei solum cogites, dilecte, sed prius supputa tecum quanto honore dignandus sis : et hæc honoris occasio leve tibi faciat quidquid grave est et onerosum. Annon pro beneficio habendum, quod occasio tibi præbeatur dum inimico benefacis, ut aperiantur tibi januæ fiduciæ veniendi ad Deum, et redimendi peccata tua ? At forte inimicum ulcisci, et eum qui malis te afficit, paribus vel majoribus plecti vis? Et quid inde commodi, cum neque tu aliquid inde utilitatis habiturus sis, sed propter hoc sis pœnas daturus apud horrendum illud tribunal, ut qui leges tanti Judicis oblitteraveris et infregeris ? Dic, oro, si rex aliquis terrenus legem posuisset, ut vel inimicorum nostrorum curam geramus, vel morte puniamur, annon metu mortis corporalis omnes accurrerent ad implendam legem ? Quanta igitur criminatione dignus fuerit is, qui ob corporalem mortem, quam alioqui naturæ necessitas afferet, omnia amplecti paratus, proposita autem pœna mortis, quæ nullam invenerit consolationem, minus curat legem ab universorum Domino latam?

VIII. Sed mei oblitus sum, dum hæc loquor iis, qui nec benefacientibus parem gratiam rependunt. Quis igitur posthac e supplicio illo nos eripiet, quando non solum ab hoc mandato longe distamus, sed neque ea facimus quæ Publi-

[1] Matth. v, 45.

cani? « Si enim diligitis diligentes vos, ait, quid magni fa-» citis? nonne et Publicani hoc idem faciunt [1] ? » Cum igitur neque hoc a nobis fiat, quæ salutis nostræ spes? Ideo oro, ne simus immisericordes, sed nostras cogitationes domemus, et primum quidem discamus vincere proximum charitate, et secundum beatum Apostolum, alium singuli se honore præstantiorem arbitrantes [2], in hoc vinci non feramus, sed vincamus et superemus, sed et majorem et ferventiorem erga diligentes affectum demonstremus. Hoc enim maxime omnium vitam nostram continet et conservat, et hoc a brutis ferisque distamus, quod possimus, si voluerimus, congruentem nobis conservare ordinem, et magnam cum proximis concordiam exhibere : deinde vero cogitationem nostram coërcere, ac truculentam illam feram, iram dico, lancinare, ac tremendi illius tribunalis horrorem ipsi repræsentare, illamque docere, si adduci possit ut inimicis reconcilietur, fore ut bonis ingentibus cumuletur; sin autem in contentione perseveret, gravi supplicio puniatur. Neque enim temere et inutiliter tempus expendere nos oportet, sed singulis diebus et horis ante oculos nostros proponere Domini judicium; et quæ sint ea quæ magnam nobis fiduciam afferre queant, quænam item quæ pœnam inferant. Atque hæc ita versantes in nostris cogitationibus, superemus affectus, compescamus carnis lascivias, et « mortifice-» mus, secundum beatum Paulum, membra nostra quæ sunt » super terram, fornicationem, immunditiam, mollitiem, » concupiscentiam malam [3],» furorem, avaritiam, vanam gloriam, invidentiam. Quod si his affectionibus nos mortuos reddiderimus, ita ut in nobis nihil operari valeant, poterimus accipere fructus Spiritus, qui sunt, « Charitas, gaudium, » pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, » continentia [4]. » Hoc Christiani ab infideli discrimen sit : his

[1] Matth. v, 46.— [2] Philip. II, 3.— [3] Coloss. III, 5.— [4] Galat. v, 22.

signaculis internoscamur, ne sola appellatione ornemur, neque habitu externo inflemur et superbiamus, imo licet possideremus omnia, quæ nunc enumeravi, ne superbiamus unquam, imo magis nos humiliemus. Nam, « cum omnia » feceritis, ait, dicite : Servi inutiles sumus [1]. » Si ita solliciti nostram salutem curaverimus, poterimus et nobis ipsis prodesse plurimum, et a futuro supplicio eripi, et iis qui nos viderint, magistri esse rerum utilium : ut diligenter exacta hac vita, assequamur eam, quæ in futuro sæculo erit, benignitatem, quam nobis omnibus concedat gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, imperium, honor in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

Et dixit Deus : Congregetur aqua quæ sub cœlo est, in congregationem meam, et appareat arida [1].

I. Age et hodie ex beati Moseos verbis convivium instruamus vestræ charitati, et quæ a Domino die tertio facta sint, diligenter consideremus. Nam si ii qui in aurifodinis laborant, ubi venas quasdam ramenta præ se ferentes conspicati fuerint, a fodiendo non desistunt, donec quæ obstant amoverint, et in profundum descendentes, opes inde magnas perceperint : multo magis nos non auri ramenta inquirentes, sed inenarrabilem thesaurum inventuros sperantes, decet quotidie illum investigare, ut multis spiritualibus divitiis inde collectis, domum redeamus. Nam illic quidem divitiæ sensibiles dominis suis frequenter multorum periculorum causa fuerunt, et ante pericula brevem

[1] Luc. XVII, 10. — [2] Gen. I, 9.

voluptatem præbentes illis, statim avolarunt, vel sycophantis insidiantibus, vel furibus, vel latronibus parietes effringentibus, vel custodibus famulis surripientibus, et fuga elabentibus. Hic autem nihil tale suspicari licet : diripi enim spiritualis iste thesaurus nequit, et ubi in promptuariis mentis nostræ reconditus fuerit, ab omnibus insidiis est securus : modo non per ignaviam locum demus ei qui illum nobis auferre cupit. Quandoquidem inimicus noster, malignus, inquam, dæmon, cum videt quempiam spirituales collegisse divitias, furit et dentibus fremit, multumque vigilat, ut opportunum tempus captet, quo furari queat aliquid ex intus reconditis. Nullum autem commodum illi tempus est, præterquam dum nos ignavi sumus : ideo perpetua nobis vigilantia opus est ad excludendas illius incursiones. Nam eos quos viderit admodum sobrios et vigiles, cum semel atque iterum aggressus, irritum conatum videt, relinquit tandem pudore affectus, gnarus se nihil proficere, si in custodia perstiterimus. Proinde cum sciamus per totam hanc vitam nobis certandum esse, sic nos armemus, quasi præsentem semper habeamus inimicum, qui absque intermissione observet, num aliquando vel parum dormitantes, insidiandi occasionem ei præbeamus. Non vides pecuniosos illos, cum hostium metuunt incursionem, quanta scilicet cura res suas custodiant? Nam alii seris et repagulis januas muniunt, ut eas in tuto collocent : alii in terram abscondunt, ita ut nemo scire possit ubi lateant. Eadem diligentia et nos collectam virtutum gazam custodire par est, et non ante omnium oculos proponere, sed in tutissimo mentis promptuario reponere, et omnes rapere volentis insidias excludere, ut cum a prædone tutam eam servaverimus, sit nobis viaticum ad futuram vitam hinc migrantibus. Etenim sicut ii, qui in terra aliena sunt, quando in patriam suam redire cupiunt, multo tempore paulatim

studeat et curant tantum corradere viatici, quantum ad viæ longitudinem eis sufficere queat, ut ne incuria fame seipsos perdant : ita sane facere et nos oportet, quia peregrini hic sumus et advenæ, ut provideamus et reponamus nobis spiritualium virtutum viatica : ut quando præceperit nobis Dominus in nostram redire patriam, parati simus, et alia quidem nobiscum afferamus, alia autem jam præmissa habeamus. Horum enim viaticorum talis natura est, ut ea quæ per bonorum operationem voluerimus ante nos præmittere, cum illuc nos prævenerint, januas nobis aperiant fiduciæ ad Dominum et introitum facilem, et absque pavore, et magnam apud judicem benevolentiam concilient.

II. Et ut discas, dilecte, hæc in hunc se modum habere, collige hinc, quod qui liberaliter eleemosynam impertit, et hic cum bona conscientia versatur, ubi hinc translatus fuerit, magnam apud judicem misericordiam inveniat, atque beata illa verba cum cæteris audiat : « Venite bene- » dicti Patris mei, accipite in hæreditatem regnum, quod » vobis præparatum est a constitutione mundi : quia esurivi, » et dedistis mihi manducare [1]. » Idipsum certe et in aliis virtutibus contingere invenias. Sic et in confessione peccatorum, et in assiduitate fervoreque precationum eventurum est. Quando enim in præsenti vita per confessionem peccata abluere, et remissionem a Domino assequi potuerimus, abibimus illuc a peccatis puri, et magnam, quæ tunc nobis donabitur, fiduciam inveniemus. Neque enim fieri potest ut is, qui in præsenti vita peccata non abluerit, postea consolationem aliquam illic inventurus sit : « In inferno » enim, ait, quis confitebitur tibi [2] ? » et merito : hoc enim est stadiorum tempus, et conflictuum, et certaminum : illud vero coronarum, mercedis, et præmiorum. Proinde certemus dum adhuc in stadio versamur, ne tempore, quo

[1] Matth. xxv, 34 et 35. — [2] Psal. vi, 6.

coronæ et laborum præmia sumuntur, inter eos simus, qui pudore afficientur; sed inter eos qui cum fiducia capitibus coronas excipient. Hoc proœmio apud charitatem vestram non temere, neque in vanum utimur : sed quotidie de bonis operibus vos admonere cupimus, ut perfecti, consummati, virtutibusque prædita vita spectabiles facti, sitis irreprehensibiles et sinceri, immaculati filii Dei : et luceatis sicut luminaria in mundo, sermonem vitæ habentes in nostri gloriationem in die Christi : ut vel solo aspectu iis prodesse possitis qui vobiscum versantur, ut vestræ spiritualis fragrantiæ, vestræque optimæ vitæ rationis ex vestris colloquiis fiant participes. Etenim sicut improborum consuetudo familiaribus suis multum nocet, quemadmodum beatus Paulus inquit : « Corrumpunt bonos mores col-» loquia prava [1] : » sic et bonorum familiaritas una versantibus maxima commoda affert. Quamobrem benignus Dominus noster inter malos permisit bonos vivere, ut improbi lucrum aliquod habeant ex ea consuetudine, nec semper in sua permaneant malitia : sed bonos continuo ante oculos spectantes, aliquid utilitatis ex eorum capiant familiaritate. Tanta enim virtutis potentia est, ut revereantur et multum laudent eam, etiam qui illa carent; sicut et vitium etiam ab iis qui mali sunt, subinde accusatur et carpitur. Adeo vitium omnibus est manifestum et perspicuum, neque ullum unquam facile reperias qui libere malum se esse profiteatur : sed quod mirum est, ipsimet ea quæ operibus facere attentant, verbis mala esse fatentur, ac plerisque occulta esse vellent. Quod et ipsum divinæ misericordiæ est, quæ hominum generi concessit, ut unicuique nostrum insitum sit incorruptum judicium conscientiæ, quod accurate potest a malo bonum discernere, idque potissimum omnem nobis defensionem tollit, quod non per ignorantiam in peccata

[1] 1 Cor. xv, 33.

incidamus, sed per animæ desidiam, et virtutis contemptum.

III. Hæc singulis horis nostro versemus animo, magnam salutis nostræ habentes sollicitudinem, ne prætereunte tempore, ignorantes, nobis ipsis maximum inferamus damnum. Sed proœmiorum satis : audiamus autem, si placet, quæ et hodie nos docere vult Spiritus sancti gratia per beati Mosis linguam : « Et dixit, inquit, Deus : Congregetur aqua, quæ » sub cœlo est, in congregationem unam, et appareat arida. » Et factum est ita. » Vide hic, obsecro, dilecte, ordinem et consequentiam optimam, quia dixerat in principio : « Terra erat invisibilis et incomposita, » eo quod tenebris et aquis obtegeretur : et deinde præcepit die secundo, ut esset firmamentum, et aquarum separationem fecit, vocavitque firmamentum cœlum ; nunc iterum docet nos se die tertio præcepisse aquæ, quæ sub cœlo, hoc est, firmamento, ut in unam congregationem conveniret, et locum daret, atque appareret arida : et factum est ita. Quia enim omnia impleta erant aquis, jussit in unam congregationem aquarum multitudinem concedere, ut sic appareret arida. Vide quomodo paulatim illius nobis pulchritudinem et ornatum ostendit, « Et factum est, ait, ita : » Quomodo ? sicut præceperat Dominus. Dixit solum, et opus subsecutum est. Hoc enim peculiare Dei est, ut secundum voluntatem suam creaturas moderetur. « Et congregata est, inquit, aqua » quæ sub cœlo, in congregationes suas, et apparuit arida. » Quemadmodum de luce dictum est, quod cum essent ubique tenebræ, jusserit produci lucem, et separationem fecerit lucis ac tenebrarum, et hanc tribuerit diei, istas vero nocti ; similiter dictum est, quod cum produxit firmamentum, aquarum alias superiorem locum occupare, alias autem sub firmamento esse jusserit : sic et nunc illas ipsas aquas, quæ sub firmamento erant, in unam congregationem jubet coire, ut appareat arida, et tunc huic etiam suum nomen im-

ponat ; sicut de luce et tenebris dictum est. « Congregatæ » enim sunt, ait, aquæ quæ sub cœlo erant, in congregationes » suas, et apparuit arida : et vocavit Deus aridam, terram [1]. » Vidisti, dilecte, quomodo Deus terram, quæ invisibilis erat et incomposita, et aquis quasi velaminibus quibusdam obtegebatur, despoliavit, ut sic dicam, et faciem illius nobis monstravit, proprio etiam nomine imposito ? « Et congre- » gationes, ait, aquarum vocavit maria [2]. » Ecce et aquæ nomen suum sortitæ sunt. Nam quemadmodum optimus artifex arte sua vas aliquod facturus, non antea illi nomen imponit, donec absolvat : ita et benignus Dominus nomina elementis non antea imponit, donec ea in propriis locis suo præcepto ponat. Igitur postquam terra nomen suum accepit, et ad propriam formam pervenit, etiam aquæ congregatæ proprio vocabulo nominatæ sunt. « Vocavit enim, ait, » congregationes aquarum maria : » subdit iterum : « Et vidit » Deus quod bonum [3]. » Nam quia humana natura imbecillis est, et opera Dei digne laudare non poterat, præoccupans divina Scriptura acceptam ab ipso Opifice laudem nos docet.

IV. Igitur quando discis ipsi Conditori creaturas bonas visas esse, majorem quidem in modum admireris necesse est; nihil tamen ad laudem et encomium amplius afferre poteris. Talem enim sortitus es Dominum, qui ejusmodi opera facit, quæ a nobis neque laudari satis possunt. Quomodo enim unquam opus Dei pro dignitate laudare posset humana natura ? Cæterum per ea quæ subjunguntur, considera ineffabilem Dei egregii artificis sapientiam : postquam enim nobis apertam terræ faciem monstravit, consequenter suo præcepto decentem ei concedit speciem, et seminum varietate ejus adornat faciem. « Et dixit, ait, Deus : Germinet terra herbam fœni, se- » minans semen secundum genus et similitudinem : et lig-

[1] Gen. 1, 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

» num frugiferum, faciens fructum, cujus semen in semet-» ipso secundum similitudinem, secundum genus super » terram. Et factum est ita [1]. » Quid est illud : « et factum » est ita ? » Præcepit, inquit, Dominus, et statim terra suos partus maturans, ad seminum germen seipsam adornavit. « Et protulit terra herbam fœni, inquit, seminans se-» men secundum genus, et secundum similitudinem : et » lignum frugiferum faciens fructum, cujus semen suum in » ipso secundum genus super terram [2]. » Hic animadverte, dilecte, quomodo verbo Domini omnia facta sunt super terram. Non enim erat homo qui operaretur, non aratrum, non boum cooperatio, non aliud ejusmodi studium : sed solum audivit præceptum, et statim quod suum erat fecit. Ex quo discimus etiam nunc neque curam agricolarum, neque laborem, neque alias in colendis agris ærumnas, fructuum nobis proventum promere; sed ante hæc omnia verbum Dei, quod ab initio ad terram factum est. Quin et futuram ingratam hominum mentem corrigens divina Scriptura, diligenter omnia nobis secundum ordinem factorum narrat, ut compescat temeritatem et deliramenta eorum qui figmenta sua venditant et dicere audent solis cooperatione ad fructuum proventum opus esse. Sunt et alii, qui hæc astris aliquibus ascribere nituntur. Propterea docet nos Spiritus sanctus, ante formationem horum elementorum, sermoni et præcepto Dei obtemperantem tellurem omnia semina edidisse, nullo alio ad cooperationem opus habentem. Sufficiebat enim ei pro omnibus verbum illud : « Germinet terra herbam fœni. » Quocirca divinæ Scripturæ vestigia sequamur; neque feramus eos, qui adversa illis temere blaterant. Nam etiamsi homines terram operentur, et jumentorum auxilio fruantur, et magnam terræ curam habeant, etsi magna sit cœli temperies,

[1] Gen. 1, 11. — [2] Ibid. 12.

et omnia alia concurrant; nisi nutus Domini accedat, omnia alia frustra et in vanum cedent : et nihil proficiet quivis labor et sudor, nisi manus Domini superne adjuvet, et perfectionem his rebus tribuat. Quis non obstupesceret et admiraretur, cogitans quomodo verbum Domini illud, « Germinet terra herbam fœni, » in ipsa viscera terræ descendat, et quasi admirabili quodam peplo, terræ faciem variis floribus adornet? Videreque erat subito terram, quæ antea informis et inculta erat, tantam accepisse pulchritudinem, ut quasi cum cœlo certaret. Nam sicut cœlum paulo post ornandum erat astrorum varietate, sic et tellus florum multijuga varietate ornabatur, ita ut et Opifex in laudem ejus prorumperet : etenim « Vidit, ait, Deus quod » esset bonum. »

III. Vidisti quomodo per singula quæ facta sunt, ostendat laudantem Opificem, ut homines postea hæc edocti, ex creaturis ad Creatorem recurrerent? Nam si creaturæ hujusmodi sint, ut ab homine pro dignitate laudari nequeant, quid de Opifice ipso dicere quis poterit? « Et vidit, ait, » Deus quod esset bonum. Et factum est vespere, et fac» tum est mane dies tertius [1]. » Vides quomodo iterando frequenter doctrinam, menti nostræ dictorum vim infigere vult? Oportebat enim dicere : Et factus est dies tertius. Sed vide quomodo de singulis diebus sic dicat : « Et factum » est vespere, et factum est mane dies tertius. » Non simpliciter, nec absque causa : sed ne ordinem confundamus, neque putemus vespera ingruente finem accepisse diem. Sed sciamus vesperam finem esse lucis, et principium noctis : mane autem finem noctis, et complementum diei. Hoc enim docere nos vult beatus Moses dicens : « Et factum » est vespere, et factum est mane dies tertius. » Et ne mireris, dilecte, si hæc sæpe et continuo dicat divina

[1] Gen. 1, 13.

Scriptura. Si enim post tantam dicti frequentiam Judæi adhuc errore præoccupati, excæcato corde contendunt, et vesperam initium sequentis diei esse opinantur, decipientes semetipsos; et adhuc in umbra sedent, veritate omnibus patefacta; et ad lucernam assident, Sole justitiæ totum orbem undique illustrante : nisi tanta diligentia et accuratione docuisset, aliqui tam indocilium contentionem ferrent. At illi quidem amentiæ suæ præmia expectent : nos autem, quibus donatum est Solis justitiæ radiis illustrari, divinarum Scripturarum doctrinæ obtemperemus : et hunc canonem sequentes, sana dogmata in mentis nostræ promptuario reponamus, et una eorum curam, et nostræ salutis magnam sollicitudinem gerentes, ea quæ animæ nostræ sanitatem lædunt, fugiamus, ab hujusmodi omnibus quasi a perniciosis veneficiis abstinentes. Multo majus enim hoc damnum est, et tanto majus, quanto anima corpore melior. Illa enim venena corporalem hanc mortem inducunt : hæc autem sanitatem animæ offendentia, æternam nobis mortem afferunt. Quænam autem sunt illa nobis perniciosa? multa et varia, maxime autem ad humanam gloriam spectare et nescire eam contemnere : hoc enim multorum nobis malorum causa est : et si quas spirituales habemus divitias, eas evacuat, et utilitate, quæ ex eis capi potest, nos destituit. Quid igitur fuerit damno hoc perniciosius? Quandoquidem id præstat, ut a nobis avolent etiam ea quæ nos habere putamus. Sic Pharisæus ille Publicano minor factus est, eo quod linguæ suæ imperare non potuit : sed per illam sicut per fenestram aliquam omnes divitias suas effudit. Tantum est inanis gloriæ malum!

IV. Dic, obsecro, mihi, cur et qua de causa ita hominum laude teneris. Nescis quod sicut umbra, et si quid illa vilius, ita illorum laus in aërem diffusa evanescat? Alioquin inconstans et mutabile est hominum genus, et illi ipsi eum-

dem, quem nunc laudant, non multo post vituperant : quod in sententia Dei nunquam usuvenit. Ne igitur ita desipiamus, ne temere et absque fructu fallamus nos ipsos. Nam et si bonum quiddam facimus, non autem propter hoc solum agimus, ut mandatum Domini nostri impleamus, eique soli cogniti simus, laborem hunc frustra suscipimus, nosque privamus fructu, quem inde assequi liceret. Nam is qui, ut ab hominibus gloriam venetur, quid boni operatur, sive ea frui poterit, sive non ; sæpe enim et qui propter inanem gloriam omnia facit, etiam ipsa frustratur ; sive igitur ea potiatur, sive non, satis hic retributionis accepit, et ibi nihil accipiet præmiorum. Quare hoc ? quia præferens futuris præsentia, et justi judicis calculo humanam gloriam, indignum se reddit qui a judice honoretur. Contra si propter hoc solum operemur spirituale aliquod bonum, ut placeamus oculo illi soli, qui sopiri nescit, et cui « nuda et » aperta sunt omnia[1], » et thesaurus noster in tuto erit, et incorruptæ nos merces manebunt, et ex ipsa earum suavi expectatione nobis multa consolatio erit, dum in promptuario, quod nemo diripere poterit, illa nobis salva custoditur merces : imo sequitur etiam gloria humana ; tunc enim illa multo uberius fruimur, quando eam despicimus, quando eam non quærimus, quando eam non sectamur. Et quid miraris, si hoc eveniat iis qui spirituales philosophos agunt, cum et multi eorum qui hujus mundi studia sectantur, eos maxime contemnant et despiciant, qui ab hominibus gloriam quærunt : inveniesque ab omnibus dicteriis incessi eos qui humanæ gloriæ inhiant ? Quid igitur miserius nobis, qui spiritualia sectamur, si similes illis, celebrari ab hominibus cupiamus, et si non sat fuerit nobis a Deo laudari ? sicut et Paulus dicit : « Cujus gloria non ex hominibus, sed » ex Deo[2]. » Non vides, dilecte, in circensibus ludis, quo-

[1] Hebr. IV, 13. — [2] 1 Thess. II, 4.

modo ii qui equos agitant, non advertunt plausum et favorem populi assidentis et acclamantis, neque ex eo plausu voluptatem capiunt : sed ad unum solum spectant imperatorem in medio sedentem, et ad nutum illius attendentes, totam multitudinem despiciunt, et tunc solum animo extolluntur, cum ille eos coronaverit? Hos igitur et tu imitatus, non magni momenti facito hominum famam, neque propter eam virtutem exerceas, sed a justo judice sententiam expecta, et ad illius nutum intentus esto. Sic omnem vitam tuam dispensa, ut et hic continenter bona spe pascaris, et illic æternis fruare bonis ; quæ ut nos omnes assequamur, faxit gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto sit gloria, et imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Et dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli ad illuminationem super terram, ut dividant inter diem et inter noctem, et sint in signa, et in tempora, et in dies, et in annos [1].

I. Volo solitam tractare doctrinam, et torpeo ac detrecto : mentem enim meam confudit et conturbavit superveniens tristitiæ nubes : imo non solum tristitiæ, sed et iræ, ita ut nesciam quid faciendum : mentem enim occupat hæsitatio. Cum enim cogito vos omnem illam nostram doctrinam, et quotidianam admonitionem ad modicum diaboli flatum oblivioni tradidisse, et ad satanicum illum eques-

[1] Gen. 1, 14.

trem ludum omnes concurrisse : qua alacritate potero iterum doctrinam tradere, cum priora tam cito animo exciderint? Hoc enim est quod potissimum me torquet, et ad iram commovet, quod cum nostra admonitione, reverentiam etiam, quam sacræ quadragesimæ debetis, ex animo vestro simul ejeceritis, vosque sic diaboli retibus involveritis. Quomodo quis poterit, etiam cui saxeus animus, tantum contemptum non gravatim ferre? Pudore afficior, credite, et erubesco, cum video nos frustra laborare, et in petra sementem jacere. At mihi quidem, sive dicta mea audiatis, sive audire contemnatis, merces mea integra erit. Nam omne quod meum erat, feci : pecuniam dinumeravi, admonitiones adhibui : timeo autem, et anxius sum, ne hoc vobis ad majorem accusationem cedat; « Servus enim » ille, ait, qui scit voluntatem domini sui, et non facit, » vapulabit multis [1]. » Nullum enim cuiquam vestrum ad ignorantiam erit refugium, cum nos eadem quotidie insonemus, et ostendamus diabolicos laqueos, et magnam virtutis facilitatem, si tamen vigiles esse voluerimus. An nescitis eos, qui sic suam salutem negligunt, et aliquando huc veniunt, aliquando autem in dæmonum retia se injiciunt, a Scriptura divina canibus comparari? « Homo enim, in- » quit, qui convertitur a peccato suo, et iterum in idipsum » redit, similis est cani ad vomitum suum redeunti [2]. » Vides cui similes facti sunt, qui ad illicitum hoc spectaculum accurrerunt? Non audistis Christum, dicentem : « Omnis » qui audit hos sermones meos, et non facit eos, similis erit » viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam; et » venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum » illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna [3]? » At qui ad circenses ludos ierunt, illo longe deteriores facti sunt : illius enim domus dejecta est, sed post validam impulsi-

[1] Luc. XII, 47. — [2] 2 Pet. II, 22. — [3] Matth. VII, 26 et 27.

onem : flumina enim et ventos dixit, non ut ventorum impetus et aquarum multitudines indicet, sed ut tentationum violentiam insinuet ; et ruinam domus, non ut sensibilem domum imaginemur : de anima enim sermo est, quæ gravibus afflictionibus dejicitur, neque illis resistere potest ; in vos autem neque ventus afflavit, neque fluvii irruerunt ; sed duntaxat tenuis quædam aura diabolica spiravit et omnes vos subvertit. Quid hac insipientia deterius fuerit ? Quæ jejunii utilitas, dic, oro ? quod lucrum ex hac congregatione ? Quis non et vos deploraret, et nos miseros diceret ? Vos, inquam, quia omnia quæ collegistis, simul effudistis, et januas mentis vestræ pravo dæmoni aperuistis, ut facilis ei aditus esset ad efferendas omnes vestras spirituales divitias ; nos vero miseros quis jure dixerit, quod ita mortuis auribus concionemur, ac tantam jacturam faciamus, et quotidie seminantes, nullum percipere fructum possimus. Num hac sola de causa tam studiosi in dicendo sumus, ut aures vestras oblectemus, vel quod laudari a vobis cupiamus ? Nisi lucrum vobis sit ex sermonibus nostris, satius fuerit nos posthac silere. Nollem enim vobis majoris damnationis causa fieri. Enimvero sicut negotiator, qui cum multis mercibus et opibus congregatis navem impleverit, subito orta tempestate, et prævalente ventorum violentia, mersa cum vectoribus nave, fit omnibus miserabile spectaculum, nudus repente apparens, et post plurimas immensasque divitias in extremam redactus egestatem : ita et vobiscum diabolus nunc egit. Nam quia invenit navem vestram spiritualem multis divitiis oneratam, et vidit grandem thesaurum, quem ex jejuniis et continuis doctrinis colligere potuistis ; quasi tempestate quapiam immissa, inutile et perniciosum illud equestre certamen dico, per illud ipsum omnibus vos divitiis destituit et spoliavit.

II. Scio me vehementiore increpatione uti ; sed ignos-

catis, oro : ita quippe dolens anima solet. Neque enim ex inimico pectore hæc loquor, sed ex sollicita vestrique amantissima anima : propterea ex severitate aliquid remitto, et quia ulcus serpens cohibui, charitatem vestram iterum bona spe animare volo, ne desperetis, nec animum despondeatis. Non enim sicut in sensibilibus rebus, ita et hic usu evenit ; illic namque is qui ex divitiis in extremam redactus fuerit inopiam, brevi eas reparare nequit ; hic autem per misericordiam Dei, si modo condemnare facta nostra, et jam sistere ignaviam voluerimus, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire. Talis enim est Dominus noster, tamque magnificus et liberalis : unde et clamat per Prophetam, dicens : « Voluntate nolo mortem peccatoris, sed ut » convertatur, et vivat [1]. » Scio vos frugi homines esse et lapsum vestrum persentiscere. Non autem parva ad virtutis reditum via est, scire peccatorum magnitudinem. Jam ne quis mihi iterum diabolici illius erroris verba afferat, dicens : « Quale peccatum est videre currentes equos? » Si volueris prudenter omnia discere quæ ibi fiunt, invenies omnia ex satanica operatione prodire. Non enim videntur soli equi currentes, sed et clamores, et blasphemiæ, et multi intempestivi sermones audiuntur, et mulieres prostitutæ in medium prodeunt, et spectantur molles et effœminati pueri. Num parva tibi hæc videntur, et quæ ad captivas abducendas animas parum faciant? Nam si fortuiti conventus incautos sæpe supplantarunt, et in perditionis profundum sæpe traxerunt, quid verisimile est accidere illis, qui illuc ea de causa veniunt, et oculos pascunt illicitis hisce spectaculis, et inde perfecti adulteri discedunt? Benignus enim Dominus noster sciens naturam nostram tentationi expositam, et dæmonis versutam et variam malitiam, bene nos muniens et inexpugnabiles reddere volens, legem hanc

[1] Ezech. xviii, 23.

posuit, dicens : « Qui inspicit mulierem ut concupiscat » eam, jam adulteratus est eam in corde suo[1], » adulterium consummatum vocando, aspectum cum curiositate factum. Ne igitur die ultra : « Quid mali ex illa frequentatione ? » Istud ipsum enim videre equorum certamen, sufficit ad multam perniciem animæ inferendam. Nam cum in inutilia, et ea quæ animæ nihil conducunt, sed et damnosa sunt, tempus insumimus, altercamur, et innumera verba, et quæ loqui non oportet, loquimur ; quam habebimus veniam ? quam excusationem ? Et hic quidem si paulo prolixius docemus, multi succensent et ægre ferunt, et infirmitatem corporis et labores prætexunt, licet admirabile hujus templi tectum multum soletur ; nihil enim molestiæ parit frigus, vel pluvia, aut ventorum asperitas ; illic vero, licet multum compluantur, a ventis validis vexentur, et calore solis aliquando æstuent, non unam, neque duas tantum horas, sed bonam dici partem versantur, et neque senex canos suos reveretur, neque juvenem pudet ad canorum irritamenta ire : sed tanta est hæc deceptio, ut cum voluptate hæc esca animarum admittatur, nec cogitetur damnosam hanc voluptatem brevem esse et temporariam, dolorem vero perpetuum, et graviter accusaturam conscientiam. Video enim nunc aliquorum facies, et conjecto qualis animæ eorum status, quantaque nunc pœnitentia teneantur. Verum ne iterum in eadem recidatis, neque post tantam nostram admonitionem iterum ad diabolica illa concilia et spectacula curratis, necessarium est vos obtestari. Neque enim semper expedit pharmaca lenia adhibere : sed quando ulcus curationi resistit, oportet violenta et mordacia admovere, quo morbo occurratur citius.

III. Discant igitur omnes his criminibus obnoxii, si post hanc nostram admonitionem in ea negligentia manserint,

[1] Matth. v, 28.

non toleraturos nos, sed legibus ecclesiasticis usuros, et magna vehementia docturos, ne talia posthac committant, neve tanto contemptu divina audiant eloquia. Hæc autem non de omnibus hic congregatis dico, sed de huic culpæ obnoxiis. Omnibus quidem loquimur, sed suum auditores quique remedium capiant; reus quidem ut a delicto desistat, et non ultra progrediatur, sed studio suo seipsum revocet, et errata corrigat: innoxius vero cautior fiat, ut ne capiatur, neve aliquando reus fiat. Cæterum ut ex rebus ipsis vestræ charitati persuadeamus ex amore studioque vestrî hunc nostrum animi dolorem profectum esse, et nos ad hæc dicenda impulsos esse, quod multum saluti vestræ timeremus : age iterum nos ipsos bona spe foventes, consuetam vobis apponamus doctrinam, declarantes paternam, quam erga vos gerimus benevolentiam : sed, oro, diligenter dictis auscultate, ut majore cum fructu domum redire liceat. Operæ-pretium autem est, ea quæ nunc lecta sunt, charitati vestræ dicere. » Et dixit, inquit, Deus : Fiant luminaria in firmamento » cœli ad illuminationem super terram, ut dividant inter » diem et inter noctem. Et sint in signa, et in tempora, et in » dies, et in annos : et sint ad illuminationem in firmamento » cœli : ita ut luceant super terram. Et factum est ita [1]. » Postquam enim heri nos docuit beatus Moses, quomodo informem terram ornaverit universi Conditor herbis, et florum varietate, et seminum germine, hodie sermonem ad ornatum cœli vertit. Nam sicut terra ornatur per ea quæ ex ipsa proveniunt ; sic cœlum hoc visibile clarius et fulgidius fecit, astrorum varietate illud hinc inde distinguens, præsertim formatione duorum magnorum luminarium, solis, inquam, et lunæ. « Et fecit Deus, ait, duo luminaria mag- » na, luminare magnum ut præesset diei, et luminare mi- » nus ut præesset nocti, et stellas [2]. » Vidisti sapientiam Opifi-

[1] Gen. 1, 14, 15. — [2] Ibid. 16.

cis? dixit solum, et productum est hoc admirabile elementum, solem dico. Hunc enim vocat luminare magnum, et dicit ipsum factum esse, ut præsit diei. Sol enim clariorem diem efficit, rutilans aureo suo jubare et radiis, et quotidie speciem suam vigescentem ostendens; et simul atque mane exortus fuerit, omne hominum genus ad suorum operum studia excitans. Hujus formositatem declarans beatus David, inquit : « Et ipse tanquam sponsus egrediens » de thalamo suo, exultabit ut gigas ad currendam viam : » a summo cœlo egressus ejus, et occursus ejus usque ad » summum cœli [1]. » Vides quomodo ejus pulchritudinem, et in operando velocitatem declaravit. Dicendo enim : « A sum- » mo cœlo egressus ejus, et occursus ejus usque ad summum » cœli : » significavit nobis quomodo in uno temporis momento per totum orbem discurrit, et a finibus in fines radios mittit, multum utilitatis præstans. Nam non solum calefacit, sed et arefacit. Et non solum arefacit, sed et adurit, multosque alios et varios nobis usus præbet, atque adeo magnum est miraculum elementum hoc, neque est qui laudes ejus pro dignitate prædicaverit. Hæc autem dico, et sermone elementum extollo, non ut in eo subsistas, dilecte, sed ut inde ascendas, et in elementi Opificem admirationem transferas. Nam quanto majus ostenditur elementum, tanto majus monstratur Opificis miraculum.

IV. Verum gentiles admirantes et obstupescentes tantum elementum, ulterius perspicere non potuerunt, neque ejus Conditorem laudaverunt; sed in elemento conquiescentes, ipsum pro Deo habuerunt : propterea et beatus Paulus dicit : « Et venerati sunt, coluerunt que creaturam » magis, quam Creatorem [1]. » Quid enim insipientibus illis, qui non potuerunt ex creaturis agnoscere Creatorem, sed in tantum pervenerunt errorem, ut creaturam et facturam

[1] Psal. xviii, 6, 7. — [2] Rom. i, 25.

in ordinem Creatoris referrent? Quapropter divina Scriptura prævidens propensos ad errorem ignavos, docet nos post tertium diem hoc elementum esse conditum, postquam terra omnigena semina protulit, et suum accepit ornatum : ut nulli posthac dicere liceat sine solis cooperatione non maturescere fruges, et proventus terræ. Idcirco declarat tibi, antequam sol formaretur, omnia fuisse impleta ; ut ne soli fructuum proventus ascribas, sed omnium opifici Deo, qui dixit ab initio : « Germinet terra her»bam fœni. » Quod si dixerint solis functionem etiam aliquid operari, ut fructus maturescant, neque ego contradico. Nam sicut si agricolam dicam cooperari ad terræ cultum, non ideo universum tribuo agricolæ, sed etiam si is sexcenties suum agat officium, nisi is qui suo mandato ab initio terram ad faciendos fructus idoneam fecit, ad hoc eam quoque movere velit, nihil proficiet multis laboribus : similiter dico, etiamsi cum labore rustici conspiret solis et lunæ operatio, et cœli temperies, neque sic utilitatem aliquam fore, nisi superne illos dextera Domini adjuverit : hac autem manu valida juvante etiam elementa plurimum conferunt. Hæc probe memoria tenentes, compescite eos qui adhuc errare volunt, et non concedite ut Creatoris honor creaturæ concedatur. Eapropter et divina Scriptura non solum pulchritudinem ejus, et magnitudinem, et utilitatem ostendit, dicendo ; « Sicut sponsus, et Exultabit » sicut gigas ad currendam viam : » sed et imbecillitatem debilitatemque. Audi enim quid alibi dicat : « Quid sole » lucidius? et hoc deficit [1]. » Ne te decipiat, inquit, spectaculum. Nam si voluerit Conditor imperare, quasi nunquam fuerit, ita disparebit. Hæc si intellexissent gentiles, neutiquam in tantum incidissent errorem, sed recte vidissent ex creaturarum contemplatione par esse ad Creatorem as-

[1] Eccli. XVII, 30.

cendere. Propter hoc quarto die solem fecit, ne putes illum diei auctorem. Nam quod de seminibus a nobis dictum est, et de die licet dicere, nempe fuisse tres dies ante solis formationem. Voluit autem Dominus et per hoc elementum clariorem diei lucem reddere : id quod et de minori luminari, hoc est, de luna dixerimus : factæ enim sunt tres noctes ante ejus formationem. Attamen et hæc producta suam affert utilitatem : dissipat enim noctis tenebras, et ferme, ut ita dicam, eadem quæ sol ipse facit erga alia omnia. Sol enim ordinatus est ad hoc ut præesset diei, luna autem ut præesset nocti. Quid est, « ut præesset diei, » et ut præesset nocti ? » Potestatem, inquit, accepit ille quidem diei, hæc vero noctis, ut sol diem suis radiis clariorem reddat, luna autem ut dispellat tenebras et hominum generi lumine suo facultatem præbeat suis negotiis vacandi. Tunc enim viator fidentius iter facit, et nauta navim regit, et maria trajicit, et sua quique studia, suasque artes metu posito aggrediuntur. Deinde postquam nos docuit istorum luminarium utilitatem, inquit : « Et stel- » las, et posuit Deus illas in firmamento cœli, ita ut luceant » super terram, et præsint diei ac nocti, et separent inter » lucem et tenebras [1]. »

V. Animadverte hic quantum et istarum usum nobis declaravit. « Posuit illas, inquit, in firmamento cœli. » Quid est, « posuit ? » Numquid quasi diceret aliquis, fixit ? Absit. Videmus enim ipsas sæpe unico temporis momento magnum transire spatium, et nunquam in uno loco stare, sed suum, quem illis Dominus præcepit, cursum perficere. Quid igitur est, « posuit ? » id est, imperavit ut ipsæ essent in cœlo. Etenim hoc ex decursu Scripturæ licebit videre, quia alibi dicit : « Posuit Deus Adam in paradiso [2], » non quod infixerit eum paradiso, sed quod præceperit ut esset

[1] Gen. I, 17 et 18. — [2] Id. II, 15.

in paradiso. Similiter et de stellis dixerimus, imperasse nempe eis ut essent in firmamento cœli, et suum lumen super terram emitterent. Animadverte, obsecro, dilecte, quibusnam pratis et hortis jucundius non fuerit spectare in media nocte cœlum stellis distinctum, et stellarum varietate quasi floribus quibusdam conspersum et ornatum, multum lucis super terram effundere? Nam et in hoc ordinatæ sunt, ut luceant super terram, et præsint diei et nocti, quod generaliter et de magnis luminaribus dictum est. Nam postquam docuit nos quomodo formata fuerint duo luminaria magna, et stellæ, de omnibus in genere dicit: « Et præsint diei ac nocti, et separent inter lu» cem et tenebras. » Enimvero sicut interdiu stellæ in cœlo non videntur discurrere; illarum enim usum lumen solis multa claritate obtegit: ita neque noctu sol apparet, sufficiente luna suo lumine ad illustrandas noctis tenebras. Verum elementa quæque intra suos terminos manent, et nunquam suam mensuram transgredientur: sed dispositionem et ordinem Domini custodiunt, suumque opus faciunt. Quis autem alia omnia enarraverit, quæ horum luminarium et stellarum usus humano generi confert? « Sint, » enim, inquit, in signa, et in tempora, et in dies, et in an» nos. » Quid est, « in signa, et in tempora, et in dies, » et in annos? » Docere nos vult divina Scriptura horum cursum scientiam nobis temporum conferre, vicissitudines conversionum, numerum dierum, anni curriculum: et ex his possumus dignoscere omnia. Etenim gubernator ad horum cursum spectans, et in cœlum intentus, diligenterque discens omnia, navigare incipit, maria transit, et in densissima nocte, visis stellis, navim dirigere, et sua arte salutem navigantibus dare solet. Sic et agricola ex illis discit quando oporteat semina terræ committere, quando terram pastinare, et arare, quando falcem acuere, ut fru-

ges demetat. Non pauca vitæ hujus commoda temporum scientia, dierum numerus, et anni circulus afferunt : multaque in iis deprehendi possent ad fovendam humanam vitam utilia, neque est qui exacte recensere singula possit : ex paucis tamen quantus eorum sit usus conjectandum est; et cum admirati fuerimus creaturas, earum Opifex quoque adorandus et celebrandus est : suspicienda item ineffabilis illius benignitas, quam erga humanum genus exhibuit. Quippe propter nil aliud hæc omnia produxit, quam propter hominem, quem non multo post quasi regem et principem omnibus a se conditis præfecturus erat. « Et vidit, ait, Deus quod esset bonum [1]. » Vides singulis diebus ostendere divinam Scripturam Deo placere creaturas, ut omnem amputet occasionem eorum, qui reprehendere audent ea quæ ab illo sunt facta ? Quod enim hujus rei gratia unoquoque die Scriptura divina hoc significet, ex consequentia manifestum est. Sufficiebat enim de omnibus creaturis semel dicere omnia quæcumque fecit, esse bona valde : sed sciens quanta sit mentium nostrarum infirmitas, singillatim hoc facit, ut discas sapientia quadam solerti, et benignitate inenarrabili producta fuisse omnia. « Et factum est, inquit, vespere, et factum est mane » dies quartus [2]. » Postquam enim absolvit ornatum cœli, et stellis illud decoravit, duoque luminaria magna produxit, finem diei imposuit; et dixit : « Et factum est vespere, et « factum est mane dies quartus. » Vide quo pacto et hoc per singulos dies commemorat, divina dogmata frequenti admonitione nostræ menti infigere volens.

VI. Hæc igitur omnia quasi insculpta retinentes in latitudine cordis, quo negligentiam omnem excutiamus, sana accurate teneamus dogmata, atque eos qui gentili errore præoccupantur, omni mansuetudine doceamus, ne ordi-

[1] Gen. I, 18. — [2] Ibid. 19.

nem confundant, neque relicto Creatore creaturas adorent, quæ ob nostram salutem et utilitatem factæ sunt. Nam et si millies dirumpantur gentiles, tamen clara voce clamo propter humanum genus hæc omnia facta esse; sibi enim sufficiens Opifex nullo istorum opus habebat : sed ut erga nos suam benignitatem ostenderet, hæc omnia produxit, demonstrans quanto honore prosequatur humanum genus, ut his manuducti debitam ipsi adorationem referamus. Quantæ enim stultitiæ est ante pulchras creaturas procumbere, et in illis consistere, nec attollere mentis oculos ad illum qui eas produxit, neque Paulo credere dicenti : « In-» visibilia illius ex creatione mundi per ea quæ facta sunt » intellecta pervidentur [1] ? » Quid dicis, homo? Cum videris cœlum, admiraris ejus formositatem, astrorum varietatem, claritatis eminentiam. Ne ibi subsistas, sed ad Opificem ipsum tuam extende mentem. In stuporem te rursus conjicit lux solis, et admiraris ejus multiplicem usum, et quia vides radios illustrantes oculos tuos, admiraris elementi pulchritudinem. Sed neque hic subsistas; imo hoc cogita, si creatura tam admirabilis est, et supra omnium opinionem et intellectum, quantus est qui ipsam solo verbo et præcepto produxit ? Idipsum et de terra tecum considera : quando videris eam floribus ornari, sicut vestimentum multis coloribus distinctum, varia herbarum segete undique tegi. Ne virtuti terræ ascribas ea quæ ex ipsa nascuntur, neque solis vel lunæ cooperationi, sed probe cogita Deum ante illorum creationem dixisse duntaxat : « Producat » terra herbam fœni, » et mox omnem terræ faciem ornatam fuisse. Si hæc singulis diebus nobiscum versemus, ipsi grati erimus, et Domino, ut decet, imo ut nostræ vires ferunt, gloriam dabimus. Gloriam autem ipsi tribuemus, non per hoc solum, sed et per optimam vitam, si non

[1] Rom. 1, 20.

in eadem peccata recidamus, sed longum vale dicentes diabolicis illusionibus, diligenti posthac attentione, multoque studio, et continua confessione supernam benevolentiam nobis conciliemus. Sufficit enim illi ob magnam suam misericordiam, ut desistamus a peccatis. Si enim hoc statuerimus, facile et ad bonorum operum actionem impellemur. Ne quis, obsecro, posthac in circensibus ludis appareat ; ne quis in conventiculis intempestivis diei partem dilapidet : nc quis talorum ludo, et clamori qui inde oritur, ac reliquæ perniciei posthac se admisceat. Quæ enim utilitas jejunii, dic, obsecro, si toto die nihil comedis, ludis autem tesseris, et nugaris, sæpe etiam pejeras et blasphemas, et ita totum insumis diem ? Ne, obsecro, ne ita negligentes simus in nostra ipsorum salute ; quin potius sermo noster sit de spiritualibus, et librum divinum accipiat aliquis in manibus, convocatisque proximis, per divina eloquia riget et suam et præsentium mentem : ut sic diabolicas insidias effugere valeamus, magnos percipere jejunii fructus, et frui benignitate Dei, gratia et miserationibus unigeniti Filii ejus, cum quo Patri et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VII.

Et dixit Deus : Educant aquæ reptilia animarum viventium, et volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli, et factum est sic. Et fecit Deus cete magna, et omnem animam animalium reptilium, quæ produxerunt aquæ secundum genera sua [1].

I. Heri eos, qui ad equestris ludi spectaculum abierant, satis perstrinximus, demonstrata eis jacturæ quam fecerunt magnitudine : nempe quod spiritualem thesaurum ex jejunio collectum simul effuderint, et ex magna abundantia in extremam inopiam subito seipsos conjecerint. Age, leniore hodie utamur remedio, et illorum spiritualia vulnera, quasi membra nostra essent, obligemus : quia et heri asperiora medicamina imposuimus, non ut quoquo modo mœstitiam inferremus, ac dolorem augeremus, sed ut vehementia illa ulcus ipsum attingere possemus. Etenim medici et patres sic facere consueverunt : medici enim primum apponunt cataplasmata magis efficacia, et dein rupto ulcere leniora admovent : patres quoque cum viderint filios suos incompositis moribus, prius graviter verberibus corripiunt, et dein admonent et hortantur. Hoc modo et nos, quamvis heri vehementiori sermone usi fuerimus, hodie tamen blandius vobis loquemur, et sicut nostra membra curabimus. Nam ut profectus vester majorem loquendi fiduciam nobis conciliat, et spiritualis noster thesaurus est, si vos cernamus in spiritualibus incrementa capere, et virtutibus esse conspicuos, atque ab iis quæ nocere valent

[1] Gen. 1, 20 et 21.

vobis cavere : sic quando videmus vos supplantari, et diabolicis illusionibus seduci et subjici, mœstitia implemur, et pudor quidam, ut sic dicam, animam nostram occupat. Nam secundum beatum Paulum : « Tunc nos vivimus, si » vos statis in Domino [1]. » Igitur ut perfecti, et repleti intellectu, sic eorum quæ retro sunt obliviscamini, ut ad ea quæ ante vos sunt enitamini ; et fœdera, quæ cum Christo iniistis, renovata, stabilia et inviolata posthac custodite : ac prudenter intercluso diabolicis machinationibus aditu, subsequente studio inscriptam vobis desidiæ maculam abstergite, devicta intempestiva illa et perniciosa consuetudine : et cogitate non hoc solum grave esse, quod qui illo confluunt, magnum sibi damnum asciscant, sed et quod multis aliis offendiculo sint. Quippe Gentiles et Judæi videntes eos qui quotidie in Ecclesia versantur, et frequenti doctrina imbuuntur, simul ibi comparere, et sibi commisceri, quomodo res nostras pro deceptionibus non habebunt, et non idem de omnibus nobis suspicabuntur? Annon audis beatum Paulum admonentem, et consulentem clara voce : « Absque offendiculo estote? » Deinde, ne putes de nostris tantum admonere, deque iis qui in eodem ordine positi sunt, suddidit : « et Judæis, et Gentibus : » et tandem adjecit, « et Ecclesiæ Dei [2]. » Nihil enim ita obest et nocet religioni nostræ, ut offendiculi ansam præbere infidelibus. Nam quando vident aliquos e nostris virtute conspicuos, hujus vitæ negotia et curas e sublimi contemnere, ex iis alii quasi præfocantur, alii admirantur et obstupescunt, quod cum ejusdem atque illi naturæ sint, non talia tamen ipsi aggrediantur. Verum quando vel aliquantulum desidiæ et negligentiæ vident, statim linguam exacuunt simul contra nos omnes, et ex unius delicto totam Christianorum gentem æstimant. Neque hic gradum sistunt, sed

[1] 1 Thess. III, 8. — [2] 1 Cor. X, 32.

statim adversus caput suum loquentes, ob servorum desidiam etiam communem Dominum blasphemare audent, et putant velamenta errorum suorum esse aliorum inertiam.

II. Quod autem hoc maxime periculosum sit iis qui blasphemiæ occasionem præbent, audiamus Prophetam clamantem, et ex persona Dei dicentem : « Væ vobis, quia » propter vos nomen meum blasphematur in gentibus [1]. » Terribile hoc verbum est, et horrore plenum. Væ enim illud, est quasi deplorantis eos, qui supplicium illud inevitabile subituri sunt. Porro sicut eos qui per suam negligentiam causam illis præbent blasphemandi ingens pœna manet ac condemnatio : ita e diverso virtutum studiosis mille coronarum materia paratur. Istud ipsum docens Christus dicebat : « Luceat lux vestra coram hominibus, » ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem ves- » trum qui in cœlis est [2]. » Nam quemadmodum illi aliquorum inertia offensi, linguam acuunt contra Dominum nostrum : sic, inquit, si virtutem exercueritis, qui viderint vos homines, non vos tantum laudabunt, sed cum conspexerint opera vestra lucentia, et facies vestras illustrantia, ad gloria afficiendum Patrem vestrum qui in cœlis est prorumpent : cumque hoc ab illis fiet, rursum nostra præmia augebuntur, et multa nobis bona concedet Deus, eo quod ab illis laudetur : « Eos enim qui me glorificant, ait, glo- » rificabo [3]. » Nihil igitur non agamus, dilecti, ut glorificetur Dominus noster, et nulli simus offendiculi occasio. Id quod perpetuo nos docet magister orbis beatus Paulus, dum sic ait : « Si cibus offendit fratrem meum, nunquam » in æternum carnem comedam [4]. » Et iterum in alio loco inquit : « Sic autem peccantes in fratres, et percutientes » infirmam eorum conscientiam, in Christum peccatis [5]. »

[1] Isaï. LII, 5. — [2] Matth. V, 16. — [3] 1 Reg. II, 30. — [4] 1 Cor. VIII, 13. — [5] Ibid. 12.

Minæ illæ vehementes sunt, et magnam secum condemnationem afferunt : « Ne opineris, inquit, damnum hoc ad illum qui offenditur solum pertinere, transit etiam ad Christum ipsum, qui propter illum crucifixus est. Igitur is Dominus tuus propter illum crucifigi non recusavit, non tu omnia feres ne quam scandali occasionem illi præbeas? » Hoc ubique invenies illum discipulis consilium dare : hoc enim est quod vitam nostram conservat : propterea et alibi scribens, dicebat : « Ne quæ vestra sunt considerate singuli, sed quæ aliorum [1] » ; et iterum alio loco : « Omnia » mihi licent, sed non omnia ædificant [2]. » Vides apostolicam sapientiam? « Etiamsi liceat, inquit, mihi aliquid facere, nihilque hinc mihi damni accedat : sed quia hoc non juvat ad proximi ædificationem, nequaquam hoc facere sustinuerim. » Vides animam nos amantem, quomodo nusquam quod suum est quærit, sed omnibus modis ostendit virtutem longe maximam illam esse, magnam curam gerere ut proximus ædificetur? Hæc, obsecro, omnia scientes observemus, caveamusque ab iis quæ spiritualem virtutum nostrarum thesaurum pessumdare possunt : et nihil unquam faciamus, quo damnum quodlibet proximo inferatur. Hoc enim et peccatum auget, et gravius nobis adducit supplicium. Neque vel vulgarem aliquem contemnamus, frigida hæc verba dicentes : « Quid mea refert, si offendatur ille talis? » Quid dicis, quæso te? quid tua refert? Sic tuam fulgere vitam præcepit Christus, ut non solum videntibus te sis admirationi, sed ut Dominus tuus glorificetur [3] : tu vero omnino contrarium agis, et pro gloria Dei blasphemias introduci curas, et hoc contemnis? Hoccine fuerit animæ piæ, legesque divinas recte scientis?

III. Cæterum si quis prius hæc ex mala consuetudine dicere solitus fuerit, susceptа nunc admonitione nostra,

[1] Philip. II, 4. — [2] 1 Cor. x, 23. — [3] Matth. v, 16.

desistat, oro, ab illicitis hujuscemodi sermonibus, et sic omnia facere studeat, ut neque ab oculo illo qui nunquam sopitur vel cæcutit, neque a conscientia sua condemnetur : neque eos, qui se vident, in blasphemias adversus Dominum inducat. Quod si tanta adhibita cautione dispensemus ea quæ nostra sunt, multa fruemur Domini clementia, et diaboli insidias effugiemus. Cum viderit enim nos ita sobrios et vigiles, et cogitaverit se operam perdere, abscedet et occultabitur. Sed sat fuerit proœmiorum : age charitati vestræ propositis iis quæ lecta sunt, spirituale convivium apparemus : et hodie videamus quid beatus Moses, imo Spiritus sanctus per ejus linguam docere nos velit : quid itaque ait : « Et dixit Deus : Educant aquæ reptilia » animarum viventium, et volatilia volantia super terram » secundum firmamentum cœli. Et factum est ita[1]. » Vide benignitatem Domini, quomodo ordine quodam et consequentia omne opificium suum nos doceat. Prius docuit nos quomodo ad fructuum proventus suo mandato terram excitaverit : postea, ubi docuit duorum luminarium formationem, apposuit et stellarum varietatem, per quas cœli pulchritudo facta est clarior : hodie continenter ad aquas transit, et ostendit nobis sermone et præcepto suo ex aquis ipsis viventia animalia prodiisse. « Educant, enim » ait, aquæ reptilia animarum viventium, et volatilia volan» tia super terram secundum firmamentum cœli. » Quis sermo, quæso, miraculi dignitatem potest assequi? Quæ lingua ad Opificis præconia sufficiet? Dixit tantum, « Ger» minet terra : » et statim illam ad partum excitavit : nunc dicit : « Educant aquæ. » Vide quam consonant præcepta : « illic, Germinet; hic, Educant aquæ, inquit, reptilia ani» marum viventium. » Nam sicut de terra dixit solum, « germinet : » et varia mox ac multiplex florum, herbarum, et

[1] Gen. 1, 20.

seminum apparuit copia, unoque verbo producta sunt omnia : sic et hic dixit : « Educant aquæ reptilia animarum viventium, et volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli : » et continuo tot reptilium volatiliumque genera condita sunt, quot neque sermone recenseri possunt. Et verbum quidem breve est, verbumque unum, genera autem animalium diversa et varia. Sed nullo stupore tenearis, dilecte. Verbum enim erat Dei, et sermo ipsius iis, quæ fiebant, subsistentiam largitus est. Vides quomodo omnia ex nihilo ut essent producta sunt; vides quam diligenter doceat? vides quanta se attemperatione ad nostri generis humilitatem Dominus demittat? Unde enim nos hæc tam accurate discere potuissemus, nisi ipse magna et ineffabili benignitate sua humanum genus per Prophetæ linguam docere dignatus esset, ut scire possimus et rerum creatarum ordinem, et creatoris potentiam, et quomodo sermo ejus in opus exierit, et verbum ejus subsistentiam et ad existentiam transitum Creaturis præbuerit?

IV. Verum sunt insensati nonnulli, qui et post tantam doctrinam increduli esse audent, faterique nolunt esse aliquem istorum visibilium opificem; sed alii quidem fortuito illa ac per se esse dicunt; alii vero ex subjacente quadam materia esse facta contendunt. Considera quanta diaboli illusio, quomodo abusus est facili erroribus servientium credulitate. Eapropter beatus Moses, Spiritu divino afflatus, tanta diligentia nos docet, ne idem et nobis eveniat, sed sciamus manifeste et creaturarum ordinem, et quomodo quæque creatæ sint. Nisi enim nostræ salutis curam habuisset Deus, et ita direxisset Prophetæ linguam, satis erat dixisse : «Fecit Deus cœlum et terram, et mare, et animantia : » neque necesse erat ut poneret ordinem dierum, neque quid primo, et quid secundo factum fuerit. Sed ut ingratis et male sentientibus nulla relinqueretur

excusatio, ita distinguit manifeste et factorum ordinem, et dierum numerum; et omnia nos docet cum magna attemperatione, ut cognita omni veritate, non ultra eorum erroribus attendamus, qui omnia ab se excogitata loquuntur; sed sciamus Conditoris nostri inenarrabilem potentiam. « Et factum est, inquit, ita. » Dixit : « Educant aquæ » reptilia animarum viventium, et volatilia volantia super » terram secundum firmamentum cœli : » et obtemperavit elementum, et implevit præceptum. « Et factum est, inquit, » sicut imperavit Dominus. Et fecit Deus cete magna, » et omnem animam animalium reptilium, quæ produxe- » runt aquæ secundum genera sua, et omne volatile penna- » tum secundum genus. Et vidit Deus quod essent bona. » Benedixitque ea Deus, dicens : Crescite et multiplica- » mini, et implete aquas marium, et volatilia multipli- » centur super terram [1]. » Iterum hic, quæso, considera, quanta sit sapientia Spiritus : nam cum dixit beatus Moses, « Et factum est ita, » docet nos minutatim addens et dicens : « Et fecit Deus cete magna, et omnem animam » animalium reptilium, quæ produxerunt aquæ secundum » genera sua, et omne volatile pennatum secundum genus. » Et vidit Deus quod essent bona. » Hic denuo temeritatem omnia absque ratione deblaterantium comprimit. Nam ut nullus dicere possit, cujus gratia cete facta sunt? quam nobis utilitatem conferunt? quid commodi ex eorum creatione? idcirco postquam dixit : « Fecit Deus cete magna, » et omnem animam animalium reptilium, et volatilia : » statim addidit : » Et vidit Deus quod essent bona. » Quasi diceret : « Ne quia tu rationem ignoras factorum, opificia vituperare aggrediaris. » Audisti Dominum pronuntiantem, et dicentem illa esse bona : et quomodo tu insaniens dicere audes, quare facta sunt, quasi superfluum ipsarum

[1] Gen. 1, 21, 22.

accusans opificium? Nam si cordatus esses, posses etiam ex harum creatione, et potentiam Domini, et ineffabilem benignitatem addiscere : potentiam quidem, quia sermone et præcepto ex aquis talia animantia produxit; benignitatem autem, quia ut ea produxit, propriam eis regionem attribuit, immensam maris partem illis decernens, ita ut nemini possint nocere; sed versentur in mari, et sui spectaculo supereminentem Opificis potentiam doceant, nullumque humano generi damnum inferant. An parvam putas benignitatis partem, geminam tibi utilitatem hinc exoriri? Etenim sapere volentes ad Dei notitiam introducunt, et stupendam exhibent benignitatis ejus magnitudinem, quod ab eorum nocumentis humanum genus liberaverit. Neque enim ob nostram duntaxat utilitatem ea omnia facta sunt, sed et ob immensam ipsius magnificentiam : alia enim propter nostram utilitatem fecit, alia propter suam magnificentiam, ut magis factoris prædicetur potentia. Cum audis itaque, « Vidit Deus quod essent bona : » ne ausis ultra divinæ Scripturæ contradicere, ac curiosius inquirere, dicereque : « Quare Deus hoc vel illud fecit? » « Et benedixit illa Deus, inquit, et dixit : Crescite et mul» tiplicamini, et implete aquas marium : et volatilia multi» plicentur super terram. »

V. Hæc est ipsa benedictio, ut magno numero illa augeantur. Nam quia viventes creaturæ erant animalia, volebatque illa perpetuo manere, ideo subdidit : « Et » benedixit illa Deus, et dixit : Crescite et multiplicamini. » Verbum enim illud usque in præsentem diem illa conservat, et tantum præteriit tempus, neque unum horum genus imminutum est. Nam benedictio Dei, et verbum illud : « Crescite et multiplicamini, » ut subsisterent et durarent illis contulit. « Et factum est, inquit, vespere, et factum » est mane, dies quintus. » Vides quomodo divina Scriptura

docuit nos, quæ die quinto creata sint animantia? Sed parumper expecta, et iterum videbis Domini tui benignitatem. Neque enim aquas solum animalium productione fœcundas fecit, sed denuo præcipit ut ex terra terrestria producantur animalia. Non abs re quippe erit hodie attingere ea, quæ die sexto sunt facta. « Et dixit, inquit, » Deus : Producat terra animam viventem secundum genus, » quadrupedes, et reptilia, et bestias super terram : et pe- » cora, et omnia reptilia terræ, secundum genus. Et factum » est sic [1]. » Vide quomodo terra iterum duplicem nobis afferat fructum, et mandato dominico ministret. Tunc quidem seminum edebat germina, nunc autem viventia animalia, quadrupedia et reptilia, pecora et feras. Ecce quod supra dixi iterum declaratur; nempe Deum non omnia ad nostrum usum produxisse, sed tamen ad quamdam utilitatem, ut videntes copiam et multitudinem ejus creaturarum, Opificis virtutem obstupescamus, et sciamus sapientia quadam et beneficentia inenarrabili propter futuri hominis honorem omnia esse producta. « Et fecit, in- » quit, Deus bestias terræ secundum genus suum, et pecora » secundum genus suum, et omnia reptilia terræ secundum » genus suum. Et vidit Deus quod essent bona [2]. » Ubi nunc sunt qui dicere audent ; « Quare feræ, quare reptilia creata sunt? » Audiant divinam Scripturam dicentem : « Et vidit » Deus quod essent bona. » Dic, obsecro, ipse qui creavit, laudat facta, et tu audes reprehendere? Quantæ non hoc fuerit insaniæ! Quia et in seminibus, et in plantis non solum fructuosas arbores, sed et sylvestres, et steriles : et non solum inutiles herbas, sed et incognitas nobis profert terra, sæpe etiam noxias. Sed propterea non sunt vituperandæ creaturæ : nihil enim temere, aut frustra formatum est. Sane neque laudem apud Conditorem invenissent,

[1] Gen. 1, 24. — [2] Ibid. 25.

nisi ad utilitatem aliquam conditæ essent. Itaque sicut in arboribus non omnes fructuosæ, sed et infructuosæ multæ : attamen illæ ipsæ non minorem nobis, quam fructuosæ utilitatem, eamque admirabilem, et quieti nostræ servientem conferunt; etenim ex ipsis ædificia, et multa alia ad quietem nostram pertinentia fabricamus : et omnino nihil est quod non ratione aliqua formatum sit, etiamsi humana natura omnia illa accurate scire non possit : proinde sicut in arboribus, ita et in animalibus, alia quidem ad cibum nostrum pertinent, alia ad ministerium. Ferarum item et reptilium genera non parvam nobis præstant utilitatem, et si quis velit æquo animo intelligere, inveniet etiam nunc, cum principatu eorum ob primi parentis inobedientiam destituti sumus, magnam ex illis nobis utilitatem provenire. Multa enim inde colligunt medici, quæ ad nostrorum corporum medicinam et sanitatem conducant. Alioquin etiam quid nocumenti ex ferarum productione, quando sicut domestica animalia, sic et illa sub potestate futura erant hominis, non multo post formandi? Hoc enim nunc dico.

VI. Ut autem discas omnium Domini supereminentem beneficentiam, quam erga nostrum genus declarat, postquam expandit cœlum, extendit terram, condidit firmamentum, ut quasi septum aliquod divisionem inter aquas et aquas faceret : deinde ut jussit aquarum fieri congregationes, eas maria appellavit : aridam autem, terram, quam postea seminum herbarumque proventu ornavit. Indeque transiit ad duorum magnorum luminarium formationem, et ad stellarum varietatem, quibus pulchritudinem cœli ornatiorem reddidit : postea autem cum ex aquis produxisset aquatilia animantia et volatilia, quæ volarent super terram secundum firmamentum cœli, impleto quinque dierum numero : quoniam oportebat et terrestria animalia formari, imperavit ut et ipsa ederentur, cum ea quæ ad ci-

bum, tum ea quæ ad ministerium conducibilia, nec non feræ, et reptilia : denique ubi omnia suo ornatu excoluit, et convenienti ordine visibilia disposuit, et mensam largam instruxit, variis et omnigenis refertam eduliis, copiamque et opes habentem, et quasi quis dicat regiam, undique superne et inferne variis modis splendidam, tunc tandem illum format qui his omnibus fruiturus esset, cui visibilium omnium potestatem tradat : et ostendit quanto dignius cæteris omnibus animal formet, quandoquidem præcipit omnia, quæ facta erant, sub illius esse imperio et potestate. Verum ne longius excurrat oratio, his contenti dictis, in sequentem diem reponamus ea, quæ pertinent ad formationem admirabilis hujus animalis rationalis et animati, hominis, inquam : nunc consuetam admonitionem adhibentes, ita ut ne dictorum memoria elabatur : sed ex omnibus visibilibus ad celebrandum Dominum nos ipsos erigamus. Quod autem assequi, et creaturarum omnium rationem comprehendere non possimus, id ne sit nobis incredulitatis occasio, sed potius ad referendam Deo gloriam incitamentum. Quando enim deficit ratio, et mens non est capax, cogita quam magnus est Dominus tuus, et ex hoc ipso quod tanta sit ejus virtus, ut neque rationem eorum quæ ab illo facta sunt, scire queamus. Hoc fuerit grati animi, hoc sobriæ mentis. Quoniam et gentiles sic erraverunt, suis cogitationibus omnia permittentes, et ad imbecillitatem naturæ suæ non respicientes, sed quæ ultra captum suum erant imaginantes, et limitum suorum fines egressi, etiam a sua dignitate exciderunt. Nam qui ratione insigniti hujusmodi primatum acceperant a Creatore, utpote omnibus quæ sub oculos cadunt creaturis digniores, hi in tantam absurditatem deducti sunt, ut canes, simias, et crocodilos, et his fœdioria adorarint. Et quid dico bruta animalia ? Multi eorum in tantum stuporem et amentiam inciderunt, ut et

allia, et his viliora colant. Propterea Propheta illos subindicans, inquit : « Comparatus est jumentis insipientibus, »et similis factus est illis [1]. » Qui ratione, inquit, insignitus erat, et tanta sapientia præditus, is brutis factus est similis, forte et deterior : illa enim utpote irrationabilia, nullis pœnis obnoxia erunt. Qui autem ratione pollet, si in illorum inciderit absurditatem, merito pœnas luet, ingratus cum sit post tot beneficia. Hinc denique et lapides et ligna deos appellarunt, et hæc visibilia elementa deos effecerunt : quia ut semel a recta via aberrarunt, in præceps iverunt, et in malitiæ profundum inciderunt.

VII. Verumtamen nos neque sic de salute illorum desperemus, sed afferentes id quod penes nos est, cum omni alacritate et patientia illis loquamur : monstrantes tum rei absurditatem, tum damni gravitatem, et nunquam de illorum salute despondeamus animum. Probabile enim est fore ut temporis progressu persuadeantur, maxime si nos ita vivamus, ut nullam ipsis præbeamus repugnandi ansam. Multi enim illorum cum viderint nostrorum aliquos, verbo quidem et vocabulo Christianos appellari, cæterum sicut ipsos rapere, pecuniæ cupidos esse, invidere, insidiari, dolos nectere, aliaque omnia facere, crapulæ voluptatique vacare ; monita nostra non ultra admittunt, sed omnia nostra fallaciam existimant, et iisdem criminationibus omnes esse obnoxios. Cogita igitur, obsecro, quantis illi digni sint suppliciis, quandoquidem non solum sibi ipsis inextinguibilem ignem coacervant, sed et aliis auctores sunt, ut in errore perseverent, et ne virtutem addiscant, obturent aures : et ad hæc in causa sunt, ut etiam virtutum studiosi accusentur, et reprehendantur, et quod omnium gravissimum, per ipsos Dominus blasphematur. Vides quanta malitiæ pernicies ? Vides quomodo non vulgari pœnæ obnoxios

[1] Psal. XLVIII, 21

se constituant, qui malum sectantur; sed et multo gravissimæ, si supplicia pro omnibus luituri sunt, non solum pro sua perditione, sed et pro errantium scandalo, et pro criminatione proborum hominum, et pro blasphemia in Deum? Hæc igitur omnia cogitemus, nec nostram salutem negligamus : sed magna nobis sit cura ut secundum Deum vivamus, scientes nos inde maxime vel condemnandos, vel illius beneficentia dignandos. Sic igitur omnia faciamus, ut et nos in pura conscientia versemur, et eos qui adhuc errant, nostro secundum Deum vitæ instituto ad veritatem manuducamus : ut per nos et alii omnes qui nobis connumerantur, bona fama fruamur : et ante omnia glorificetur Dominus noster, et majorem nostrî curam gerat. Nam cum in nos respicientes homines lucrum reportabunt, et laudem in Deum referent, inde et nos plus divinæ gratiæ assequemur. Quid enim beatius homine qui sic vivit, ut et qui vident obstupescant, et dicant, « Gloria tibi Deus; quales sunt Christiani? quantam præ se ferunt philosophiam? quomodo despiciunt præsentia? quomodo omnia ipsis umbra et somnium reputantur, et nulli visibilium sunt affixi; sed omnia transigunt, sicut ii qui in terra aliena agunt peregrini, et quotidie migrare ex hac vita cupiunt et anhelant? » Quantam putas verba hæc iis qui sic vivunt, etiam hic a Deo mercedem afferre? Et quod valde admirabile ac stupendum, etiam ii, qui talia de nobis judicant, brevi ab errore desistent, et ad veritatem redibunt. Hoc vero quantam illic fiduciam afferet, nulli non manifestum est. Proinde scientes nos et de lucro et de damno proximorum rationem daturos esse; sic vitam nostram instituamus, ut non solum nobis sufficiat, sed et aliis inde doctrinæ occasio accedat; ut et hic magnam Dei gratiam nobis conciliemus, et in futuro Dei benignitate large fruamur, gratia et miserationibus unigeniti ejus Filii, cum quo

Patri simul, sanctoque Spiritui sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

Et dixit Deus : Faciamus hominem secundum imaginem nostram et secundum similitudinem : et dominetur piscibus maris, et volatilibus cœli, et pecoribus, et bestiis, et universæ terræ, et omnibus reptilibus repentibus super terram [1].

I. Age et hodie, quia alacres heri quæ diximus audistis, quæ recens lecta sunt, charitati vestræ proponamus, prius tamen vos cohortantes, ut diligenter auscultetis ea quæ dicuntur, et quæ prius dicta sunt, bene in mente vestra reponatis, ut ne frustra et incassum laborem tantum feramus. Hoc enim studium nostrum est, ut vim ac sensum eorum, quæ scripta sint, accurate sciatis : atque ita ut non solum teneatis, sed et aliorum magistri sitis, « ut possitis » secundum beatum Paulum, « unus alterum ædificare [2]. » Nam si vos profeceritis in Domino, et in spiritualium doctrina aliquem profectum ostenderitis, etiam nos ingenti afficietis lætitia. Hæc enim nostra fuerit tota prosperitas, et summa festivitas. « Quæ nostra spes, vel gaudium, vel corona, inquit, glo» riationis [3] ? » annon et vos, et vestrum secundum Deum incrementum ? Omnes enim doctores, qui vident discipulos priorum lectionum memoriam animo bene tenere, operibusque ipsis fructum aliquem exhibere, majore alacritate et sequentium cognitionem præbent. Et nos quoque quanto magis mentem vestram erigi, et desiderium crescere, ratio-

[1] Gen. I, 26. — [2] 1 Thess. v, 11. — [3] Id. II, 19.

nemque alas assumere videmus, tanto alacriores reddimur, ut uberiorem doctrinam proponamus. Quanto enim plus vobis profundimus fluentorum horum spiritualium, tanto nobis et fluenta sunt auctiora, nimirum propter ædificationem vestram, et propter vestrarum animarum utilitatem. Non enim in hac causa contingit id quod in pecuniis. Illic enim qui argentum vicino dinumeravit, imminuit suam substantiam, et quanto plus numerat, tanto minus possidet pecuniæ : hic autem plane secus agitur. Tunc enim facultates nostræ plus accrescunt, tunc spirituales hæ opes magis augentur, quando haurire volentibus, doctrinam liberaliter profundimus. Igitur quia hoc nobis majorum divitiarum causa est, et vos spiritualibus alimentis satiari non potestis, age videamus quid et hodie beatus Moses in his quæ lecta sunt nos doceat, imo quid gratia Spiritus per ejus linguam nobis omnibus dicat. « Et dixit, inquit, » Deus : Faciamus hominem secundum imaginem nostram, » et secundum similitudinem [1]. » Ne simpliciter hæc dicta prætereamus, charissimi, sed disquiramus verba singula : et in profundum descendentes, vim in breviculis hisce verbis latentem investigemus. Nam licet pauca sint verba, magnus tamen thesaurus est in illis reconditus : atque decet attentos et vigiles non in superficie stare. Quoniam et ii qui sensibiles hos thesauros effodere conantur, non in plano et in superficie solum fodiunt atque perquirunt, sed in profundum descendunt, et penitiores terræ sinus scrutantur : atque ita arte sua aurum a terra segregant, tametsi sæpe post labores sudoresque multos vix pauca quædam ramenta afferunt. Hic autem nil tale est, sed labor minor, et ineffabilis ubertas. Nam spiritualia omnia in hunc modum se habent.

II. Ne igitur simus deteriores iis qui ad sensibilia inhiant:

[1] Gen. 1, 26.

sed inquiramus et nos diligenter thesaurum hunc spiritualem in verbis istis reconditum, et primum videamus quid novum et admirandum dicat : dein quare tanta verborum variatione utatur beatus hic Propheta, imo benignus Deus per Prophetam loquens. Et ait : « Faciamus hominem se» cundum imaginem nostram, et secundum similitudinem. » Nuper cum cœlum terramque formasset, audivimus illum dicentem : « Fiat lux : et, Fiat firmamentum in medio aquæ; » et iterum : « Congregentur aquæ in congregationem unam, » et appareat arida : et, Fiant luminaria : et, Educant aquæ » reptilia animarum viventium. » Vidisti sermone solo et præcepto omnem creaturam quinque diebus formari. Vide hodie quanta verborum diversitas. Non enim jam dicit : Fiat homo : sed quid ? « Faciamus hominem secundum » imaginem nostram, et secundum similitudinem. » Quid hoc novi ? quid insoliti? Quisnam ille qui formandus, ad quem faciendum Opifici tanto consilio et circumspectione opus ? Ne mireris, dilecte. Homo enim inter visibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita sunt hæc omnia, cœlum, terra, mare, sol, luna, stellæ, reptilia, jumenta, brutaque animalia omnia. Et quare, inquies, tardius creatus est homo, si cæteris dignitate præstat? Merito. Nam ut ingressuro in civitatem aliquam rege, operæ-pretium est præmitti satellites aliosque omnes, ut bene adornata regia rex in eam adveniat : simili modo nunc quasi regem et principem aliquem rebus terrenis præfecturus, prius omnem hunc ornatum fabricavit, et tandem iis præficiendum hominem produxit, declarans factis istis quanto honore animal hoc prosequatur. Cæterum rogemus hoc loco Judæum, et videamus quid respondeat, ad quem dixit Deus : « Faciamus hominem secundum imaginem nostram ? » Scripta enim sunt hæc a Mose, cui se credere dicunt quidem, non credunt autem : sicut et Christus inquit : « Si

» crederetis Mosi, crederetis utique et mihi [1] ». Sed litteræ quidem apud illos sunt, sensus vero apud nos. Ad quem igitur dictum est, « Faciamus hominem ? » et cum quo consilium hoc habuit Dominus? Numquid consilio et consideratione opus habet ? Absit. Sed figura verborum declarare voluit quam excellentem honorem homini, qui formabatur, tribuat. Quid ergo dicunt hi qui adhuc habent velamen super corda sua positum, et nihil eorum, quæ hic sunt contenta, intelligere volunt? Ad Angelum vel Archangelum, inquiunt, hæc dicta sunt. O insaniam! o magnam impudentiam ! Et quomodo rationi consentaneum est, bone vir, ut Angeli consilium ineant cum Domino, et creaturæ cum Creatore ? Non enim est Angelorum consilium dare, sed assistere, et ministerium adimplere. Et ut discas, audi vocalissimum Esaïam dicentem de supernis angelicis virtutibus : « Vidi Cherubim stantia a dextris Dei, et Seraphim, » et obtegebant facies pedesque suos alis [2]. » Quod ideo factum esse liquet, quia fulgur majestatis divinæ inde egrediens ferre non possent, sed starent cum timore et tremore. Etenim creaturis peculiare est Domino assistere.

III. Verum illi nihil eorum, quæ Scripturæ verbis continentur, intelligentes, temere quod occurrit effutiunt. Et ideo refutatis illorum deliramentis, dictorum veritas Ecclesiæ filiis discenda est. Quis igitur hic, ad quem inquit, « Faciamus hominem ? » Quis autem alius, quam ille magni consilii Angelus, ille « Admirabilis, consiliarius, potens, » princeps pacis, pater futuri sæculi [3], » unigenitus Dei Filius, Patri æqualis secundum substantiam, per quem omnia producta sunt? Huic dicit : « Faciamus hominem secundum » imaginem nostram, et secundum similitudinem. » Hic Arianis letalem plagam infligit. Non enim imperando dixit, Fac, ut subdito et inferiori, vel ut minori secundum essen-

[1] Joan. v, 46. — [2] Isaï. vi, 2. — [3] Id. ix, 6.

tiam : sed cum omnimoda æqualitate, Faciamus : et quod sequitur rursus similitudinem substantiæ ostendit. « Fa» ciamus enim, ait, hominem secundum imaginem nos» tram, et secundum similitudinem. » Iterum hic insurgunt hæretici alii, Ecclesiæ dogmata impugnantes, et dicunt : Ecce dicit, « secundum imaginem nostram : » et inde volunt Deo humanam formam tribuere : id quod extremæ fuerit amentiæ, ut is qui forma specieque caret, et nulli mutationi obnoxius est, sub humanam redigatur formam, et incorporeo membra et lineamenta attribuantur. Quæ huic insania par fuerit, cum non solum nihil lucri a Scripturis divinitus inspiratis referant, sed et plurimum inde offendantur? Simili enim modo affecti sunt, atque si qui morbo laborant, et corporalibus oculis infirmantur. Ut enim illi ob oculorum suorum infirmitatem solis lucem ægre ferunt, et ægri etiam optimos saluberrimosque cibos aversantur : ita et hi anima ægrotantes, et mentis oculis capti, ad lumen veritatis respicere non possunt. Ideirco nostro fungentes munere, manus eis porrigamus, magnaque eis mansuetudine loquamur. Nam et beatus Paulus ita nos monuit, dicens : « Ut in mansuetudine erudiantur adversarii, si forte » det eis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis, et ad » sobrietatem mentis redeant de laqueo diaboli, a quo cap» tivi tenentur, ad illius voluntatem [1]. » Vides quomodo verbis declaravit eos quasi ebrietate quapiam obrutos esse. Nam quod dicit, « Ad sobrietatem mentis redeant, » ostendit eos in profundo aliquo mersos esse. Et iterum : « Capti, » inquit, a diabolo, » quasi diceret, tanquam laqueis quibusdam irretiti sunt. Unde et nobis magna opus est mansuetudine et patientia, ut possimus eos eripere et educere ex laqueis diaboli. Dicamus igitur eis : « Resipiscite paulisper, aspicite lumen justitiæ, expendite vobiscum verborum ac-

[1] 2 Tim. II, 25 et 26.

curationem. Neque enim cum dicit : « Faciamus hominem » secundum imaginem nostram, et secundum similitudi- » nem, » hic sermonem sistit; sed per ea quæ adjungit, palam nobis facit, quo sensu nomen imaginis posuerit. Quid enim dicit? « Et dominentur piscibus maris, et volatilibus » cœli, et omnibus reptilibus repentibus super terram. » Imaginem ergo dixit secundum principatum et dominium, non secundum aliud quidpiam : etenim Deus fecit hominem principem omnium quæ sunt super terram, et nihil super terram homine majus est, sed omnia sub potestate illius sunt. »

IV. Quod si post tantam dictorum accurationem adhuc ea dicta esse contendant de formæ imagine, dicemus eis : » Igitur Deus non solum homo sed et mulier erit; quia eamdem formam uterque habent. Verum hoc absurdum esset. Audi enim Paulum dicentem : « Vir enim non debet velare » caput, imago et gloria Dei existens : mulier autem gloria » viri est [1]. » Vir enim imperat, mulier autem subjecta est : sicut et Deus ab initio ad eam dixit : « Ad virum tuum » conversio tua, et ipse tibi dominabitur [2]. » Quia enim secundum rationem dominii ad imaginem factus est, non ad formam, vir autem dominatur omnibus, mulier vero subjecta est; idcirco dicit de viro Paulus, « quod imago et gloria » Dei sit, mulier autem gloria viri. » Quod si de forma vel figura dixisset, non utique ea divisisset : eadem enim figura est viri et mulieris. « Vidisti plenam veritatem? quomodo nullum defensionis prætextum relinquit iis qui frustra impudentes esse volunt? Verumtamen etiam illis ita se habentibus, ne cessemus magna cum lenitate cum ipsis agere, « si forte det illis Deus pœnitentiam ad agnitionem veri- » tatis. » Ne ergo torpescamus, si quo pacto per mansuetudinis studium possimus ipsos eripere a deceptione diaboli.

[1] 1 Cor. xi, 7. — [2] Gen. iii, 16.

Et si placet, adducamus iterum illis beatum Paulum, qui Atheniensibus sic dicebat : « Non debemus existimare auro, » vel argento, vel lapidi, vel sculpturæ artis, vel inventionis » hominis Numen esse simile [1]. » Vidisti quanta diligentia omnem illorum errorem sapiens magister amputaverit? Non solum enim a corporali typo alienum dicit Numen, sed neque quid simile posse humana cogitatione effingi. Hæc subinde illis dicentes, nihil quod penes vos sit, proferre intermittatis, si forte cedant, si forte ad veritatem respicere velint. Cæterum ut a benevola illorum instructione vobis desistendum non est, ita oro, ut dogmata ecclesiastica probe teneatis, non confundentes dictorum consequentiam : sed cum Judæis ut oportet disputate, ac demonstrate hæc non esse dicta cuiquam ex administris Virtutibus, sed unigenito Dei Filio. Arianis quoque hinc parem Filii cum Patre dignitatem indicate. Sed et iis qui humanam formam Numinis imaginantur, allatis in medium iis quæ a beato Paulo sunt dicta, evellite per Ecclesiæ dogmata perniciosos morbos instar zizaniorum pullulantes : operamque date ut pia doctrina in eis plantetur et roboretur. Volo enim, et precor omnes vos in doctorum ordine esse, et non solum auditores nostrorum esse sermonum, sed et aliis doctrinam nostram afferre, piscarique errantes, ut in viam redeant veritatis, sicut et Paulus inquit : « Unus alterum ædificet [2] : » et, « Cum timore et tremore salutem vestram operemini [3] » Sic Ecclesia nobis multitudine augebitur, et vos uberius superna fruemini gratia, magnam membrorum vestrorum curam habentes.

V Neque enim Deus vult ut Christianus seipso tantum contentus sit, sed ut alios ædificet non per doctrinam solum, sed et per vitam, et versandi rationem. Nihil enim sic in veritatis viam inducit, ut integritas vitæ. Nam neque

[1] Act. xvii, 29. — [2] 1 Thess. v, 11. — [3] Philip. ii, 12.

tam ea considerant quæ a nobis dicuntur, quam quæ a nobis aguntur. Et ut scias rem ita se habere, licet sexcenties verbis tantum philosophemur et de injuriarum oblivione disseramus, ac cum tempus affuerit, eam operibus non demonstremus; non tantum proderunt verba, quantum nocebunt opera. Sin ante et post verba, operum specimen exhibuerimus, fide digni habebimur, cum admonebimus alios de iis quæ per opera adimplemus : quia et Christus hujusmodi homines beatos dixit, inquiens. « Beatus qui fecerit, et docuerit [1]. » Vide quomodo opus præposuerit, et postea doctrinam. Atenim præcedente opere, etiamsi non sequatur doctrina, sufficiunt opera ipsa magis quam ulla vox ad docendum eos qui in nos respiciunt. Hoc igitur ubique observemus, ut prius operibus doceamus, et postea sermonibus : ut ne et nos audiamus a beato Paulo : « Tu qui doces alium, teipsum non doces [2] ? » Et cum volumus admonere alium, ut aliquid ex iis quæ necessaria sunt, efficiat, prius studeamus et nos hoc ipsum agere, quo nobis et major sit loquendi ac docendi fiducia, et omnis nostra cura sit de animarum salute, et quomodo poterimus lascivias carnis refrenare, ut verum exhibeamus jejunium; jejunium autem dico, abstinentiam a vitiis. Etenim abstinentia a cibis propter hoc recepta est, ut vigorem carnis refrenet, et equum docilem reddat. Jejunantem ante omnia oportet iram frenare, mansuetudinem et lenitatem addiscere, cor habere contritum, absurdas concupiscentias repellere, ante oculos continuo habere oculum illum nunquam dormitantem, et tribunal illud incorruptum ; pecuniis superiorem esse, liberalemque admodum in danda eleemosyna, nequitiam omnem adversus proximum ex animo eliminare. Hoc verum jejunium est, sicut et Isaïas, ex persona Dei loquens, dicit : « Non hoc jejunium elegi, dicit

[1] Matth. v, 19. — [2] Rom. II, 21.

» Dominus. Non si torqueas ut circulum cervicem tuam, » et saccum et cinerem substernas, neque sic vocabitis je- » junium acceptum, dicit Dominus. » Sed quale, dic? « Solve, inquit, obligationes violentorum contractuum, » frange esurienti panem tuum, pauperem absque tecto induc » in domum tuam. » Et si hæc feceris, inquit, « Tunc erum- » pet matutina lux tua, et sanitates tuæ statim orientur [1]. »

VI. Vidisti, dilecte, quale sit verum jejunium? Hoc exerceamus, et non ut plerique existimemus definiri in hoc jejunium, si ad vesperam usque impransi maneamus. Non hoc est quod quæritur, sed ut cum ciborum abstinentia et a cæteris abstineatur quæ nocere possunt, et spiritualium operum magnam curam habeamus. Jejunantem esse oportet demissum, quietum, mitem, humilem, gloriæ hujus vitæ contemptorem. Nam sicut animæ suæ curam despexit, ita et inanem gloriam despicere oportet; et ad illum solum, qui « scrutatur corda et renes [2], » respicere, magnoque studio preces et confessiones emittere Deo, et eleemosynarum auxilio pro viribus seipsum juvare. Hoc enim, hoc mandatum maxime valet ad abolenda peccata nostra omnia, et ad eripiendos nos ex gehennæ igne, modo ipsum liberaliter, et non ad ostentationem hominum exequamur. Et quid dico, non ad ostentationem? Nam si recte sapimus, ob hoc solum quod bona res sit, et ob commiserationem in proximos, virtutem hanc exercere oportebit, non ob promissas a Domino mercedes. Verum quando ad nihil sublime mentem attollere valemus, vel ob illud ipsum benigni simus, nullam ab hominibus venantes gloriam; ut ne et sumptus faciamus, et mercede pariter privemur. Id quod non solum in eleemosyna, sed in unoquoque bono opere spirituali attendendum, ut nihil ad hominum præconia respicientes faciamus: alioquin nulla nobis utilitas erit, sive

[1] Isaï. LVIII, 5-8. — [2] Psal. VII, 10.

jejunemus, sive precemur, sive misereamur, sive quodvis aliud faciamus, nisi propter illum solum fiant, qui novit et abscondita, et quæ in profundo mentis sunt recondita. Nam si ab illo præmia expectas, dilecte, cujus gratia ab illo, qui natura tibi cognatus est, laudari vis? quid dico, laudari? sæpe is non laudat, sed et invidet. Sunt enim multi ita male affecti, ut ea quæ bene a nobis aguntur, in contrarium interpretentur. Cujus igitur gratia, dic, obsecro, perversum hoc judicium tanti facis? Insopitum enim et perpetuo vigilem illum oculum nihil eorum, quæ a nobis fiunt, latere potest, et oportet hoc cogitantes tanto studio vitam nostram instituere, perinde ac si paulo post de omnibus verbis, et operibus, et cogitationibus rationem reddituri essemus. Ne igitur salutis nostræ contemptores simus. Nihil enim virtuti par est, charissime, quæ nos et in futuro sæculo e gehenna eripit, et regno cœlorum nobis frui concedit, et in præsenti quoque sæculo omnibus superiores constituit, qui nobis sine causa insidiantur: et non hominibus solum, sed etiam dæmonibus et ipso salutis nostræ inimico diabolo fortiores efficit. Quid igitur illi par fuerit, quæ non solum hominibus insidiantibus, sed et dæmonibus superiores sui studiosos efficit? Virtus autem est, humana omnia despicere, futura singulis horis cogitare, nullis præsentibus inhiare: sed scire omnia humana umbram esse et somnium, et si quid his vilius. Virtus est, erga negotia hujus vitæ non magis affici, quam cadaver afficitur; et ad ea quæ animæ salutem labefactare possunt, quasi mortuum, ita operationis expertem esse: vivere autem et operari tantum circa spiritualia, sicut et Paulus dicebat: « Vivo autem, jam non ego, sed vivit in me Christus[1]. » Proinde, dilectissimi, et nos tanquam Christum induti omnia faciamus, et non contristemus Spiritum sanctum.

[1] Gal. II, 20.

Quando igitur turbamur a concupiscentia, vel affectione absurda, vel ira, vel furore, vel invidia, cogitemus cum qui in nobis habitat, et expellamus procul omnem talem cogitationem. Revereamur eminentem Dei gratiam, quam nobis largitus est, et refrenemus omnes carnis affectiones, ut cum legitime in brevi hac et fragili vita certaverimus, coronas illas eximias assequamur in futuro die illo, terribili quidem peccatoribus, desiderabili autem virtute indutis ; et mereamur ineffabilia illa bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo sit Patri et Spiritui sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

De iis quæ sequuntur hæc verba : Faciamus hominem secundum imaginem nostram : *et adversus eos qui dicunt : Cur bestiæ factæ sunt, et quis usus creationis earum ? Et quod vel sic maxime declaretur honor homini habitus, atque ineffabilis Dei erga ipsum benevolentia.*

I. Agricolæ studiosiores cum pingue viderint et profundum arvum, largiter semina spargunt : magnamque et assiduam diligentiam adhibentes, quotidie explorant num forte alicubi sit, quod segeti nocere, et laborem, quem susceperunt, inutilem possit reddere. Simili modo et nos spirituale desiderium vestrum, et ingens audiendi studium videntes, operam damus ut quotidie sententias quasdam divinæ Scripturæ vestræ menti inseramus, vobisque etiam indicemus ea, quæ spirituali semini noxia esse possunt : ne forte circumveniamini, neve sana doctrinæ dogmata labe-

factentur per quorumdam conatum, qui Ecclesiæ placitorum loco ratiocinii sui figmenta inducere tentant. Vestrum autem fuerit deposita posthac diligenter servare et firma memoria custodire, ut facilius et sequentia consequi possitis. Nam nisi nunc ad profundiora Scripturarum sensa nos descenderimus, et vos mentem vestram coaptaveritis, quando jejunii tempus est, quando ad natandum membra nostra sunt levia, mentis autem oculus acutior, utpote non turbatus damnoso voluptatis fluxu; spiritus quoque, ne suffocetur, expeditior: quandonam commode poterimus hæc facere? Num quando deliciæ, et ebrietas, voracitas, crapula, et alia, quæ inde nascuntur, mala regnant? Non videtis eos, qui hos pretiosos lapides ex mari educere quærunt, non sedere juxta littus maris, fluctus numerantes; sed in profundum se demittere, et ut ita dicam, quasi in ipsos sinus abyssi descendentes, assequi quod tanta opera exquirunt? Quanquam quid magnæ utilitatis vitæ huic attulerit illorum lapidum inventio? Utinam vero non ingentia damna inferrent! Hinc enim innumera nascuntur mala, ex insano nempe pecuniæ amore, et ex rabie circa gemmas. Attamen licet tanta inde nascantur mala et damna, nullo modo segnes sunt ii, qui illis vacant, sed pericula adeunt laboremque multum suscipiunt, ut invenire possint id quod quærunt. In divinis autem Scripturis, et in spiritualibus et pretiosis illis lapidibus, neque periculum suspicari licet, neque multus est labor, sed lucrum ineffabile, si ea tantum quæ nostra sunt cum alacritate afferamus. Gratia enim est parata, quærens eos qui se cum alacritate suscipiant. Ita enim se habet Dominus noster: si viderit animam vigilem, et desiderium fervens, et ipse suas divitias largiter, ultra etiam quam petitum sit, suppeditat pro sua magnificentia.

II. Hæc igitur cum sciamus, dilectissimi, purificatis co-

gitationibus vestris a sæcularibus negotiis, et aperta mentis vestræ latitudine, magna alacritate suscipite quæ a Spiritu sancto suppeditantur : ut, sicut terra pinguis et ferax, multiplicetis concredita semina, et faciatis fructum, alius quidem centesimum, alius sexagesimum, alius trigesimum. Audistis superioribus diebus ineffabilem sapientiam ejus qui visibilia hæc omnia condidit, et quomodo verbo solum et placito omnia produxit. Dixit enim, « Fiat : » et factum est. Statimque producta sunt omnia : et satis fuit verbum ad ea quæ facta sunt constituenda; non quoniam simpliciter erat verbum, sed quia verbum Dei. Meministis eorum quæ tunc a nobis movebantur contra eos qui ex subjecta materia res factas esse contendunt, et in ecclesiastica scita, etiam sua deliria inferre non verentur. Didicistis cujus gratia cœlum quidem perfectum, terram autem informem produxerit. Duas enim tunc causas diximus : unam, ut in elemento præstantiori potentiam Domini agnoscentes, non ultra ambigeremus censentes propter impotentiam illud factum esse : alteram, quia terra mater et nutrix nostra facta est, et ex ipsa pascimur, aliisque omnibus fruimur, et ad ipsam redimus : ipsa enim nobis est et patria, et sepulcrum : et ne quis igitur ob utilitatem et necessitatem illius majus aliquid de ipsa sentiat, ostendit ipsam ab initio informem conditam : ut erudiamur per res ipsas prædicta omnia non naturæ telluris ascribenda, sed Conditoris virtuti. Didicistis item quomodo aquarum separationem fecerit, producto per jussionem suam visibili hoc firmamento : vidistis animalia viventia, et ex terra, et ex aqua edita. Hæc non absque causa et temere nunc charitati vestræ cogor repetere, partim ut auditorum animis hæc magis insideant, partim ut iis, qui tunc non affuere, idonea doctrina tradatur, nihilque damni absentia sua attulerit. Quia benignus pater etiam absentibus filiis reli-

quias mensæ reservat, ut cum advenerint, ex servato residuo suam absentiam consolentur. Unde et nos omnium qui huc confluunt non minorem quam membrorum nostrorum curam gerentes, et profectum vestrum nostram existimantes gloriam, cupimus omnes perfectos et consummatos fieri in gloriam Dei, et laudem Ecclesiæ, et nostram gloriationem. Ac nisi molestum est, paucis charitati vestræ hesterna etiam dicta in memoriam revocemus. Vidistis quanta diversitate homo et creaturæ aliæ conditi sunt : audistis quanto honore principem nostri generis dignatus sit : et in formatione ipsa quomodo per verba dictionumque crassitudinem declararit honorem formando tribuendum, dicens : « Faciamus hominem secundum ima» ginem nostram, et secundum similitudinem. » Didicistis quid sit secundum imaginem, nempe quod non sit substantiæ dignitas, sed dominii similitudo : et quod non secundum imaginem formæ, sed secundum rationem dominii dixerit : ideo et subdidit : « Et dominentur piscibus » maris, et volatilibus cœli, et bestiis, et reptilibus terræ. »

III. Verum hic Gentiles in nos insurgunt, et dicunt : « Compertum est hoc non esse verum. Non enim dominamur feris, quemadmodum pollicitus est, sed ipsæ nobis potius.» Imo non verum est quod hi objiciunt. Nam mox ut apparuerit homo, feræ fugam faciunt. Quod si aliquando, vel fame urgente, vel nobis illas lacessentibus, ab eis damnum accipiamus, hoc non fit ideo quod illis in nos sit imperium, sed ob culpam nostram. Nam cum latrones nos invadunt, si non negligamus, sed in illos arma sumamus, id non ideo fit quod imperium in nos obtineant, sed quòd nostræ saluti prospiciamus. Audiamus autem interim quæ sint dicta : « Faciamus hominem se» cundum imaginem nostram, et secundum similitudinem. » Sicut imaginem dixit ob imperii rationem, ita et similitu-

dinem, ut pro viribus humanis similes fiamus Deo ; mansuetudine, inquam, lenitate, et virtutis ratione, Deo similes efficiamur ; ut et Christus dicit : « Similes estote Patri vestro, » qui est in cœlis [1]. » Nam quemadmodum in terra hac spatiosa et lata, animantium alia mansuetiora sunt, alia ferociora : ita in latitudine animæ nostræ, cogitationum aliæ sunt irrationabiliores et ad pecudum morem accedentes, aliæ ferociores et agrestiores. Domandæ igitur illæ sunt, et rationis imperio subigendæ. Et quomodo quis cogitationem ferociorem compescat ? Quid dicis, homo ? Leones superamus, et animos eorum mansuetos facimus : et dubitas num animi ferociam in mansuetudinem mutare possis? Atqui natura bestiæ feroces sunt, et præter naturam mansuetæ : contra tu natura mitis, præter naturam autem ferox. An tu, qui bestiis id quod natura eis inest auferre, et quod eorum naturæ adversum inserere potes, id quod natura tibi præstitit, conservare non potes ? Et quantam hoc condemnationem non mereatur ? Jam quod his admirabilius est et insolentius, leonum naturæ et alia quædam difficultas inest ; rationis enim participes non sunt, et nihilominus videmus sæpe duci eos mansuetos per forum ; multique ex officinis nummos, ut mercedem artis et industriæ, cuipiam numerant, quod feram mansuefecerit : animæ vero tuæ ratio concessa est, et Dei timor, et undique adminicula : ne igitur prætextus et obtentus afferas. Potes enim, si vis, mansuetus esse, et placidus, et æquus. « Faciamus, inquit, hominem secundum imaginem nostram, » et secundum similitudinem. »

IV. Sed ad propositam quæstionem iterum redeamus. Ostenditur enim, ex iis quæ dicta sunt, hominem ab initio plenum et perfectum super bestias principatum habuisse. « Dominentur enim, ait, piscibus maris, et volatilibus

[1] Matth. v, 48.

» cœli, et feris, et reptilibus terræ. » Quod autem nunc terrori nobis sint bestiæ, et timeamus, et dominio excideri-mus, neque ipse nego, verum hoc non arguit falsam Dei promissionem. Nam ab initio res non ita se habebant; sed timebant et tremebant bestiæ, et venerabantur dominum. Ubi autem ex inobedientia fiduciam apud Deum amisimus, etiam principatus noster mutilatus est. Subjecta enim homini animalia omnia fuisse accipe ex Scriptura, quæ dicit : « Adduxit Deus bestias, et omnia bruta ad Adam, » ut videret quid vocaret ea. » Et cum videret juxta se bestias, non resiliit; sed tanquam dominus aliquis servis subditis nomina imposuit : « Et omne quod vocavit Adam, » inquit, hoc nomen est illi : » quod utique dominii signum. Ideo Deus ut doceret ipsum potentiæ suæ dignitatem, nominum impositionem illi permisit. Atque hæc quidem satis indicant ab initio feras homini terribiles non fuisse. Est tamen aliud quiddam non minus, imo et hoc argumento manifestius. Et quodnam hoc? Colloquium serpentis cum muliere. Nam si terribiles fuissent homini bestiæ, mulier serpente conspecto non mansisset, neque consilium accepisset, neque cum tanta securitate illi locuta fuisset, sed statim ad aspectum illius obstupefacta, profugisset. Verum nunc colloquitur, nec metuit : nondum enim erat timor ille. Cæterum ubi peccatum intravit, ablata est hæc dignitas et potestas. Et quemadmodum inter servos fieri solet, ut probatiores et honestiores conservis terrori sint, qui autem deliquerunt, socios et servos timeant : sic et in homine factum est. Nam salva manente illius fiducia apud Deum, terribilis erat et bestiis : ubi autem impegit, timere cœpit etiam conservorum extremos. Quod si quæ dicimus non feras, demonstra tu mihi ubi terribiles ante peccatum fuerint homini bestiæ? sed non poteris. Quod si postea subiit timor, etiam hoc Dei benig-

nitatis maximum argumentum est. Nam si postquam homo mandatum transgressus est, integer illius mansisset honor et immobilis, haud facile a lapsu resurrexisset. Quandoquidem cum inobedientes et obedientes homines pari dignitate fruuntur, nequitiæ assuefiunt magis, nec facile ab ea desistunt. Cum enim nunc tot instantibus terroribus, pœnis, et suppliciis non emendantur, quales fuissent si nihil pro delictis suis grave passi essent? Atque ita imperium nobis a Deo, quod magnam nostri curam et providentiam gereret, est ablatum.

V. Tu autem, charissime, et jam inde benignitatem Dei ineffabilem considera, quomodo Adam totum mandatum subverterit, et totam legem transgressus sit: benignus autem Deus, bonitate sua nostra delicta superans, non totum honorem abstulerit, neque toto dejecerit principatu: sed ea dumtaxat animalia a nostra potestate abduxerit, quæ non multum ad hujus vitæ utilitatem nobis conducunt: quæ vero vitæ nostræ multum serviunt, et utilia necessariaque sunt, ea in servitute et subjectione sua dimiserit. Reliquit ergo nobis boum armenta, ut aratrum trahamus, terram sulcemus, seramus. Reliquit et subjugalium multa genera, ut nos adjuvent ad utilia quæque convehenda. Reliquit ovium greges, ut haberemus quæ ad vestiendum nos sufficerent. Reliquit et alia animantium genera, unde multa nobis suppeditantur commoda. Nam quia puniens hominem ob inobedientiam, dixerat: «In »sudore faciei tuæ vesceris pane tuo [1]; » ut ne sudor et labor hic noster intolerabilis foret, sudoris molestias, et laboris onus alleviavit jumentorum multitudine, quæ una nobiscum laborant, et molestias ferunt: idem faciens quod benignus et prudens paterfamilias, qui, flagellato servo, etiam curam quamdam congruam flagellis adhibet;

[1] Gen. III, 19.

sic et Deus, ut condemnavit peccatorem, leniorem etiam condemnationem esse voluit : et nobis ad sudorem et laborem perpetuum damnatis, subsidiaria fecit multa brutarum genera. Atque ita, quod honorem nobis dedit, et rursus abstulit : et bestiarum nobis metum immisit; et omnia, si quis diligenter et cordate inquirat, offendet plena sapientiæ, providentiæ, et benignitatis. Quocirca pro his omnibus gratias ei summas agamus, qui tanta apud nos beneficia collocavit. Neque enim grave aliquid et onerosum a nobis requirit : sed solum ut testemur et fateamur tanta beneficia, et pro his gratias referamus : non quod ipse his egeat, qui nulla re indiget : sed ut nos discamus auctorem bonorum nobis conciliare, et non ingrati simus, sed dignam tantis beneficiis et providentia virtutem afferamus. Nam sic ipsum ad majorem nostri sollicitudinem provocabimus. Oro igitur, ne desides simus, sed unusquisque pro virili supputet apud se singulis horis, non solum communia beneficia, sed et privata in se collata : non ea tantum quæ omnes fatentur, et quæ omnibus manifesta sunt, sed et propria, ac plerosque latentia. Sic enim ad continuam gratiarum actionem Domino referendam incitabitur. Hoc maximum sacrificium, hæc perfecta oblatio est, hoc fiduciæ erga Deum nostræ argumentum et causa est. Et quomodo ego dicam? Qui enim hæc continuo in mente sua versat, et suam tenuitatem accurate novit, et eminentem divinam benignitatem cogitat; quomodo nempe non attendens quid mereantur peccata nostra, sed quid sua bonitas postulet, ita res nostras dispenset; is nimirum mentem deprimit; cor conterit; omnem fastum et arrogantiam castigat; discit modeste agere, contemnere præsentis vitæ gloriam, ridere visibilia omnia, cogitare futura bona vitamque immortalem ac nunquam finiendam. Qui autem sic afficitur animo, verum et

acceptum sacrificium Deo offert, sicut Propheta dicit : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et » humiliatum Deus non despiciet [1]. » Cordatos enim famulos non tam pœnæ et supplicia emendant, ut beneficia, et quod noverint se non secundum delictorum merita pœnam luere.

VI. Conteramus igitur, obsecro, animum nostrum; humiliemus mentem, et nunc maxime cum hoc jejunii tempus multa nobis ad hoc præbet subsidia. Nam si ita affecti fuerimus, poterimus et magna attentione preces fundere, et confitentes peccata multam gratiam superne obtinere. Et ut sciatis tales animas Deo placere, audi ipsum dicentem : « Ad quem respiciam, nisi ad humilem, et quietum, » et trementem sermones meos [2] ? » Idcirco et Christus ita loquebatur : « Discite a me, quia mitis sum, et humilis » corde, et invenietis requiem animabus vestris [3]. » Nam qui vere seipsum humiliat, nunquam poterit ira commoveri, et proximo succensere; anima ejus in suî consideratione occupata et intra seipsam humiliata. Anima autem quæ sic se habet, quid esse possit beatius ? Quicumque talis est, is in portu continuo sedet ab omni tempestate liber, et oblectatur in cogitationum tranquillitate. Ideo Christus dicebat : « Et invenietis requiem animabus ves- » tris. » Itaque sicut qui affectiones illas sopivit, multa requie fruitur : ita deses et supinus, et qui nequit affectus suos, ut decet, moderari, perpetuo perturbationibus obnoxius est, domi bellum habet, nemine præsente turbatur, et gravem sustinet tempestatem : propterea fluctibus se extollentibus, et exorientibus malorum spirituum procellis, sæpe navi ob imperitiam gubernatoris demersa, simul ipse submergitur. Proinde docet nos esse sobrios, et vigiles, et perpetuam indesinentemque animæ nostræ sollicitudinem habere. Christiani enim est adversus concupis-

[1] Psal. L, 19. — [2] Isaï. LXVI, 2. — [3] Matth. XI, 29.

centias carnis semper in acie stare, leges Domini nostri nobis datas semper habere præsentes, et his muniri atque illius tolerantia non abuti, neque expectare, donec reipsa iræ illius periculum faciamus, ut tunc humiliemur, ut ne et de nobis dicatur : « Cum occideret eos, tunc inquirebant eum [1]. » Cum igitur adjumento nobis nunc sit jejunii tempus, charissimi, omnes ad confessionem peccatorum nostrorum festinemus, et ab omni malitia abstinentes, exerceamus virtutes omnes. Nam sic et beatus propheta David docet his verbis : « Declina a malo, et fac bonum [2]. » Quod si in hunc modum vitam nostram instituerimus, et abstinentiæ ciborum abstinentiam a vitiis adjunxerimus, poterimus et nos majori fiducia frui, et uberiorem a Deo benignitatem obtinere et in præsenti vita, et in futuro illo die terribili, precibus et intercessionibus eorum qui ipsi maxime placuerunt : gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. LXXVII, 34. — [2] Id. XXXVI, 27.

HOMILIA X.

Exhortatio ad eos quos pudet post cibum sumptum accedere ad concionem vespertinam : et in reliquum textum post, Faciamus hominem secundum imaginem nostram, et secundum similitudinem : *Et de his verbis*, Et fecit Deus hominem; secundum imaginem Dei fecit illum : masculum et fœminam fecit illos[1].

I. Minor hodie nobis conventus adest, et angustius confluentium theatrum. Cur, et qua de causa? Fortassis aliqui erubuerunt, post sensibilem mensam ad spirituale hoc venire convivium, et hæc ipsis est absentiæ causa : sed audiant Sapientem quemdam dicentem : « Est confusio quæ » inducit peccatum, et est confusio gloria et gratia[2]. » Non est confusione dignum eum, qui corporalis mensæ particeps fuit, ad spirituale convivium venire. Non enim ut humanæ res, ita et spirituales definitis temporibus distinctæ sunt. Sermoni enim spirituali omne diei tempus idoneum fuerit. Et quid dico diei tempus? Neque si nox ingruat, spiritualem doctrinam impedit. Propterea et Timotheo hæc scribebat Paulus : « Insta opportune, im- » portune : argue, increpa, obsecra[3]. » Et iterum audi beatum Lucam dicentem : « Discessurus crastino Paulus a » Troade, disserebat eis, et sermonem produxit usque ad » mediam noctem[4]. » Numquid tempus obfuit, dic, quæso? Num doctrinæ sermonem præcidit? Vigilans et attentus auditor etiam pransus, hoc spirituali conventu dignus est :

[1] Gen. I, 26. — [2] Eccli. IV, 25. — [3] 2 Tim. IV, 2. — [4] Act. XX, 7.

parique modo supinus et deses, etiamsi jejunus permaneat, nihil inde utilitatis capiet. Et hæc dico, non ut jejunii rigorem solvam; absit; nam multum laudo proboque jejunantes: sed ut doceam, sobrio quodam animo, non consuetudine, ad spiritualia esse accedendum. Non enim turpe fuerit eum, qui cibum antea accepit, adesse spirituali doctrinæ; sed ignavo animo adesse, et ab affectionibus vexari, et carnis lascivias non comprimere. Non malum est comedere; absit: sed gula damnosa est, et impleri plus quam satis, ac disrumpere ventrem: id quod ipsam etiam illam, quæ ex cibo haberi potest, voluptatem offendit; quemadmodum nihil mali est, vinum ad mensuram bibere, sed ebrietati se dedere, et intemperantia judicium rationis subvertere. Etenim, dilecte, si ob corporis imbecillitatem non potes jejunus diem producere, nullus qui sapiat propter hoc te arguere poterit. Dominum enim habemus mansuetum ac benignum, et nihil supra vires nostras a nobis exigentem. Neque enim abstinentiam a cibis et inediam simpliciter a nobis exigit; neque hoc ipsum, ut jejuni solummodo permaneamus: sed ut a sæcularibus operibus nos abdicantes, omne nostrum otium in spiritualibus consumamus. Nam si sobria mente vitam nostram instituerемus, et quidquid otii datur, in spiritualia impenderemus, et cibos ita sumeremus, ut tantum sumeremus, quantum usus exigit, et vitam totam in bonis operibus dispensaremus, jam nullo opus esset ex jejuniis adjumento. Sed quia negligens est humana natura, et deliciis gaudet, et relaxationes quærit, idcirco tanquam ad amorem prolis propensus pater, clemens Dominus hanc ex jejunio medicinam excogitavit, ut et delicata e medio tollantur, et sæcularium curam ad spiritualia opera transferamus. Si igitur sunt aliqui præsentes, quos corporis vetat infirmitas jejunos et impransos permanere; eos hortor ut corporis infirmitatem

curent, et spirituali hac doctrina non solum non priventur, sed et pransi plus exhibeant studii.

II. Sunt enim, sunt profecto viæ, quibus fiduciæ ad Deum januæ aperiri possunt, multo majores quam ciborum abstinentia. Igitur qui cibum accipit et jejunare non valet, largiorem det eleemosynam, ferventior sit in precibus, majorem habeat alacritatem in audiendis divinis eloquiis, in quibus corporis infirmitas nihil obstare potest : inimicis reconcilietur, omne odium et vindictæ cupiditatem ex animo eliminet. Si hæc fecerit, verum jejunavit jejunium, quod a nobis potissimum exposcit Dominus. Propterea enim hanc a cibis abstinentiam adhiberi præcipit, ut refrenantes carnis lascivias, eam obsequentem reddamus ad mandata Dei implenda. Quod si ob infirmitatem corporis subsidium hoc, quod jejunium præstat nobis, adhibere nolumus, et desidiæ deditiores sumus, maxima nobis ipsis damna imprudentes afferimus. Nam si jejunium, absentibus aliis prædictis operibus, nihil nobis prodest, multo magis, si cum jejunii pharmaco uti non possimus, graviorem negligentiam exhibuerimus. Hæc autem cum a nobis didiceritis, oramus vos, qui jejunare valetis, ut ipsi quantum poteritis, bonam et laudabilem hanc vestram augeatis diligentiam. « Quanto enim externus noster homo corrum» pitur, tanto internus renovatur [1]. » Jejunium enim corpus comprimit, et lascivias inordinatas refrenat, animam autem clariorem efficit, alis instruit et sublimem levemque facit. Fratres quoque vestros, quotquot ob corporis valetudinem jejunare nequeunt, exhortemini ne spiritualem hanc mensam relinquant; et ad illos referte quæ a nobis didiceritis, indicantes eum, qui moderate comedit et bibit, non indignum hoc auditorio esse, sed eum qui deses et dissolutus sit. Et dicite eis apostolicum hoc dic-

[1] 2 Cor. IV, 16.

tum : « Et qui manducat, Domino manducat : et qui non » manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo [1]. » Igitur qui jejunat, gratias agit Domino, qui vires ei tribuit ad ferendos jejunii labores : et qui manducat, iterum gratias agit Deo, quia id nihil ipsum lædere potest, quominus animæ salutem agat, modo velit. Tot enim nobis vias paravit benignus Deus, quot enarrare non possumus, per quas, si voluerimus, summam fiduciam assequi licet. Hæc propter absentes dixisse sit satis, ut tollatur eis pudoris obtentus, et sciatur non oportere propter hoc pudore suffundi : neque enim comedisse, pudorem nobis affert, sed mali quidpiam egisse. Peccatum magna turpitudo est : si hoc admittimus, non solum erubescere deberemus, sed et nos occultare, et miseros dicere nos ipsos non minus, quam qui in scopulum impegerunt : imo neque tunc despondere animum, sed ad confessionem et resipiscentiam festinare debemus. Hujusmodi enim est Dominus noster, qui nihil aliud requirit, admisso peccato, si quando per ignaviam deliquimus, quam ut errata confiteamur, nec ultra progrediamur, vel in eadem recidamus. Cæterum cum cibo nostræ mensuræ congruenti utimur, nunquam erubescamus. Nam Dominus nos tali corpori conjunctos esse voluit, quod aliter consistere nequit nisi cibo pascatur; modo cibum nimium ne sumamus, id quod nobis ad sanitatem et corporis bonam habitudinem plurimum conducit. Annon videtis quotidie ex sumptuosis mensis et immodica ingluvie infinita morborum genera induci? Unde podagræ? unde capitis dolores? unde corruptorum humorum abundantia? unde innumeri alii morbi? Nonne ab intemperantia et largiore, quam par sit, vini potu? Nam sicut navis, quæ aquis ita impletur, ut exhauriri nequeat, statim submergitur : ita et homo, quando crapulæ et ebrietati seipsum

[1] Rom. XIV, 6.

dedidit, in præceps vadit, et rationem suam submergit, denique jacet quasi vivum cadaver, ad mala quidem operanda sæpe habilis, ad bona autem omnia nihilo se melius habens, quam mortui.

III. Idcirco obsecro ut, secundum beatum Paulum, « carnis curam ne agatis ad concupiscentias [1], » sed ut possitis subsistere, et majori alacritate rebus spiritualibus operam dare. Hæc omnia fratribus vestris dicite, et suadete illis ne unquam spirituali hoc alimento se privent; sed etsi pransi sint, veniant omni cum alacritate, ut accepta hic spirituali doctrina, diabolicis insidiis fortiter resistere possint. Cæterum vobis consuetam spiritualem mensam nos apponamus, charitatis vestræ in audiendis divinis studium sic remuneraturi, et debitum quod promisimus exoluturi. Scitis enim omnino, et meministis nos de hominis formatione dicere cœpisse, et angustia temporis præpeditos, lectionem totam perficere non valentes, in doctrina de ferarum utilitate finem fecisse, ostendentes hominem propter inobedientiam a principatu, quem prius super eas habebat, excidisse. Unde hodie quod reliquum est reddemus, atque ita hinc vos dimittemus. Et ut manifestior vobis sermo noster sit, operæ-pretium fuerit meminisse, ubi tunc missum fecerimus sermonem, ut inde facto initio, quæ reliqua sunt impleamus. Ubi igitur finem dicendi fecimus? Cum diximus de illis verbis: « Faciamus hominem »secundum imaginem nostram, et secundum similitudi»nem, et dominentur piscibus maris, et volucribus cœli [2], » quia tunc sermo prolixior fuit, et natum est nobis pelagus quoddam sententiarum, nec concessum, ut ulterius progrederemur, sed hactenus producto sermone sequentia non attigimus. Unde nunc necessarium, ut charitati vestræ quæ sequuntur legantur, ut scire possitis quænam vobis dic-

[1] Rom. XIII, 14. — [2] Gen. I, 26.

turi simus. Statim igitur divina Scriptura subdidit : « Et fe- » cit Deus hominem : secundum imaginem Dei fecit illum. » Masculum et fœminam fecit illos. Et benedixit illis Deus, » dicens : Crescite et multiplicamini et implete terram, et do- » minemini ei : et dominemini piscibus maris, et volatilibus » cœli, et omnibus pecoribus, et omni terræ, et omnibus » reptilibus repentibus super terram[1]. » Pauca sunt verba, sed magnus reconditus thesaurus in tam paucis verbis. Spiritu enim loquens beatus hic Propheta, nunc nos arcana quædam docere vult. Nam postquam dixit : « Faciamus ho- » minem ; » et consilium, et, ut ita dicam, studium adhibuit omnium Opifex, ut hoc schemate formandi hominis dignitatem ostenderet, et ante formationem etiam doceret, quantum principatum formando homini daturus esset. Itaque dixit : « Faciamus hominem secundum imaginem nos- » tram, et secundum similitudinem : » subdidit, « Et do- » minentur piscibus maris. » Vide quomodo statim ab initio latentem nobis thesaurum demonstrat. Spiritu enim divino loquens Propheta, quæ nondum subsistebant, quasi subsistentia et facta videt. Quare ergo, dic, obsecro, ut dixit : « Faciamus hominem ; » nunc dicit : « Et dominentur ? » Occultum nobis sacramentum hic jam consequenter declarat. Quinam dominentur ? Mulieris videlicet innuens formationem, hoc dixit. Vides quomodo nihil inest divinis Litteris temere et absque causa positum ? Etiamque verbum quod fortuitum videri posset, magnum thesaurum in se latentem continet.

IV. Et ne mireris, dilecte, quod dictum est. Mos enim hic est Prophetarum omnium, de nondum factis ut de factis loqui. Quia enim mentalibus oculis videbant quæ post multorum annorum curricula erant futura, idcirco quasi nunc ob oculos posita spectarent, ita cuncta narrabant. Et

[1] Gen. I, 27, 28.

quo manifeste hoc scias, audi beatum Davidem dicentem, et ante tot sæcula vaticinantem de cruce Christi, et clamantem : « Foderunt manus meas et pedes meos ; » et iterum ; « Diviserunt vestimenta mea sibi [1]. » Vides quomodo post longum tempus futura, quasi jam facta prædixit? Sic et beatus hic Propheta jam insinuans nobis mulieris formationem, ænigmatice et obscure dicit : « Et » dominentur piscibus maris. » Et progressus ultra manifestius inquit : « Et fecit Deus hominem : secundum imaginem » Dei fecit illum. Masculum et fœminam fecit illos. » Animadverte quanta usus est accuratione, semel atque iterum idem dicens, ut in mentibus auditorum bene reponi possint quæ dicuntur. Nisi enim hoc ei curæ fuisset, sufficiebat dicere : « Et fecit Deus hominem : » sed iterum apponit : « Secundum imaginem Dei fecit illum. » Postquam enim nos docuit per præcedentia, quid sit « secundum ima» ginem : » denuo ea de causa hic eumdem repetit sermonem, et dicit : « Secundum imaginem Dei fecit eum. » Et ut ne impudentem quidem defensionis prætextum relinquat Ecclesiæ dogmata impugnare volentibus, paululum progressus idem iterum docet quod ideo imaginis nomine usus sit, quod imperaturus, et sub se creaturas omnes habiturus esset. Jam videamus quid dicit : « Et fecit Deus homi» nem : secundum imaginem Dei fecit illum. Masculum et fœ» minam fecit illos. » Id quod supra insinuaverat, dicens ; « Et » dominentur : » hic manifestius dixit, idipsum tamen reconditiori modo nos docens : nondum enim de formatione docuerat, neque dixerat unde mulier producta. « Masculum, » inquit, et fœminam fecit illos. » Vidisti quomodo, quod nondum factum, quasi jam factum narravit? Hujusmodi sunt oculi spirituales : neque enim tantum præstare possunt corporales hi oculi, qui visibilia cernunt, quantum oculi

[1] Psal. xxi, 17, 19.

spiritus, qui ea, quæ non videntur neque subsistunt, videre possunt. Igitur ut dixit : « Masculum et fœminam fecit il- » los : » quasi utrique benedictionem daret, dicit : « Et be- » nedixit illis Deus, dicens : Crescite, et multiplicamini et » implete terram, et dominamini illi, et imperate piscibus » maris. » Ecce quam eminens benedictio. Nam hoc, « Cres- » cite, et multiplicamini, et implete terram, » etiam de brutis animalibus, et reptilibus dictum est : sed, « Domi- » namini, et imperate, » de viro et muliere dictum. Vide benignitatem Domini : antequam mulierem producat, participem illam facit imperii, et benedictionis honore dignatur. « Et imperate, ait, piscibus maris, et volatilibus » cœli, et omnibus pecoribus, et universæ terræ : et omni- » bus reptilibus, quæ repunt super terram. »

V. Vidisti inenarrabilem potestatem? vidisti principatus magnitudinem? vidisti condita omnia sub hujus potestatem redacta? Nihil posthac mediocre de rationali hoc animali imagineris, sed cogita honoris magnitudinem, et Domini erga illud benevolentiam, obstupescens illius immensam et inenarrabilem benignitatem. « Et dixit Deus : » Ecce dedi vobis omnem herbam sativam; seminans se- » men quod est super terram : et omne lignum quod habet » in seipso fructum seminis sativi, vobis erit in cibum. » Et omnibus feris terræ, et omnibus volatilibus cœli, et » omni reptili repenti super terram, quod habet in seipso » animam vitæ, et omnem herbam viridem in cibum. Et » factum est ita [1]. » Vide, obsecro, charissime, verborum diligentiam, et ineffabilem Dei benignitatem, et ne quid dictorum simpliciter prætereas. « Et dixit, inquit, Deus : » Ecce dedi vobis omnem herbam sativam : » quasi ad duos sermo fit, quamvis nondum muliere producta. Deinde ut discas excellentem ejus bonitatem, vide quomodo eminen-

[1] Gen. I, 29, 30.

tem benignitatem, et miram liberalitatem, non in viro et muliere nondum formata solum declaret, sed et in ipsis brutis. Nam ut dixit: « Vobis erit in cibum, » subdidit, « Et omnibus bestiis terræ. » Vide iterum aliam abyssum benignitatis : non enim solum brutis domesticis, et nostro usui servientibus, vel ad cibum, vel ad ministerium, sed et feris prospexit. Ecquis pro dignitate attigerit immensam istam bonitatem? « Vobis erit in cibum, inquit, et omnibus » bestiis terræ, et omnibus volatilibus cœli, et omni reptili » repenti super terram, quod habet in semetipso animam » vitæ, et omnem herbam viridem in cibum. » Magna Domini erga hominem, quem condidit, ostenditur providentia : nam postquam ipsum produxit, et omnis creaturæ dominium ipsi tradidit, ut ne statim ab initio jumentorum multitudinem videns stomachari possit, quasi non sufficeret ad alenda tot et tanta animalia; priusquam de hoc vel cogitaret, bonus Deus præveniendo demulcens eum, ut ita dicam, et ostendens tam ipsum, quam jumenta et bruta omnia, præcepto Domini omnem copiam ad hæc alenda, terra suppeditante, esse habituros, postquam dixit : « Erit » vobis in cibum; « mox subjunxit, » Et omnibus bestiis » terræ, et volatilibus cœli, et omni reptili repenti super » terram, quod habet in semetipso animam vitæ, et omnem » herbam viridem in cibum. Et factum est ita. » Omnia quæcumque imperavit Conditor, inquit, opere perfecta sunt, et omnia congruenti ordine sunt constituta; propterea statim subdit : « Et vidit Deus omnia quæcum- » que fecit, et ecce bona valde. »

VI. Quis pro dignitate laudarit divinæ Scripturæ diligentiam? Ecce enim et hic verbo uno dicens : « Et vidit Deus » omnia quæcumque fecit, » linguam omnium postea contradicere conantium compescuit. « Et vidit Deus, inquit, » omnia quæcumque fecit, et erant valde bona. Et facta

» est vespera, et factum est mane dies sextus [1]. » Quoniam enim de unaquaque creatura dicebat, « Et vidit Deus » quod esset bonum : » nunc quando omnia completa sunt, et diei sexti opera finem acceperunt, et qui creaturis omnibus fruiturus erat, productus est, inquit : « Et vidit » Deus omnia quæcumque fecit, et ecce valde bona. » Considera quomodo creaturas omnes hoc verbo, « omnia, » simul complexus, omnes simul laude prosecutus est. Neque enim ut dixit, « omnia, » contentus fuit eo verbo; sed subdidit, « Quæcumque fecit. » Et neque hæc tantum dixit : sed, « Et ecce bona, et valde bona, » hoc est, admodum bona. Igitur cum Dominus, qui res ex nihilo ut essent produxit, eas valde bonas, et admodum bonas dicit, quis, etiamsi insania sit plenus, vel os aperire, et contradicere Dei verbis audeat? Quoniam enim in visibilibus non solum lux creata est, sed et tenebræ adversæ luci : et non solum dies, sed et nox contraria diei : et in seminibus quæ ex terra nascuntur, non solum herbæ utiles, sed et perniciosæ : et arbores non solum fructuosæ, sed et infructuosæ : et animalia non solum mansueta, sed et sylvestria et truculenta : et in iis quæ aquæ produxerunt, non solum pisces, sed et cete, et aliæ marinæ belluæ; et terra non solum habitabilis, sed et inhabitabilis; et non solum plani campi, sed etiam montes et colles; et inter aves, non solum domesticæ et ad cibum aptæ, sed et feræ, et immundæ, et milvi, et vultures, et alia similia multa : præterea in iis quæ terra profert, non tantum mansueta et innoxia animalia, sed et serpentes, et viperæ, et dracones, et leones, et pardi; et in aëre non solum pluviæ et venti utiles, sed et grandines et nives; et si quis singula pertractare velit, multa in unaquaque creaturarum inveniet, quæ non solum non utilia, sed et dam-

[1] Gen. I, 31.

nosa existimentur; ideo ut nulli posthac liceat creaturas respicienti opificia vituperare ac dicere : « Quare hoc, et ad quid istud? hoc bene factum est, hoc non bene; » ideo sacra Scriptura omnes, ut ita dicam, ingrate obloqui audentes compescens, sexto die absolutis creaturis omnibus, inquit : « Et vidit Deus omnia quæcumque fecit, et ecce » valde bona. » Quid igitur, obsecro, par fuerit tam fidelibus testimoniis, quando ipse Creator sententiam fert, et dicit omnia quæcumque facta sunt, bona esse, et valde bona? Quocirca cum videris aliquem, qui suis ratiociniis motus, obloqui divinæ Scripturæ audeat, eum quasi insanum aversare; imo ne averseris, sed misertus ignorantiæ ejus, produc id quod ait divina Scriptura, et dic : « Vidit » Deus omnia quæcumque fecit, et dixit : Ecce valde » bona; » et fortassis indomitam illius linguam continere poteris. Nam si in humanis rebus cum videmus viris quibusdam optimatibus ea quæ fiunt probari, calculo illorum non obsistimus, sed astipulamur, et illorum sententiam proprio judicio præferimus; multo magis erga Deum omnium visibilium opificem ita nos gerere decet; et cum didicerimus ejus sententiam, nostra comprimere ratiocinia, neque aliquid ultra aggredi; sed scire et persuasum habere omnia ratione quadam, et pro benignitate sua, ab ipso producta fuisse, nihilque temere et sine causa factum esse; verum licet nos ob nostræ rationis imbecillitatem ignoremus opificiorum utilitatem, ipsum tamen secundum suam sapientiam et solertissimam benignitatem omnia produxisse.

VII. « Et facta est, inquit, vespera, et factum est mane, dies » sextus. » Fini diei sextæ etiam finem formandi creaturas addidit, et propter hoc subdidit : « Et perfecta sunt cœlum, » et terra, et omnis ornatus eorum [1]. » Considera quam nihil sit superfluum, nihilque redundans in divinis Litteris. Post-

[1] Gen. II, 1.

quam elementorum cuncta complectentium meminit, non ultra minutatim reliqua commemorat, sed ut dixit : « Per» fecta sunt cœlum et terra, » addit, « Et omnis ornatus eo» rum : » quo significat omnia et quæ in cœlo, et quæ in terra. Ornatus enim terræ sunt ea quæ ab illa proferuntur, ut herbarum germina, fructuum proventus, arborum fructus, aliaque omnia quibus illam Opifex ornavit : ornatus iterum cœli, sol, luna, stellarum varietas, creaturæque omnes intermediæ. Et idcirco sacra Scriptura cœlum terramque commemorans, omne Dei opificium per hæc elementa complexa est. « Et perfecit, inquit, Deus die sexto opera » sua quæ fecit. » Considera quomodo semel et iterum idem dicit, ut discamus intra sextum diem absoluta fuisse omnia. « Perfecit enim, inquit, die sexto opera sua quæ fecit, et » requievit die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit [1]. » Quid est quod dicit : « Et requievit Deus die septimo ab » operibus suis quæ fecit ? » Vide quomodo humano more, et quadam attemperatione ad nostram imbecillitatem divina Scriptura omnia loquatur : alioqui nisi hac ratione usa fuisset, non potuissemus aliquid dictorum ejus intelligere. « Et » requievit, inquit, Deus die septimo ab omnibus operibus » suis quæ fecit. » Substitit, inquit, et cessavit a formandis producendisque ex nihilo rebus. Omnia enim quæcumque oportebat produxerat, et eum, qui his fruiturus erat, formaverat. « Et benedixit, inquit, Deus diem septimum, et sanc» tificavit illum, quia in illo requievit ab omnibus operi» bus suis quæ cœperat Deus facere [2]. » Nam postquam substitit Opifex, et omnia quæcumque voluit, secundum benignitatem suam suo præcepto produxit in medium, tunc finem formandi fecit die sexto ; cum nihil aliud die septimo producere vellet, eo quod omnia, quæ facere voluerat, jam perfecta essent ; ut haberet etiam dies ille

[1] Gen. II, 2. — [2] Ibid. 3.

prærogativam aliquam, et ne videretur minus aliquid obtinere, eo quod nihil in eo factum esset, benedictione ipsum dignatus est. « Et benedixit, inquit, Deus diem sep» timum, et sanctificavit illum. » Quid igitur? non erant et cæteri dies benedicti? Etiam profecto, sed sufficiebat illis pro omni benedictione, quod in singulis illis creaturæ productæ fuissent : et ideo de illis non inquit, « bene» dixit; » in solo autem septimo hoc dixit, et apposuit : « Et » sanctificavit illum. » Quid est, « Et sanctificavit illum ? » id est, illum segregavit. Deinde docens nos divina Scriptura causam propter quam dixit, « Et sanctificavit il» lum, » adjicit, « Eo quod in illo requieverat ab omnibus » operibus suis quæ cœperat Deus facere. » Jam hinc ab initio doctrinam hanc ænigmatice nobis insinuat Deus, erudiens nos in circulo hebdomadis diem unum integrum segregandum, et consecrandum spiritualium operationi. Ideo enim Dominus, completo sex diebus opificio suo, septimum benedictione dignatus est, et sanctificavit, eo quod in illo quieverat ab omnibus operibus suis quæ facere cœperat. Verum hic iterum video immensum nobis sententiarum pelagus nasci, quod simpliciter præterire nolim, quin et vos harum spiritualium mercium participes fieri cupio. Quæ igitur illa est, quæ hinc oritur quæstio ? divina Scriptura hic dicente Deum requievisse ab operibus suis, in Evangeliis Christus inquit, « Pater meus » usque modo operatur, et ego operor [1]. » Non videntur tibi ex verborum serie hæc dicta esse contraria? sed absit : nihil hic contrarium iis quæ in sacris Scripturis continentur. Nam hic quidem cum Scriptura dicit requievisse Deum ab operibus suis, docet nos eum a creando, et ex nihilo res producendo, requievisse die septimo : Christus autem dicens : « Pater meus usque modo operatur, et ego

[1] Joan. v, 17.

» operor, » perpetuam suam providentiam nobis declarat, et operationem vocat conservationem opificiorum, quibus largitur ut permaneant, dum omni tempore gubernat. Nisi enim hoc esset, quomodo universum subsisteret ac duraret, non gubernante et dirigente superna manu cum visibilia hæc omnia, tum humanum hoc genus? Et si quis voluerit prudenter et speciatim inspicere omnia quæ quotidie in nostrum beneficium ab omnium Opifice perficiuntur, abyssum inveniet benignitatis. Quis enim sermo, quæ mens ad ineffabilem hanc bonitatem pertingere poterit, quam humano generi perpetuo ostendit, « oriri faciens » solem suum super malos et bonos, et pluens super justos » et injustos [1], » omnemque aliam copiam suppeditans? Forte longius quam oportebat, sermonem produximus : verum hoc non absque ratione, neque temere factum est; sed ut absentes ex vobis discant, quantum sibimetipsis damni fecerint, ob corporalem cibum semetipsos a spirituali doctrina subducentes. Cæterum ne nimium doleant, fraterna illos benevolentia prosequamini, recensentes ipsis quæ a nobis dicta sunt. Hoc enim sinceræ charitatis argumentum. Nam si inter magna charitatis indicia habent, qui ita de sensibilibus eduliis hoc suis familiaribus faciunt; multo magis in spiritualibus hoc agendo, magnam nobis laudem paramus; redit enim ad nos ipsos utilitas. Nam cui studium est docere proximum, is non tam illi benefacit, quam sibiipsi magnam mercedem parat, duplicique augetur lucro, dum majus a Deo præmium assequitur, et dum fratrem docere aggreditur, docendo interim sibiipsi memoriam eorum quæ audivit, renovat.

VIII. Igitur cogitantes tantum lucrum vestrum, ne invideatis fratribus vestris, sed a vobis discant quæ nunc a nobis dicuntur. Ne autem posthac vestro beneficio obnoxii

[1] Matth. v, 4.

hæc discant, ducite illos ad nos, persuadentes ipsis nihil obesse spirituali mensæ, si præcedat corporalis cibi sumptio : sed omne tempus spirituali sermoni idoneum esse reputandum. Hæc si recte teneamus, poterimus et domi versantes, ante et post convivium acceptis in manibus divinis libris, utilitatem inde capere, et spiritualem cibum animæ præbere. Nam sicut corpus indiget sensibili cibo, ita et anima quotidiana admonitione et spiritualium ciborum refocillatione : ut roborata resistere possit carnis rebellioni, et continuo bello, quo urgemur, quodque animam nostram in servitutem redigit, si vel parum desides esse voluerimus. Proinde propheta David beatum illum dixit, « qui in lege Domini meditatur die ac nocte [1]. » Et beatus Moses judaïcum populum docens, ait : « Cum co-» mederis et biberis, et satiatus fueris, memor esto Do-» mini Dei tui [2]. » Vides quomodo et tunc potissimum par sit, post sumptum nempe corporalem cibum, spirituale convivium nobis apponi : ut ne post satietatem cibi corporalis, anima torpens et deses in perniciem aliquam ruat, et locum det diaboli machinationibus, qui omnes temporis articulos observat, ut letale nobis vulnus inferat? Et iterum alio loco dicebat idem ille Propheta : « In lecto » cubantes et exurgentes mementote Domini Dei vestri [3]. » Vidisti nunquam nos decere hanc memoriam ex anima nostra excludere, sed insculptam in conscientia habere, ac in perpetua sollicitudine vivere; nullasque unquam admittere inducias : imo ut bene scientes quantus sit furor inimici nostri erga nos, sobrios esse et vigilare, et omnes aditus illi præcludere, et nunquam spiritualem negligere alimoniam? Hæc nostra salus est, hæ spirituales divitiæ, hæc securitas. Si sic nos ipsos quotidie muniamus, et per lectionem, et per auditum, et per spiritualem sermo-

[1] Psal. I, 2. — [2] Deut. VIII, 10. — [3] Id. VI, 7.

nem, sic poterimus ipsi invicti esse, et maligni dæmonis technas eludere, cœlestiaque assequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XI.

Quod oporteat virtutem magnifacere Sanctosque imitari, qui cum ejusdem cujus nos naturæ essent, eam accurate sectati sunt. Et quod si segnes fuerimus, nullam excusationem habituri simus.

I. Scio me superioribus diebus mentem vestram profundioribus sententiis exercuisse : eam ob rem hodie animus est faciliorem proponere doctrinam. Nam sicut corpus, jejunio maceratum, nonnulla indiget refocillatione, ut rursum ingenti alacritate ad ferendos jejunii labores redeat; ita et anima vestra remissione indiget et quiete. Neque enim semper intendere, neque semper remittere oportet; sed nunc hoc, nunc illud faciendum ; et sic regendus animæ status, et domanda carnis petulantia. Nam sicut semper intentum esse laboribus, id tædium affert et dejicit ; ita perpetuo remittere, ad ignaviam inducit. Id et in anima, et in corpore usuvenire videre quis potest. Propterea modus ubique bonus est. Quod nos universorum Deus docet etiam per creaturas, quas ad nostri constitutionem produxit. Atque ut hoc intelligatis, de die ac nocte, hoc est de luce ac tenebris sermonem instituamus. Quandoqui-

dem enim diem segregavit in opus humanæ naturæ, et noctem in requiem et remissionem laborum : mensuras et terminos utrisque præfixit, unde nobis omnibus beneficia quædam provenirent. Nam quod lux diurnæ operationis sit tempus, audi David dicentem : « Egredietur homo ad » opus suum, et ad operationem suam usque ad vespe- » ram [1], » Et bene inquit usque ad vesperam : nam ingruente vespere lux abscedit, et succedentes tenebræ humanam naturam sopiunt, et corpus, quod laboraverat, quieti tradunt, sensus omnes remittunt; et quasi nutrix optima, sensuum organis omnibus quietem a laboribus fatigationibusque concedunt. Cum vero mensura noctis impleta fuerit, appropinquans lucis adventus excitat, et id agit ut vigentes refectique sensus solares radios adeant, et ut homo nova quadam et ferventi alacritate consuetis operibus manum admoveat. Illud etiam in anni conversionibus fieri cernimus. Hiemem enim excipit ver, et exactæ æstati succedit autumnus : ut per vicissitudinem temporum et mutati aëris quiescant corpora nostra, neque frigore nimium congelata corrumpantur, neque caloris vehementia nimium calefacta dissolvantur : et ut ad hoc nos præparet, hiemi præmittit autumnum, et æstati ver. Quod si quis prudenter hæc omnia secum expenderit, inveniet in omnibus creaturis ordinem et rationem quamdam, et nihil temere et absque ratione factum. Hoc et in seminibus, quæ ex terra nascuntur, quis videre potest. Neque enim omnia eodem tempore telius profert, neque omne tempus ad excolenda terræ germina idoneum est ; sed novit agricola congruum tempus, quod per sapientiam sibi a Deo datam didicit, quando nempe serendum, quando plantandæ arbores, quando vites terræ sinibus concredendæ, quando ad messem acuendæ falces, quando de-

[1] Psal. CIII, 23.

cerpendi vinearum fructus, et botri demendi, quando et olivarum baccæ colligendæ. Et invenies, si hæc omnia diligenter volueris inquirere, magna sapientia etiam agricolas esse præditos. Jam non solum in terra hoc videre licet, sed etiam in mari. Ecce et hic aliam admirabilem sapientiam spectare potes. Scit enim nauclerus quando deducenda sit navis, quando à portu solvendum, quando transeunda maria; maximeque in nautis deprehenditur intellectus, quem divina sapientia humanæ naturæ indidit. Neque enim qui per vias publicas currunt, ita diverticula sciunt, ut ii qui in aquis certum iter faciunt. Propter hoc et Scriptura obstupescens eminentem sapientiam Dei, dicit : « Qui dedit in mari viam, et in aqua vehe»menti semitam [1]. » Quæ humana ratio potest hæc pernoscere? Eamdem rationem inveniet quispiam etiam in cibis quos sumimus : nam singulis temporibus et anni partibus varia et diversa nobis alimenta Dominus largitur. Terra enim, quasi optima nutrix, dona sua nobis profert, præcepto Creatoris serviens.

II. Verum ne prolixius sermonem extendam, licebit vobis pro vestra prudentia recensere alia omnia. « Da enim »inquit, sapienti occasionem, et sapientior erit [2]. » Neque in nostris duntaxat cibis hoc videre est, sed et in iis quæ brutorum sunt. Et poteritis, si vultis, etiam in multis aliis inquirere, et addiscere optimi artificis Dei ineffabilem sapientiam et eminentem bonitatem, quomodo creaturæ singulæ ratione quadam conditæ sint. Similiter igitur et hujus sacræ quadragesimæ tempore constitutum nobis inveniemus. Nam quemadmodum in viis publicis sunt stationes et diverticula, in quibus fessi viatores et respirant et quiescunt, ut postea iter suum conficiant : et sicut in mari littora sunt, et portus ut ibi nautæ, postquam multos

[1] Sap. XIV, 3. — [2] Prov. IX, 9.

fluctus trajecerunt, et ventorum impetui restiterunt, tantisper quiescant, et sic iterum navigare incipiant; ita et nunc qui in quadragesima jejunii cursum suscepere, quasi stationes et diversoria, et littora et portus, hosce duos hebdomadæ dies Dominus quietem largitus est, ut et corpori aliquantulum jejunii laborem remittentes, et animam recreantes, exactis duobus illis diebus in pulchre cœpto itinere alacriter pergant ii, qui illud susceperunt. Age igitur, quia hodie remissionis dies est, obsecrabimus vestram charitatem, ut magna diligentia lucrum ex jejunio collectum custodiatis: et resumpto parumper spiritu, mox iterum priora novis incrementis cumuletis, et sic paulatim ad majorem negotiationem instructi, in dominicum diem occurratis, et spiritualem vestram navim in portum sanctæ festivitatis plenam adducatis. Nam sicut omnia quæ a Domino sunt facta, sicut et sermone declaratum est, et res ipsæ testantur, ratione et sapientia quadam facta sunt, usum necessarium exhibentia: ita et quæ a nobis fiunt, ne absque causa et frustra fiant oportet, sed in utilitatem et lucrum nostræ salutis. Nam si ii, qui sæcularibus negotiis dediti sunt, adduci nequeunt ut rem aliquam incipiant, nisi prius aliquid lucri suboleat, multo magis justum est ut nos hoc faciamus, neque ita simpliciter jejuniorum hebdomadæ prætereant, sed scrutemur suam quique conscientiam, et rationem examinemus, consideremusque quidnam in hac hebdomada probe actum, quid in alia, et quale augmentum acceperimus in sequenti, quas in nobis affectiones correxerimus. Nisi enim ita vitam nostram instituerimus, magnamque animæ nostræ curam gesserimus, nihil nobis usui erit jejunium, vel inedia quam toleramus, præsertim si comperti fuerimus inferiores iis, qui tantum studium colligendis opibus impendunt. Nullum enim horum invenies, qui non summa vigilantia laboret, quo prioribus quotidie

aliquid adjiciat, et qui unquam satietur : sed quanto facultatum major est accessio, tanto et curam et studium suum amplius intendit. Quod si ubi studium est inutile, et divitiæ nonnunquam magnam salutis animæ jacturam afferunt, tanta tamen vigilantia res aguntur : quomodo non multo magis istud est faciendum , ubi diligentiæ multa succedit utilitas, ineffabilisque merces ac lucrum immensum? Nam illic quidem præter hæc omnia, fluxæ admodum et incertæ divitiæ, instabilis pecuniarum possessio : non solum quod imminente morte, ipsæ hic manentes, nullam eis, qui illas collegere, utilitatem conferant : sed etiam quod manentibus hic pecuniis, magna severitate cogentur de ipsis alibi rationem reddere : sæpe quoque accidit ut ante mortem post multos labores, et sudores, atque ærumnas, quasi procella quadam ingruente negotiorum difficultate, repente qui plurimas possidebat divitias, vel pauperrimis factus sit pauperior, qualia singulis diebus videre contingit. Atqui in spirituali negotiatione nihil tale formidandum unquam : stabilis enim illa et immota manet, et ubi ea multum egemus, ibi ab illa ipsa multum consolationis accipimus.

III. Igitur dum tempus habemus, obsecro , vel saltem id studii impendamus spiritualibus mercibus conquirendis, quod alii in perituras collocant ; neque ab hac sollicitudine cessemus, si recte quid actum fuerit ; vel si aliquam affectionum nobis molestarum magna vigilantia profligaverimus, ut conscientiæ bono instructi testimonio, multiplicis voluptatis fructum percipiamus. Neque enim hoc solum quæritur, ut huc quotidie conveniamus, et de iisdem continuo audiamus, et per totam quadragesimam jejunemus. Quandoquidem si nihil ex frequenti conventu et admonitione, atque ex jejunii tempore animæ nostræ lucrati fuerimus : tunc non solum nihil utilitatis afferent hæc, sed et majoris condemnationis occasio erunt; siquidem tanta

curati diligentia iidem permaneamus, et si neque iracundus fiat mitis; neque indignabundus in mansuetudinem se vertat : neque invidus in benevolentiam se transferat : neque insano divitiarum amore correptus desistat ab affectu, et eleemosynis dispertiendis, et alendis pauperibus vacet : neque intemperans castus evadat : neque vanæ gloriæ studiosus illam contemnere, et veram gloriam desiderare discat; neque charitatis in proximum negligens, seipsum excitans, det operam ut non solum non inferior sit Publicanis : « Nam si diligitis eos, qui vos diligunt, inquit, quid » amplius facitis? nonne et Publicani hoc faciunt [1] ? » sed et ut animum suum ita instituat, ut et inimicos humaniter aspiciat et magnam ipsis charitatem exhibeat. Quod si affectionibus istis, et aliis quæ in nobis nascuntur, superiores non fuerimus, licet quotidie hic conveniamus, et frequentibus concionibus atque doctrina tanta instituamur, tantumque a jejunio adminiculum habeamus, qualis erit nobis venia? qualis defensio? Dic enim mihi, obsecro, si puerum tuum quotidie videres in ludum ire, et multo elapso tempore nihil lucri facere, patienter-ne ferres? Nonne et puerum verberares, et magistrum argueres? Et si deinde disceres magistrum omne quod officii sui erat fecisse, et plane intermisisse nihil, pueri autem ignaviam causam esse omnium, nonne indignationem omnem in puerum transferres, non jam accusans magistrum? Idipsum et hic jure faciendum est. Nos enim quia per gratiam divinam ad hoc destinati sumus, quasi spirituales filios in hasce scholas vos quotidie vocantes, salutarem vobis doctrinam proponimus : neque ea quæ ex nostra mente excogitavimus, sed ea quæ a Domino per divinas Scripturas nobis donata sunt, in medium afferimus, illaque vobis frequenter inculcamus. Si ergo cum nos omnem adhibeamus vigilantiam omneque

[1] Matth. v, 46.

studium, et vos quotidie in viam veritatis ducamus, vos in iisdem perseveretis malis, cogitate quantus et noster sit futurus dolor, et quanta vestra condemnatio, ne quid dicam acerbius. Quamvis enim nos crimini non simus obnoxii, ut qui nihil prætermittamus, quod ad vestram pertineat ædificationem ; tamen quia vestræ salutis curam gerimus, ideo non possumus id non graviter ferre. Quia et doctor, cum videt discipulum nullum ex cura sua fructum facere, non vulgariter dolet et gemit, videns se omnem laborem et operam perdere.

IV. Hæc nunc dico, non ut charitatem vestram mœrore afficiam, sed ut excitem et instruam, quo non frustra jejuniis corpus castigetis, neque temere et in vanum dies quadragesimæ sanctæ transigatis. Et quid dico dies quadragesimæ sanctæ? cum prorsus nullam nos diem unquam transigere oporteat, si possibile est, per totum vitæ curriculum, in qua non lucrum aliquod spirituale in nobis reponamus, vel per preces, vel per confessionem, vel per eleemosynas, vel per aliqua alia spiritualia bona opera. Nam si Paulus tantus et talis, qui arcana illa verba audivit, quæ usque in hodiernum diem nullus cognovit, clamabat dicens : « Quotidie morior, per vestram gloriationem [1]: » docens nos se sic seipsum pro pietate periculis exposuisse, ut quotidie morti vicinus esset ; et quod natura non fert, (uni enim morti obnoxii sumus omnes), hoc ipse pertinaci suo instituto agebat, tametsi benignus Deus illum quotidie in aliorum salutem conservaret. Proinde si ille qui tot præclaris operibus excelsus erat, et quasi Angelus super terram apparebat, quotidie studebat aliquid lucri facere, et pro veritate stare in acie contra pericula, spiritualesque sibi colligere merces, ac nunquam gradum sistere, qualem habebimus nos defensionem, qui non solum bonis operi-

[1] 1 Cor. xv, 31.

bus omnibus destituti sumus, sed et tot malis gravati, quorum unum duntaxat in ipsum perditionis profundum detrudere nos possit, nullumque præterea studium nobis est, ut vel saltem hæc emendemus? Cum autem idem ipse sæpe reperiatur non uni flagitio, sed pluribus obnoxius; cum nempe et iracundus sit, et intemperans, et avarus, et invidus, et ferox: et neque hæc corrigere, neque virtutis opera attingere velit, qualis postea erit spes salutis? Hæc dico, et dicere non desinam, ut auditores suum quique remedium accipiant ex dictis nostris, et studeant ut statim ab affectionibus mentem turbantibus liberentur, convalescentesque virtutum studiis posthac se accommodent. Etenim iis, qui corporali morbo laborant, quamvis sexcenties medicus remedia apponat, si æger autem medicinæ operationem non admittat, et sæpe succensens, postquam medicus imposuerit pharmacum, impatiens doloris illud rejiciat, nulla inde utilitate suscepta; nemo prudens medicum arguerit, quod non suum egerit officium. Eodem modo et hic nos medicamentum ex spirituali doctrina confectum imponimus: vestrum autem posthac fuerit ferre dolores, et curam cum utilitate admittere, ut a morbo liberati, ad veram regrediamini sanitatem. Sic enim et ipsi magnam percipietis utilitatem, et nos non modica hinc consolatione afficiemur, si viderimus eos, qui prius laborabant, tam cito bonam valetudinem recuperasse. Unusquisque ergo vestrum, obsecro, si non antea, saltem nunc operam det, ut vitium quod sibi magis quam cætera infestum sentit, ex anima exsecet, et pia cogitatione quasi spirituali quodam gladio utens, seipsum ab eo liberet. Dedit enim nobis Deus rationem quæ sufficiat et possit, si velimus parum respicere, omnia, quæ in nobis nascuntur, vitia domare. Propterea etiam Sanctorum omnium vitam et instituta in divinis Scripturis descripta, Spiritus sancti gratia reliquit, ut dis-

centes eos, licet ejusdem fuerint naturæ, virtutem tamen omnimodam exhibuisse, ne simus nos ignavi et desides in iis exercendis.

V. Annon naturæ nostræ fuit et beatus Paulus ? Flagro enim amore hujus viri, et propterea continuo versatur ipse in ore meo : et quasi in archetypum aliquod exemplar, ita et in illius animam respiciens, obstupesco in hoc viro mirum affectuum contemptum, fortitudinis excellentiam, amoris in Deum fervorem : et mecum reputo unum hominem omnes virtutes studio suo in se collegisse et exhibuisse, nosque ne minimum quidem bonum opus præstare velle. Quis igitur nos eripiet a supplicio inevitabili? Nam cum ejusdem ille nobiscum fuerit naturæ, et iisdem obnoxius affectionibus, atque in tanta temporum difficultate quotidie, ut ita dicam, tractus, laceratus et publice raptatus ab iis, qui prædicationem oppugnabant, qui et sæpe ipsum enectum existimarunt, et quasi destinatam animo cædem perpetrassent, ipsum reliquerunt; invenitur-ne aliquis nostrum, desidiæ segnitieique deditorum, qui tantam virtutum magnitudinem præ se ferat? Verum quanta Beatus ille præclara opera fecerit, et fortitudinem, quam pro religionis prædicatione quotidie exhibuerit, non a nostra lingua, sed ab ipso oportet audire dicente. Quando enim in eam devenit necessitatem, ut propter pseudoapostolorum fallaciam res suas enarrare cogeretur, (tam grave enim istud et molestum ipsi erat, ut reluctaretur, et nunquam in medium ea afferre vellet; imo seipsum auderet vocare blasphemum, et persecutorem ;) quoniam autem pernecessarium esse videret, ut impostorum ora obstrueret, et discipulis parvam daret consolationem , sic fere cœpit post multa alia dicere : « In » quo quis audet, per insipientiam loquor, audeo et ego[1]. » Considera piam animam ; non solum audaciam, sed et in-

[1] 1 Cor. xi, 21.

sipientiam rem eam vocat : docens nos ne unquam citra necessitatem, et nullo urgente, quæ a nobis facta sunt, ostentemus, siquidem aliqui ex nobis inveniantur qui bonum aliquod sunt operati. « In quo quis, inquit, audet, per insi- » pientiam loquor, audeo et ego : » hoc est, quoniam ego multam video necessitatem, audere volo, et insipientiæ opus exhibere. « Hebræi sunt, et ego ; Israëlitæ sunt, et » ego; semen Abrahæ sunt, et ego [1]. » De hoc, inquit, sublime sapiunt et gloriantur; ne putent ea nobis deesse, etiam nos eorumdem participes sumus. Deinde subjecit : « Ministri » Christi sunt, ut minus sapiens dico, plus ego [2]. »

VI. Vide hic, dilecte, beatæ hujus animæ virtutem. Nam postquam rem a se factam, audaciam et insipientiam vocavit, quamvis in tanta esset necessitate constitutus, neque sic tamen dictis contentus fuit : sed cum demonstraturus esset se illos magno præcedere intervallo, ut ne quis eum putet per ostentationem hæc dicere, iterum insipientiam vocat quod a se dicebatur ; quasi diceret : Non sum nescius me rem facere quæ multos offendat, et quæ neque me deceat : sed me compellit magna necessitas ; ideo ignoscite mihi insipientiæ verba loquenti. Hujus vel umbram imitemur nos, qui tantis premimur peccatis, et sæpe si parvum quiddam recte facimus, neque ipsum in promptuario mentis nostræ repositum manere patimur, sed ut gloriolam aliquam ab hominibus venemur, divulgamus, et ob intempestivam nugacitatem divina retributione nosmetipsos fraudamus. At nihil tale beato Paulo accidebat. Sed quid ? « Ministri Christi sunt, ut minus sapiens dico, plus » ego. » Dein adducit in medium ea quæ pseudoapostoli non exhibebant. Quomodo enim exhibuissent, qui veritatem impugnabant, et nihil non agebant ut prædicationi religionis obsisterent, ac mentes simpliciorum subverterent? Igitur

[1] 2 Cor. xi, 22. — [2] Ibid. 23.

ut dixit, « plus ego, » enumerat postea fortitudinis suæ præclara opera, et inquit : « In laboribus plurimis, in plagis » supra modum, in mortibus frequenter [1]. » Quid dicis? Stupendum et admirabile est quod a te dicitur. Est-ne enim possibile ut quis sæpe moriatur? etiam, inquit, quamvis non mortis experientia, attamen moriendi proposito ; docens nos subinde se, ob prædicationem, mortis pericula adiisse, sed Dei gratia in mediis periculis athletam servatum, quo discipulis magis prodesset. « In mortibus, inquit, » frequenter : a Judæis quinquies quadraginta plagas una » minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus, ter » naufragium feci, noctem ac diem in profundo egi ; in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, » periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis ex falsis fratribus, periculis in civitatibus, periculis in solitudine, periculis in mari [2]. » Ne simpliciter prætereamus hæc dicta, dilecti : nam quodlibet horum per se solum pelagus aliquod tentationum nobis ostendit. Non enim simpliciter iter unum dixit : sed, « in itineribus sæpe : » neque unum periculum in fluviis, sed multa et varia; et omnia ingenti fortitudine tulit. Et posthæc omnia iterum inquit : « In labore et ærumna, in vigiliis sæpe, in fame et » siti, in jejuniis sæpe, in frigore et nuditate, præter illa » quæ extrinsecus sunt [3]. »

VII. Vide iterum aliud pelagus tentationum nobis aperiri. Ut enim dixit, « Præter illa quæ extrinsecus sunt, » insinuavit prætermissa plura esse, quam quæ dicta sunt. Neque is contentus fuit, verum nos docet pressuras, et conspirationes quas sustinuit, sic dicens : « Instantia mea » quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum [4]. » Ecce hoc bonum opus vel unicum sufficiens est, ut summus ipsi virtutum apex tribuatur : « Sollicitudo, inquit, omnium Eccle-

[1] 2 Cor. xi, 23.— [2] Ibid. 24-26. — [3] Ibid. 27, 28. — [4] Ibid.

» siarum, » non unius vel duarum, vel trium, sed omnium quæ in toto orbe. Nam quantam terram sol radiis suis illustrat, tantam curam et sollicitudinem habuit Paulus. Vidisti latitudinem animi? vidisti mentis magnitudinem? Jam quod subsequitur, omnia superiora, ut ita dicam, contegit. « Quis » enim infirmatur, inquit, et ego non infirmor? quis scan» dalizatur, et ego non uror? [1] » Papæ, quantus viri hujus in filios amor et indulgentia! quanta vigilantia! quanta cura! Quæ mater sic cruciatur intra viscera, filio febre laborante, et in lecto decumbente, ut Beatus ille pro quovis infirmo, quocumque ille loco esset, infirmabatur et pro scandalizatis urebatur? Considera enim, quæso, verborum latentem vim et emphasim. Non dixit: Quis scandalizatur, et ego non doleo; sed « uror, » inquit, intensum nobis dolorem declarans, quasi demonstraret se intrinsecus incendi et uri pro iis qui offendebantur. Scio me in magnam prolixitatem extendisse doctrinam, quamvis statueram hodie brevior esse, ut paululum a jejunii labore possitis respirare : sed nescio quomodo, ut in divitias bonorum operum hujus Sancti incidi, linguam mihi quasi rapidi fluminis vis rapuit. Propterea hic finem dicendi faciens, oro charitatem vestram, ut continue illum in mente circumferatis, et subinde cogitetis eum ejusdem nobiscum naturæ consortem, iisdem affectionibus obnoxium, opificium vile ac contemptum exercentem, pellium sutorem, et in officinis frequentem, quia voluit et decrevit virtutum studio se mancipare, et idoneum se constituere receptaculum Spiritus sancti, largius quoque superna liberalitate potitum esse. Et nos item, si voluerimus quod nostrum est facere, nihil prohibebit eadem nos bona consequi. Liberalis enim est Dominus, « Et » vult omnes homines salvos fieri, atque ad agnitionem veri» tatis venire [2]. » Dignos igitur nos ipsos exhibeamus, ac fer-

[1] 2 Cor. xi, 29. — [2] 1 Tim. ii, 4.

venti alacritate virtutem vel sero tandem apprehendamus, et affectiones nostras corrigentes, idoneos nos reddamus ad Spiritum sanctum recipiendum. Quod ut mereamur, concedat gratia et benignitas Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul, et Spiritui sancto sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XII.

De iis quæ sequuntur creationem : Hic est liber generationis cœli et terræ, quando facta sunt : quo die fecit Deus cœlum et terram [1].

I. Age promissum nostrum hodie impleamus : et consuetam doctrinam tractantes, dicenda nunc iis quæ supra dicta sunt, contexamus. Scitis enim nos semel atque iterum hoc facere decrevisse, et ad hoc paratos fuisse; sed curam fratrum, quam gerimus, in illorum admonitionem linguam nostram alio rapuisse. Quandoquidem interdum infirmis fratribus, quibus consuetum erat sequestrare se ab hoc spirituali conventu, et mutilare nobis sanctæ festivitatis gaudia, suasimus consulendo et exhortando, ne diutius ab ovili Christi absint, et extra caulam hanc spiritualem aberrent : nomine quidem et appellatione nobis juncti, revera autem Judæos sectantes, qui adhuc umbræ assident, lucernæque addicti sunt, postquam Sol justitiæ illuxit. Interdum etiam nondum initiatos, qui in cœtu aderant, hortati sumus ut ad spiritualem vocationem accurrant, excussoque omni ignaviæ somno, ferventi desiderio, et in-

[1] Gen. II, 4.

genti alacritate paratos se ad suscipienda regia munera præstent, et properent ad eum qui remissionem donat peccatorum, et liberaliter innumera bona suppeditat. Itaque postquam eorum qui circa Paschæ festum errabant, quique per hanc minimi, ut putabant, momenti observationem, magnum sibi damnum inferebant, congruentem curam gessimus, idoneo adhibito vulneri medicamento, et non initiatis ea de re probe commonitis; restat ut omnibus vobis hodie spirituale paretur convivium. Nam quemadmodum, si fratrum nostrorum neglecta cura, prætermissaque illorum admonitione, cœptæ seriei hærentes, ipsosque infirmantes contempsissemus, jure quispiam nos reprehendisset, utpote opportunum tempus prætercurrentes; ita nunc, quia nihil prætermissum est, quantum nostræ vires sinunt, sed verbum doctrinæ adhibuimus, pecuniam dinumeravimus, seminaque in terra hac spirituali jecimus; consentaneum est ut iterum in medium afferantur, quæ ex beato Mose sunt lecta, ut fructu inde collecto, domum redire liceat. Quænam igitur hæc sint audiamus. « Hic est liber, » inquit, generationis cœli et terræ, quando facta sunt : » quo die fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum » agri, antequam oriretur super terram : omnemque herbam agri, priusquam oriretur. Non enim pluerat Deus » super terram, et homo non erat qui coleret terram. Fons » autem ascendebat de terra, et irrigabat universam faciem » terræ[1]. » Considera mihi rursus, obsecro, admirabilis hujus Prophetæ sapientiam, imo sancti Spiritus doctrinam. Nam postquam nobis per partes enarravit creaturas omnes, et sex dierum pertractavit opera, et formationem hominis, potestatemque visibilium omnium illi concessam : nunc iterum summatim omnia repetens, inquit : « Hic est liber » generationis cœli et terræ, quando facta sunt. » Operæ-

[1] Gen. II, 4-6.

pretium hic fuerit inquirere, quare Scriptura librum hunc vocaverit cœli et terræ, quamvis multa alia in se contineat, et doceat nos alia plurima, nempe de Justorum virtutibus tractans, de benignitate Dei, deque indulgentia, quam erga primum creatum hominem et omne humanum genus exhibuit, et de aliis multis, quæ hujus temporis non fuerit declarare. Ne mireris, dilecte : mos enim hic est sacræ Scripturæ, ut non ubique omnia particulatim enarret : sed cum ea, quæ plurima complectuntur, dicere cœperit, considerandaa relinquat sequentia iis, qui studiosis auribus excipiunt ea quæ dicuntur. Et ut discas rem ita esse, id palam faciam ex his quæ nunc sunt lecta. Ecce enim in superioribus, postquam nos divina Scriptura formationem omnium minutatim docuit, nunc non omnium meminit, sed inquit : « Hic est liber generationis cœli et terræ, quando facta sunt : » die quo fecit Deus cœlum et terram, » et cætera.

II. Vides-ne quomodo totum sermonem ad cœlum et terram convertit, ex illis alia omnia nobis contuenda relinquens? Cum ergo dicit cœlum et terram, omnes creaturas simul comprehendit, tam eas quæ in cœlo, quam quæ in terra. Sicut igitur in enarratione creaturarum non omnia deinceps dicit, sed maxime generalia tantum commemorat, nec sigillatim enarrat; ita et librum totum, etsi multa alia contineat, librum generationis cœli et terræ appellavit, nobis ex horum commemoratione, quod reliquum est, computandum relinquens; necesse esse omnia in hoc libro visibilia contineri, tam ea quæ in cœlo, quam quæ in terra. « Quo » die, inquit, fecit Deus cœlum et terram, et omne virgul- » tum agri, antequam fieret super terram, et omnem her- » bam agri, antequam oriretur. Non enim pluerat Deus » super terram, neque homo erat qui coleret illam : sed » fons ascendebat e terra, et irrigabat universam faciem » terræ. » Grandis thesaurus in pauculis verbis illis recon-

ditus est : unde magna prudentia, quæ dicuntur, juvante nos Dei gratia, congruit explicare, vosque spiritualium harum divitiarum consortes facere. Spiritus enim sanctus futurorum præscius, ut nulli posthac contendere, et ecclesiasticis dogmatibus, ex propriis ratiociniis, adversa divinis Scripturis immiscere liceat : etiam nunc denuo, postquam creaturarum ordinem docuit, et quid primum, quid secundum productum sit; et quod semina sua tellus verbo mandatoque Domini ministrans ediderit, ac producendi vim acceperit; cum neque solis cooperatione egeret, qui nondum erat, neque pluviarum humiditate, neque hominis cultura; nam et ille nondum in medium prodierat : ideo iterum repetit particulatim omnia, ut indomitæ impudenter blaterantium linguæ compescantur. Quid enim ait? « Die quo fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum » agri, priusquam fieret super terram, omnemque herbam » agri, priusquam oriretur. Non enim pluerat Deus super » terram, nec erat homo qui coleret illam, Fons autem as- » cendebat de terra, et rigabat universam faciem terræ. » Hoc vult dicere, sermone et præcepto illius, quæ prius non erant, producta fuisse, et quæ non existebant, subito comparuisse. Herba est, quæ ex terra provenit : hic autem herbam dicens, semina omnia dicit. Et de pluviis docens nos iterum divina Scriptura subdit : « Non enim pluerat Deus » super terram : » hoc est, nondum pluviæ desuper cadebant; deindeque ostendit neque hominis operatione habuisse opus : « Non enim, ait, erat homo qui operaretur » terram, » quasi clamans et dicens posteris omnibus : Audite hæc, et discite, quomodo ab initio omnes terræ proventus sint producti, et ne terram colentium diligentiæ omnia tribuite, neque eis hos ejus partus ascribite : sed verbo et præcepto, quod a Conditore suo ad eam prolatum est. Hæc autem omnia fiunt, ut discamus terram ad edenda

semina sua aliorum elementorum cooperatione non egere, sed Conditoris mandato contentam fuisse. Et quod mirandum stupendumque est, is qui nunc terram verbo ad tot semina producenda excitavit, et potentiam suam, humanæ rationis captum superantem, exhibuit, hanc ipsam tam gravem et tantum mundum supra dorsum suum ferentem super aquas fundavit, sicut et Propheta dicit : « Qui fundavit terram super aquas [1]. » Quæ humana ratio ad hæc pertingere possit? Nam cum homines domus ædificant, et fundamenta jacere volunt, prius fodiunt : et ubi ad profunda pervenerint, si vel parvum humorem viderint, nihil non agunt, ut totum ipsum exhauriant, et sic fundamenta locent : propterea omnium Opifex omnia secus quam homines facit, ut ex hoc discas ineffabilem ejus potentiam; et quando ipse voluerit, elementa hæc plane contrarium, quam solent, effectum ex Conditoris præcepto ostendere.

III. Et ut id quod dicitur, dilucidius vobis fiat, jam de hoc argumento aliquid disseramus, postea ad aliud transituri. Hoc enim contra aquarum naturam est, ferre corpus tam grave : et iterum contra naturam terræ, sedem suam in tali fundamento habere. Et quid miraris? In quacumque rerum creatarum scrutari volueris, invenies immensam Opificis potentiam, eumque sua voluntate gubernare omnia deprehendes. Videre enim hoc licet in igne, cui absumendi natura est : omnia enim facile domat, materiam lignorum, lapidum, corporum, et ferri : at postquam imperavit Dominus, corpora tenera et corruptibilia non tetigit, sed illæsos pueros servavit in medio camino [2]. Et ne mireris si corpora illorum non tetigit, sed irrationale elementum tanta moderatione obsecutum est, quantum nullus queat effari; nam ne capillis quidem illorum nocebat, sed circumibat illos, et intra se continebat : ignis autem substantia tan-

[1] Psal. cxxxv, 6. — [2] Dan. III, 24.

quam obedientiam exhibens, et Domini mandato serviens, illæsos et intactos servabat admirabiles illos pueros, qui quasi in prato et horto ambulantes, tanta securitate in camino versabantur. Et ne quis putaret visibilem illum ignem operatione carere, idcirco benignus Dominus illius efficaciam non impedivit : sed vim illam urendi illæsam servavit, et servos suos illo superiores fecit, ut nullo modo læderentur. Cæterum ut scirent, qui pueros injecerant, quanta esset omnium Dei potentia, in illos ignis suam operationem exercuit; ita ut ille ipse ignis eos intus circummuniret, eos autem, qui foris erant, ureret et consumeret. Vidisti quo pacto Dominus, quando vult, elementa omnia in contrariam mutet essentiam ? Opifex enim est et Dominus, et pro sua voluntate omnia dispensat. Vultis et in aquis idipsum videre factum? Nam sicut ignis hic iis qui intus erant nihil nocebat, sed illis parcebat, oblitus suæ operationis, in eos autem, qui foris erant, sæviebat more suo : sic et aquas videbimus alios quidem submergere, aliis autem cedere, ita ut absque damno transeant. Recordamini hic Pharaonis et Ægyptiorum, atque populi Hebræorum, quomodo hi ad mandatum Domini, magno Mose duce, per mare rubrum quasi per aridam transierunt : Ægyptii autem qui eamdem viam cum Pharaone ire volebant, aquis obruti submersi sunt[1]. Ita solent elementa revereri servos Domini, et a suo se continere impetu. Audiamus nos, quotquot feroces et iracundi, et aliis affectionibus ob nostram ignaviam impliciti nostram salutem pessumdamus, et imitemur tantam horum elementorum ratione carentium obedientiam, nos qui ratione insigniti sumus. Nam si ignis, qui ita edax, ita vehemens, corporibus corruptibilibus et tam teneris pepercit, quam meretur veniam homo, suum refrenare furorem propter mandatum Domini, et iram erga

[1] Exod. XIV, 22 et seqq.

proximum e pectore suo eliminare nolens? Et quod majus est, ignis tantam urendi vim habens, suam operationem non ostendit, homo autem mansuetum animal, rationale et benignum, contraria suæ naturæ facit, et negligentia mores suos in ferinos vertit. Idcirco et divina Scriptura propter affectiones illas interturbantes, irrationabilium et ferarum nomina iis, qui ratione insigniti sunt, imponit : interdum canes ob impudentiam et impetum vocat, dicens : « Canes » muti, non valentes latrare [1] : » interdum ob libidinem equos : « Nam equi emissarii facti sunt, unusquisque ad » uxorem proximi sui hinniebat [2] : » interdum vero asinos, ob stupiditatem et ruditatem : « Comparatus est » enim, inquit Scriptura « jumentis insipientibus, et similis factus est » illis [3] : » aliquando etiam leones et pardos vocat, ob rapacitatem et aviditatem; aliquando item aspides, ob fraudulentiam : « Venenum, inquit, aspidum sub labiis eo- » rum [4] : » nonnunquam serpentes et viperas, ob latens venenum et malitiam, sicut et beatus Joannes clamabat, dicens : « Serpentes, progenies viperarum, quis vobis de- » monstravit fugere a ventura ira [5] ? » Insuper et alia affectionibus respondentia nomina imponit, ut sic vel tandem confusi ad suam aliquando redeant nobilitatem, et suo generi confœderentur, affectionibusque suis divinas leges præferant, quibus sese delinquendo permiserunt.

IV. Sed nescio quomodo a sermonis impetu abreptus ad hæc digressi simus. Age nunc ad institutum redeamus; et videamus quidnam etiam aliud nos docere velit beatus ille Propheta : nam ut dixit : « Hic est liber generationis cœli » et terræ, » progressus ultra, narrat iterum diligentius hominis formationem. Et quia superius breviter dixerat. « Et » fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum, » nunc

[1] Isaiæ. LVI, 10. — [2] Jer. V, 8. — [3] Psal. XLVIII, 13. — [4] Id. CXXXIX, 4. — [5] Matt. III, 7.

dicit : « Et formavit Deus hominem, pulverem de terra, et » inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est » homo in animam viventem [1]. » Magnum est quod hic dixit, et stupore plenum, humanamque transcendens mentem : « Et formavit, inquit, Deus hominem, pulverem accipiens » de terra. » Sicut de omnibus creaturis visibilibus dicebam universorum Opificem omnia præter humanæ naturæ morem agere, ut per hoc ineffabilis ipsius monstretur virtus : ita et in hominis formatione inveniemus nunc factum. Vide enim quomodo super aquas terram fundavit, id quod citra fidem humana ratio non capit : et quomodo quandocumque voluerit, sicut ostendimus, ut omnes substantiæ contraria ipsarum naturam agant efficit. Simili modo et in hominis formatione nunc nobis quid factum sit divina Scriptura declarat. « Formavit Deus, inquit, hominem, pulverem » accipiens de terra. » Quid dicis ? Accepto-ne de terra pulvere formavit hominem ? Etiam, inquit, et non simpliciter, nec quamlibet fortuito terram dicit, sed pulverem : quasi si quis dicat, tenuissimum et vilissimum quod est in terra. Magnum tibi et admirabile videtur quod dictum est. Verum si cogites quis opifex, neutiquam fidem habere facto recusabis, sed miraberis et adorabis Conditoris potentiam. Quod si hæc secundum cogitationum tuarum imbecillitatem emetiri volueris, et curiosius explorare, par est ut tibi in mentem veniat, ex terra corpus (humanum) nunquam fieri, sed vel laterem, vel testam, et non tale corpus. Vides-ne nos, nisi potentiam Conditoris attenta mente considerare voluerimus, et nostras rationes tam imbecilles reprimamus, non posse dictorum capere sublimitatem ? Nam quæ dicuntur, fidei oculis indigent, suntque ob nostram infirmitatem multa verborum attemperatione descripta : quandoquidem istuc ipsum quod inquit : « Formavit Deus

[1] Gen. II, 7.

» hominem, et inspiravit, » indignum Deo fuerit : sed propter nos, et propter infirmitatem nostram hæc sic narrat Scriptura, ad nostram se tenuitatem demittens : ut tanta familiaritate dignati, ad fastigium illud ascendere possimus. « Et formavit, inquit, Deus hominem, pulverem ac » cipiens de terra. » Hinc si sapere volumus, non parva nobis humilitatis oritur doctrina. Nam cum cogitaverimus unde constitutionis suæ initium natura nostra susceperit, etiamsi sexcenties supercilia surrigamus, reprimimur, humiliamur, et substantiæ nostræ rationem perpendentes, modestiam discimus. Ideo enim Deus, cui tanta salutis nostræ cura, ad nostri eruditionem Prophetæ linguam sic direxit. Quippe cum superius dixisset divina Scriptura, « Et » fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum: » dedit illi omnium visibilium potestatem, ut ne ex suæ constitutionis ignorantia altos spiritus assumeret, præscriptosque limites transiret ; superiora repetens Scriptura docet formationis ejus originem, et unde ac quomodo primus homo productus sit. Nam si post hanc doctrinam, qua agnovit se e terra habere originem, ex qua semina, et cætera animalia ; quamvis formatio, animæque substantia incorporalis multo excellentior per benignitatem Dei concessa sit : per hanc enim accepit quod rationalis sit, et omnibus aliis imperet : si, inquam, licet hæc doctus, serpentis deceptione parem aliquam cum Deo æqualitatem imaginatus est is qui de terra formatus : si priori narratione contentus fuisset beatus hic Propheta, et nisi repetitis omnibus diligenter nos docuisset, in quam non incidissemus insaniam ?

V. Itaque plurimum ad erudiendum nos conducit scire unde substantia nostra primum originem acceperit. « Et » formavit, inquit, Deus hominem, pulverem accipiens de » terra, et insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ. » Quo-

niam hominibus loquebatur, aliter quam more nostro audire non valentibus, hac verborum simplicitate et crassitudine usus est ; et ut doceat nos quo pacto formatum illum de terra, benignitas Domini rationalem animæ essentiam habere voluerit, per quam animal hoc absolutum et perfectum fieret : « Et inspiravit, inquit, in faciem ejus spi» raculum vitæ. » Vitalem ait operandi efficaciam, ei qui de terra formatus est, spiraculum datum esse, et hæc fuit constitutio substantiæ animæ. Unde subdit : « Et factus est » homo in animam viventem. » Ille formatus, inquit, et de pulvere susceptus, inspiratus spiraculo vitæ, « factus est in » animam viventem. » Quid est, « In animam viventem? » hoc est, efficaciter operantem, habentem corporis membra ipsius operationibus servientia ipsiusque voluntati obtemperantia. Cæterum nescio quomodo nos eum subverterimus ordinem, et tanta fuerit nequitiæ accessio, ut ipsam cogamus carnis concupiscentiis obsequi, et eam, quæ utpote domina aliis præesse et imperare debebat, e solio deturbatam, carnis voluptatibus parere cogamus, ignorantes ipsius nobilitatem, et quantam præ ista eminentiam sortita sit. Nam cogita, obsecro, formationis ordinem : et expende tecum quis esset ille antequam inspiraretur a Domino spiraculum vitæ, et fieret in animam viventem : inanimis nempe imago, operatione carens, et ad nihil utilis ; ita ut totum illud quod in tantum honorem ipsum provexit, nihil aliud sit, quam spiraculum illud a Deo inspiratum. Cæterum ut hoc non solum ex iis, quæ tunc facta sunt, sed et ex iis, quæ nunc quotidie contingunt, videas : cogita tecum quomodo post animæ emigrationem, corpus hoc tam insuave et injucundum apparet. Et quid dico, insuave et injucundum? quam horrendum, quam fœtidum, et deformitate plenum, quod antea, cum ab anima regeretur, jucundum, gratum, admodumque formosum erat, multa plenum pru-

dentia, et ad bona opera magna dexteritate præditum. Hæc utique omnia cogitantes, ac nobiscum reputantes quanta sit animæ nostræ nobilitas, ne quid ea indignum operemur, ne coinquinemus eam illicitis operibus, ne sub carnis servitutem eam subjugemus, ne tam nobilem, tantaque dignitate sublimem, sic crudeliter et immisericorditer tractemus. Nam propter illius substantiam nos qui corpore involuti sumus, si velimus, possumus cum incorporeis Virtutibus, adjuvante nos divina gratia, certare, et in terra ambulantes, quasi in cœlo vivere, et nihil minus quam illæ habere ; imo forte aliquid amplius : quomodo autem? ego dicam. Quando enim quis inventus fuerit corruptibili hoc corpore circumdatus, ita vitam agens ut supernæ illæ Virtutes, quomodo non propensiorem Dei gratiam sortietur, quia corporis necessitatibus obnoxius, incorruptam animæ nobilitatem servavit? Ecquis unquam, dices, poterit inveniri talis? Merito impossibilis nobis hæc res videtur, quorum virtus admodum exigua. At si vis discere non esse hoc impossibile, cogita, oro, omnes Justos, qui Domino ab initio usque ad præsens tempus placuerunt : magnum illum, et infœcundæ filium, et eremi civem, Joannem : Paulum quoque magistrum orbis, et omnem Sanctorum numerum, qui eamdem quam nos naturam habuere, iisdem corporis necessitatibus obnoxii. Et ne ultra impossibile esse opus existimes, neque segnior sis ad virtutem, ad quam facile amplectendam tantas a Domino nactus es occasiones. Sciens enim benignus Dominus nostræ voluntatis infirmitatem, et ad labendum proclivitatem, magna nobis medicamina in sacrarum Scripturarum lectione reliquit : ut ea subinde vulneribus nostris imponentes, et vitam illorum beatorum virorum ante oculos proponentes, ad æmulandum provocemur, et virtutem non negligamus, sed fugiamus peccatum, et omnia faciamus, ne indignos nos ineffabilibus illis bonis exhi-

beamus. Quod nobis omnibus concedatur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto sit gloria, imperium, et honor, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

Et plantavit Dominus Deus paradisum in Edem ad orientem, et posuit illic hominem quem formavit [1].

I. Videns vestrum inexplebile desiderium, et multam aviditatem, mentemque attentam, nec non omnes ad spiritualem hanc doctrinam advolantes; quamvis valde sim meæ inopiæ mihi conscius; frequenter tamen et quotidie inopem et tenuem hanc mensam vobis proponere studeo, confidens vos desiderio flagrantes, majori alacritate quæ dicuntur suscepturos esse, quandoquidem et in sensibilibus eduliis videre potest quivis hoc contingere. Urgente namque convivarum appetitu, etiamsi paupercula mensa sit, et inops is qui convivio excipit, magna tamen cum voluptate ii apposita absumunt; contra si minor epulantium fuerit appetitus, etiamsi sumptuosum fuerit epulum, et varia copiosaque edulia, nullum inde commodum, cum nemo sit qui appositis uti queat. Hic autem quia gratia Dei alacres et famelici ad spiritualem mensam accedimus, et ipsi magno desiderio dicimus, scientes nos sobriis auribus divinas hasce narrationes apponere. Quoniam et agricola, qui pinguem et fertilem agrum invenit, postquam omnia quæ sui officii erant præstitit, ac terram sulcavit, aratrum duxit, spinasque eduxit, tunc largiter se-

[1] Gen. II, 8.

minat, bonaque spe fultus, quotidie germen expectat seminis, quod terræ fœcunditati commisit ad terræ feracitatem attendens, ad multo majorem jacto semine messem excipiendam paratus. Similiter et nos, cum videmus alacritatem vestram quotidie increscere, desiderium vigere, studium incrementa sumere, bonam spem habemus, majorique studio et alacritate, quantum vires nostræ suppetunt, in ædificationem vestræ charitatis, in gloriam Dei, in Ecclesiæ Dei decus aliquid ferre anhelamus. Age igitur, si placet, repetitis iis quæ nuper dicta sunt, consequenter de hodierna lectione tractemus. Quid autem sit quod nuper tractabatur, quousque sermonem extenderimus, et ubi finem dicendi fecerimus necessarium est dicere : « Et » formavit Deus hominem, pulverem accipiens de terra. Et » inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, factusque est » homo in animam viventem [1]. » Quod tunc dicebam, id et nunc dicam, et subinde memorare non cessabo magnam et ineffabilem esse benignitatem communis omnium Domini erga genus nostrum. Siquidem magna attemperatione ob salutem nostram usus est, magnoque animal hoc, hominem dico, honore prosecutus est : necnon verbis et rebus declaravit se majorem ejus quam visibilium omnium curam habuisse. Nihil enim prohibet etiam hodie eadem explorare apud charitatem vestram. Nam sicut aromata quanto magis digitis atteruntur, tanto majorem natura sua fragrantiam reddunt : ita et in Scripturis usuvenit, quanto quis illas amplius tractare studuerit, tanto magis videre poterit latentem in ipsis thesaurum, atque immensos percipere divitiarum fructus. « Et formavit, inquit, Deus ho » minem, pulverem accipiens de terra. » Animadverte, obsecro, quanta varietas ex ipso verborum proœmio. In omnibus enim aliis creaturis docuit nos beatus Moses mo-

[1] Gen. II, 7.

dum creationis, his verbis : « Dixit Deus, Fiat lux, et facta » est lux; fiat firmamentum; congregetur aqua; fiant lumi- » naria; germinet terra herbam fœni; producant aquæ rep- » tilia animarum viventium, et producat terra animam vi- » ventem. » Vidisti quomodo verbo omnia formata sint? Sed videamus postea quid in creatione hominis dicat : « Et for- » mavit Deus hominem. » Vide quomodo verborum attem- peratione, quibus ob nostram infirmitatem usus est, simul et modum creationis doceat, et diversitatem, qua, ut hu- mano more loquar, veluti Dei manibus formatum ipsum indicat, sicut et alius Propheta dicit : « Manus tuæ fecerunt » me et plasmaverunt me [1]. » Nam si simpliciter imperasset, quæso, ut ex terra oriretur homo, annon id quod jussum erat productum fuisset? sed ut per creationis modum doc- trinam nobis perpetuam traderet, ut ne majora quam quæ natura nostra ferret sentiremus, ideo sic accurate omnia enarrat, et ait : « Formavit Deus hominem, pulverem ac- » cipiens de terra. »

II. Vide et in hac re honorem : non enim terram quam- libet accipit, sed pulverem tenuissimum terræ, ut ita quis dixerit, et hunc ipsum pulverem de terra præcepto suo in corporis naturam transtulit. Quemadmodum enim ipsam terræ substantiam non existentem produxit; ita nunc cum voluit pulverem de terra in corpus convertit. Hic exclamare juvat id quod a beato Davide dictum est : « Quis loquetur » potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus [2]? » Quod ex pulvere tale animal produxerit, et in tantum ho- norem evexerit, totque beneficia in eum statim ab initio contulerit, suam benignitatem per omnia ostendens. « Et » inspiravit, inquit, in faciem ejus spiraculum vitæ, et » factus est homo in animam viventem. » Hic quidam male feriati, propriis moti ratiociniis, nihilque Deo dignum co-

[1] Job. x, 8. — [2] Psal. cv, 2.

gitantes, neque verborum attemperationem secum reputantes, dicere audent animam ex Dei substantia esse. O insaniam! o amentiam! quot perniciei vias diabolus paravit cultoribus suis? Id ut discas, perpende quam diversis incedant viis. Nam alii ex hoc verbo ansam arripientes, « Inspiravit, » dicunt animas ex substantia Dei esse; alii rursum dicunt in vilissimorum brutorum substantiam ipsas transire : qua amentia quid deterius esse possit? Quia enim obtenebrata est ratio eorum, et verum Scripturæ sensum ignorant, quasi excæcati mentis oculis in diversa feruntur præcipitia, dum alii illam supra dignitatem efferunt, alii autem infra dignitatem deprimunt. Nam si eo quod Scriptura dicat, « Inspiravit in faciem ejus, » os Deo affingere velint, necesse erit etiam manus ipsi tribuere : quandoquidem dixit : « Formavit hominem. » Sed ne, illorum nugacitatem in medium proferentes, cogamur et ipsi indecora loqui, age ipsorum stultitiam et multiplicem dementiam devitemus, ac divinæ Scripturæ, quæ seipsam interpretatur, scopum subsequamur, dummodo tamen nos verborum crassitiei non attendamus, sed cogitemus infirmitatem nostram hujusmodi crassitiei causam esse. Neque enim possent aures humanæ ea quæ dicuntur excipere, nisi tanto fruerentur temperamento. Cogitantes itaque et nostram infirmitatem, et hæc de Deo dicta fuisse, sic ea suscipiamus, ut par est ea de Deo accipere, nec in corporum formam, vel in membrorum compositionem, Deum ipsum deducamus; sed omnia de Deo, ut convenit, imaginemur. Numen enim simplex, incompositumque est, ac figura caret. Nam si ex nobis similitudine ducta, velimus Deo membrorum compositionem tribuere, imprudentes in Gentilium impietatem labimur. Cum itaque audieris Scripturam dicentem, « Formavit Deus hominem, » virtutem eamdem cogita, quam cum dicit, « Fiat : » ac rursum cum audie-

ris; « Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, » iterum cogita, quemadmodum incorporeas virtutes produxerat, sic placuisse illi, ut corpus hoc ex pulvere factum animam haberet rationalem, quæ membris corporeis posset uti. Hoc quippe corpus Domini jussu creatum, quasi instrumentum jacebat, aliquo movente indigens; imo sicut lyra, quæ aliquo eget, qui arte solertiaque sua possit quasi per fistulas per membra sua congruentem Domino melodiam referre. « Inspiravit, inquit, in faciem ejus spiraculum vitæ, et » factus est homo in animam viventem. » Quid est, « Inspi- » ravit spiraculum vitæ? » id est, hoc creatum corpus voluit jussitque vim habere vitalem, quæ animali facta est in animam viventem, sive operantem, quæ artem suam posset per membrorum motum exibere.

III. Hic vero mihi perpende, quantum intersit inter hujus admirabilis animalis rationalis, et brutorum formationem discrimen. De illis enim dixit : « Educant aquæ reptilia ani- » marum viventium, » et simul prodierunt ex aqua animalia animata; et in terra similiter? « Producat terra animam » viventem. » De homine autem non sic; sed prius de pulvere corpus formatur, postea vitalis illi virtus datur, quæ est animæ substantia. Idcirco de brutis dicebat Moyses : « Sanguis ejus est anima ejus [1]. » In homine autem substantia est incorporea et immortalis, quæ multo intervallo corpus antecellit, et tanto, quanto par est incorporeum corpori anteferre. Verum forte dicet quispiam : « Si anima corpore dignior, cur id quod minus est primum creatur, et quod majus postremum? » Annon vides, dilecte, idipsum in creatione factum, sicut enim, cœlum, terra, sol, luna, et alia omnia creata sunt, brutaque etiam animalia, et post hæc omnia homo, cui horum omnium principatus tribuendus erat; ita et in hominis formatione primo cor-

[1] Deut. XII, 23.

pus producitur, posteaque anima quæ dignior est. Quemadmodum enim bruta animalia, ministerio hominis utilia futura, ante hominem creantur, ut paratum haberet ministerium is qui illis usurus erat; sic et ante animam corpus creatur, ut postquam secundum ineffabilem ejus sapientiam anima producta esset, posset suas operationes per corporis motus exhibere. « Et plantavit, inquit, Deus » paradisum in Edem ab oriente, et posuit illic hominem, » quem formavit. » Postquam benignus Dominus benignitatem suam ostendit, et illum, cujus causa omnia creaverat, produxit in medium, statim incipit sua in illum beneficia conferre. « Et plantavit, inquit, Deus paradisum in Edem » ab oriente. » Hic mihi, dilecte, considera, quod nisi ea verba, ut de Deo par est, accipiamus, necesse sit ut in præcipitium ruamus. Nam quid dixerint de dicto hujusmodi illi, qui omnia de Deo dicta humano accipere more audent? « Et plantavit Deus, inquit, paradisum. » Quid, quæso? Num ligone opus habuit et agricultura aliaque cura, ut paradisum exornaret? Absit. Iterum enim etiam hoc loco illud, « plantavit, » sic intelligendum, scilicet ipsum imperasse ut paradisus in terra fieret, ut productus homo in terra versaretur. Quod autem propter hominem paradisum adornaverit, audi Scripturam dicentem; « Et plantavit Deus » paradisum in Edem ab oriente, et posuit illic hominem quem » formavit. » Ideo etiam loci nomen affert Moyses in Scripturis, ut ne liceret frustra nugari volentibus simpliciorum auribus imponere, dicereque non esse in terra paradisum, sed in cœlo, et fabulas hujusmodi somniare. Nam si cum divina Scriptura tanta usa sit verborum accuratione, non dubitarunt tamen quidam de facundia sua, necnon de philosophia exotica altum sapientes, adversa Scripturis loqui, et dicere paradisum in terra non esse, multaque alia præter ea quæ dicta sunt adoptantes, contra Scripturam sentire; et ad-

versam tenere viam, atque ea quæ de terra dicta sunt, de cœlis dicta putare; nisi humili illa et attemperata verborum ratione usus Moyses esset, Spiritu sancto linguam ejus movente, quo non devoluti essent? Quamvis Scriptura sacra, cum nos tale quidpiam docere vult, seipsam interpretetur, et auditorem errare non sinat. Sed quoniam multi non ut quidpiam lucri ex divinis Scripturis demetant, sed voluptatis gratia, aures dictis adhibent; ideo non iis qui prosunt, sed iis qui magis oblectant, attendunt. Quamobrem obsecro ut omnibus illis aures obturantes, sacræ Scripturæ canoni obsequamur. Ac cum audieris, dilecte, « Deus plantavit paradisum in oriente; » illud, « plan» tavit, » ut Deo convenit intellige, nempe quod præceperit; quod vero sequitur crede, nimirum paradisum factum esse, et in illo loco, ubi Scriptura sacra significavit. Non credere enim iis quæ in divina Scriptura feruntur, sed alia ex propria mente inducere, magnum puto periculum creare talia audentibus. « Et posuit, inquit, ibi hominem, quem » formavit. »

IV. Vide quantum honorem statim in eum contulerit, cum eum extra paradisum creasset; statim illum eo introduxit, ut rebus ipsis in beneficii sensum ipsum adduceret, ut sciret quantus illi honor esset concessus, in paradisum illum introduxit: « Et posuit illic hominem, quem » formavit. » Illud item, « posuit, » sic intelligamus ac si diceret, præcepit ut illic habitaret, ut et aspectus et habitatio magnam ipsi pareret voluptatem, et eum ad gratias referendas excitaret, cogitantem quantum beneficii accepisset, cum nondum quidpiam præstitisset boni. Ne igitur te in stuporem injiciat vox illa, « Posuit. » Mos enim est Scripturæ sacræ propter nos et ad utilitatem nostram humanis uti verbis. Quod ut ediscas, perpende quomodo prius, cum de stellarum creatione age-

retur, eadem usa sit voce, dicens : « Et posuit illas in firma-» mento cœli; » non ut eas cœlo infixas putemus : nam earum singulæ proprium cursum conficiunt, locum ex loco mutantes; sed ut doceat se illis ut in cœlo essent præcepisse, ut hominem jussit in paradiso degere. « Et produxit, in-» quit, Deus de terra omne lignum pulchrum ad vivendum, » et bonum ad edendum, et lignum vitæ in medio paradisi, » et lignum ad sciendum bonum et malum [1]. » Ecce aliam beneficii speciem in honorem creati hominis. Quia enim illum in paradiso versari volebat, præcepit ex terra arbores diversas oriri, quæ simul et aspectu jucundæ essent, et ad cibum aptæ. « Omne lignum, inquit, pulchrum aspectu, » id est, ad spectaculum; et bonum ad esum; videlicet ligna, quæ visum oblectare possent, et esu magnam præbere voluptatem; quæque uptote multa et copiosa multam iis usuro parerent voluptatem. Omne lignum, inquit, quodcumque dixeris, oriri curavit. Vidisti-ne miseriæ vacuam habitationem? vidisti-ne vitam mirabilem? sicut Angelus quidam versabatur homo in terra; corpore quidem amictus, sed extra corporeas necessitates constitutus, et quemadmodum purpura et diademate ornatus, purpureaque indutus veste, sic cum libertate versabatur in paradisi sedibus, multa gaudens rerum copia. « Et lignum, inquit, vitæ in me-» dio paradisi, et lignum ad sciendum bonum et malum. » Postquam nos docuit terram omne lignum emisisse secundum Domini præceptum, jucundum visu, et bonum esu; tunc ait : « Et lignum vitæ in medio paradisi, et lignum ad » sciendum bonum et malum. » Cum præsciret enim benignus Dominus, utpote creator, nocumentum ex libertate et securitate procedente tempore oriturum, produxit lignum vitæ in medio paradisi, necnon lignum sciendi bonum et malum; quia non multo post ab eo abstinere jussurus erat;

[1] Gen. II, 9.

ut scire posset se ex gratia et benignitate illis fruiturum esse, ac se dominum et creatorem esse tum illius substantiæ, tum omnium visibilium. Ideo jam ligni mentionem fecit, ac fluminum nomina deinde nobis declarat, illorumque ut dixerit quispiam separationem, ac quomodo ex illo qui paradisum irrigabat, alii in quatuor capita divisi, climata distinguerent. Verum forte ii, qui ex propria sapientia loqui volunt, flumina illa non concedunt esse flumina, neque aquas fatentur esse aquas; sed aliud imaginari suadent iis qui sibi aures accommodare volunt. At nos, obsecro, hujusmodi homines ne feramus, sed obstruamus illorum dictis aures, credamus divinæ Scripturæ, atque ea quæ in illa dicuntur sectantes, sanam doctrinam in animis nostris reponere satagamus, insuperque vitam diligenter instituamus, ut et ipsa vita sit doctrinæ testis, et dogmata ipsa vitæ fidem faciant. Nam si dogmata quidem recta teneamus vitamque tamen negligamus, nihil id nobis proderit; pariterque si vitæ curam habeamus, rectorum autem dogmatum minime, nihil ad salutem nostram utile lucrari poterimus. Par est enim, si voluerimus et a gehenna liberari, et regnum consequi, utroque ornari, et sanis dogmatibus, et vitæ cura. Quæ utilitas, quæso, arboris prealtæ, et foliis vernantis, quæ fructibus vacua sit? Sic et Christiano nihil prosunt recta dogmata, si vitæ institutum negligat. Ideo Christus tales homines beatos dicebat: « Beatus qui » fecerit, et docuerit [1]. » Nam doctrina operum longe accuratior et fide dignior est, quam doctrina verborum: etenim qui bene agit, etiamsi taceat, nec videatur, instituere potest, alios scilicet per aspectum, alios per aures; ipseque multa Dei benevolentia fruetur, dum id efficit ut non modo per seipsum, sed etiam per eos qui ipsum respiciunt, Dominus suus celebretur. Qui hujusmodi est, per sexcen-

[1] Matth. v, 15.

tas linguas et per multa ora gratias et laudes offeret universorum Deo. Neque enim noti solum vitæ illius testes, et illum et ipsius Dominum admirantur; sed etiam non noti ab aliis discentes, tum qui procul habitant, et longo intervallo dissiti sunt, non amici modo, sed etiam inimici, virtutis eminentiam reverebuntur. Tanta quippe est illius virtus, ut etiam oppugnantium se ora obstruat et linguam compescat. Ac quemadmodum solares radios infirmi oculis obtueri non audent; sic nec virtutem unquam nequitia obtueri poterit, sed recedet et terga dabit, victamque se fatebitur. Quod cum persuasum nobis sit, virtuti hæreamus, atque fortiter et tuto vitam instituamus, et quæ minima videntur peccata, sive in verbis, sive in operibus, sedulo vitemus. Sic enim nunquam in majora incidemus, si a parvis abstineamus: ac procedente tempore poterimus, superna favente gratia, summam virtutem attingere, reconditam effugere pœnam, et æterna consequi bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri sanctoque Spiritui sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIV.

Et accepit Dominus Deus hominem, quem formavit et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum [1].

I. Iterum, si vultis, hesternæ concionis seriei hodie insistentes, hinc vobis spiritualem doctrinam contexere curabimus. Multa enim in iis, quæ modo sunt lecta, recondita vis est, et par est nos in profunda penetrantes, atque

[1] Gen. II, 15.

accurate omnia explorantes, lucrum inde decerpere. Nam si ii, qui pretiosos lapides in mari exquirere cupiunt, tantum laborem et molestiam subeunt, incompositos aquarum fluctus adeuntes, ut optatis potiantur; multo magis nos animum intendere par est, ut perlustratis iis, quæ in profundo dictorum latent, sic pretiosos illos lapides nanciscamur. Sed ne timeas, dilecte, cum profundum audis. Non enim hic impetus est æstuantium undarum, sed Spiritus gratia mentem nostram illustrans, quæ id præstat, ut quæsita facilius inveniantur, et laborem omnem levem efficit. Illos certe lapillos invenisse scrutantem non multum juvat; sæpe autem ei nocuit, et mille naufragiorum causa fuit, nec tantam reperienti lætitiam peperit, quantam repertis illis molestiam expertus est; invidorum nempe oculis adversum se concitatis, et avaris ad bellum sibi inferendum armatis. Ita non modo nullam utilitatem in vitam inducunt reperti illi lapides; sed etiam multorum sunt causa bellorum. Avaritiæ namque materia est, et caminum cupiditatis incendens, eorum qui ipsi dediti sunt animum oppugnat. In spiritualibus contra hisce pretiosis lapidibus nihil hujusmodi metuendum; sed divitiæ hinc collectæ immensæ sunt, et voluptas immarcessibilis, et longo intervallo superans omnem lætitiam hominum ex supradictis partam. Hoc audias beatum Davidem dicentem : « Desiderabilia » eloquia tua super aurum et lapidem pretiosum multum [1]. » Vides-ne quo pacto materiam omnium pretiosissimam habitam in medium adducens, non modo tali comparatione contentus non est; sed adjecit, « multum, » quo verbo nobis ejus præstantiam declaravit? « Super aurum, inquit, » et lapidem pretiosum multum : » non quod tanta solum ratione desiderabilia sint divina eloquia, sed quia solas hasce materias apud homines sciret in summo haberi pre-

[1] Psal. xviii, 11.

tio, his in medium adductis ita præcellentiam indicavit, et desiderium eloquiorum Spiritus vehementius esse dixit. Et ut discatis hunc semper esse morem Scripturæ divinæ spiritualibus rebus conferre eam, quæ inde manat, utilitatem, et sic præcellentiam ostendere, audite sequentia : « Et dul-» ciora super mel et favum [1]. » Et hic quoque non quod tanto solum dulciora sint, nec quod tantam possint parere voluptatem, sed quia nihil habuit in rebus sensibilibus, quod conferre posset voluptati divinorum eloquiorum; idcirco his memoratis, sic illorum eminentiam descripsit, ac divinorum dogmatum voluptatem majorem esse dixit. Eadem norma invenies Christum in Evangeliis usum. Nam cum Discipulis loqueretur, cupientibus interpretationem discere parabolæ seminantis bonum semen in agro suo, et inimici zizania inter triticum jacientis, minutatim totam explicavit parabolam, dicens quis fuerit is qui bonum semen seminavit, quis ager, quæ zizania, quis ea seminaverit, qui messores, quæ messis : et postquam omnia eis palam fecisset, tunc ait : « Justi fulgebunt » sicut sol in regno Patris eorum [2] : » non quod parem tantum fulgorem habituri sint Justi, sed ostendit multo majorem esse : tantum autem dixit, quod major hac imago in visibilibus reperiri non posset. Cum igitur quid simile audimus, ne in dictis tantum sistamus gradum, sed ex iis quæ sub sensum et sub aspectum cadunt, spiritualium eminentiam æstimemus. Quandoquidem igitur hic vehementius desiderium inveniri potest; divina siquidem sunt et spiritualia eloquia, quæ magnam possint in animo parere spiritualem lætitiam; cum studio multo ac vehementi desiderio dictis aures præbeamus, ut veras divitias inde nacti, et ad eam, quæ secundum Deum est, philosophiam, multis susceptis seminibus, sic domum revertamur.

II. Audiamus igitur quæ hodie lecta sint : sed animum

[1] Psal. xviii, 11. — [2] Matth. xiii, 43.

adhibete, et excussa ignavia, curaque sæculari omni, sic dictis attendite : divinæ namque leges sunt ex cœlis ob salutem nostram demissæ. Nam si cum imperatoriæ litteræ leguntur, magnum ubique est silentium, et omnis tumultus strepitusque eliminatur, omnibus aures arrigentibus, et audire cupientibus quid imperatoriæ litteræ declarent, et magnum periculum adest vel tantillum tumultuanti, et lectionis seriem interturbanti; multo magis hic cum timore et tremore standum, et altum habendum silentium, cogitationumque tumultus arcendus, ut quæ dicuntur intelligere possitis, et ut obsequentiam vestram approbans Rex cœlorum, majoribus vos muneribus dignetur. Videamus igitur quid nos nunc doceat beatus Moyses, non propria tantum lingua, sed et Spiritu sancto afflatus hæc loquens. « Et » accepit, inquit, Dominus Deus hominem, quem forma» vit. » Bene statim a principio hæc duo posuit : non enim dixit : « Dominus, » et tacuit : sed addidit, « Deus » hic aliquid latens et occultum nobis indicans, ut discamus, sive Dominum, sive Deum audiamus, nullum esse inter hæc nomina discrimen. Hoc autem non sine causa commemoravi ; sed ut cum audieris Paulum dicentem : « Unus Deus » Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus, » per quem omnia [1], » ne putes differentiam in vocibus esse, et alteram majus, alteram minus quidpiam significare. Ideo indiscriminatim Scriptura his utitur nominibus, ut contentiosis non liceat id, quod ipsi comminiscuntur, inter recta dogmata referre. Et ut discas divinam Scripturam neutrum horum quadam distincta significatione servata proferre, ex hoc ipso quod dicitur diligenter considera : « Et accepit, » inquit, Dominus Deus. » De quo vult hæreticus esse dictum ? De Patre solum ? Esto. Audi itaque Paulum dicentem : « Unus Deus Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus

[1] 1 Cor. VIII, 6.

« Christus, per quem omnia. » Vides quomodo nomen, « Dominus, » Filio attribuat? Cur ergo dicant nomen, « Dominus. » majoris esse dignitatis quam illud, « Deus? » Videte quam sit hoc absurdum, et quanta blasphemiæ gravitas. Cum enim quis noluerit divinæ Scripturæ normam sequi, sed suis ratiociniis locum dare præsumpserit, sensum turbare solet, et infinitas contentiones quæstionesque movet adversus sanam doctrinam. « Et accepit, inquit, Dominus Deus » hominem, quem formavit, et posuit illum in paradiso » voluptatis, ut operaretur et custodiret illum[1]. » Vide quantam creati hominis providentiam habeat. Postquam enim heri nos docuit beatus Moyses his verbis : « Plantavit Deus » paradisum, et posuit illic hominem; » id est, voluit ut ibi domicilium haberet, et paradisi deliciis frueretur; hodie iterum declarat nobis ineffabilem Dei clementiam, quam circa illum exhibet, et resumens sermonem, ait : « Et acce- » pit Dominus Deus hominem, quem formavit, et posuit » eum in paradiso voluptatis; non « in paradiso » solum dixit, sed addidit, « voluptatis, » ut ingentem, qua in illa habitatione fruebatur, voluptatem nobis declararet : ac postquam dixit ; » Posuit illum in paradiso voluptatis, » addit, « Ut operaretur » et custodiret illum ; » ingentis et hoc providentiæ est. Quoniam enim in hujusmodi sedibus omni replebatur voluptate, et aspectus jucunditate, ac lætitia inde parta fruebatur, ne ex nimia felicitate homo insolesceret : « Omnem » enim, inquit, malitiam docuit otium[2] ; » ideo præcepit Deus, « Ut operaretur, et custodiret illum. » Quid autem, dices, illius cura egebat paradisus? Non hoc dico; sed voluit tamen ut modicam curam gereret, partim custodiendo, et partim operando. Si enim omni prorsus labore vacuus fuisset, ex nimio otio statim in ignaviam declinasset : at cum operationi sese daret sine dolore vel molestia, temperantior

[1] Gen. II, 15. — [2] Eccli. XXXIII, 29.

esse poterat. Illud autem, « Ut operaretur, » non sine causa dicitur, sed est attemperatum dictum; ut plane sciret se domino cuidam subjici, qui tantæ voluptatis habitationem sibi dedisset, et ejusdem sibi custodiam traderet. Deus enim omnia facit et operatur propter nostram utilitatem, ac cum illa etiam fruitionem libertatemque præbet. Nam si ex immensa sua benignitate, etiam priusquam nos produceret, ineffabilia illa bona nobis præparavit, quemadmodum ille dicit: « Venite benedicti Patris mei, hæreditate » accipite paratum vobis regnum ante constitutionem mun- » di [1]; » multo magis præsentia omnia largiter præbebit.

III. Quia igitur tot beneficia in creatum hominem contulit, primoque ex nihilo produxit, et ex pulvere corpus formare dignatus est; posteaque quod excellentius erat, animam incorpoream per insufflationem dedit; deindeque paradisum esse, et eum illic commorari jussit; post hæc ut pater prolis amans, tenero filio multa libertate et requie fruenti, ne insolescat, parvam quamdam et moderatam curam excogitat; sic Deus Adamo operationem et custodiam præcepit, ut cum multa voluptate, securitate atque quiete hæc duo haberet, quæ aliquantulum impedirent ne ultra metas procederet. Hæc quidem primo collata sunt condito homini; quæ autem sub hæc adjecta sunt, magnam erga illum declarant benignitatem, atque indulgentiam, quam ex sua bonitate exhibuit. Quid enim dicit Scriptura? « Et præcepit » Dominus Deus Adæ. » Ecce iterum hic eadem consuetudine utitur; ut iisdem frequenter repetitis accuratius doctrinam excipiamus, et ne ultra feramus eos, qui audent nomina pro libito distinguere, et aliud Patri, aliud Filio ascribere. Quia enim utriusque una substantia est, ideo divina Scriptura indiscriminatim aliquando Patri, aliquando Filio tribuit. « Et præcepit, inquit, Dominus Deus Adæ, dicens. »

[1] Matth. xxv, 34.

Hic merito stupeamus Dei clementiam verba omnia superantem videntes, quam brevi hac dictione exhibet, « Et præ» cepit, » inquit. Vide statim ab initio, quanto honore hominem prosequitur. Neque enim dixit : Imperavit, vel jussit : sed quid ? « Præcepit. » Sicut amicus amico de rebus necessariis præcipiens loquitur, ita et Deus erga Adamum afficitur, quasi hoc honore ipsum ad obediendum iis, quæ a se præcipiebantur, attracturus. « Et præcepit Dominus Deus » Adæ, dicens : De omni ligno quod est in paradiso, come » dendo comedes : de ligno autem sciendi bonum et malum, » non comedetis. Quocumque autem die comederitis ex eo, » morte moriemini [1]. » Magna hujus præcepti facilitas est. Sed, dilecte, grave malum est desidia ; sicut enim illa facit ut facilia omnia videantur difficilia ; sic studium et vigilantia, etiam omnia ardua et difficilia facilia nobis reddunt. Quid enim, dic, quæso, hoc mandato facilius ? quid hoc honore majus ? Concedebat versari in paradiso, visibilium formositate oblectari, aspiciendo exhilarari, et fruendo magnam voluptatem percipere. Cogita quam jucundum fuerit videre arbores fructibus oneratas, florum varietatem, herbarum diversitatem, foliorum comas, atque alia quæ verisimile est in paradiso fuisse, et in paradiso a Deo plan tato. Propter hoc enim superius divina Scriptura dicit : « Produxit adhuc ex terra omne lignum pulchrum aspectu, et » bonum ad comedendum » : ut scire possimus quanta fruens ubertate, per magnam intemperantiam, et negligentiam, datum sibi mandatum violaverit. Cogita, obsecro, honoris eminentiam, qua illum prosecutus est, data illi mensa propria et segregata in paradiso, ut ne putaret eamdem sibi et jumentis instrui, sed haberet quasi rex, in paradiso agens, deliciarum copiam, et quasi dominus separatim degeret, atque aliam quam ministri habitationem sortiretur.

[1] Gen. II, 16, 17.

«Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens : Ex omni ligno » quod est in paradiso, comedendo comedes : ex ligno autem » sciendi bonum et malum, non comedetis ex eo : quocum- » que autem die comederitis, morte moriemini : » Quasi diceret ad illum ; « Num molestum aliquid et grave peto ex te ? frui enim omnibus tibi permitto, hoc unum præcipio ne tetigeris. Et magnam pœnam decerno, ut vel timore coërcitus, datum a me tibi mandatum custodias. » Hæc faciebat, quasi dominus aliquis liberalis, domum magnam alicui concredens, et ut dominium sibi salvum maneat, parum tantum pecuniæ dandum ab illo præscribat. Sic sane et benignus noster Dominus, concesso omnium, quæ in paradiso erant, fructu, ab uno tantum ligno abstinere jussit, ut scire posset homo se esse sub domino, cui obedire deberet et parere, si quid ille imperaret.

IV. Quis pro dignitate admirabitur communis omnium nostri Domini liberalitatem? Cum nullum adhuc specimen præ se ferret Adam, quanta beneficia accepit? Neque enim dimidiatam illi dedit rerum fruitionem, neque a pluribus abstinere jussit, et cæteris frui : sed participem omnium, quæ erant in paradiso, esse voluit : ab uno solo ligno abstinere præcepit, monstrans reipsa nullius alterius gratia hoc ipsum se facere, quam ut tantorum beneficiorum auctorem agnoscere homo posset. Et considera cum aliis etiam hic bonitatem Dei, quanto honore etiam mulierem prosequitur, quæ ex illo formanda erat. Nondum ea enim producta, quasi utrique mandaret, dicebat : « Ne comederitis » ex eo : et quocumque die comederitis, morte moriemini : » declarans jam inde ab initio unum esse virum et mulierem, sicut et Paulus inquit : « Caput mulieris vir[1].» Propterea ergo quasi utrique loquitur, ut posthac formata ex viro muliere, occasionem illi præbeat docendi illam ipsius præ-

[1] Ephes. v, 23.

cepta. Jam scio quidem vulgatissimam esse de hoc ligno quæstionem et multos temere loquentes, culpam ab homine in Deum transferre niti, audacterque dicere : « Cujus rei gratia dedit mandatum, quod sciebat hominem transgressurum ? » Et iterum : « Quare jussit lignum fieri in paradiso ? » et multa alia. Sed ne nunc ante tempus prævaricationis videamur prosilire ad ea enarranda, operæ-pretium est ut nos expectemus beati Mosis narrationem : ut cum ad eum locum pervenerimus, tempestive quæcumque Dei gratia dederit, de ea re dicentes, verum Scripturæ sensum vestram doceamus charitatem : quo scientes Scripturarum veritatem, debitam Domino gloriam offeratis, nec eo qui peccavit omisso, culpam inculpato Deo imputetis. Jam autem, si libet, de præsenti lectione quod sequitur pro sequamur. « Et dixit, inquit, Dominus Deus : Non est bo- » num hominem esse solum [1]. » Ecce iterum similiter dixit, sicut et prius, « Dominus Deus : » ut animo dicta infigentes, ne putemus divina Scriptura præstantiores nostras opiniones esse. « Dixitque, ait, Dominus Deus : Non est bonum » esse hominem solum. » Considera quomodo non cessa bonus Deus, sed beneficia beneficiis cumulat, et abundans bonitate, omni honore circumdare vult animal hoc ratione præditum, ut non solum honeste, sed et commode vivat. Nam « Dixit Dominus Deus : Non est bonum homi- » nem esse solum, faciamus illi adjutorem secundum illum [2]. » Ecce iterum etiam hic dicit : « Faciamus. » Sicut enim in principio de homine formando dicebat : « Faciamus homi- » nem secundum imaginem nostram et secundum similitu- » dinem : » ita et nunc mulierem formaturus, eodem verbo utitur, et inquit : « Faciamus. » Cui hoc dicit ? Non creatæ alicui potentiæ, sed ei qui ex se natus est, « Consiliario » Admirabili, potenti, principi pacis, unigenito Filio suo [3]. »

[1] Gen. II, 18. — [2] Ibidem. — [3] Isaï. IX, 6.

Et ut sciret Adam animal formandum æqualis cum ipso dignitatis fore, idcirco quemadmodum de ipso dicebat : « Faciamus, » sic et nunc dicit : « Faciamus illi adjutorem » secundum illum : » utrumque multum habet ponderis, tum quod ait, « adjutorem, » tum quod addit, « secundum » illum. » Nolo, inquit, illum solum esse, sed habere ex contubernio consolationem aliquam, neque hoc solum, sed producendus est adjutor ipsi congruens, mulierem insinuans : propterea cum dixisset : « Faciamus illi adjutorem, » addit, « secundum illum ; » ut cum videris statim adduci bestias, et omnia volatilia cœli, ne putes de illis esse dictum. Nam licet multa irrationabilia animantia adjuvent illum in laboribus suis, nullum tamen par est rationali mulieri. Unde cum dixisset : « Adjutorem secundum illum, » subdit : « Et formavit Deus adhuc de terra omnes bes- » tias agri, et omnia volatilia cœli, et duxit illa ad Adam, » ut videret quid vocaret illa. Et omne quodcumque voca- » vit Adam animam viventem, hoc est nomen illi[1]. » Non temere, neque absque causa hoc factum est, sed propter ea quæ paulo post futura erant. Deus enim cum præsciret quid non multo post eventurum esset, ostendit nobis quantam sapientiam condito a se homini dedit, ut cum prævaricatio mandati a Deo dati contingat, non putetur per ignorantiam peccasse, sed scire possis lapsum illum ex desidia fuisse.

V. Nam quod magna sapientia præditus fuerit, disce ex iis quæ nunc fiunt. « Et adduxit illa, inquit, ad Adam, ut » videret quid vocaret illa. » Fecit hoc Deus, demonstraturus nobis magnam illius sapientiam. Et iterum : « Quod » vocavit, inquit, Adam, hoc est nomen illi. » Factum autem hoc est, non ut discamus illius sapientiam solum, sed ut et symbolum dominii per nominum impositionem cognoscatur. Nam et hominibus mos est hoc facere in

[1] Gen. II, 19.

signum dominii, ut cum servos emerint, ipsorum nomina mutent. Unde et Adam instruit, ut omnibus brutis tanquam dominus nomina indat. Ne igitur hic subito prætereas, dilecte, quod dicitur : sed cogita quantæ fuerit sapientiæ tot generibus, volatilibus, reptilibus, feris, jumentis, et aliis brutis domesticis, et agrestibus, et in aqua vitam agentibus, et e terra productis, et in summa omnibus propria et convenientia suæ naturæ imponere nomina. « Nam quodcumque vocavit Adam, inquit, hoc nomen est » illi. » Vidisti consummatam potentiam? vidisti dominii auctoritatem? Perpende cum aliis etiam hoc, quod et leones, et pardi, et viperæ, et scorpii, et serpentes, et alia omnia etiam illis truculentiora ad illum quasi dominum omni cum subjectione accesserunt, et nomina acceperunt : nec ullum illorum veritus est Adam. Ne igitur arguat aliquis, quod a Deo sint creata ; neque contra Opificem linguam acuat, imo contra suum caput, dicendo illa insana verba : « Cujus gratia feræ productæ sunt? » Nam omnia perinde ac mansueta servitutem agnoverunt ; et dominium manifeste nobis monstrat nominum impositio. Nomina enim quæ imposuit illis, usque in hodiernum diem permanent : ita enim hæc firmavit Deus, ut perpetuam habeamus memoriam honoris, quem initio Adam a Domino omnium accepit, bruta sibi subdita habens : et ablati hujus causam illi ascribamus, qui peccato suo hanc suam potestatem mutilavit. « Et donavit, inquit, Adam nomina omnibus » pecoribus, et omnibus volatilibus cœli, et omnibus bestiis » terræ [1]. » Hinc jam considera, dilecte, voluntatis libertatem, et sapientiæ ejus eminentiam, et ne dicas eum ignorasse quid bonum, quid malum. Nam qui potuit congruis nominibus jumenta appellare, et volatilia cœli, et alias bestias, neque ordinem confudit, neque mansuetis anima-

[1] Gen. II, 20.

libus convenientia feris imposuit, nec feris congruentia mansuetis attribuit, sed omnibus sua dedit nomina, quomodo non omni sapientia et industria pollebat? Hinc cogita quanta hujus spiraculi in illo potentia, et quanta incorporeæ animæ sapientia, quam Dominus illi dedit, cum admirabile et rationabile hoc animal ex duabus naturis constituens, incorpoream animæ substantiam, ceu optimum artificem, corpori quasi instrumento conjunxit. Igitur cum tecum cogitabis tantam hujus animalis sapientiam, admirare Opificis potentiam. Nam si cœli pulchritudo a cordato spectatore visa, illum ad celebrandas Conditoris laudes adducit : quanto magis rationale hoc animal homo, cum suam formationem, honoris a Deo sibi dati eminentiam, magnitudinem donorum et ineffabilia beneficia considerat, auctorem horum continuis laudibus prædicare, et pro suis viribus gloriam Deo reddere poterit? Vellem et de sequentibus agere : sed ne multitudine eorum quæ dicuntur jam dictorum obruam memoriam, operæ-pretium fuerit doctrinæ sermonem hoc loco claudere. Neque enim hoc solum nobis curæ est, ut multa dicamus : sed ideo dicimus, ut perpetuo in animis vestris defixa servetis, utque non solum vos ipsi sciatis ea, quæ in divinis Scripturis continentur, sed ut et aliorum sitis doctores, possitisque et alios admonere. Unusquisque igitur vestrum, obsecro, hinc egressus, cum proximo suo dictorum memoriam refricet, et quæ ipse retinuit afferens, ea quæ alius memoria tenet accipiat; et ita omnia colligentes atque memoria tenentes, domum concedite, apud vos ipsos ruminantes divinas hasce doctrinas : ut huc omni cura vestra conversa, menteque in his occupata, possitis facile et turbulentas animi affectiones vincere, et diaboli insidias effugere. Nam cum malus ille dæmon videt animam de divinis rebus sollicitam, et perpetuo illas cogitantem et

versantem, ne accedere quidem propius audet, sed celeriter resilit, a spiritus operatione quasi a succenso rogo abactus. Ut igitur et nobis plurimum sit lucri, et illum vincere valeamus, et superne nobis copiosior præstetur gratia, in his animum nostrum exerceamus. Nam ita prosperabuntur in manibus nostris omnia, erunt facilia quæ difficilia erant : quæ molesta videbantur esse, bonum exitum sortientur, nec quidquam præsentium nos tristitia afficere poterit. Quandoquidem si nobis curæ fuerint divina, ipse quoque Deus pro nobis sollicitus erit, et magna securitate per pelagus hujus vitæ navigabimus, ac deducente nos magno illo gubernatore Deo ipso, ad illius clementiæ portum appellemus. Cui gloria, et imperium, nunc et semper, et in infinita sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XV.

Adæ vero non inventus est adjutor similis illi. Et immisit Deus excessum in Adam, et dormivit, et accepit unam costarum ejus, et implevit carnem pro illa. Et ædificavit Deus costam, quam accepit de Adam, in mulierem [1].

I. Magnam vobis habeo gratiam, quod tanta alacritate hesternam meam acceperitis admonitionem, et dictorum prolixitate non solum non sitis offensi, sed in concionis serie perpetuum audiendi desiderium usque ad finem servaveritis : unde magna nobis spes est vos operibus ipsis consilia nostra secuturos esse. Nam qui tanta voluptate audit, declarat ad opera quoque facienda se paratum:

[1] Gen. II, 20, 21.

alioqui frequens etiam nunc iste vester conventus, certum argumentum est quam bene anima valeatis. Nam sicut esurire, signum est bonæ valetudinis corporalis : ita amare divina eloquia, spiritualis sanitatis indicium fuerit maximum. Quoniam autem fructus vestri studii pollicetur vos quæ audistis impleturos esse, age et nos mercedem quam heri pollicebamur, hodie vestræ charitati dinumeremus. Spiritualem hanc doctrinam mercedem dico, quæ potest et meam augere substantiam cum numeravero, et vos qui recipitis, ditiores facere. Hoc enim modo se habent spiritualia omnia ; id quod in rebus sensibilibus non est. Nam in illis, qui dinumerat pecuniam, suam imminuit substantiam, et locupletiorem efficit eum qui recipit ; hic autem non sic, sed et is qui numerat, suas facultates magis auget, et recipientibus divitiarum multum accedit. Itaque cum et nobis prompta sit benevolentia, et vos spirituales illas opes suscepturi sinus mentis paratos habeatis, age præstemus quod in nos recepimus, et iterum acceptis iis, quæ ex contextu beati Mosis lecta sunt, inde vobis mercedem dinumeremus. Quæ igitur hodie lecta sunt in medium afferri debent, ut thesauros sensuum in verbis latentes, diligenter quæsitos, charitati vestræ proponamus. Audistis enim modo Scripturam dicentem : « Adæ vero non inven-» tus est adjutor similis illi. » Quod sibi vult brevis hæc dictio, « Adæ vero ? » quare apponit conjunctionem? annon sufficiebat dicere, Adæ ? Non absque ratione, neque curiositatis gratia inquirendi talia nobis animus est : sed ut diligenter omnia vobis interpretantes, doceamus vos neque dictionem parvam, neque syllabam unam, in divinis Litteris contentam, esse prætereundam. Non enim verba qualiacumque sunt, sed Spiritus sancti verba : et propterea magnum ibi thesaurum invenire licet, etiam in una syllaba. Auscultate igitur, obsecro, magna diligentia,

nullus deses, nullus somniculosus sit, omnes vigili animo adeste. Nullus externis occupationibus mentem distrahat, nullum sæculares curæ abripiant : sed cogitet unusquisque spiritualis hujus congregationis dignitatem, et ea quæ audivimus, Deum nobis per Prophetarum linguam dicere : sicque aures arrigat et intentam mentem adhibeat, ne aliquid eorum quæ seminamus, in petram cadat, vel secus viam, vel inter spinas, sed omne semen in terram bonam, latitudinem dico mentis vestræ, projectum, largum vobis fructum afferre queat, et a nobis concredita multiplicet. Cæterum videamus quid sibi velit hujus conjunctionis copula, « Adæ vero non inveniebatur adjutor similis illi. » Vide, obsecro, divinæ Scripturæ accuratam diligentiam. Postquam dixit, « Adæ vero non inventus est adjutor : » non ibi substitit, sed adjecit, « similis illi : » additamento illo causam nobis declarans, ob quam conjunctionis copulam addiderit. Existimo acutiores conjectare posse, et prævidere quid dicturi simus : verum quia nostri officii est, qui communem omnibus doctrinam proferimus, omnibus etiam manifesta facere quæ a nobis dicuntur, age doceamus vos cujus gratia sic dixerit, sed parumper sustinete. Nam postquam in superioribus dictis, sicut memores estis, Scriptura divina dixisset : « Faciamus illi adjutorem se- » cundum eum : » statim docuit nos bestiarum, et reptilium, et brutorum omnium formationem; ait enim : « Et » formavit Deus adhuc de terra omnes bestias, et volucres » cœli, et duxit illa ad Adam, ut videret quid vocaret illa. » Et quasi dominus omnibus imposuit nomina, et unicuique bestiarum, et volucrum, et brutorum omni generi suum vocabulum secundum concessam sibi sapientiam assignavit, ut scire possemus omnes illas creaturas, licet homini ministrent et nos adjuvent cooperando nobiscum, irrationabiles tamen esse, et homine longe inferiores. Unde ne

putemus eum de illis dixisse : « Faciamus illi adjutorem. » Nam licet adjuvent, et in multis ministerio suo homini utiles sint, ratione tamen carent. Sane quod juvent nos, rerum docet experientia : alia enim utilia sunt ad convehenda necessaria, alia ad colendam terram. Quandoquidem bos aratrum trahit, sulcos secat, et varia agriculturæ opera exercet. Asinus ad convehenda necessaria admodum utilis est, et pleraque animalia alia corporis nostri usui serviunt. Etenim oves lanam ad parandas vestes præbent, et capræ ex suis pilis aliquid nostro ministerio afferunt, lacteque et alio quoque modo escam præbent. Proinde ne existimes, id quod supra dicit, « Faciamus illi adjutorem, » de illis dictum : ideo nunc sermonem incipiens, inquit : « Adæ vero non inventus est adjutor similis ei : » quasi doceret nos beatus Moses, et hæc diceret verba : « Hæc omnia quidem producta sunt, et ab Adam sua acceperunt nomina, nullum tamen ex iis omnibus dignum fuit inventum quod illum adjuvaret. » Ideo volens nos docere producendi animalis formationem, et indicare animal hoc producendum istuc ipsum esse de quo dicebat : « Faciamus illi » adjutorem secundum illum ; » similem illi inquit, hoc est, ejusdem substantiæ, ipso dignum, ipso nihil inferiorem, et hanc ob rem dicebat : « Adæ vero non invenie- » batur adjutor similis illi : » monstrans nobis Beatus ille, quantumcumque nobis ministerium exhibeant hæc bruta, aliud tamen quoddam adjutorium esse multis numeris excellentius, quod a muliere Adæ præstatur.

II. Itaque quia omnibus animalibus jam productis, et suum nomen a primo homine sortitis, benignus Dominus similem illi adjutorem ut produceret inquirebat : qui omnia propter hominem a se formatum dispensat, et propter hunc omnem visibilem creaturam produxit, is cum aliis omnibus et mulierem format. Et vide quam diligenter

formationem nos doceat. Nam postquam nos docuit se velle producere illi adjutorium simile ipsi; nam superius dixerat : « Faciamus illi adjutorium secundum illum : » et hic inquit, « Non inveniebatur adjutor similis illi : » eam ob causam ex illius substantia ipsam format, et inquit, « Et immisit Dominus Deus excessum in Adam, et dormi- » vit : et accepit unam costarum illius, et implevit carnem » pro illa. Ædificavitque Dominus Deus costam, quam » accepit de Adam, in mulierem, et duxit illam ad Adam[1]. » Magna verborum vis est, et omnem humanum captum transcendens. Non enim aliter possunt hæc magna intelligi, quam fidei oculis conspecta. « Et immisit Deus, inquit, » excessum in Adam, et dormivit. » Vide quam accurata sit et eximia doctrina : utraque posuit beatus ille Propheta, imo Spiritus sanctus per illius linguam, docens nos factorum seriem. « Immisit, inquit, excessum in Adam, et » dormivit. » Quod tunc fiebat, neque excessus solum erat, neque somnus solitus, sed quia sapiens et solers nostræ naturæ Opifex unam ex costis illius ablaturus erat; ut ne sentiendo dolorem, mulieri ex costa sua formatæ postea doloris memor infensus esset : eapropter immisso excessu, tanto illum somno oppressit, ut quasi gravedine quadam correptus, nullum rei quæ fiebat sensum caperet : sed sicut optimus Artifex auferret quod sibi videbatur, et suppleret ubi quid deerat, et quod inde sumpserat, secundum suam formaret clementiam. « Immisit, inquit, exces- » sum in Adam, et dormivit : accepitque unam costarum » illius, et implevit carnem pro illa : » ut ne posset, discusso somno, quod factum erat ex defectu sentire. Nam quamvis eo tempore, quo auferebatur, ignoravit, postea tamen cogniturus erat. Itaque ut ne illum in auferendo, dolore, neque ob ablationem, tristitia afficeret, utraque

[1] Gen. II, 21. 22.

sic dispensavit, ut et citra cruciatum illius auferret, et impleto eo loco unde abstulerat, factorum sensum percipere non sineret. Igitur acceptam hanc costam ædificavit Dominus Deus in mulierem. Admirabile dictum, nostram rationem nimia excellentia vincens. Ejusmodi enim sunt omnia quæ fiunt a Domino. Istud enim, quam hominem e pulvere formari, non est minus. Et vide iterum quomodo divina Scriptura verbis nostræ infirmitati accommodis usa sit. « Et accepit, inquit, unam costarum »illius. » Ne humano more accipias quæ dicuntur, sed crassa verba humanæ imbecillitati convenire cogites. Nam nisi his verbis Scriptura fuisset usa, quomodo tam arcana mysteria discere potuissemus? Ne igitur verbis tantum addicti simus, sed omnia, ut par est, de Deo sentiamus. Quandoquidem dum dicitur, « Accepit, » et omnia talia, propter nostram infirmitatem ita dicta sunt. Animadverte autem quomodo et hic eadem usa est consuetudine, qua supra, cum de Adam ageret. Nam ut ibi semel ac iterum, et sæpius dixit : « Et accepit Dominus Deus hominem : » et iterum, « Et præcepit Dominus Deus Adæ : » et iterum, « Dixitque Dominus Deus : Faciamus illi adjutorem similem »illi; » sic et nunc inquit, « Et ædificavit Dominus Deus cos»tam, quam accepit ab Adam, in mulierem. » Et paulo superius, « Et immisit Dominus Deus excessum in Adam : » ut discas nullam Patris et Filii diversitatem has dictiones indicare, quia utriusque est una essentia, indiscriminatim nominibus istis Scriptura utitur. Ecce igitur et hanc consuetudinem, cum de formatione mulieris agit, similiter servavit, dicens : « Et ædificavit Dominus Deus costam »quam accepit ab Adam, in mulierem. » Quid ergo hic dicent hæretici, qui omnia curiosius explorare volunt, et Conditoris omnium generationem comprehendisse se putant? Quis sermo hoc explicare poterit? quæ mens com-

prehendere? « Unam costam, inquit, accepit, » et quomodo ex hac unica costa totum animal formavit? Et quid dico, quomodo ex hac una animal formavit? Dic, obsecro, quomodo ablatio facta est? quomodo Adam, cum auferretur costa, non sensit? Sed nihil horum dicere poteris. Unus enim tantum scit, qui est ipse Conditor. Quod si hæc quæ in manibus sunt, et animalis illius quod nobis carne cognatum est, formationem non comprehendimus : quanti delirii et amentiæ fuerit curiosius inquirere quæ ipsius Conditoris sunt, et dicere se illa comprehendere, quorum neque incorporeæ et divinæ Virtutes justam scientiam habent, sed cum timore et tremore in assidua glorificatione perseverant?

III. « Et ædificavit Dominus Deus costam, quam acce- » pit ab Adam, in mulierem. » Vide Scripturæ diligentiam. Non enim jam dicit, formavit, sed, « Ædificavit : » quia ex jam formato partem accepit, et quasi diceret aliquis, quod deerat dedit. Ideo dicit, « Et ædificavit : » non aliam formationem fecit, sed ex eo quod jam formatum erat, accepta portiuncula quadam, hanc partem ædificavit, et perfectum fecit animal. Quanta optimi architecti Dei potentia, quæ ex tantilla particula, tot et tam elegantia membra concinnavit, tantos formavit sensus, ac perfectum, integrum, et absolutum animal fecit, quod possit et colloqui, et communione substantiæ viro multa afferre solatia? Nam ad ejus consolationem animal hoc formatum est. Unde et Paulus dicebat : « Non enim formatus est vir propter mulierem, » sed mulier propter virum [1]. » Vides quomodo omnia propter virum fiant? Condita enim creatura, productis brutis, et cibo, et ministerio utilibus; quia formatus homo indigebat aliquo confabulatore, et eo qui particeps ejus substantiæ multum solatii afferre posset, ideo ex latere illius

[1] 1 Cor. xi, 9.

hoc rationale animal formal, et secundum industriam suam et sapientiam perfectum et absolutum hoc facit, per omnia homini simile, id est, rationale, quod ei posset in necessitatibus et commodis hujus vitæ subsidio esse. Deus enim erat, qui omnia sapienti quadam ratione condidit et moderatur. Etsi enim nos, qui tam imbecilli mente sumus, modum quo facta sunt scire non possumus, credimus tamen voluntati illius omnia cessisse, et quidquid imperavit, factum esse. « Et ædificavit, inquit, Dominus Deus costam, quam accepit ab Adam, in mulierem : et adduxit illam ad Adam : » ostendens se propter illum istam condidisse, adduxit illam ad Adam. Quoniam nullus, inquit, in omnibus aliis adjutor tibi inventus est similis, ecce hoc quod pollicebar; promisi enim tibi facturum me adjutorem similem tibi, nunc perfectum trado tibi. « Adduxit illam, » inquit, ad Adam : et dixit Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea[1]. » Vide hic, quæso, quomodo cum ineffabili illa sapientia sibi a Deo suppeditata, cujus nobis indicia demonstrata sunt per nominum impositionem, quæ tot brutorum animalium generibus indidit, etiam propheticam gratiam accipit. Nam idcirco antea docuit nos beatus ille Propheta, eum et somno, et exstasi correptum fuisse, ita ut ne sensum quidem ullum ejus quod fiebat perciperet : ut cum nunc discis eum, visa muliere, diligenter quod factum erat enarrare, credas certo eum, accepta prophetica gratia, et Spiritus sancti doctrina afflatum hæc loqui. Quippe cum nihil de iis quæ facta erant sciret, postquam Deus hanc illi adduxit, inquit : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea. » Alius vero quidam interpres, pro « nunc » vertit, « hoc semel, » declarans semel tantum hoc factum esse, neque ultra fore talem mulieris formationem. Nunc, inquit, facta est ex viro mulier,

[1] Gen. II, 23.

posthac non sic erit : sed ex muliere vir, imo non ex muliere, sed ex utriusque cooperatione; sicut et Paulus inquit : « Non est enim vir ex muliere, sed mulier ex viro : » et non conditus est vir propter mulierem, sed mulier » propter virum [1]. » At isthæc ipsa, dicet aliquis, quæ dicta sunt, ostendunt mulierem ex viro factam esse. Verum expecta, et videbis accuratam doctrinam quam subjicit : dicit enim : « Verumtamen neque vir sine muliere, neque » mulier sine viro [2] : » quo docet nos postea utriusque congressu, utrorumque et viri et mulieris constitutionem esse. Idcirco et Adam dicebat : « Hoc nunc os ex ossibus meis, » et caro ex carne mea. »

IV. Deinde ut scias hujus prophetiæ certitudinem, et quomodo in hunc diem et usque ad consummationem affulgeant illius dicta, audi sequentia. « Ista vocabiturmulier, » inquit, quia ex viro suo sumpta est ipsa. Propter hoc de» relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhærebit » uxori suæ, et erunt duo in carnem unam [3]. » Vidisti quomodo omnia nobis diligenter aperuit, et singula per prophetiam suam explanavit ? « Ista, inquit, vocabitur mulier, quia de » viro suo sumpta est. » Iterum nobis ablationem costæ insinuat : deinde quæ futura erant declarans, inquit, « Propter » hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et » adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carnem unam. » Unde, dic, oro, subiit illi in mentem ut hæc diceret ? Unde sciebat futura, et multiplicandum esse humanum genus? et quod futurus esset viri mulierisque congressus unde noscebat ? Congressus enim ille post prævaricationem fuit : nam usque ad illam quasi Angeli versabantur in paradiso, non concupiscentiis flagrantes, non ab aliis affectionibus infestati, non naturæ necessitatibus obnoxii : sed prorsus incorruptibiles et immortales conditi, neque vel

[1] 1 Cor. xi, 8, 9. — [2] Ibid. 11. — [3] Gen. ii, 23, 24.

vestimentorum amictu ibi egebant. « Erant enim, inquit, » ambo nudi, et non erubescebant[1]. » Peccato enim et prævaricatione nondum præsente, gloria, quæ superne venerat, vestiti erant : et ideo non erubescebant. Post transgressionem autem præcepti, introgressa est et erubescentia, et nuditatis agnitio. Unde igitur, dic, quæso, in mente habuit, ut hæc diceret? Annon palam est eum propheticæ gratiæ participem, omnia hæc spiritualibus vidisse oculis? Hæc nunc non absque ratione dico, sed ut etiam hinc immensam Dei benignitatem discatis, quam humano generi exhibuit, data illi ab initio vita angelica, et innumeris in illum collatis beneficiis, ac cum aliis omnibus etiam prophetica dignitate concessa : ut cum videritis hominem post tot beneficia desidem esse, culpam in Deum ne rejeceritis, sed ipsi totum imputetis. Ipse enim sibimetipsi omnium malorum auctor fuit, quod et postea discetis, tum scilicet quod tantis bonis exciderit, tum quod ob prævaricationem condemnatus sit. Nam cum cogito vitæ illius statum, quem illi Dominus dedit, tam multifaria in ipsum beneficia cumulando, et primum quidem quod ante ipsius formationem, propter ipsum, totum hunc mundum et creaturas condidit, et postea ipsum formavit, ut factus visibilibus omnibus frueretur ; dein quod ut jussit esse paradisum, in illo statim ipsum vitam agere voluit, animalia bruta ab illo separavit, et omnium illi dedit potestatem, quasi dominum servis et subditis nomina imponere jubendo ; postea vero, quia solus erat, cum indigeret aliquo adjutore, qui naturæ ejus particeps esset, neque hoc omisit, sed producta muliere modo quo sibi placuit, illam ipsi in manus concredidit ; ac præter hæc omnia, prophetiæ quoque dignitate illum insignivit ; et post immensa illa beneficia, caput etiam omnium donavit illi, ut ab omnibus curis et sollici-

[1] Gen. II, 25.

tudinibus corporis liber esset; neque ullis vestium indumentis, neque alio aliquo indigere illum permisit; sed, ut dixi, quasi Angelum terrestrem super terram illum versari voluit; cum igitur hæc omnia mecum reputo, obstupesco et Domini clementiam in humanum genus, et hominis desidiam, et diaboli invidentiam : non enim ferebat malus ille dæmon videre in corpore hominem angelicam vitam agentem.

V. Cæterum, ne nimia longitudine sermonem extendamus, si placet, hic finem loquendi facientes, reponemus in posterum ea quæ de diaboli insidiis sequuntur; vestram orantes charitatem, ut diligenter, ea quæ dicta sunt, memoriæ commendetis, et vobiscum expendatis ea omnia, ut profundius in cogitationibus vestris considant. Nam si continuo beneficiorum Dei, quæ in nostrum genus contulit, recordemur, et ipsi grati erimus, et ad virtutis viam magna id erit extimulatio. Quippe manifestum est eum, qui beneficia Dei secum recogitat, operam daturum ne illis indignus videatur, sed tanti studii et tam grati animi futurum, ut et alia consequenter mereatur. Liberalis quippe est Dominus noster, et quando videt nos grato animo esse circa ea quæ jam nobis concessit, ultra nos potiori gratia majoribusque muneribus implet. Tantum nobis nostra salus curæ sit, ne ita incogitanter tempus transigamus, neque hoc attendamus si dimidium quadragesimæ transierit, sed si qua in hoc tempore a nobis bene gesta sunt, et si quas affectiones, quæ nos perturbant, correxerimus. Nam si quotidie spirituali doctrina refecti, semper iidem manserimus, neque in virtutibus creverimus, neque peccatorum genera e pectoribus nostris effugaverimus, non solum inde nihil erit utilitatis, sed et plurimum nocumenti : quandoquidem qui tanta cura habitus nihil lucri facit, neque proficit, majorem sibi coacervat gehennæ ignem. Ideo oro ut saltem re-

liquum jejunii tempus, ut decet, insumamus, ut singulis hebdomadis, imo singulis diebus nos ipsos consideremus, et vitia ab animabus nostris expellamus, ac bonorum operum possessionem conquiramus, sicut Propheta noster admonuit : « Declinemus a malis, et ad virtutem transeamus [1]. » Hoc etenim verum est jejunium. Iracundus ferocem perturbationem pia cogitatione ab anima eliminet ; mansuetudinem autem et lenitatem amplexetur. Deses et intemperans, et formosorum corporum curiosus spectator cogitationes suas refrenet, et in latitudine mentis suæ inscribat legem Christi dicentem : « Qui inspexerit mulierem ut concupiscat » illam, jam adulterium commisit cum illa in corde suo [2] : » incontinentiæ vitium effugiat, et sobrietatis virtutem operetur. Qui præcipitis et temerariæ linguæ est, et quæcumque obvenientia effutit, imitetur beatum Prophetam, et dicat : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium munitionis » labiis meis [3] : » et nunquam temere et absque utilitate proferat verba, sed audiat Paulum dicentem : « Omnis vociferatio, et furor, et blasphemia, et obscœnitas, et scurrilitas » tollatur a vobis cum omni malitia [4]. » Et iterum : « Si quis » sermo bonus, ad ædificationem utilis, ut det gratiam au» dientibus [5]. » Juramenta quoque modis omnibus fugiat, audiens sententiam Christi, quæ dicit : « Dictum est anti» quis : Non pejerabis ; ego autem dico vobis, non jurandum » omnino [6]. » Ne igitur dicat aliquis, in re justa juro. Neque enim in re justa, neque in injusta jurare licet. Purum igitur a juramentis os servemus : et his omnibus muniamus nostram linguam, labia, et mentem, ne vel quid malarum cogitationum intrinsecus nascatur, vel per linguam foras proferatur. Aures quoque diligenter sepiamus, ne vanam auditionem suscipiant. Sicut et beatus Moses præcepit, di-

[1] Ps. xxxiii, 15. 1 Pet. iii, 11.— [2] Matth. v, 28. — [3] Psal. cxl, 3.— [4] Ephes. iv, 31, et v, 4. — [5] Id. iv, 29. — [6] Matth. v, 33, 34.

cens : « Auditionem vanam non suscipies [1], » et iterum beatus David dicebat : « Detrahentem secreto proximo suo, » hunc persequebar [2]. » Vidisti, dilecte, quanta nobis contentione, quanta vigilantia ad virtutem parandam opus sit? quomodo et parva particula neglecta, totius periculum infert? Quocirca et alibi clamat beatus David, accusans hoc facientem : « Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et » contra filium matris tuæ ponebas scandalum [3]. » Si sic nostra omnia membra muniverimus, poterimus ad virtutis opera excitari, et linguam in laudibus et glorificatione Dei occupare : aures autem in auditu et disciplina divinorum eloquiorum, et mentem in spiritualibus dogmatibus contemplandis : manus vero non in rapina et avaritia, sed in eleemosyna et bonis operibus faciendis, et pedes non in theatris et spectaculis damnosis, equestribusque ludis, sed in ecclesiis, et domibus precationum, et sanctorum Martyrum loculis ; ut ab illis benedictionem percipiamus, et nos a diabolicis laqueis irretiri non sinamus. Si sic solliciti nostram salutem curaverimus, poterimus et ex jejunio lucrum facere, et dæmonis insidias effugere, et magnam superne gratiam assequi : quam ut nos omnes assequamur, concedat gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, sanctoque Spiritui sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Exod. XXIII, 1. — [2] Psal. C, 5. — [3] Psal. XLIX, 20.

HOMILIA XVI.

In prævaricationem primum creatorum. Et erant ambo nudi et Adam, et uxor ejus, et non erubescebant[1].

I. Hodie vobis, dilectissimi, spiritualem thesaurum aperire volo ; qui licet inter multos dividatur, nunquam tamen absumitur ; qui omnes locupletat, et in nullo imminuitur, sed et augetur. Quemadmodum enim in sensibili thesauro si quis vel parvam acceperit portionem, multas tamen divitias inde sibi parabit ; ita et in divinis Scripturis, etiam in parva dictione sensuum gravitas et immensæ inveniuntur divitiæ. Talis enim natura hujus thesauri, ut opulentos faciat eos qui se inveniunt, et nunquam deficiat. Fons enim Spiritus sancti hujus scaturigo est. Reliquum fuerit vos, quæ proposita sunt, summa diligentia in memoria perpetuo servare ; ut autem facile dicta assequi possitis, tantum quod nostrum est, magno studio afferamus. Gratia enim parata est, et requirit eos qui ipsam largiter suscipiant. Audiamus igitur quæ hodie sunt lecta, ut discamus immensam Dei benignitatem, et quanto salutis nostræ gratia sermonis temperamento sit usus. « Et erant » ambo nudi, tam Adam, quam uxor ejus, et non erubesce- » bant. » Considera, quæso, eminentem beatitudinem, quomodo superiores fuerint omnibus corporalibus, quomodo terram quasi cœlum incoluerint ; et cum essent in corpore, nihil corporale tulerint : neque tecto, neque veste, neque alio tali opus habentes. Porro divina Scriptura non simpliciter et absque ratione hoc nobis significavit : sed ut cum

[1] Gen. II, 25.

didicerimus vitam illorum tristitiæ dolorisque expertem, et angelicum quemdam statum, ut ita dicam, et postea viderimus eos omnibus illis destitui, et quasi e magnis divitiis in extremam inopiam redigi, ipsorum negligentiæ totum quod fit ascribamus. Operæ-pretium autem lecta ipsa audire. Nam, ut dixit beatus Moses, quod nudi erant, et non erubescebant, neque enim sciebant se nudos esse, mira gloria illos vestiente et magis quam ullus vestitus ornante, inquit : « Serpens autem erat prudentissimus omnium » bestiarum, quæ super terram, quas fecerat Dominus Deus. » Et dixit serpens mulieri : Quid quod dixit Deus, ne come» datis ex omni ligno quod est in paradiso [1] ? » Vide maligni dæmonis invidentiam, et multiplices technas. Quandoquidem scivit hominem formatum in summo esse honore, et propemodum nihil minus habere Angelis ipsis, sicut et beatus David inquit : « Minuisti eum paulo minus ab An» gelis [2] : » atque hoc ipsum « paulo minus » inobedientiæ peccatum introduxit. Nam post prævaricationem hoc locutus est Propheta. Videbat igitur super terram Angelum terrestrem, et a sua rodebatur invidia dæmon malorum auctor. Quoniam cum ipse inter supernas Virtutes esset, et ob voluntatis suæ nequitiam, et ingentem malitiam, e summo cœlo projectus fuerit, magna usus est machinatione, ut et hominem gratia Dei privare, et ingratum factum, tantis bonis per divinam bonitatem ipsi concessis, nudare posset. Et quid fecit? Invento animali hoc, serpentem dico, qui cætera calliditate sua vincebat, sicut et Moses testatus est, cum dixit : « Erat autem serpens prudentissimus omnium bestia» rum quæ super terram, quas fecit Dominus Deus ; » eo quasi instrumento quodam usus est, per quod mulierem, utpote simplicius et infirmius vas, illius familiaritate in errorem et deceptionem provocaret. « Et dixit, inquit,

[1] Gen. III, 1. — [2] Psal. VIII, 6.

» serpens mulieri. » Hinc collige ab initio nullam bestiarum virum, vel mulierem terruisse, sed dominium et subjectionem agnovisse: et sicut nunc domestica animalia, ita et fera et immansueta tunc mitia fuisse.

II. At forte hic dubitaverit quis, et quæsierit num et hoc animal rationis fuerit particeps. Non ita est : absit. Sed ii, qui Scripturas sequuntur, intelligant oportet verba quidem esse diaboli, quem invidia concitabat, ut ita hominem falleret : animali autem hoc ut idoneo instrumento utebatur diabolus, quo suarum fraudium esca immissa, supplantare primum posset mulierem, quæ facilius decipi poterat, et postea per illam etiam protoplastum supplantaret. Itaque hoc bruto utitur ad insidias struendas, et per ipsum mulieri loquitur, et ait : « Quare dixit Deus, ne comedatis » ex omni ligno quod est in paradiso ? » Considerate, obsecro, malignitatis callidissimam subtilitatem. Inducit enim ratione consilii et interrogationis, etiam quod a Deo dictum non erat, quasi scilicet curam ipsorum haberet : id quod ostenditur, cum inquit : « Cur dixit Deus, ne comedatis de omni ligno quod est in paradiso ? » quasi diceret malignus ille dæmon : Quare Deus privavit vos tanta fruitione? cur non concedit ut participes sitis bonorum quæ sunt in paradiso ; sed præstitit quidem ut visu fruaremini, non tamen eo frui sinit, et majori voluptate interdicit. « Cur dixit Deus ? » Quare, inquit, hoc? Quæ utilitas versari in paradiso, et non frui his, quæ in illo sunt, sed ideo majorem ferre dolorem, quod spectare quidem vobis liceat, frui non liceat? Vidisti quomodo per verba, quasi per escam, virus suum immittit? Debebat mulier ex ipso aggressu eminentem conjectare malitiam, tum quod de industria quæ non erant diceret, tum quod quasi curam ipsorum gereret, ut scire posset quæ illis a deo præcepta, et sic ad prævaricationem ipsos traheret. Igitur cum posset statim

illius imposturam videre, et aversari verba uti nugacia, et seipsam in tantam vilitatem non dejicere, noluit. Oportebat, inquam, initio colloquium illius non ferre, sed illi soli loqui, propter quem, et in cujus adjutorium producta erat, particeps dignitatis illius facta. Quia autem nescio quomodo allecta, colloquium serpentis tulit, per quem, ut instrumentum, perniciosa diaboli verba suscepit, congruum erat, statim cum disceret ex verbis ejus esse illa cum veritate pugnantia, et alia quidem Conditorem imperasse, alia autem illum et plane contraria Deo dicere, ut ipsa aversaretur, et fugeret illius consuetudinem, abominaretur-que illum, qui linguam contra datum illis mandatum acuere auderet. Verum quia præ magna negligentia non attendebat, non solum non est illum aversata, sed omne mandatum illi detexit, et porco margaritas objecit, implevitque quod a Christo dictum est: « Ne mittatis margaritas » vestras ante porcos, ne forte conculcent illas pedibus suis, » et conversi vos disrumpant [1]. » Id quod et hic factum est. Apposuit enim porco, huic malæ bestiæ, dæmoni videlicet, qui per serpentem operabatur, divinas margaritas: et non solum illas conculcavit, et dictis se opposuit, sed et conversus, non ipsam solum, sed cum ipsa primigenium hominem quoque in præcipitium inobedientiæ perduxit. Tantum malum est absque delectu cuivis et promiscue divina mysteria detegere. Audiant qui sine discrimine simpliciter cum omnibus colloquuntur. Neque enim ibi Christus de sensibili porco præcepit, sed homines porcinis moribus subindicat, qui sicut bruta illa in peccati luto involvuntur: docens nos ut personarum diversitatem dignoscamus, et vitæ rationes inquiramus, quando aliquid divinorum eloquiorum exponere opus fuerit, ne et illos, et nosmetipsos lædamus. Nam qui tales sunt, non solum nihil lucri ex dic-

[1] Matth. VII, 6.

tis capiunt, sed et eos qui bonas illas margaritas absque disquisitione illis proposuerant, secum in suæ perditionis profundum sæpe pertraxerunt. Ideo cum diligentia observanda sunt hæc, ne eadem patiamur quæ illi, qui hic decepti sunt. Nam et nunc si voluisset mulier non proponere margaritas porco, neque ipsa in præcipitium ruisset, neque virum secum traxisset.

III. Sed audiamus quid illi respondeat : nam ut dixerat, « Cur dixit Deus, de omni ligno paradisi ne comedatis ? » inquit mulier serpenti : » De omni ligno paradisi co- » medimus ; de fructu autem ligni, quod est in medio » paradisi, dixit Deus, ne comedatis, neque attigeritis ipsum » ut non moriamini [1]. » Vidisti malignitatem ? dixit quod non erat, ut in colloquium provocaret, et disceret id quod erat. Mulier enim postea confidens quasi benevole erga se affectus esset, totum mandatum detexit, diligenterque recensuit omnia, et responso suo omnem sibimetipsi defensionem abstulit. Quid enim potes dicere, o mulier ! « Dixit » Deus : ne comedatis de omni ligno quod est in paradiso. » Oportebat te aversari eum, qui diversa a Deo dixerat, et dicere : « Apage, impostor es tu, nescis neque mandati nobis dati potentiam, neque quantis fruimur, neque copiam eorum quæ nobis suppeditantur. Nam tu quidem ais Deum dixisse nullum nos degustare debere lignum. Dominus autem et conditor, ob immensam suam bonitatem, nobis permisit frui, et potestatem habere omnium ; ab uno tantum abstinere jussit, idque nobis consulens, ut ne gustato illo, morte occumberemus. » Oportebat, si quidem prudens fuisset, his dictis illum omnino aversari, nihilque ultra illi loqui, neque audire loquentem : sed ista, revelato præcepto, et narratis Dei verbis, aliud letiferum et perniciosum consilium ab illo accipit. Nam postquam dixit mulier : « De

[1] Gen. III, 2, 3.

» omni ligno paradisi edimus, de fructu autem ligni quod » est in medio paradisi, dixit Deus, ne comedatis ex illo, ne- » que attigeritis ipsum, ne moriamini; » iterum malignus salutis nostræ inimicus contrarium Deo consilium affert. Quippe cum benignus Deus ob magnam nostri curam de ligno sumere prohibuerit, ut ne per inobedientiam mortales fieremus, ille dicit mulieri : « Non morte moriemini[1]. » Quali venia dignabitur ullus mulierem, quod omnino aures aperuerit tam audacia dicenti. Nam cum Deus dixerit : « Ne comedatis, ut ne moriamini; » ille inquit : « Non morte » moriemini. » Dein non contentus contraria dictis Dei protulisse, incusat eum etiam ut invidum Opificem, quo sic fraudem inducere posset, et supplantata muliere propositum suum impleret. « Non morte moriemini. Sciebat » enim Deus quod quocumque die comedetis ex eo, ape- » rientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et » malum [2]. » Ecce totam escam : calicem enim pernicioso veneno plenum mulieri dedit, quæ letiferum hoc esse videre nolens; poterat enim, si voluisset, ab initio hoc scire : sed ut audivit ab illo quod ideo esum hunc prohibuisset Deus, quia sciret oculos ipsorum aperiendos, eosque sicut deos fore, scientes bonum et malum, æquandæ Divinitatis spe inflata, magna quædam secum concipiebat. Tales enim sunt machinationes inimici, ut quando per deceptionem in sublime subduxerit, tandem et in profundum per præceps dejiciat. Igitur ut æqualem se fore Deo imaginata est, ad esum properavit, et illuc postea fixit et cogitationem, et mentem : et nihil aliud considerabat, quam ut calicem a maligno dæmone temperatum epotaret. Nam quod, accepto pernicioso illo serpentini consilii veneno, tale ipsi studium fuerit, audi Scripturam dicentem : « Et vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum,

[1] Gen. III, 4. — [2] Ibid. 5.

» et gratum oculis ad videndum, formosumque ad contem-» plandum : et accepit de fructu illius, et comedit[1].» Vere « corrumpunt bonos mores colloquia prava [2]. » Quare enim non ante diabolicum consilium illi tale quid in mentem venit, nec lignum hoc consideravit, nec ejus pulchritudinem vidit? Quia timebat mandatum Dei, et subsecuturum ex esu supplicium : nunc autem postquam a mala hac bestia decepta est, ita ut crederet non solum nihil damni hinc passuros, sed et Deo æquales esse futuros : tunc illam spes promissionis ad sumendum cibum impulit; neque intra suos limites contenta, sed inimico et hosti salutis nostræ majorem fidem habens, quam verbis Dei, experientia sua non multo post didicit consilii perniciem, et quanta calamitas ipsos deprehensura esset. Nam « Ut vidit, inquit, » quod lignum esset bonum ad vescendum, et quod oculis » gratum ad videndum, et formosum ad contemplandum, » cogitavit secum, forte ex diaboli deceptione, quam per serpentem ille afferebat : Si et ad vescendum bonum est lignum, et si tantum oculos oblectare potest, et pulchritudine præditum est ineffabili, si etiam ejus sumptio summum nobis præbebit honorem, et habebimus eamdem quam Conditor dignitatem : quare non sumeremus de eo?

IV. Vidisti quomodo illam diabolus captivam duxit, et allexit ratiocinium ejus, fecitque ut quæ supra suam dignitatem erant sapere auderet, quo inflata spe vana, ab his quoque, quæ ipsi concessa erant, excideret? « Et accepit de » fructu illius, et comedit. Et dedit etiam viro suo, et » comederunt : Et aperti sunt oculi illorum, et cognove-» runt quod nudi essent [3]. » Quid fecisti, o mulier? non solum pernicioso accepto consilio legem a Deo datam conculcasti, et mandatum contempsisti, et in tantam venisti intemperantiam, ut non contenta tot tantorumque fruitione,

[1] Gen. III, 6. — [2] 1 Cor. XV, 33. — [3] Gen. III, 7.

etiam unicum hoc lignum, de quo ne comederes præceperat Dominus, ausa sis sumere, et fide habita iis, quæ a serpente dicta sunt, fidelius putasti illius consilium, quam mandatum a Conditore datum ; et in tantum decepta es, ut ne venia quidem digna sis? Num enim ejusdem naturæ erat qui hoc consulebat? ex subditis et servis, et sub tua potestate erat. Quare sic teipsam fœdasti, et illo relicto, propter quem formata es, ad cujus auxilium producta es, cujus dignitatum es particeps, et cum quo ejusdem es substantiæ et vocis, in familiaritatem serpentis venire sustinuisti, ut a diabolo per hanc bestiam acciperes consilium manifeste contrarium iis, quæ a Deo sunt injuncta : neque sic aversata es illum, sed spe promissionis, de cibo illo sumere ausa es? Esto igitur teipsam in tantum præcipitium depuleris, et honore maximo privaveris, quare et virum tantæ ruinæ socium facis? et cujus te adjutricem esse oportebat, illius facta es insidiatrix, et ob minimum cibi illum quoque tecum a gratia Dei abalienas? Quæ te prodigiosa insania in tantam audaciam induxit? Non satis erat tibi beatam hanc vitam agere, et corpore quidem vestiri, neque corporalis rei alicujus indigam esse : omnibus in paradiso frui, excepto unico hoc ligno ; visibilia omnia sub vestra esse potestate, et te esse omnium dominam? Sed vanis decepta promissionibus, sperasti etiam in summum pervenire honoris fastigium. Idcirco disces reipsa te non solum illa non assecuturam esse, sed et omnibus jam a Deo tibi datis privandam et teipsam, et virum : atque in tantam pœnitentiam venietis, ut et serus vester dolor futurus, et malignus dæmon, qui hoc damnosum vobis consilium suggessit, risurus, vobisque insultaturus sit, utpote jacentibus, et eadem quæ ipse passis. Etenim sicut ille supra quam decebat de se sentiens, a concessa dignitate deturbatus, et e cœlis in terram dejectus est : istuc ip-

sum et vos facere, et per mandati prævaricationem in mortis venire pœnam voluit, ita suæ satisfaciens invidiæ : sicut Sapiens quidam dicebat; « Invidia autem diaboli mors in » mundum intravit [1]. Et dedit, inquit, etiam viro suo; et » comederunt, et aperti sunt oculi illorum. » Magna etiam viri negligentia. Nam licet illa ejusdem generis esset, et uxor, attamen oportebat virum pluris facere præceptum Dei, quam illicitam hanc illius concupiscentiam, et non fieri prævaricationis participem, neque ob minimas voluptates tantis seipsum privare bonis, et offendere benefactorem, qui illum tanta benignitate amplexatus erat, vitamque doloris et laboris omnis expertem concesserat. Annon enim licebat omnibus aliis, quæ in paradiso erant, abunde frui ? Quare tam leve mandatum neque ipse voluisti servare ? Sed forte audivisti a muliere perniciosi consilii promissionem, et spe etiam ipse inflatus, cibi statim particeps factus es : idcirco uterque supplicium luetis, docebitque vos rerum experientia non esse fide dignius maligni dæmonis consilium, quam Dei præceptum. « Et dedit etiam viro » suo, et comederunt. Et aperti sunt oculi amborum, et » cognoverunt quod nudi essent. »

V. Quæstio magna nobis hinc nascitur, ea scilicet, quam nuper pollicebar charitati vestræ. Merito enim quis rogaverit quam virtutem habuerit hoc lignum, cujus esus illorum oculos aperuerit, et quare lignum scientiæ boni et mali vocetur. Et si placet, expectate, ut pauca etiam de his disserens charitatem vestram doceam, si voluerimus prudenter, quæ in divina Scriptura dicuntur, intelligere, nihil dictorum nobis difficile visum iri. Neque enim esus ex eo ligno oculos illorum aperuit : nam et ante esum videbant. Sed quia esus ille inobedientiæ erat argumentum, et prævaricatio mandati a Deo traditi ; quam ob causam

[1] Sap. II, 24.

postea nudati sunt gloria, quæ illos circumdabat, quia se indignos tali honore fecerant : propterea Scriptura morem suum observans, inquit : « Comederunt, et aperti sunt » oculi illorum, et cognoverunt quod nudi essent. » Nudati propter peccatum supernæ gratiæ amictu, sensibilis suæ nuditatis sensum acceperunt, ut per erubescentiam, quæ invadebat ipsos, certo scirent in quantam ruinam ipsos adduxisset mandati dominici prævaricatio. Qui enim antea fruebantur tanta fiducia, et neque sibi conscii erant sese nudos esse : nec nudi erant, quandoquidem superna ipsos gloria quovis vestimento honestius tegebat : post esum, hoc est, post prævaricationem præceptorum, in tantam vilitatem redacti sunt, ut ob intolerabilem pudorem vestem tunc quærerent. Quippe mandati prævaricatio ut supervenit, vestem illam novam et admirabilem, gloriæ inquam, ac supernæ benevolentiæ, qua induti erant, abstulit, et nuditatis sensum præbuit, illosque ingenti pudore circumdedit. « Et consuerunt folia ficus, et fecerunt sibimetipsis » succinctoria [1]. » Obsecro, dilecte, cogita quomodo et a quanto fastigio in profundum præcipitium dejecit illos diaboli consilium. Nam tanta gloria dudum circumdati, nunc folia ficus consuunt, et sibi succinctoria faciunt. Hoc diabolicæ deceptionis lucrum est : hoc consilii ejus machinatio, ut non solum majora non conferret, sed et acquisitis nudaret, et destitutos ab iis quæ habebant ostenderet. Itaque quia cibi occasio prævaricationem fecit, idcirco inquit Scriptura : « Et comederunt, et aperti sunt oculi eorum : » non de sensibilibus oculis dicens, sed de sensu mentis. Nam quoniam mandata transgressi sunt, Dominus eos sentire voluit ea, quæ ante, ob singularem illius in se benevolentiam, non sentiebant. Igitur cum audieris, « Aperti » sunt oculi illorum, » hoc cogita illum effecisse ut postea

[1] Gen. 1, 7.

nuditatem sentirent et privationem gloriæ, qua ante esum fruebantur. Quod autem hæc sit Scripturæ consuetudo, audi illam alibi dicentem. Nam cum ancilla Sarræ, dominium fugiens, erraret, et posito juxta abietem puero, a longe consideraret illius mortem, inquit : « Aperuit Deus oculos » Agar [1] ; » non quod antehac non viderit, sed quod mentem illius excitarit. Vides verbum, « Aperuit, » non de corporalibus oculis dici, sed de sensu mentali? Idipsum et de altera quæstione dixerimus, quæ hinc exoritur. Dicunt enim : « Quare lignum scientiæ boni et mali vocatur? » Sunt enim contentiosi multi, qui dicere audent post esum ligni scientiam habuisse Adam ad discernendum bonum et malum : id quod extremæ fuerit amentiæ. Nam propter hoc nuper cum præviderimus hæc, de sapientia homini a Deo tradita tam multis tractavimus, hanc ostendentes ex nominum impositione, quæ feris omnibus et volucribus cœli et brutis indidit; et quod cum hac inenarrabili sapientia prophetiæ gratiam fuerit assecutus, ut ne quis hoc dicere ausit. Igitur qui nomina animantibus imposuit, quique tam admirabilem prophetiam de muliere pronuntiavit, quemadmodum jam diximus, quomodo ignoraret quid bonum sit, et quid malum? Quod si receperimus ; absit ; iterum blasphemias in Conditorem transferemus. Nam quomodo præceptum daret ignoranti transgressionem esse malum? Verum non ita est; absit : sed scivit clare. Enimvero hac de causa animal hoc ab initio libero arbitrio præditum esse voluit. Quod si non fuisset, neque cum mandatum prævaricatus est, illum puniri; neque si servasset, laudari oportebat. Quod enim factus sit mortalis propter prævaricationem, et ex hoc mandato, et iis quæ secuta sunt, clarum est. Audi enim mulierem ipsam loquentem serpenti : « De » fructu ligni, quod est in medio paradisi, dixit Deus ne

[1] Gen. xxi, 19.

» comedatis ex eo, ut non moriamini.» Itaque ante prævaricationem immortales erant, alioqui post cibum non supplicii loco mortem imposuisset.

VI. Quis ergo ferat eos, qui dicere audent hominem, post esum de ligno, acquisivisse scientiam boni et mali, qui et ante esum tanta sapientia plenus erat, et cum scientia etiam prophetica gratia dignatus est? Et quomodo hoc rationi consonum esset capras quidem et oves omniumque brutorum naturam scire quæ herba sit salutaris, et cibo utilis, et quæ perniciosa, ut illam adeat, hanc studiose fugiat; et hominem, rationale animal, nescire quid bonum et quid malum? Sed ecce, inquit, Scriptura lignum hoc vocat lignum scientiæ boni et mali. Neque me hoc latet: sed si proprietates divinæ Scripturæ discere volueris, scies quare hoc nomen huic ligno tribuit: non enim quod homini scientiam dederit, sic vocatum est, sed quia per illud facta est transgressio mandati, et ex illo postea intravit peccati cognitio, atque pudor, propterea sic appellatum est. Mos enim divinæ Scripturæ est a rebus accidentibus nomina locis imponere, ubi res contingunt. Eaque propter lignum hoc vocavit Scriptura divina lignum scientiæ boni et mali, quia circa illud transgressio et observatio mandati erat. Benignus enim Dominus a principio docere volens hominem conditorem et factorem suum esse visibilium omnium Opificem, qui ipsum formavit, per parvum istud mandatum ostendere voluit se Dominum esse: et quasi liberalis dominus, magnam et admirabilem quamdam domum alicujus usui donans, non totum pretium, sed aliquantulam esus partem accipere vult, ut dominii jus salvum sibi maneat, et ille interim sciat se non ædificii dominum esse, sed gratia et beneficentia domini illo frui. Sic utique et Dominus noster, cum visibilia hæc omnia homini concederet, et præstaret illi ut versaretur in paradiso, et frueretur omni-

bus quæ in illo erant : ut ne paulatim seductus animo putaret res, quæ sub aspectum cadunt, automata esse, deque sua dignitate altius quidpiam sentiret, jussit ab uno ligno abstinere, magna definita pœna, si hoc transgrederetur : ut scire posset se dominum habere, cujus liberalitate etiam cæteris rebus frueretur. Verum quia multum inconsiderate se gerens una cum uxore in tantam ruinam concidit, quod præceptum transgressus esset, et de ligno gustasset, ideo lignum ipsum scientiæ boni et mali nominavit. Non quod antea ignoraverit bonum et malum : nam sic non ignoravit, ut serpenti mulier dixerit : « Dixit Deus, ne co-» medatis ex illo, ne moriamini. » Itaque sciebat mortem pœnam esse, si mandatum transgrederentur : sed quia post hujus esum, et superna gloria spoliati, et sensibilem nudationem experti sunt, ideo vocavit lignum scientiæ boni et mali. Erat enim circa illud quasi quædam obedientiæ exercitatio. Didicistis quare dixit : « Aperti sunt oculi illo-» rum et cognoverunt quod nudi erant ? Cognovistis quare lignum hoc scientiæ boni et mali vocetur ? Cogita enim quanto pudore affecti sunt post hujus esum, cum transgressi fuissent præceptum Domini : consuerunt enim folia ficus, et fecerunt sibi succinctoria. Vide a quanta gloria in quantam vilitatem deducti sint, qui antea quasi terrestres Angeli vivebant : tegmen sibi ex foliis excogitant, tantum malum est peccatum. Non solum enim nos a superna benevolentia alienos facit, sed et ad multum pudorem et vilitatem deducit : et cum nos privat bonis quæ jam possidebamus, omnem etiam fiduciam aufert. Sed ne sursum deorsumque versando peccatum, quod per esum ligni et inobedientiam hominem dejecit, luctuosior evadat oratio : age, si placet, ab hoc ligno ad aliud, nempe ad lignum Crucis, sermonem vertamus, et videamus quænam mala illud intulit, et quæ bona istud conciliavit ; imo non lignum

attulit mala, sed voluntas segnis, et contemptus præcepti, Lignum illud mortem introduxit : nam post prævaricationem mors intravit, sed istud immortalitatem largitum est ; illud e paradiso ejecit, istud in cœlos nos reduxit : illud propter unam transgressionem tanti supplicii reum Adam fecit, istud nos plurimis peccatorum sarcinis exoneravit, fiduciamque ad Dominum nobis concessit. Vidistis ligni et ligni differentiam? vidistis diaboli malignitatem, hominis peccatum, et Domini misericordiam? Armemus itaque nos ipsos, obsecro, charissimi, armis ligni hujus vivifici, ipsiusque virtute perniciosos animo affectus mortificemus ; uti et Apostolus Paulus his verbis monet : « Qui vero sunt » Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus et concu» piscentiis [1]. » Quod autem dicit, est hujusmodi ; qui se totos Christo dedicarunt, absurdam omnem concupiscentiam mortificarunt in carne subortam, ut omnes animi corrumpat operationes. Hos igitur et nos imitantes, membra nostra ad bellum instruamus adversus tyrannidem ex diabolica operatione in nos insurgentem, ut et in præsenti vita turbulentum hoc et periculosum mare intrepide trajiciamus, et ad divinæ benignitatis tranquillos portus pervenientes, bona Deum diligentibus promissa consequi valeamus, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gal. v, 24.

HOMILIA XVII.

Et audiverunt vocem Domini Dei deambulantis in paradiso in meridie [1].

I. Satis, opinor, pro nostra virili nuper locum de ligno interpretati sumus, docentes charitatem vestram quare divina Scriptura lignum cognoscendi bonum et malum ipsum vocarit : proinde hodie animus est ad sequentia pergere, ut discatis ineffabilem Dei benignitatem, et quanta sermonis attemperatione usus sit, nostræ naturæ providentiam et curam habens. Omnia enim fecit et operatus est, ut rationale hoc animal, a se conditum, in omni honore esset, et in nullo Angelorum vita deterius foret, sed et in corpore illorum possideret impassibilitatem. Cæterum ut vidit utrosque peccando transgressos per negligentiam ea, quæ a se præcepta erant, idque postquam minis eos represserat, ut tutiores redderet, ne sic quidem a benignitate sua cessat; sed semper sui similis, quemadmodum clementissimus pater, filium indignum quid nobilitate sua per negligentiam commisisse, et a summo honore in extremam vilitatem redactum videns, paternis visceribus commotus, non illum auxilio destitutum sinit : sed iterum suum agit officium, ut paulatim ipsum a vilitate illa liberatum, pristinæ restituat dignitati. Simili modo bonus Deus misertus est hominis, cum uxore sua diaboli insidiis circumventi, cujus per serpentem consilium acceperat : veluti medicus ad infirmum, et ægrotantem, jacentem, indigentemque

[1] Gen. III, 8.

cura et medici manu, protinus accedit. Sed ut et ex verbis discatis quam ineffabilis sit Dei benignitas, operæ-pretium fuerit audire quæ lecta sunt. « Et audierunt, inquit, vocem » Domini Dei deambulantis in paradiso ad meridiem, et de- » lituerunt tam Adam, quam uxor illius a facie Domini in » medio ligni paradisi [1]. » Ne inconsideranter, dilecti, prætereamus quæ a divina Scriptura dicta sunt, neque in verbis ipsis hæreamus : sed consideremus ob nostram imbecillitatem tantam hic adhiberi verborum humilitatem, et ob salutem nostram omnia ut Deo dignum est agi. Nam si vellemus verba, ut sunt pronuntiata, sectari, et non indigne, ut de Deo loquentes decet, exponere, dic, quæso, annon multa hinc sequerentur absurda ? Ecce enim statim ex iis quæ principio lecta sunt, hoc spectare licet. « Et audierunt vo- » cem Domini Dei ambulantis in paradiso ad meridiem, et » delituerunt. » Quid dicis ? an deambulat Deus ? an pedes ipsi tribuemus ? et de eo nihil sublime cogitabimus ? Non ambulat Deus : absit. Quomodo enim ambularet, qui ubique præsens est, et omnia implet ? cui cœlum thronus, et terra scabellum, ipse-ne in horto continetur ? Quis cordatus hoc diceret ? Quid igitur est, « Audierunt vocem Do- » mini Dei deambulantis in horto ad meridiem ? » In sensum mali illos deducere voluit, ut in magno mentis angore constituerentur : id quod et factum est. Tanto siquidem sensu affecti sunt, ut cum advenisset Deus, sese occultare conati sint. Mox enim ut intravit peccatum, et prævaricatio, pudor ac verecundia illos invasit. Quippe judex incorruptus, conscientiam dico, cum adversus hominem exurgeret, clara voce clamabat, accusabat, et ostendebat, et quasi ante oculos scribebat ipsis peccatorum magnitudinem. Ideo enim benignus Dominus principio cum formaret hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpe-

[1] Gen. III, 8.

tuam, quæ decipi et fallaciam ferre posset nunquam. Et licet quis, admisso peccato, perpetratoque aliquo facinore illicito, omnes homines celet, illam tamen accusatricem non poterit latere; sed quocumque abeat, illam perpetuo intra se habet obturbantem, laniantem, flagellantem, nunquam quiescentem : sed et domi, et in foro, et in cœtibus, et in mensa, et dormientem, et surgentem adoritur, rationem delictorum exigit, obque oculos ponit et delictorum gravitatem, et subsecuturam pœnam, et quasi medicus optimus non cessat sua medicamenta apponere : et si semel depellatur, neque sic desistit, sed continuam sollicitudinem gerit.

II. Hoc enim conscientiæ opus est, ut jugiter memoriam ingerat, nec permittat unquam in factorum oblivionem nos venire : sed ob oculos proponat, uti vel hac ratione nos tardiores faciat, ne in eadem peccata prolabamur. Nam si cum ex conscientia tantum nobis sit subsidii, et tantum adjutorii, et si hanc habentes vehementem accusatricem, quæ nostram mentem flagellet, et cor lancinet, et quovis carnifice gravius instet, plerique neque sic ignaviam vincimus : si hoc destitueremur subsidio, quo non tunc statim excideremus? Propterea primigenius homo ut illum sensum accepit, adventum Domini secum cogitans, statim se occultavit. Quare, dic, oro? Quoniam videbat sibi trucem astare accusatorem, conscientiam dico. Neque enim alium ullum objurgatorem habebat et testem peccatorum, sed unicum illum quem intrinsecus circumferebat. Attamen præter conscientiæ accusationem, etiam privatio gloriæ, quæ illos antea quasi vestimentum fulgidum ambiebat, docebat illos per ipsam nuditatem admissi peccati magnitudinem. Itaque quia post grave peccatum illud pudore circumfusi erant, delitescere tentaverunt. « Audie» runt enim, inquit, vocem Domini Dei deambulantis in

» horto ad meridiem, et occultaverunt se tam Adam, quam » uxor ejus a facie Domini Dei in medio paradisi.» Nihil peccato pejus, dilecte : ipsum enim ut introierit, non solum pudore nos replet, sed et insipientes reddit eos, qui antea intellectu et sapientia multa prædíti fuerant. Animadverte, obsecro, quam insipienter agit nunc, qui antea tanta pollebat sapientia, qui ex actis ipsis traditam sibi sapientiam nobis declarabat, qui talia prophetabat: « Audita voce Domini Dei deambulantis in horto ad meridiem, occultavit se tam ipse quam uxor ipsius a facie Domini Dei in medio ligni paradisi. » Quantæ hoc est insipientiæ, quod a Deo, qui ubique præsens est, a Creatore qui ex nihilo res ut essent produxit, qui abscondita scit, « Qui finxit sigillatim corda » hominum [1], et intelligit omnia opera eorum, Qui scruta» tur corda et renes [2], Qui etiam ipsos cordis motus cognos» cit [3], » abscondere se conentur? Sed ne mireris, dilecte: talis enim peccantium consuetudo est, ut, tametsi occultari non possint, occultari tamen velint, et studeant. Ut autem scias eos non ferentes pudorem, quo post peccatum sese suffuderant, nudati incorruptibili illa gloria, hoc fecisse, considera ubi occultentur; in medio paradisi. Nam sicut verberones et ingrati quidam famuli, cum non possint se ab hero suo occultare, huc et illuc in angulos domus currere solent, metu illorum animum concutiente : ita et hi nullum invenientes effugium, in ipsa domo, paradiso inquam, circumaguntur. Nec absque ratione tempus assignatur : « Audierunt enim, inquit, vocem Domini Dei deambu» lantis in paradiso in meridie.» Sed ut discas Domini benignitatem, quod ne modicum quidem distulerit, sed mox, ut vidit quod factum erat, et ulceris magnitudinem, ad opitulandum festinaverit; ut ne ulcus grassando fieret incurabile vulnus : idcirco ut præveniat accelerat, et velociter

[1] Psal. xxxii, 15. — [2] Id. vii, 10. — [3] Id. xliii, 22.

crescenti ulceri adest, ac pro sua bonitate neque ad parvum tempus a cura sua illum destitutum relinquit. Nam tantam præ se ferebat rabiem salutis nostræ inimicus, qui semper nostris bonis invidet, ut mox sub initium moliretur insidias, et suo pernicioso consilio ipsos admirabili illa vita privaret : sed solers ille artifex Deus, qui sua sapientia res nostras dispensat, videns diaboli malignitatem, et hominis segnitiem, qua per mulierem deceptus, in tantam incidit confusionem; mox adest, et quasi mansuetus et benignus judex in tribunali terrore et horrore pleno sedet, et examinat diligenter : per hoc nos docendo ne congeneres nostros condemnemus, nisi causa antea diligenter cognita.

III. Audiamus igitur, si placet, quæ Judex interroget, quæ rei respondeant, quas pœnas ferant, et cui condemnationi obnoxius fuerit is, qui in illos tantas insidias machinatus est. Sed, obsecro, animum attendite, et multo cum timore dicta auscultate. Si enim cum videmus terrenum judicem in sublimi tribunali sedentem, reos in medium producentem, et suppliciis afficientem, non sine timore astamus, audire volentes quidnam judex dicat, et quid respondeat reus : multo magis nunc hoc nobis faciendum, cum videmus Opificem naturæ pœnam suis creaturis intentare. Verum si diligenter attendatis, videbitis quantum intersit inter misericordiam Dei, et hominum erga congeneres severitatem. « Et vocavit Dominus Deus Adam, et » dixit illi : Adam, ubi es [1]? » Vel ex ipsa interrogatione jure obstupescamus ad eminentem Dei clementiam : non solum quod vocaverit, sed quod per seipsum vocaverit; id quod homines facere nunquam ferrent inter se, licet eamdem naturam sortiti sint. Scitis enim, cum judices in alto solio sedent, rationesque repetunt a malefactoribus, nec suo eos responso dignari : hoc ipso ostendentes illis quanta igno-

[1] Gen. III, 10.

minia sese suis flagitiis asperserint : et judex quidem respondet, sed alius quispiam a judice hæc excipiens, reo annuntiat, et judici quoque quæ reus dixerat : et hic ferme ubique judicantium mos est. Verum Deus non sic agit, sed quomodo ? Ipse per sese vocat : « Et vocavit, inquit, Do» minus Deus Adam, et dixit illi : Adam, ubi es ?» Vide in brevi hac dictione quanta vis recondita sit. Nam et ipsum vocare, magnæ et ineffabilis est clementiæ; erubescentem, et neque os aperire, neque linguam movere audentem vocare, et per interrogationem occasionem dare, id ingentis erat benignitatis : illud autem dicere, «Ubi es ?» plurimam una cum benignitate vim habet. Perinde enim subindicare videtur ac si diceret : Quid factum est ? In alio te statu reliqui, in alio te invenio : gloria vestitum te reliqui, nunc in nuditate te invenio. « Ubi es ? » Unde tibi hoc accidit ? Quis te in tantam induxit vicissitudinem? quis latro vel fur sic semel omnem divitiarum substantiam auferens, in tantam te inopiam deduxit ? Unde nuditatis sensus tibi contigit ? Quis tibi in causa fuit, ut auferretur a te vestimentum illud admirabile, quo amictus eras ? Quæ repentina hæc mutatio ? quæ tempestas ita subito omnes tuas merces demersit? Quid accidit quod ab eo, qui tibi tanta beneficia præstitit, et in tantum honorem te evexit, occultari satagis ? Quem nunc timens, delitescere studes? Num adest accusator? num instant testes? Unde tanta formido, tantusque metus te invasit? « Tuam, inquit, deambulantis in paradiso » vocem audivi, et timui, quia nudus sum, et abscondi me[1]. » Unde tibi nuditatis notitia contigit ? dic mihi : quid hoc novum et insolens? Quis hoc unquam annuntiare potuisset tibi, nisi ipse hujus pudoris auctor tibi fuisses? nisi a ligno, de quo præcepi, ut ex eo solo non comederes, comedisses? Vide ingentem misericordiam et patientiam Domini. Nam

[1] Gen. III, 10.

cum posset ne responso quidem eum dignari qui peccaverat, sed statim pœnam infligere, quam prius statuerat prævaricaturo, patienter tamen agit, tolerat, et interrogat, et responsum accipit : et iterum interrogat, quasi ad defensionem eum provocans : ut arrepta occasione etiam post tantam prævaricationem, suam erga illum misericordiam exhibeat; quo etiam nos docet ut, quando et nos reis jus dicimus, non tam inhumane illis loquamur, neque ferina in illos utamur sævitia : sed cum tolerantia multa et misericordia agamus, utpote nostris ipsorum membris jus dicturi, et cogitantes illos nobis esse congeneres, supplicium misericordia temperemus. Non enim frustra tanta verborum attemperatione utitur divina Scriptura, sed verbis humilibus docet, et provocat, ut pro viribus humanis Domini benignitatem imitemur. « Dixitque : Quis annuntiavit tibi » quod nudus esses, nisi [quod] de ligno, de quo solo » præcepi tibi ne comederes, de illo ipso comedisti[1]? » Unde, inquit, posses hoc scire te tanto pudore affici, nisi multum intemperans fuisses, et mandatum meum contempsisses ?

IV. Considera, dilecte, bonitatis Dei excellentiam, quomodo quasi amicus amico loquitur, et quasi expostulat cum eo, qui mandata transgressus erat. « Quis annuntiasset tibi » quod nudus esses, nisi de ligno de quo solo præcepi tibi » ne comederes, de illo ipso comedisses ? » Non caret emphasi, et latenti quadam vi, quod dicit, « De quo solo : » quasi diceret : « Num adeo angustos fruendi limites tibi præscripsi ? Nonne omnem copiam præbui, et omnium, quæ in paradiso sunt, potestatem tibi concedens, ab hoc unico ut abstineres præcepi, ut scire posses te sub domino quodam esse, cui obedientiam debes? Quæ igitur tanta negligentia illa, ut tantis fructibus non contentus, ab hoc unico abstinere nolueris, et sic statim ad violandum mandatum quod

[1] Gen. I, II.

dedi proruperis, ac te tantis malis implicaveris? Quæ tibi inde utilitas? Annon hæc prædixi? Nonne metu pœnæ volui vos coërcere et munire? nonne dixi quæ vobis eventura erant? nonne hac de causa, ne in tanta mala incideretis, hunc cibum prohibui? Quis te post venia dignetur, qui post tanta mandata Deo ingratus fueris? Nonne sicut pater dilectum filium, de omnibus satis dilucide et distincte instruxi, ut de aliis quidem gustares, ab hoc autem abstineres, ut ne omnia tua bona simul perderes? Sed forte ratus es alterius consilium meo mandato melius et fide dignius; et expectatione majorum bonorum hæc fecisti, et contempto mandato meo, de ligno edere ausus es: ecce quid tibi acciderit, nunc experientia malorum didicisti quanta consilii illius pernicies.» Vidistis Judicis clementiam? vidistis mansuetudinem et tolerantiam inenarrabilem? vidistis verborum attemperationem, omni sermone et cogitatione superiorem? vidistis quomodo per interrogationem, et per hæc verba: « Quis annuntiavit tibi quod nudus esses, nisi de » ligno, de quo solo præcepi tibi ne comederes, de illo » ipso comedisses; » januas illi aperire vult defensionis, ut et misericordiam suam erga eum, qui tantum peccaverat, declararet? Audiamus et reum, quid adhæc respondeat. «Et dixit Adam: Mulier quam dedisti ut sit mecum, ipsa » mihi dedit de ligno, et comedi[1]. » Miserabilia verba, et magna miseratione plena, ac digna quæ ad clementiam Dominum provocent, tam mansuetum et bonitate sua vincentem nostra peccata. Nam postquam multum tolerando illius mentem commovit, et ostendit peccati magnitudinem, quasi defensionem parans, ait illi Adam: « Mulier quam » dedisti ut sit mecum, ipsa mihi dedit de hoc ligno, et co» medi. » Scio, inquit, me peccasse: sed mulier quam dedisti ut sit mecum, de qua ipse dixisti: « Faciamus illi adjutorem

[1] Gen. III, 12.

» secundum eum, » ipsa mihi hujus ruinæ causa fuit. « Mulier » quam dedisti ut sit mecum. » Quando enim expectassem ut tanta ignominia me afficeret, quæ ideo condita est ut mihi solatio esset? Tu mihi ipsam dedisti, tu ipsam mihi adduxisti. Ipsa, nescio unde mota, dedit mihi de ligno, et comedi. Videntur hæc quidem defensionem quamdam præ se ferre: sed prorsus venia carent. Qua enim venia dignus es, inquit, qui mea præcepta oblitus fueris, et qui mulieris donum meis verbis præferendum putaveris? Nam licet mulier cibum dederit, sufficiebat tamen mandatum meum, et timor supplicii, ut te ab esu deterrerent. An ignorabas? an nesciebas? Ideo curam vestri gerens prædixi, ne in hæc incideretis: itaque licet mulier tibi ad transgressionem mandati ministrarit, tu propterea insons non eris. Majorem enim fidem mandato meo te habere oportebat, et non solum ut tu ipse ab esu caveres, sed et ut mulierem doceres peccatorum magnitudinem. Caput enim es mulieris, et propter te illa producta est: tu autem ordinem invertisti, et non solum illam non correxisti, sed et ipse simul abreptus es: ac cum oporteret corpus reliquum capiti obsequi, diverso modo res evenit, corporique reliquo caput obsecutum est, et quæ sursum erant, in infimum locum venerunt. Propterea quoniam totum ordinem invertisti, eo nunc redactus es, qui antea tanta gloria vestitus eras. Quis te satis digne deploraverit, cui tot et tanta bona ablata sunt? Verumtamen licet hæc omnia tibi acciderint, nulli tamen alteri causam ascribe, sed tibi ipsi et tuæ ignaviæ: neutiquam enim te nolentem mulier in tantam induxisset ruinam. Num hortata est? num disseruit? num decepit? Dedit tantum, et statim, tamque facile ad sumendum cibum adductus es, nullam mandati vel memoriam fecisti? putasti a me te deceptum esse, et propterea cibum hunc tibi non concessisse, ut ne majoribus fruereris. Et qua ratione

ego te fallerem, qui tot in te beneficia contuli? Et istuc ipsum quanta beneficentiæ magnitudo erat, ut prædicendo distinguerem a quo abstinendum esset, ut non incideres in quæ incidisti? Sed hæc omnia nihili faciebas. Ecce nunc experientia te docet quanta peccatorum tuorum sit magnitudo : reliquum est, ut soli mulieri culpam non ascribas, sed et negligentiæ tuæ.

V. Igitur satis Adamum allocutus, postquam confessionem ille delictorum, ut putabat, edidit, peccato in mulierem translato : vide bonum Dominum, quanta iterum indulgentia dignatur etiam illam suo responso. «Et dixit, « inquit, Deus mulieri : Cur hoc fecisti [1] ? » Audisti virum in te culpam transferentem, et omnia tibi ascribentem, quæ ipsi in adjutricem data es, atque ideo condita, ut tuis solatiis ipsum foveres, utpote eamdem naturam cum ipso sortita. Cur hoc fecisti, o mulier? cur et tibi, et viro tantæ confusionis facta es auctor? Quæ utilitas ex hac intemperantia tibi accrevit? Quod ex hoc errore lucrum tibi accessit, quo sponte decepta, etiam virum ejus mali participem fecisti? Quid ergo mulier? « Serpens decepit me, et co- » medi [2]. » Vide etiam hanc quomodo perterrita peccata sua defendat. Nam sicut vir culpam in mulierem rejicere videtur dicens : « Mulier tulit, et dedit mihi, et comedi ; » sic et ipsa nullum effugium inveniens, fatetur factum, et inquit : « Serpens decepit me, et comedi. » Mala illa, inquit, bestia hunc nobis lapsum attulit. Illius perniciosum consilium in hanc nos ignominiam adegit. Ille me decepit, et comedi. Dilecti, ne transeamus simpliciter quæ nunc dicuntur; sed diligenter scrutantes, plurimam inde utilitatem percipiamus. Terribile enim judicium est, et horrore plenum : oportetque accurate omnia audientes, magnum thesaurum inferre menti. Considera enim et virum dicentem : « Mu-

[1] Gen. III, 13. — [2] Ibid.

» lier, quam dedisti ut sit mecum, ipsa mihi dedit, et co-» medi. » Nusquam necessitas, nusquam violentia, sed electio et voluntas : dedit solum, et non coëgit, nec vim attulit. Quin et ipsa quoque apologiam concinnans non dixit : « Serpens coëgit me et comedi : » sed quid ? « Serpens » decepit me : » ut autem deciperetur, aut non deciperetur, in ipsius erat potestate. « Serpens, inquit, decepit me. » Inimicus nostræ salutis, opera hujus malæ bestiæ usus, consilium dedit et decepit : non vim fecit, neque coëgit, sed pernicioso consilio fraudes suas opere complevit : quoniam mulierem offendit, quæ deceptionem facile admissura erat, nulla venia dignam. « Serpens decepit me, et » comedi. » Vide bonum Dominum, illorum verbis contentum, et ad plura dicenda non cogentem. Quandoquidem enim hæc non ignorans interrogabat, sed gnarus, et admodum gnarus : ut suam declaret misericordiam, ad illorum se infirmitatem demittit, et ad peccatorum confessionem ipsos provocat. Hac igitur de causa nihil ulterius ex eis quærit. Ediscere forte par erat deceptionis genus : verum ut nobis ostendat se non ignorantem interrogasse, fuit contentus dictis. Nam illa dicendo : « Serpens decepit » me, et comedi ; » subindicavit perniciosum consilium, quod a diabolo per serpentem accepit, quasi post esum futuri essent tanquam dii. Vidistis quanta diligentia Adam interrogatus est ? cum quanta indulgentia in judicium adducta est mulier ? quomodo uterque se defendit ? Videte demum hic ineffabilem misericordiæ Judicis excellentiam. Postquam mulier dixit : « Serpens decepit me, et comedi : » non jam serpentem dignatur responsione, neque locum ei dat sese purgandi : neque interrogat sicut virum et mulierem : sed accepta ab illis defensione, in illum, quasi malorum auctorem, se convertit. Et quia, utpote Deus, cui etiam arcana nota sunt, sciebat serpentem ministravisse

diaboli insidiis et invidiæ, quam erga hominem exhibuerat, ut discas ipsius bonitatem, quomodo, gnarus tamen, ad Adam quidem ait, « Ubi es? Quis annuntiavit tibi quod »nudus sis? » Evæ autem dixit : « Cur hoc fecisti? » huic malæ bestiæ nihil tale dicit. Sed quid? « Et dixit Dominus »Deus serpenti : Quia fecisti hoc? » Vidisti differentiam? Mulieri dixit : « Cur hoc fecisti? » Serpenti autem : « Quia »fecisti hoc ; » quia hoc malum, inquit, operatus es, quia perniciosum hoc consilium induxisti, quia huic invidiæ ministrasti, quia invidiam acuisti adversus creaturam meam : « Maledictus tu præ omnibus pecoribus, et præ omnibus »bestiis terræ. Super pectus tuum et ventrem tuum gradie»ris, et terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et ini»micitias ponam inter te, et inter mulierem : et inter se»men tuum, et inter semen illius. Ipse observabit caput »tuum, et tu observabis ejus calcaneum [1]. »

VI. Attende, oro, hic ordinem contextus refertum Dei erga homines benevolentia. Nam interrogans a viro incœpit, deinde ad mulierem transiit. Et postquam ipsa dixit quis sibi auctor fuisset, ut ventum est ad serpentem, non jam illum dignatur ut responsum ex eo audiat, sed pœnam intentat, et talem quæ in omne tempus extendatur, et sui spectaculo omnibus posthac futuris doctrina sit, ne ultra pestilens illud audiatur consilium, neque locus concedatur dolosis ipsius insidiis. Sed forte dixerit aliquis : « Cum diabolus, serpentis opera usus, malum attulerit consilium, cur bestiæ illi pœna infligitur? » Est et hoc ineffabilis benignitatis Dei opus. Nam sicut amantissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, et gladium et ensem, per quem filius suus occisus, destruit, et in multas partes comminuit : eodem modo Deus egit. Quia serpens, quasi gladius quidam, diaboli servivit malitiæ, perpetuam

[1] Gen. III, 14, 15.

ipsi pœnam infligit; ut per hoc quod sub sensum et sub aspectum cadit, intelligamus in quanta ignominia sit diabolus. Nam si is, qui ut instrumentum ministravit, tantam expertus est indignationem, quale supplicium verisimile est suscepturum diabolum? Imo hoc nos jam docuit in divinis Evangeliis Christus, dicens ad eos, qui a sinistra sunt constituti: « Discedite a me maledicti in ignem æternum, » qui præparatus est diabolo, et angelis ejus[1]. » Illi enim olim præparatus est inextinguibilis ille ignis. Quid ergo miserius illis, qui negligendo salutem suam, seipsos supplicio illi obnoxios reddunt, quod diabolo præparatum est? Nam quod nobis, si voluerimus virtutem amplexari, et leges a Christo statutas sequi, paratum sit regnum, ipsum audi loquentem: « Venite benedicti Patris mei, in hæreditatem » accipite regnum, quod vobis præparatum est a constitu- » tione mundi[2]. » Vidisti illi inextinguibilem ignem præparatum, nobis autem, nisi desides fuerimus, regnum? Hæc igitur cogitantes, vitæ nostræ curam agamus, et malitiam fugientes, nunquam diabolicis artibus decipiamur. At si et vos volueritis, et nondum fessi estis, iterum in medium afferamus pœnam quæ serpenti inflicta est, ut paulatim ad finem judicii properantes, videamus divinæ clementiæ magnitudinem. Nam si homines judicem videntes publice sedentem, et contra reos sententiam pronuntiantem, sæpe toto die ibi manent, nec inde abscedunt, donec surrexisse viderint judicem: multo magis nunc nos decebit Judicem majori cum alacritate videre bonum Deum, quomodo serpenti gravem pœnam imposuerit, ut per sensibilis hujus bestiæ pœnas, qua velut organo usus est malignus ille dæmon, intelligamus quas illi pœnas in futuro sæculo inflicturus sit: quomodo item misericordi correptione virum et mulierem castiget, quæ admonitio potius sit quam pu-

[1] Matth. xxv, 41. — [2] Ibid. 34.

nitio; ut his omnibus diligenter animadversis, admiremur clementis Dei providentiam, quam ille erga nostram naturam exhibet. Quid ergo illi dictum? « Et dixit Dominus » Deus serpenti : Quia fecisti hoc, maledictus tu præ om- » nibus pecoribus, et præ omnibus bestiis quæ sunt super » terram. Super pectus tuum et ventrem tuum gradieris, » et terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et inimici- » tias ponam inter te, et inter mulierem, et inter semen » tuum, et semen ejus. Ipse tuum observabit caput, et tu » observabis ejus calcaneum. »

VII. Gravis et vehemens indignatio : quia magna etiam et ingens deceptio, quam per illum malignus dæmon intulit. « Et dixit Dominus Deus serpenti : Quia fecisti hoc. » Quia tali, inquit, malitiæ ministrasti, ut fraus illa opere compleretur, malum consilium afferendo, et letale poculum temperando; quia sic fecisti, et a mea benevolentia excludere voluisti creaturas meas, ministerio maligni dæmonis sententiæ exhibito, qui ob invidiam et ingentem superbiam suam e cœlis in terram dejectus est : propterea quia te in his ut instrumento est usus, perpetuam tibi pœnam impono, ut per ea, quæ tibi inferuntur, et ille scire possit quodnam ipsum maneat supplicium, et futuri homines erudiantur, ne seducantur diaboli consiliis, neque illius fraudes admittant, ut ne in easdem incidant pœnas. Propterea maledictus es tu inter omnes bestias, quia calliditate male, et non ut oportebat, es usus : sed privilegium quod super omnia animantia possidebas, hoc tibi in omnium malorum cessit occasionem. Inquit enim : « Serpens erat » prudentissima omnium bestiarum, quæ erant super ter- » ram. » Propterea maledictus tu inter omnia jumenta et omnes bestias terræ futurus es. Et quia maledictio non erat sensibilis, neque oculis videri poterat, propter hoc sensibilem illi pœnam infert, ut continuo ante oculos videre

possimus supplicii ejus monimenta. « Super pectus et su-» per ventrem gradieris, et terram comedes omnibus diebus » vitæ tuæ : » quia forma tua abusus es, et in familiaritatem rationalis animalis a me conditi venire non formidasti. Sicut igitur diabolus, qui per te operatus, et te instrumento usus est, e cœlis deorsum depulsus est, quia plus quam dignitatis suæ erat, sapere volebat : ita similiter impero ut et tu aliam formationis figuram habeas; et super terram repas, eaque alaris; atque adeo ne liceat tibi posthac suspicere, sed semper in hoc maneas statu, et solus ex animalibus terra pascaris, et neque hoc solum : « Nam et ini-» micitias ponam inter te, et inter mulierem, inter semen » tuum, et semen ejus. » Neque hoc contentus ero, quod super terram reptes, sed et inimicam fœderisque nesciam faciam tibi mulierem : neque eam solam, sed et semen ejus semini tuo hostem perpetuum faciam. « Ipse tuum obser-» vabit caput, et tu ejus observabis calcaneum. » Tantum enim illi robur concedam, ut continuo incumbat capiti tuo; te autem faciam sub pedibus ejus jacere. Vide hic, dilecte, per pœnam, huic bestiæ deputatam, quantam humani generis curam nobis demonstret. Et hoc quidem de visibili serpente : licet autem volenti postea considerare scriptorum seriem, et cognoscere si de sensibili serpente hæc dicta sunt, multo magis accipienda esse de spirituali serpente. Etenim et illum pedibus nostris subjecit humiliatum, et id præstitit ut nos ejus capiti incumbamus. Annon hoc significat dicens : « Calcate super serpentes, et scor-» piones [1] ? » Deinde ne putemus de sensibilibus feris esse dictum, subdit : « Et super omnem virtutem inimici [2]. » Vidistis ex his, quæ dicta sunt de pœna instrumento diabolico inflicta, ingentem Dei humanitatem ? Veniamus iterum, si placet, ad mulierem. Serpens quia fallaciam intulit,

[1] Luc. x, 19. — [2] Ibidem.

propterea et pœnam ipse primus accepit : et quia primo mulierem decepit, et illa postea virum secum traxit, ideo et ipsa prior plectitur pœna magnam admonitionem habente. « Et mulieri dixit : Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas, et gemitum tuum. In doloribus paries filios : et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur [1]. » Vide bonitatem Domini, quanta post tantam prævaricationem mansuetudine utitur. « Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas. » Ego quidem volebam, inquit, te citra dolorem et ærumnam vivere, liberamque ab omni mœrore et tristitia, et omni voluptate repleri, et licet corpore circumdatam, corporalium sensu non affici : at quia non usa es, ut oportet, tanta prosperitate, sed affluentia bonorum tam ingratum tibi animum invexit, propterea tibi frenum impono, ut ne amplius lascivias, ad tristitias et gemitus te condemnans. « Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas, et gemitum tuum. In doloribus paries filios. » Rem, inquit, magnæ lætitiæ et filiorum propagationem a dolore ut incipias faciam, ut et ipsa per cujusque partus dolores et ærumnas, perpetuo monearis quanta sit peccati et inobedientiæ magnitudo : et ne processu temporis oblivioni tradas quod factum est, sed noscas hujusmodi fallaciam horum tibi causam fuisse, propterea « Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas, et gemitum tuum. In doloribus paries filios. » Hic significat parturientium dolores, multiplicemque illum laborem, quem ferre necesse est : nempe tot mensibus, velut sarcinam infantem gestare, et sentire singulares, quæ inde oriuntur, ærumnas, membrorum distorsionem, et intolerabiles illos dolores, quos solæ illæ sciunt, quæ expertæ sunt.

VIII. Verumtamen doloribus tanta solatia simul admiscuit benignus Deus, ut ferme conferendum sit gaudium

[1] Gen. III, 16.

quod ex nato puero habetur, cum doloribus illis qui tot mensibus ventrem dissecant. Nam quæ tantum laborem ferunt, totque dolorum cruciatibus discerpuntur, ut pene de ipsa vita desperent, postquam peperierint, et doloribus fuerint solutæ, lætitiaque frui cœperint, iterum quasi oblitæ laborum omnium, filiorum generationi operam dant, sic dispensante benigno Deo, ut hominum servetur genus. Semper enim futurorum bonorum spes id efficit, ut præsentia incommoda levius ferantur. Id quod in negotiatoribus quis viderit, qui ingentia maria transeunt, naufragia ferunt et piratas, ac post pericula multa, quibus illorum spes frustratur, neque sic tamen desistunt, sed iterum eadem attentant. Hoc etiam de agricolis possemus dicere : etenim et illi cum profunde secuerint terram, et diligenter excoluerint, ac largam sementem jecerint, sæpe ariditate vel immodicis pluviis, vel tandem quando manipuli colligendi, rubigine superveniente, spe sua excidunt : verumtamen neque illi sic desistunt, sed iterum, ut tempus appetierit, agriculturam exercent. Atque in quibuscumque studiis et artibus hoc obvium est. Sic mulier quoque et ipsa sæpe post tot menses illos, post intolerabiles dolores, post noctes insomnes, post membrorum distensiones, parvo quodam casu incidente, licet ante statutum tempus partum abortiverit informem, et nondum lineamentis figuratum, vel formatum quidem, non integrum autem, neque sanum, vel etiam sæpe mortuum, vix e periculis elapsa, attamen quasi oblita horum omnium, eadem quæ antea fert et tolerat. Et quid dico eadem ? sæpe cum fœtu nato commori eas contingit, et neque hoc cæteras terret, neque persuadet ut rem fugiant ; tantam Deus tristibus illis insevit voluptatem simul et lætitiam. Propter hoc dicebat : « Multi»plicans multiplicabo ærumnas tuas, et gemitum tuum.

» In doloribus paries filios. » Hoc etiam Christus dicebat Discipulis suis, monstrans tam doloris magnitudinem, quam lætitiæ excellentiam : « Mulier quando parit, tristitiam » habet, quoniam venit hora ejus [1] : » deinde volens nobis declarare quomodo tristia simul e medio tollantur, gaudium autem et lætitia succedant, inquit : « Quando autem » pepererit puerum, non jam memor est afflictionis, propter » gaudium, quia natus est homo in mundum [2], » Vidistis providentiam et curam nostri eximiam? vidistis pœnam admonitionis plenam? « In doloribus paries filios : » deinde, « Ad virum tuum conversio tua, et ipse dominabitur tui. » Quasi se defendens apud mulierem hæc dicit benignus Deus. Ego, inquit, ab initio honore parem te formavi, et ejusdem dignitatis in omnibus participem, et sicut viro, ita et tibi omnium principatum concredidi : cæterum quia abusa es honoris dignitate, subjicio te viro : « Et ad virum » tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur. » Quia relicto eo cui dignitate par, et cujus naturæ particeps, et propter quem formata es, familiaritatem cum serpente mala illa bestia habere, et ejus accipere consilium voluisti : propterea posthac illi te subjicio, et illum dominum tuum assero, ut illius scilicet dominium agnoscas : et quia nescivisti imperare, disce bene parere. « Ad virum enim « tuum, inquit, conversio tua, et ipse dominabitur tui. » Melius est ut tu sub illo sis, et illum dominum habeas, quam libere et cum potestate vivens per præcipitia feraris. Nam et equo utilius est freno regi, et composite progredi, quam sine illo per præcipitia ferri. Itaque considerans quid tibi sit utile, ad illum te habere volo conversionem : sicut corporis est caput sequi, et dominium ejus suaviter agnoscere. Scio vos dictorum copia fatigari, sed excitemini aliquantulum, oro, ne imperfectum judicium relinquamus,

[1] Joan. XVI, 21. — [2] Ibid.

neque relicto adhuc judice sedente discedamus, siquidem ferme ad finem pervenimus.

IX. Videamus itaque quid, post sermonem mulieri factum, viro dicat, et quam illi pœnam infligat. « Adæ au- » tem dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti » de ligno, de quo mandavi tibi, ut ex eo solo non come- » das, de illo ipso comedisti, maledicta terra in operibus » tuis. In ærumnis comedes illam omnibus diebus vitæ tuæ : » Spinas et tribulos tibi producet, et comedes fœnum » agri. In sudore faciei tuæ vescéris pane tuo, donec re- » vertaris tu in terram, de qua sumptus es. Quia terra es, » et in terram abibis [1]. » Plurima et ineffabilis etiam hoc loco ostenditur Domini erga hominem providentia, et cura : sed audiamus diligenter unumquodque dictorum. « Adæ » autem dixit : Quia audisti vocem uxoris tuæ, et come- » disti de ligno, de quo præceperam tibi, ut ex eo solo » non comedas, de illo ipso comedisti. » Quoniam, inquit, audisti mulierem tuam, et comedisti de ligno, et consilium illius meo mandato pluris fecisti, et noluisti ab unico hoc ligno abstinere, de quo solo præcepi tibi ne comederes : num tibi præcepi ut a multis abstineres? ab uno solo, et neque ab illo abstinuisti, sed oblitus mandatorum meorum, mulieri obtemperasti : idcirco reipsa disces quantum malum sis operatus. Audiant viri, audiant mulieres, et illi quidem, ut ne ferant eas mala consulentes, hæ autem, ut ne talia consulant. Nam si hic, culpa in mulierem rejecta, nullam veniam assecutus est, qualem quis haberet veniam, dicens : « Propter uxorem hoc et hoc peccavi, et hoc et hoc feci? » Ea enim de causa sub tua potestate facta est, et dominus ejus pronuntiatus es, ut illa tibi pareat, et non caput pedes sequatur. Verum non raro videmus contrarium usu evenire, ut qui suo ordine caput esse deberet, neque

[1] Gen. III, 17-19.

pedum ordinem servet, et ea, quæ in pedum loco est, in caput constituatur. Idcirco et beatus Paulus, magister orbis, hæc omnia prævidens, clamabat : « Unde namque scis, mu» lier, an virum sis salvatura? aut qui scis, vir, an uxorem » sis salvaturus[1]? Verumtamen viri est, ut diligenti opera male consulentem repellat : mulier vero semper in memoria retineat supplicium, quod Evæ irrogatum est, quæ pestiferum illud consilium viro suggesserat, ne audeat talia consulere, neque imitetur Evam : sed illius exemplo prudentior fiat, et talia consulat, quæ ipsam, et virum omni supplicio liberatura sint. Porro ad institutum redeamus. « Adæ autem dixit Deus : Quia audisti vocem uxoris tuæ, » et comedisti de ligno, de quo præcepi tibi de eo solo ne » comederes, de illo ipso comedisti. » Quoniam, inquit, tam negligens fuisti in observando mandato meo, neque timor te coërcuit, neque præcedens interminatio calamitatis esum consecuturæ tibi quidquam profuit, sed in tantam nequitiam pervenisti, ut neque ab unico hoc ligno tibi temperaveris, tametsi tot et tantis tibi frui liceret, ideo « Maledicta » erit terra in operibus tuis. » Vide benignitatem Domini, quomodo serpentem punit, quomodo idem et rationale animal. Illi enim dixit : « Maledictus tu de terra : » hic autem non sic; sed quid? « Maledicta terra in operibus tuis. » Et merito. Nam quia propter hominem producta est, ut ille posset frui iis quæ ex ea nascuntur, ideo iterum propter hominem peccantem maledictum ei inditur : quia maledictum terræ eveniens, hominis securitati et quieti obest, » Maledicta, inquit, terra in operibus tuis. » Exin ut discamus quid sit, « Maledicta, » subdit : « In doloribus » comedes eam omnibus diebus vitæ tuæ. » Vide unamquamque pœnam in sæcula durantem, ut non solum illis id utile sit, sed et posteri iisdem rebus doceantur, unde illis hæc

[1] 1 Cor. VII, 16.

supplicia sunt invecta : « In doloribus, inquit, comedes » eam omnibus diebus vitæ tuæ. » Postea diligentius docens maledicti speciem, et doloris causam, subdit : « Spinas et » tribulos tibi producet. » Ecce maledicti monimenta. Spinas, inquit, et tribulos proferet terra : itaque multis laboribus et ærumnis operandum tibi, et omni tempore cum tristitia vivere te curabo, ut hoc tibi frenum sit, ne quid supra dignitatem de te sentias : sed continuo cogites tuam ipsius substantiam, neque feras ut posthac sic decipiaris. « Et comedes fœnum agri. In sudore faciei tuæ vesceris » pane tuo. » Animadverte quo pacto post inobedientiam omnia contigerint contraria priori vitæ conditioni : « Ego quidem, inquit, cum in hunc te mundum produxi, volebam te degere absque doloribus, laboribus, sudoribus, et ærumnis, et omni felicitate frui, neque corporalibus necessitatibus obnoxium esse, sed ab omnibus illis vacuum in omni libertate versari. Quia vero non profuit tibi tanta securitas, eapropter et terræ maledicam, ita ut absque satione et aratione non proferat suos fructus, sicut antea : sed et cum multo labore, molestiis, et ærumnis, afficiam te doloribus et continuis fatigationibus : efficiam item ut nihil promoveas absque sudoribus ; ut his exercitatus, perpetuam doctrinam habeas modeste agendi, tuamque ipsius naturam agnoscendi. Neque hoc ad modicum et breve tempus erit, sed omni tempore vitæ durabit. « In sudore enim » faciei tuæ vesceris pane tuo ; donec revertaris tu in ter » ram, de qua sumptus es. Quia terra es, et in terram » abibis. » Hæc sustinebis usque ad finem vitæ tuæ, et donec in illam resolvaris, ex qua formatus es. Nam quamvis tibi corporis dederim naturam ob meam bonitatem, ipsum tamen hoc corpus ex terra existens, iterum erit terra. « Terra » enim es, et in terram abibis. » Enimvero ut ne hæc fierent, dixi : « Ne comedatis de hoc ligno. Quocumque enim

» die comederitis, morte moriemini. » Non enim hoc volebam, sed quia eorum, quæ ad me attinebant, nihil intermissum est : tu autem te ipsum in hæc conjecisti, ne in alium causam retuleris, sed tuæ ipsius desidiæ totum ascribito. » Jam denuo alia nobis quæstio hinc nascitur, qua, si placuerit, breviter absoluta, finem sermonis hic faciemus. « Dixit, inquit, Deus : Quocumque die comederitis ex eo, » morte moriemini [1] ; » multorum autem annorum numero ostenditur vixisse illos post inobedientiam, et cibi vetiti esum. Et quæstio quidem aliqua esse videtur iis, qui a superficie salutant divinas Litteras : at si quis æquo animo aures adhibeat, manifestum est quod dicitur, neque quæstio fuerit attendenti. Nam licet multos annos vixerint, attamen a quo tempore audierunt : « Terra es, et in terram » abibis : » et sententiam acceperunt mortis, mortales fuerunt : et ex illo tempore fuerunt perinde ac si quis illos dicat mortuos fuisse. Hoc igitur et Scriptura significans, dixit : « Quocumque die comederitis, morte moriemini : » hoc est, sententiam accipietis mortales posthac vos futuros. Sicut enim in humanis judiciis, quando quis sententia lata ut capite mulctetur, iterum in carcerem conjicitur, licet ibi multo tempore agat, nihil melius tamen habet defunctis et mortuis, utpote jam per sententiam mortuus : eodem modo et hi, ab eo die a quo mortalitatis sententiam acceperunt, tametsi longo tempore duraverint, nihilominus sententia mortui erant. Scio me copiosiore sermone et longiore doctrina usum : ideo quia per gratiam Dei, pro nostris viribus omnia in medium prolata sunt, et his, quæ lecta sunt, finem imposuimus, nunc sermonem contrahamus.

X. Possent quidem et alia proferri, et iterum monstrari inflictam hinc pœnam, et mortalitatem in nos

[1] Gen. II, 17.

inductam, multam abyssum habere divinæ misericordiæ : sed ne multitudine dictorum mentem vestram obruamus, age obsecremus vos ut, cum hinc abieritis, ne in conventicula insipientium vos conferatis, neque intempestivæ nugacitati vacetis : sed apud vos intelligite et cum aliis colligite quæ dicta sunt, et in memoriam referte, quidnam Judex responderit, quid rei pro se dixerint, et quomodo Adam culpam in uxorem transtulerit, illa in serpentem : quomodo item Deus etiam hunc punierit, et pœnam illi toto sæculo duraturam inflixerit, gravemque in illum indignationem declaraverit : atque ex hoc ostenderit suam erga deceptos curam. Ex eo enim quod decipientem sic ultus est, intelligitur ab eo deceptos eos fuisse, qui Deo valde grati erant, et pro quibus multum sollicitus fuerat. Dein mementote supplicii mulieris, et pœnæ quæ illi inflicta est, imo potius admonitionis, et sic quoque recordemini quæ sint Adæ dicta, sententiamque hanc animo repetite : « Terra es, et in terram abibis. » Hinc obstupescite ineffabilem Dei misericordiam, quod nos, qui ex terra sumus, et in terram dissolvemur, si voluerimus virtutem amplexari, et vitia fugere, assequi poterimus ineffabilia illa bona quæ paravit et promisit diligentibus se, « Quæ oculus » non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascende» runt[1]. Gratias igitur multas Domino nostro debemus pro tot talibusque beneficiis : et ea nequaquam ex memoria dimittendo, per bona opera, et diligenti malorum fuga ipsum mitigemus, ac propitium nobis reddamus. Quomodo enim non ingrati prorsus animi signum fuerit, si ipse quidem cum Deus sit et immortalis naturæ, non refugiat assumere mortalem et terrestrem nostram substantiam, ut et ab antiqua morte nos liberet, supra cœlos evehat, paterno consessu honoret, et ab omni cœlesti exercitu adorari cu-

[1] 1 Cor. II, 9.

ret? Nos autem contraria illi retribuere non erubescamus, sed et immortalem animam, quasi dixerit quis carni agglutinatam, terrenam et mortuam, et nihil operari valentem, evadere curamus. Obsecro ne sic fiat, ne sic ingrati simus erga tantum benefactorem nostrum: sed illius præceptis obedientes, quæ ipsi grata sunt et probantur, operemur, ut et nos æternis bonis dignos efficiat. Quæ nos omnes assequi contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto sit gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Vitam, quia ipsa est mater omnium viventium. Et fecit Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas et induit illos, et ait Deus: Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis [1].

I. Vidistis heri Judicis benignitatem? vidistis examen bonitate refertum? vidistis suppliciorum diversitatem? quomodo punitus sit dolosus ille supplantator: quomodo etiam deceptis pœna sit inflicta, quæ magnam Dei præ se ferret benignitatem? Vidistis quomodo nobis commodorum occasio fuit, assistere tribunali, et videre quomodo processerit examen? Cognovimus enim quantis seipsos bonis mandati transgressione privarint Adam et Eva, nudati gloria illa ineffabili, et vita non inferiore quam angelica. Vidimus patientiam Domini; didicimus quantum malum sit

[1] Gen. III, 20.

desidia, quomodo et præsentibus spoliet, et magna ignominia afficiat. Idcirco, obsecro, sobrii simus, fiantque nobis illorum lapsus, remedia; et illorum desidia, securitatis causa : quandoquidem major pœna est eorum qui post illos peccant, et eo major quod exemplis emendare se nolint. Non enim qui postea eadem peccant quæ primi, in eamdem pœnam incident. Id quod breviter ab orbis Doctore sapientissimo, beato Paulo, inquam, discere possumus, qui dicit : « Quicumque enim sine lege peccaverunt, » sine lege etiam peribunt : et quicumque in lege peccave» runt, per legem judicabuntur [1]. » His verbis significat non eamdem luituros pœnam eos qui ante legem, et eos qui post legem peccaverunt. Gravius enim punientur qui post legem datam peccaverint. Nam « Quicumque sine lege pec» caverunt, etiam sine lege peribunt. » Proficiet illis ad leviorem pœnam, quod legis doctrina et adminiculo caruerint. « Et quicumque sub lege peccaverunt, per legem et » judicabuntur. » Isti, inquit, quia et legem habuerunt magistram, et neque sit emendati sunt, sed eadem quæ illi peccaverunt, graviorem quoque pœnam dabunt. Sed audiamus quæ hodie sunt lecta. « Et vocavit, inquit, Adam » nomen uxoris suæ, Eva, id quod est vita : quia ipsa est » mater omnium viventium [2]. » Vide divinæ Scripturæ diligentiam, quomodo neque hoc præterit, sed docet nos Adamum etiam mulieri nomen imposuisse. « Vocavit, » inquit, nomen uxoris suæ Eva, id est vita : quia ipsa » mater est omnium viventium : » hoc est, ipsa est origo eorum qui ex illa sunt futuri, radixque et fundamentum sequentis generationis. Dein postquam docuit nos quomodo mulieri impositum nomen fuerit, iterum ostendit nobis Dei bonitatem, quæ non despexit eos, qui a se creati erant, in tanta nuditate et ignominia versantes : « Et fecit, inquit,

[1] Rom. II, 12. — [2] Gen. III, 20.

» Dominus Deus Adæ et uxori illius vestes pelliceas, et in-» duit illos [1]. » Sicut misericors pater filium habens bona indole præditum, et omni cura educatum, et fruentem omnibus deliciis, veste nitida ac sericis amictum, paternisque opibus secure utentem, cum viderit eum nimia prosperitate in malitiæ præcipitium prolapsum, privat illis omnibus, et suæ potestati subjicit, veste spoliat, ac vili servilique amicta illum induit, ne omnino nudus sit et turpis; ita et benignus Deus, quoniam Adam et Eva indignos sese exhibuerunt indumento glorioso illo et nitido, quo amiciebantur, et quod nullis corporalibus eos necessitatibus obnoxios esse sinebat : nudavit illos omni illa gloria et fruitione, qua ante gravem hanc ruinam gaudebant : multamque erga illos in tantam perniciem lapsos exhibens miserationem, vidensque magno pudore circumfusos, consiliique inopes, ne nudi essent, et indecore se gererent, vestes ipsis pelliceas facit, eosque contegit. Tales enim sunt diaboli machinationes : si quando enim aliquos invenerit qui sibi pareant, eos voluptate quadam modica supplantatos, et in profundum malitiæ projectos, omnique confusione et ignominia plenos, jacere relinquat, miserabile omnibus, qui illum vident, spectaculum. At animarum nostrarum Curator, videns illos in tantis difficultatibus, in hoc statu positos non despicit, sed velamentum illis excogitat, per vestem vilem ostendens qualibus se vestimentis dignos fecerint. « Et fecit Dominus Deus Adæ, et uxori illius ves-» tes pelliceas, et induit illos. » Vide, quæso, quantam sermonis humilitatem nobis attemperat divina Scriptura. Sed quod sæpe dixi, id et nunc dico, omnia ita intelligamus, sicut par est de Deo intelligi. Verbum « fecit, » accipe pro eo quod est, imperavit ut essent. Jussit enim tunicis pelliceis vestiri in perpetuam inobsequentiæ memoriam.

[1] Gen. III, 21.

II. Audiant opulenti, et qui luxuriant in vermium textilibus, ac vestiuntur sericis; discantque quomodo ab initio humanam docens naturam benignus Dominus, quia propter transgressionem pœnæ mortis reus erat primus homo, opusque habebat veste quæ pudorem tegeret, pelliceas ipsi fecit vestes : quo docuit nos ut mollem et dissolutam vitam fugiamus, neque inertem et remissam sectemur, sed magis austeram amplexemur. Sed forte gravatim ferentes hæc divites, dicent : Quid igitur ? An pellibus vestiri nos jubes ? Non hoc dico : nam neque illi perpetuo usi fuerunt his vestibus. Benignus enim Dominus prioribus semper beneficiis recentiora quædam superaddit. Nam postquam sese corporalibus necessitatibus obnoxios fecere, et a dolore vacua et angelica vita exciderunt, dispensavit Deus, ut ex ovium velleribus homines indumenta sibi pararent, non alia de causa, quam ut tegumentum habeant, et ne rationale animal hoc non secus ac bruta in nuditate et dedecore vitam degat. Itaque vestium amictus continuum nobis sit monimentum, quo memores simus quantis bonis exciderimus, et discamus quanto supplicio humanum genus ob inobedientiam sit affectum. Dicant igitur nobis, qui tanto utuntur apparatu, ut jam usum lanæ prorsus nosse nolint, sed serico vestiantur, eoque insaniæ pervenere, ut aurum vestibus intexant : imprimis enim mulieres huic mollitiei deditæ sunt ; quare, dic, obsecro, corpus ita ornas, et gaudes ejuscemodi amictu ? Non cogitas pro magno supplicio, propter transgressionem, tegmen hoc excogitatum esse ? et quare non audis Paulum dicentem : « Habentes victum et amictum, illis contenti erimus [1] ? » Vides unius duntaxat rei habendam esse curam : videlicet, ne corpus nudum sit ; sed ut tegatur, nec amplius de varietate vestium esse nos sollicitos oportet ? Cæterum ad

[1] 1 Tim. VI, 8.

sequentia veniamus. « Et dixit Dominus Deus : Ecce Adam » factus est sicut unus ex nobis, ad sciendum bonum et ma- » lum. Et nunc ne forte extendat manum suam, et accipiat » de ligno vitæ, et comedat, et vivat in sæculum. Et emisit » illum Dominus Deus ex paradiso voluptatis, ut operare- » tur terram, de qua sumptus erat [1]. » Hic quoque vide quam idoneis infirmitati nostræ verbis utatur Deus. « Et » dixit, inquit, Dominus Deus : Ecce Adam factus est » quasi unus ex nobis ad sciendum bonum et malum. » Vi- disti quanta dictionis humilitas? Hæc autem, ut decet, di- gne de Deo intelligamus. Vult enim per hæc verba in me- moriam referre quomodo decepti fuerint a diabolo per serpentem. Quandoquidem ille dicebat, « Si comederitis, » eritis ut dii, » et spe potiendæ æqualitatis cum Deo, cibum hunc sumere ausi sunt. Atque hac de causa Deus iterum illos monere volens, ut sentirent quam graviter essent lapsi per inobedientiam et deceptionem, inquit : « Ecce Adam » factus est quasi unus ex nobis. » In tantum ruborem hoc verbum injicit, ut transgressorem graviter tangere valeat. Ideo, inquit, contempsisti mandatum meum, quod æqualem te Deo fore putares? ecce factus es quod expectasti : imo non quod expectasti, sed qualem te fieri dignum erat. « Ecce, inquit, Adam factus est quasi unus ex nobis, ad » sciendum bonum et malum. » Hoc enim fallax diabolus dicebat per serpentem : « Aperientur oculi vestri, eritisque » sicut dii, scientes bonum et malum. Et nunc ne forte » extendat manum et tangat lignum vitæ, et comedat, et » vivat in æternum. » Vide, oro, hic misericordiam Domini. Oportet enim quod dictum est diligenter scrutari, ut nihil eorum, quæ in fundo sunt abscondita, latere nos queat. Cum Deus Adamo mandatum daret, a nullo alio abstinere præcepit, quam ab unico ligno, de quo quia edere

[1] Gen. III, 22, 23.

fuit ausus, pœna mortis ipsi irrogata est : quod cum præciperet illi definivit, si prævaricaretur, de ligno vitæ nihil præcipiens. Quandoquidem enim, ut existimo, et intelligere est, immortalem illum creavit, potuisset ipse, si voluisset, cum aliis etiam de hoc vesci, quod perpetuam illi contulisset vitam : quare nullum mandatum de illo accepit.

III. Si autem curiosus aliquis rogat quare lignum vitæ sit appellatum, sciat non posse hominem, suis innixum ratiociniis, omnia Dei opera contueri. Visum enim fuit Domino, ut exercitationem quamdam obedientiæ et inobedientiæ haberet homo a se factus, et in paradiso degens, ut duo ista ligna ibi constitueret, alterum quidem vitæ, alterum vero, ut sic loquar, mortis. Nam ejus esus et transgressio mandati, mortem illi attulit. Quando igitur, ubi de hoc comedit, mortalis factus est, corporisque necessitatibus obnoxius, et primo peccatum ingressum est, propter quod et mors a Domino utiliter dispensata est : non posthac in paradiso relinquit Adam, sed exire inde jubet, monstrans se propter nihil aliud hoc facere, quam propter benignitatem qua illum prosequebatur. Et ut hoc accurate discamus, operæ-pretium fuerit verba divinæ Scripturæ denuo legere : « Et nunc, inquit, ne quando extendat manum, et accipiat de ligno vitæ, et comedat et vivat in æternum. » Nam quia magna intemperantiæ, inquit, indicia exhibuit, prævaricandoque mandatum mortalis factus est, ne nunc et lignum, quod vitam præbet continuam, attingere audeat, peccaturus perpetuo, satius fuerit hinc ipsum ejici, ita ut magis providentiæ, quam indignationis fuerit illa ejectio. Hic enim mos est Domini nostri, ut puniens non minus quam benefaciens, suam erga nos declaret providentiam : quippe et hanc pœnam admonitionis gratia nobis irrogavit. Quia utique, si scisset nos non pejores fieri impune peccando, neutiquam ultra puniisset : sed ut re-

primat nostrum ad deteriora progressum, et tollat malitiam ulterius grassantem, suam servando misericordiam, punit : id quod et nunc fecit. Curam enim agens primigenii hominis, ejici ipsum e paradiso præcepit. « Et emisit » illum Dominus Deus ex paradiso voluptatis, ut operare- » tur terram de qua sumptus est. » Iterum oro ut hic divinæ Scripturæ diligentiam videas. « Emisit illum, inquit, Domi- » nus ex paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua » sumptus est. » Ecce sententiam suam reipsa exequitur, et ex paradiso voluptatis ejectum, terram de qua sumptus erat, operari jubet. Nec temere dixit, « De qua sumptus est : » sed ut perpetuo commoneficret humilitatis inter operandum, scireque posset se inde esse constitutum, et substantiam corporis ex terra habere ab initio. Ut illam ipsam, inquit, operetur terram, ex qua et ipse constitutus est. Nam hoc quod in sententia dicebat : « In sudore faciei tuæ ves- » ceris pane tuo, » idipsum et nunc dicit, quando inquit, « ut » operetur terram de qua sumptus est. » Posthac ut discamus quanto spatio ipsum a paradiso collocavit, etiam illud ipsum Scriptura divina nos docet : « Ejecitque Dominus Deus » Adam, et collocavit eum e regione paradisi voluptatis [1]. » Animadverte communem Dominum nostrum in singulis operibus benignitatis argumentum exhibere, et singulas pœnarum species bonitate plenas esse. Non enim hoc solum misericordiæ et benignitatis argumentum erat, quod emitteret et ejiceret ; sed et quod illum contra paradisum collocaret, ut jugem dolorem haberet, quotidie cogitans unde exciderat, et in quem statum se conjecerat. Et quamvis gravissimi doloris spectaculum esset, tamen magnæ utilitatis erat occasio, ut dolens continuo aspectu, munitior et cautior esset in aliis, ne iterum in eadem peccata incideret. Nam quoniam hic hominis ut plurimum mos est, ut

[1] Gen. III, 24.

dum bonis fruimur, ipsis, ut oportet, uti nesciamus, illorum privatione emendamur, et tunc experientia docti sentire nostram desidiam incipimus, atque ita tanta rerum mutatione docemur, et a quibus excidimus, et quibus nos ipsos malis circumdedimus. Itaque quod prope et e regione paradisi eum qui illinc exciderat habitare jussit, maximæ providentiæ et curæ signum fuit, ut spectando memor esset, et inde lucrum faceret, ac neque immedica vivendi concupiscentia, vel foris existens de ligno comedere præsumeret. Divina enim Scriptura omnia nobis, prout nostræ infirmitati congruunt, narrat. « Et collocavit Cherubim » et flammeum gladium versatilem ad custodiendam viam » ligni vitæ [1]. » Negligentia, quam jam circa traditum præceptum exhibuerant, in causa fuit ut tanta cautione aditus ipsis intercluderetur. Animadverte hic benignum Deum non contentum fuisse hominem e regione paradisi habitare, sed præcepisse etiam ut Virtutes illæ Cherubim et flammeus gladius ille versatilis custodirent viam, quæ illuc inducebat. Nec absque causa addidit, « versatilem : » sed ut doceat nos omnem viam illo ducentem præclusam fuisse, eo quod gladius ille dum versaretur, obturaret et præmuniret omnes vias quæ illo ducerent, et ut continuam memoriam et timorem incutere illi posset.

IV. « Adam autem cognovit Evam uxorem suam [2]. » Considera quando hoc factum sit. Post inobedientiam, post paradisi amissionem, tunc primum usus rei venereæ cœpit. Ante inobedientiam enim angelicam vitam imitabantur, et nullus de re venerea sermo erat. Quî enim potuit, cum neque corporalibus necessitatibus obnoxii fuerint? Itaque ab initio virginitas palmam principatus accepit : sed postquam per desidiam intravit inobedientia, et aditus patefactus est peccato, illa quidem avolavit, utpote ab iis qui

[1] Gen. III, 24. — [2] Id. IV, 1.

indigni tantæ virtutis magnitudine facti erant: subintravit autem lex congressus. Cogita igitur, dilecte, quanta virginitatis dignitas, quam sublimis et magna possessio, quæ sit supra humanam naturam, et quæ opus habeat manu superna. Quod enim ii, qui virginitatem alacriter arripiunt, in corpore ea agant, quæ incorporearum sunt Virtutum, audi Christum Sadducæis dicentem: nam de resurrectione quæstionem moventes, sciscitantes dicebant: « Magister, » erant apud nos septem fratres, et primus, uxore ducta, » defunctus est, non habens liberos, et dimisit uxorem » suam fratri suo. Similiter et secundus, et tertius, et » quartus, et quintus, et sextus, et septimus. In resurrec- » tione ergo cujus e septem illis erit uxor? omnes enim ha- » buerunt illam [1]. » Quid igitur dicit illis Christus? « Erra- » tis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resur- » rectione enim neque uxores ducunt, neque nubunt, sed » sunt sicut Angeli [2].» Vidisti quomodo in terra ambulantes, et corpore circumdati angelicam vitam imitantur, qui Christi amore virginitatis sortem acceperunt? Nam quanto hæc major est et sublimior, tanto majores sunt et coronæ, et retributiones, et repromissa bona eorum, qui cum hac in aliis bonis operibus se exercent. « Adam autem, inquit, » cognovit Evam uxorem suam, et concepit, et peperit » Caïn [3]. » Postquam per inobedientiam intravit peccatum, et sententia mortales illos fecit, consequenter omnipotens Deus secundum suam sapientiam humani generis propagationi consulens, concessit per coïtum auctum iri nostrum genus. Et dixit: « Possedi hominem per Deum [4]. » Vide quomodo pœna inflicta mulierem emendaverit, melioremque reddiderit. Nam puellum natum non naturæ, sed Deo acceptum refert, gratumque animum declarat. Vidisti quo-

[1] Luc. xx, 28-33. Marc. xii, 18-23. — [2] Ibid. 24, 25. — [3] Gen. iv, 1. — [4] Ibid.

modo pœna admonitionis loco illis fuerit? « Possedi enim, » inquit, hominem per Deum. » Non natura, inquit, puerulum mihi dedit, sed divina gratia. « Et adjecit ut pareret » fratrem illius Abel [1]. » Quia pro nato filio grata fuit, et prius beneficium agnovit, assecuta est et aliud. Talis enim est Dominus noster, quando in primis gratum animum declaramus, et benefactorem agnoscimus, largius sua dona nobis erogat. Itaque quia et ista Deo partum ascripsit, propterea et alium accipit puerulum. Summa enim, postea quam subintravit mortalitas, consolatio erat filiorum successio. Et idcirco benignus Deus statim ab initio puniendi severitatem imminuens, et terribilem mortis personam auferens, liberorum successionem largitus est: quodammodo imaginem resurrectionis per hoc subindicans, et dispensans, ut pro cadentibus alii resurgant. « Et factus est, inquit, » Abel pastor ovium, et Caïn operabatur terram [2]. » Docuit nos divina Scriptura quam uterque natorum artem exercuerit, et ut alter vitam pastoralem, alter agriculturam delegit. « Et factum est post dies, obtulit Caïn de fructibus » terræ sacrificium Domino [3]. » Considera quomodo naturæ Conditor scientiam conscientiæ indidit. Quis enim illum, dic, oro, ad hanc cognitionem perduxisset? nullus alius quam quæ in animo conscio scientia. « Obtulit, inquit, de » fructibus terræ sacrificium Domino. » Sciebat enim, et cognoscebat congruum esse ex suis possessionibus aliquid fructuum Deo offerre: non quod iis Deus indigeat, sed ut gratum animum suum declaret, qui tali beneficio fruitur. Nulla enim re indiget Deus, nullisque nostris opus habet. Cæterum ob ineffabilem benignitatem ita nostræ infirmitati se attemperat, et propter salutem nostram hæc fieri sinit, ut Dei agnitio humanæ naturæ virtutis sit schola. « Et » Abel etiam ipse obtulit de primogenitis suarum ovium [4]. »

[1] Gen. IV, 2. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4.

Non absque causa vel frustra in priori sermone vestram docui charitatem Dominum nostrum varietatem personarum ignorare, sed voluntatem scrutari, ac mentem intentionemque coronare. En nunc quoque idem factum animadverte. Dictis diligenter auscultemus, et videamus quid de Caïn narret Scriptura, et quid de Abel, et ne inconsideranter transeamus. Nihil enim temere vel fortuito loquitur divina Scriptura, sed et syllaba, et apiculus unicus reconditum habet thesaurum : nam in hunc modum se habent spiritualia omnia. Quid igitur inquit ? « Et factum est post » dies, obtulit Caïn de fructibus terræ sacrificium Domino, » et Abel obtulit etiam ipse de primogenitis ovium suarum, » et de adipibus illarum. »

V. Iis qui acutius valent intueri, jam ex lectione ipsa liquidum est quid dicatur ; verum quia omnium simul habenda est cura, et differentiam personarum nescit spiritualis doctrina, age manifestius vobis detegamus quæ dicta sunt, iterum ea repetentes. « Caïn, inquit, obtulit » de fructibus terræ sacrificium Domino : » deinde volens et de Abel docere nos Scriptura divina, dicit quod et ipse de sua arte, nempe pastoritia, suum attulerit sacrificium. « Obtulit enim, inquit, et ipse de primogenitis ovium » suarum, et de adipibus illarum. » Observa quomodo nobis pientissima illius mens significetur, et non tantum de ovibus obtulerit, sed de primogenitis, hoc est, de pretiosissimis, et maxime eximiis. Deinde et ex illis ipsis primogenitis pretiosissima quæque : « Et de adipibus, inquit, » illarum, » hoc est, de pinguissimis et optimis. De Caïn nihil tale annotatum est, sed obtulisse de frugibus terræ sacrificium : quasi diceret, qualiacumque obveniebant, nulla ad delectum adhibita opera vel diligentia. Iterum dico, et dicere non cessabo : non quia Deus rebus nostris indiget, oblata suscipit, sed vult et per hæc ostendi gratum nostra

animum. Nam eum qui Deo offerebat, et offerebat ex iis quæ Dei sunt, cum intelligeret quantum differret natura, et se hominem tantum honoris sortitum esse, oportebat, quantum fieri poterat, suum testari officium, et pretiosissima offerre. Sed vide, obsecro, dilecte. Habes hic occasiones ut quod oportet contempleris, merito pœnas luere eum, qui suam ob ignaviam prodit salutem. Neque enim ille doctorem aliquem habuit, neque hic suggerentem et consiliarium : sed uterque conscientiæ suæ magisterio, et sapientia divinitus humano generi suppeditata, ad hanc oblationem incitatur : sed excellentia propositi et voluntatis segnities, illius quidem acceptissimam fecit oblationem, hujus autem repudiatam. « Et aspexit Deus ad Abel, » et ad dona ipsius [1]. » Vide quomodo impletur hic quod in Evangelio est dictum : « Primi erunt ultimi, et ultimi » primi [2]. » Ecce enim qui ob primogenituram privilegium habebat, et proinde prior offerebat, minor visus est fratre, ut qui secus offerret quam oportebat. Nam cum uterque obtulisset, dicit divina Scriptura : « Et aspexit Deus ad » Abel, et ad dona ejus. » Quid est, « Et aspexit? » id est, approbavit, laudavit mentem, coronavit voluntatem, et quasi quis dicat, facto contentus fuit. Nam etsi de Deo loquimur, et de immortali natura aperire os audemus, sed cum homines simus, non possumus hæc aliter quam per linguam percipere. Attende rem miram : « Aspexit, » inquit, Deus ad Abel, et ad dona ipsius. » Ovium oblationem dona vocavit : quia pretiosa, eximia, et immaculata obtulerat. Aspexit igitur ad ipsum, quia sano et sincero animo obtulerat; et ad dona oblata, non quod nullis maculis aspersa tantum, sed quod omni ex parte pretiosa erant, tum ob mentem ejus qui obtulerat, tum quod primogenita erant, et ex illis electissima, et ex adipibus ipsis, hoc est,

[1] Gen. IV, 4. — [2] Matth. XX, 16. Marc. X, 31. Luc. XIII, 30.

ex optimis optima. « Et aspexit Deus ad Abel, et ad dona » ipsius : ad Caïn autem, et ad sacrificia ipsius non at- » tendit [1]. » Quia recta intentione, et sincera mente obtulerat Abel, « Aspexit, inquit, Deus, » hoc est, accepit, gratum habuit, laudavit. Cæterum oblata vocavit dona, ut per hoc offerentis animo majorem honorem præberet. « Ad Caïn » autem, et ad sacrificia illius non attendit. » Animadverte Scripturæ diligentiam; cum dixit, « Non attendit, » monstravit reprobationem oblatorum : et cum oblationes fructuum terræ sacrificia vocat, aliud nos docet. Vide quomodo per facta et verba ipsa doceat Dominus se hæc omnia a nobis velle præstari, ut animi nostri per ea, quæ a nobis fiunt, manifesti reddantur, et ut sciamus nos Dominum habere et Conditorem eum qui ex nihilo nos ut essemus produxit. Oves enim munera nominando divina Scriptura, terræ autem fructus sacrificia appellando, docet nos Dominum neque ut bruta adducantur, neque ut terræ fructus offerantur, sed tantum mentis affectionem quærere. Unde et nunc propter mentis affectionem ille quidem cum donis approbatus est, et gratus fuit; iste vero cum sacrificio suo rejectus est. Illud autem, « Aspexit ad Abel, et ad » munera ipsius : ad Caïn autem, et ad sacrificia illius non » attendit, » ita intelligamus ut Deum decet. Vult enim dicere Deum illis notum fecisse se illius approbare voluntatem, hujus autem repellere ingratum animum. Hujusmodi sunt ea quæ a Deo acta fuere. Videamus autem sequentia : « Et tristitia affecit Caïn valde et concidit vultus » ejus [2]. » Quid est, « Et tristitia affecit Caïn valde ? » Duplex illi tristitia accidit, non tantum quod solus ipse repudiatus, sed quod fratris donum acceptum fuerit. « Et tristitia affe- » cit Caïn valde, et concidit vultus illius. » Quid affecit illum tristitia ? Utraque hæc valde tristitia affecerunt, et

[1] Gen. IV, 5, — [2] Ibidem.

quod Dominus non attenderit sacrificium ipsius, et quod donum fratris acceptum ei fuerit. Cum igitur opus esset ut is, qui delictum admiserat, illud corrigeret; Dominus enim clemens cum sit, non tam nos aversatur si delinquamus, quam si in delicto permaneamus; ille contra nullam ejus rationem habuit.

VI. Et ut hoc evidenter scias, et benignitatis ipsius magnitudinem ineffabilem videas, vide ex his quæ nunc fiunt, bonitatis illius excellentiam, et patientiæ magnitudinem. Nam postquam vidit illum supra modum mœstum, et, ut ita dicam, a tristitiæ fluctibus submersum iri, non despexit; sed quam erga patrem ipsius benignitatem declaraverat, dans illi satisfaciendi occasiones post gravem illum lapsum, ac fiduciæ januam aperiens, et dicens: « Ubi es? » eamdem et nunc erga ingratum illum declarat, manum illi quasi in præceps cunti porrigens: et occasionem præbere volens, ut delictum corrigat, illi dicit: « Quare mœstus factus es? et quare concidit vultus tuus? » Nonne, si recte obtuleris, recte autem non diviseris, » peccasti? Quiesce. Ad te conversio illius, et tu illius » dominaberis[1].» Animadverte, dilecte, ineffabilem providentiæ indulgentiam. Quia enim vidit illum ab invidentiæ morbo, ut ita dicam, oppugnari, vide quomodo pro sua bonitate congruentia ipsi remedia apponit, ut statim educatur, et aquis non obruatur. « Quare mœstus factus es? » et quare concidit vultus tuus? » quare tanta detineris tristitia, ut et in facie mœroris magnitudinem ostendas? « Quare concidit vultus tuus? » cur ex ac re conturbaris? quare non a te ipso quod oportebat fieri, considerasti? Num homini sacrificium obtulisti, qui falli possit? ignoras mihi non esse opus ut aliquid offeratur, sed me sanam offerentium mentem velle? « Quare mœstus factus es? et

[1] Gen. IV, 7.

» quare concidit vultus tuus? Nonne si recte obtuleris, non » autem recte dividas, peccasti? » Quod in animum induxisti esse offerendum, laude dignum est: quod vero non recte dividas, id ut oblatum repudiaretur effecit. Oportebat enim offerentem Deo, in discernendo magnam adhibere diligentiam: et quantum differunt qui offert et qui accipit, tanta et in discretione facienda diversitas. At horum nihil tu cogitasti, sed ut fortuito contigit, obtulisti; atque idcirco non potuerunt esse accepta. Nam sicut animus tuus, quo oblationem fecisti, nihil intermedii esse existimans, effecit ut rejicerentur ea quæ a te sunt oblata: sic fratris tui animus, qui rectus fuit, et multum in discernendo studium habuit, accepta illius dona fecit. Verumtamen neque sic pœnam delicti repeto, sed ostendo duntaxat delictum, et consilium affero, quod si accipere volueris, et peccatum emendabis, et teipsum gravioribus malis non involves. Quid igitur? peccasti, et graviter peccasti, sed non punio propter delictum. Benignus enim sum, et « Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et » vivat[1]. » Igitur quia peccasti, quiesce, tranquillitatem para cogitationibus tuis, et libera mentem a procellis fluctuum inundantium, cohibe perturbationem illam, ne addas priori peccato gravius aliud, neque consilium aliquod immedicabile arripias. Ne teipsum maligno dæmoni captivum tradas. « Peccasti, quiesce. » Sciebat ab initio quod fratrem hic adoriturus esset, et ideo antea verbis reprimit. Nam quia tanquam Deus, cui etiam arcana sunt cognita, sciebat cordis illius motus, multum admonendo, et verba illius infirmitati accommoda proferendo, congruentem ipsi medicinam protulit, quæ in se erant omnia faciens, tametsi ille repulso medicamento, in fratricidii profundum se præcipitarit. « Peccasti, quiesce. » Ne putes, inquit, li-

[1] Ezech. XVIII, 23.

cet tuum aversatus sim sacrificium ob pravam mentem, fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, me ideo primatu te destituere, et primogenituræ dignitatem a te auferre. « Quiesce; » nam licet honore ego illum prosecutus fuerim, acceptaque fuerint illius dona : verumtamen « Ad te conversio illius, et tu ipsius domina- » beris. » Itaque post peccatum hoc permitto ut primogenituræ privilegiis gaudeas, illumque sub tua potestate et dominio esse jubeo. Vide benignitatem Domini, quomodo furorem et insaniam illius demulcere, et verbis his impetum auferre nititur. Quippe motus mentis illius videns, et crudelem ac sanguinariam illius voluntatem sciens, nunc præmitigare ejus rationem vult et serenitatem menti inducere, subjiciendo ipsi fratrem, et potestatem ipsius nihil minuendo. Verumtamen post tantam curam et tanta remedia nihil commodi Caïn inde retulit. Tantum valet mentis diversitas et malitiæ excessus.

VII. Sed ne longius protracta oratio nostra charitati vestræ molestiam exhibere videatur, neve tædium vobis afferre hic sermo noster censeatur, et aures vestras obtundat, hic finem dicendi facientes, vestrum audiendi studium cohortemur, ut caveatis ne istum imitemini, et ut relicta omni malitia, mandata Domini attente ac diligenter perficiatis, præsertim post tanta taliaque exempla. Neque enim ad ignorantiam deinceps quisquam nostrum confugere poterit. Nam si hic, Caïn inquam, nullum ante se invenit, qui tale quiddam egerit, nihilominus tamen intolerabilem et gravem illam sustinuit pœnam, quam et vos postea scietis : quid verisimile est nos passuros, qui eadem, vel etiam graviora peccamus, idque post tantam gratiæ largitatem? nonne ignem æternum, vermem qui non interibit[1], stridorem dentium, tenebras exteriores, gehennam ignis, et alias

[1] Isaï. LXVI, 24. Marc. IX, 42-47.

inevitabiles pœnas quæ nos excepturæ sunt? nulla enim defensio nobis relicta est, si ita negligentes et ignavi fuerimus. Nonne scimus omnes quæ sint facienda, quæ non facienda? et eos, qui priora faciunt, principales coronas assecuturos esse; eos autem, qui in extrema incidunt, extremis suppliciis esse puniendos? Ideo precor atque obsecro ne conventus iste noster inutilis sit : sed ut quæ auribus hausta sunt, eadem et factis expromantur, ut nobis bene conscii, atque interim bona spe freti, difficile hoc præsentis vitæ pelagus facile trajicientes, in portum benignitatis Dei pervenire, et ineffabilia bona illa consequi valeamus, quæ promisit Dominus diligentibus se, gratia et misericordia unigeniti ejus Filii, cum quo sancto et adorando ejus Spiritui gloria, honor, et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

Et dixit Caïn ad Abel fratrem suum : Egrediamur in campum [1].

I. Quemadmodum incurabilia vulnera neque austeris medicamentis cedunt, neque lenientibus : ita et anima semel captiva, si se peccato cupiam obnoxiam fecerit, et considerare noluerit quæ sibi sunt utilia, etiam si quis innumera inculcet illius auribus, nihil proficiet : sed quasi mortuæ essent aures, nullam ex admonitione suscipit utilitatem, non quia non potest, sed quia non vult. Non enim sicut et in corporalibus vulneribus videri solet, ita et in voluntate est. Nam in corporalibus naturæ affectiones sæpe immobiles sunt, in voluntate autem non ita se res habet.

[1] Gen. IV, 8.

Sæpe enim si voluerit etiam qui malus est, mutatur, et fit bonus : et qui bonus, per ignaviam excidit, et fit malus. Quia ergo liberi arbitrii esse nostram naturam fecit omnium Dominus, ipse quidem quæ sua sunt omnia pro sua misericordia semper exhibet, et sciens abscondita in profundo mentis et arcana, hortatur, consulit, conatusque nostros malos præveniens reprimit. Et necessitatem utique non imponit, sed congruentibus remediis appositis totum situm in ægrotantis sententia dimittit. Hoc igitur et in Caïn nunc factum est. Vide enim, post tantam providentiam et sui curam, in quantam inciderit insaniam. Oportebat enim conscium peccati sui in emendando postea occupatum esse. At ille quasi ebrius, affectui et vulneri priori aliud ulcus conjungens, et medicinam tanta diligentia adhibitam non admittens, sed destinatam cædem in opus perducere festinans, a dolo et versutia exorditur, et fallacibus verbis fratrem decipit. Tam efferus est homo, qui in nequitiam declinavit. Nam sicut magnum et venerandum est rationale hoc animal, et maxime quando in virtutis viam contendit : ita quando in malum declinat, truculentarum bestiarum imitatur crudelitatem. Quin et cum feroces illarum mores assumpserit, quamvis rationale et mansuetum animal sit, multis tamen nominibus illarum superat ferociam. Videamus igitur et istic quid acciderit. « Et »dixit Caïn, inquit, ad Abel fratrem suum : Egredia»mur in campum[1]. » Verba quidem fratris, mens autem homicidæ. Quid facis, o Caïn ? nescis cui loqueris ? Non cogitas tibi cum fratre colloquium esse ? non reputas eodem, quo tu, utero natum esse ? non animo concipis abominabiles conatus ? non times Judicem qui falli nequit ? non horret mens tua facinus ? Cur in campum vocas fratrem, et foras a paternis ulnis abducis ? Quare ipsum paterno auxi-

[1] Gen. IV, 8.

lio destituis? Quid novi accidit, quod nunc fratrem in campum trahis, et id quod prius non fecisti, nunc facere attentas, et amicitiæ occasione fraternam benevolentiam prætexendo, hostilia quæque perpetrare deliberas? Quæ insania? quæ rabies? Esto excæcatus mente, fraternæ affectionis nullam rationem habeas, neque naturam agnoscas, cur adversus illum ad bellum te instruis, qui nulla te injuria affecit? Quid item habes quod parentibus objicias, quos tanta mœstitia affligere deliberas, et auctor esse terribilis tragœdiæ, ut eis violentam hanc mortem primus ostendas? Has illis mercedes reddis tuæ educationis? Quæ diaboli ars in hoc te flagitium impulit? An dicere potes benevolentiam Domini erga illum ipsum adversum te arrogantem reddidisse? Nonne præcavens ob hanc sanguinariam tuam mentem subjecit illum tibi, et tuæ potestati subdidit, et dixit: « Quia ad te conversio illius, et tu » ipsius dominaberis[1]? » Nam hoc de fratris subjectione accipiendum est. Sunt enim aliqui dicentes de sacrificio ab eo oblato Deum talia dixisse. « Ad te conversio, inquit, doni, et tu ipsius dominaberis: id est, eo frueris. » Et ideo utrumque sensum dixi, relinquens vestræ prudentiæ id, quod dictis magis congruum videtur, eligendum; mihi enim videtur de fratre esse dictum. « Et factum est, cum essent » ipsi in campo, surrexit Caïn contra Abel fratrem suum, » et occidit illum[2]. » Horrendum facinus, periculosi ausus, abominabile opus, irremissibile peccatum, efferatæ animæ propositum. « Surrexit, inquit, contra Abel fratrem » suum, et occidit illum. » O abominabilem manum! o dexteram miserabilem! imo non manum oportet vocare abominabilem et miserabilem, sed mentem, cui membrum servivit. Dicamus igitur sic, o audacem mentem, et abominabilem et miserabilem! et quidquid dici potest, non

[1] Gen. IV, 7. — [2] Ibid. 8.

satis dicetur. Quomodo non obtorpuit ejus manus? quomodo potuit tenere gladium, et infligere plagam? quomodo non avolavit a corpore anima? quomodo valuit operari tam nefandum facinus? quomodo non inflexa est, et Caïn non mutavit sententiam? quomodo non cogitavit naturam? quomodo non consideravit, antequam adoriretur nefas, operis finem? quomodo sustinuit, post facinus, videre corpus fratris spiritum efflantis et palpitantis super terram? quomodo potuit videre mortuum et humi projectum, et a spectaculo non statim dissolutus est? Nam cum nos post tot annorum numerum, cum quotidie morientes videmus, quamvis naturali morte, et sanguine nihil nobis junctos, viribus destituimur: et si inimicus sit, inimicitiarum finem facimus; quanto magis hunc disperire par erat, et statim emittere animam, cum videret fratrem, qui paulo antea loquebatur, eadem matre natum, eodem patre genitum, ejusdem uteri partu editum, Deo singulari benevolentia acceptum, subito absque spiritu et operatione jacentem, et super terram palpitantem?

II. At videamus post nefarium illud facinus, et post flagitium nulla venia dignum, quanta indulgentia, quantaque benignitate omnium Deus utitur. « Et dixit Deus ad Caïn. »[1] Idipsum vel solum quantæ bonitatis fuerit, quod eum qui tanta facinora commiserit, colloquio dignetur? Nam cum nos sæpe cognatos nostros abominemur, si quando viderimus eos tale quoddam facinus perpetrasse; multo magis bonum Deum mirari par est tanta utentem tolerantia: et jure merito. Medicus enim est, et clementissimus pater; et sicut medicus nihil non facit ut, qui gravi morbo laborant, ad sanitatem reducantur: et sicut clementissimus pater filios, qui nobilitatem suam per ignaviam amisere, paterna indulgentia ad pristinam felicitatem restituere cupit. Proinde

[1] Gen. IV, 9.

quia immensæ bonitatis est, iterum benignitatem suam illi, qui talia fuerat ausus, ostendere vult. Dicit enim illi : « Ubi » est Abel frater tuus [1] ? » Multa et immensa Dei patientia est. Non enim interrogat quasi ignoret : sed idipsum agit, quod et patri illius fecerat : nihil enim obstat quin idem denuo dicatur. Nam quemadmodum illum, cum se præ pudore nuditatis tegeret, rogabat : « Ubi es [2] ? » non ignorans, sed fiduciæ occasiones illi præbens, ut per confessionem peccati delictum abluerct : hunc enim morem habet, ut ab initio a nobis peccatorum exigat confessionem, et veniam præbeat : ita et nunc rogat Caïn, et inquit : « Ubi est Abel » frater tuus ? » Ignorantiam simulat benignus Dominus, hac interrogatione eum, qui talia commiserat, præparans, ut ad peccati confessionem adduceretur, possetque veniam forte et misericordiam assequi. « Ubi est Abel frater tuus ? » Quid igitur ad hæc ingratus, stupidus, temerarius et impudens ? Cum cogitandum esset Deum non ignarum rei interrogare, sed ab ipso confessionem criminis exigere, et nos docere nunquam, causa non examinata, sententiam contra fratres nostros esse ferendam, et in mentem revocare consilium Domini, qui, hunc illius conatum reprimens, et conscius, etiam antequam res eveniret, quid ille haberet in animo, remediis ad prævenicndum usus est. Cum oportuisset, his omnibus cogitatis, finem facere insaniæ, dicere quid factum, ostendere medico ulcus, et accipere ab illo pharmaca, ille iterum auget vulnus, et ulcus gravius reddit, « Et dixit, inquit, Nescio. » Vide responsi impudentiam. Num homini loqueris, quem forte decipere posses ? Nescis, infelix et miser, quis est qui tibi loquitur ? Non cogitas ipsum ob bonitatem magnam interrogare, occasionem quamdam invenire cupientem, per quam suam tibi declaret humanitatem, et ut postea, tenta-

[1] Gen. IV, 9. — [2] Id. III, 9.

tis a se omnibus, nullam habeas defensionem, utpote qui pœnæ teipsum obnoxium constituas? « Et dixit, inquit, » Nescio. Num custos fratris mei sum ego[1] ? » Cogita hic conscientiæ accusationem et quomodo qui conscientia impellebatur, ut ita dicam, nec postquam dixit, « Nescio, » finem dicendi fecit, sed subdidit : « Num custos fratris mei » sum ego ? » tantum non seipsum redarguens. Atenim si ex consequenti abs te ageretur, secundum naturæ leges custodem fraternæ salutis te esse oportebat. Hoc enim natura decrevit, et oportet eos, qui ex eodem utero nati sunt, mutuo esse custodes. Quod si hoc nolebas, et noluisti custos esse fratris, quare ergo illius interfector es factus, et eum, qui te nulla affecit injuria, occidisti, et putasti nullum fore, qui te de hoc reprehensurus esset ? Sed expecta, et videbis accusatorem tuum fore eum, qui interfectus et prostratus jacet, et te viventem et ambulantem clara voce accusaturum. « Et dixit Deus : Quid fecisti hoc [2] ? » Magna hujus verbi recondita vis est, et emphasis. Quare, inquit, hoc operatus es ? Quare admisisti nefarium hoc facinus, abominabile opus, factum inexpiabile, insaniam intolerabilem, cædem novam et stupendam, jam primum in hominum vitam tua dextera invectam ? Cur fecisti hoc tam magnum, tam terribile, quo non est peccatum aliud gravius ? « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra [3]. » Num homo sum, inquit, qui solam illam vocem audiam, qua per linguam profertur ? Deus sum, qui possum et per sanguinem audire clamantem, et humi prostratum. Ecce quousque volat vox sanguinis hujus, usque in cœlum a terra ascendit, et prætercurrens cœlum, cœloque superiores Virtutes, regio solio assistit, et tuum deplorat homicidium, ac nefarium hoc scelus accusat. « Vox sanguinis » fratris tui clamat ad me de terra. » Num, inquit, in alie-

[1] Gen. IV, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid.

num et hospitem iniquitatem hanc patrasti? In fratrem tuum illum, qui nulla te injuria affecerat, sæviisti. Sed forte benevolentia mea hanc illi cædem peperit, et cum non posses mecum pugnare, in illum effudisti furorem tuum indomitum. Eapropter talem tibi pœnam inferam, ut audax istud facinus oblivioni tradi non possit, et quæ in te fiunt, omnibus posthac secuturis castigatio et admonitio sint. Et nunc quia hoc fecisti, et malam voluntatem ad effectum deduxisti, et per invidiam cædem commisisti : « Ma»ledictus tu de terra [1]. »

III. Vides maledictionis differentiam, dilecte? Ne igitur inconsideranter hinc transeas, sed ex maledicti magnitudine, flagitii immanitatem expende. Nam quanto majus sit peccatum hoc prævaricatione primi hominis, ex maledictionis varietate scire volenti licet. Illic enim inquit : « Ma»ledicta terra in operibus tuis [2] : » et in terram effusa est maledictio, ostensa sua in hominem cura. Hic vero quia opus perniciosum, facinus iniquum, et inexpiabile flagitium, ipse maledictum excipit. « Et nunc maledictus, in»quit, tu de terra. » Nam quia ferme eadem egit quæ serpens, et quasi organum servivit diaboli sententiæ, et sicut ille fraude mortalitatem introduxit, sic et hic deceptum fratrem, et in campum eductum, armata in illum manu occidit. Propterea sicut illi dixit : « Maledictus tu inter om»nes bestias terræ [3] : » sic et huic, qui eadem quæ ille operatus fuit. Nam sicut diabolus, odio et invidia motus, non ferens tot ineffabilia beneficia, quæ in hominem ab initio collata sunt, invidia ad deceptionem extimulatus est, quæ mortem induceret : ita et hic Dei erga fratrem suum benevolentiam magnam videns, ex invidia ad homicidium prosiliit. Idcirco dicit illi : « Et nunc maledictus tu de terra » Maledictus, inquit, eris, et terræ illi, quæ aperuit os suum

[1] Gen. IV, 11. — [2] Id. III, 17. — [3] Ibid. 14.

» ut sanguinem fratris tui de manu tua exciperet[1].» Et terræ illi, inquit, eris maledictus, quæ sustinuit tali sanguine irrigari, qui cum tanta abominatione a tam impia manu effusus est. Dein Scriptura divina maledictionem interpretans, manifestius dicit : « Quando operatus fueris terram, non » adjiciet ut det tibi robur suum[2]. » Magna pœnæ species, et grave indignationis pondus. Laborem quidem, inquit, sustinebis, et quæ tu facere potes, omnia facies, et operaberis terram tali sanguine inquinatam : nullum autem metes fructum tam multorum laborum, sed inutilis erit tibi omnis labor quem feceris. Neque hic finis erit pœnæ, sed et « Gemens et tremens eris super terram. » Rursus et hoc maximum est supplicii genus perpetuo gemere ac tremere. Quia enim, inquit, abusus es robore corporis, et membrorum viribus, propter hoc continuum hunc tremorem et motum tibi infero, ut non solum ipse habeas jugem admonitionem et memoriam hujus nefasti sceleris : sed ut et omnes qui te viderint, viso te, quasi clara illis voce personante, discant ne talia audeant, ut ne similia patiantur : et pœna tua alios doceat omnes, ne ultra tali sanguine terram polluant. Propterea non brevi te morte plectam, ut ne factum oblivioni tradatur, sed vitam morte graviorem sustinere te curabo, ut per hæc discas qualia perpetraveris. « Et dixit Caïn Domino : Major est causa mea, quam ut » dimittar ego[3]. » Magnum aliquid, et saluti nostræ plurimum utile hic, si attenti fuerimus, licebit addiscere. « Et » dixit Caïn : Major est causa mea, quam ut dimittar ego. » Ecce absoluta confessio. Tale tantumque est, inquit, peccatum quod commisi, ut non possim accipere veniam. Ecce, dicet aliquis, confessus est, et cum magna accuratione confessus est : sed nihil inde lucri, dilecte ; intempestiva enim confessio est. Hoc enim facere oportebat tempore

[1] Gen. IV, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13.

congruenti, quando adhuc impetrari poterat a Judice misericordia. Memores nunc estote ejus, quod paulo ante dixi, nempe in terribili illo die, et in tribunali, in quo nulla personarum acceptio, fore ut unusquisque nostrum ob peccata pœnitentia ducatur, videns et ante oculos habens terribilia illa tormenta, et inevitabiles pœnas, sed nullam inde habiturus utilitatem, tempore destitutus. Pœnitentia enim, prinsquam pœna inferatur, tempus habet, et ineffabilem vim. Proinde obsecro, cum adhuc efficax est mirificum hoc pharmacum, commoda et fructum inde percipiamus, et cum adhuc sumus in præsenti vita, pœnitentiæ medicamen nobis apponamus, scientes liquido nihil tunc nobis pœnitentiam profuturam, cum solutum fuerit spectaculum, et tempus certaminum ablatum.

V. Verum ad institutum redeamus. Oportebat, tunc cum interrogaretur a Domino, « Ubi est frater tuus? » confiteri peccatum et procidere, et orare, et veniam petere. Ipse vero tunc quidem medicinam rejecit : nunc autem post sententiam, post finem omnibus impositum, postquam clara voce accusatus est a sanguine in terra jacentis, confitetur, nihilque inde lucrifacit. Unde Propheta dicebat : « Justus suiipsius » accusator in principio sermonis [1]. » Et hic quoque si prævenisset Domini reprehensionem, omnino misericordiam consecutus fuisset, propter immensam Domini benignitatem. Nullum enim est peccatum, quantumcumque grave sit, quod illius misericordiam vincat, modo tempore debito pœnitentiam agamus, et veniam petamus. « Et dixit Caïn : » Major est causa mea, quam ut dimittar ego. » Sufficiens confessio, sed intempestiva. « Et dixit : Si ejeceris me ho» die a facie terræ, et a facie tua abscondar, et ero gemens » et tremens super terram. Et erit, omnis qui invenerit me, » occidet me [2]. » Vide quam miserabilia verba, tum quia intempestiva, tum quia tempore elapso nullum fructum af-

[1] Prov. xviii, 17. — [2] Gen. iv, 14.

ferrent. Et dixit : « Si ejeceris me hodie a facie terræ, et a »facie tua abscondar, et ero gemens et tremens super ter»ram. Et erit, omnis qui me invenerit, interficiet me. » Si in terra, inquit, maledictum me fecisti, et ipse me aversaris, tantæque pœnæ tradidisti me, ita ut gemam et tremam, nihil prohibebit postea quin quisquis, in me vel fortuito indicerit, me eo in statu positum et tua ope nudatum interficiat. Facile invadere me poterit, inquit, si quis interficere volet. Neque enim ipse obluctari potero, tam dissoluta membra circumferens, et undique commotus : insuper et hoc, quod sciant omnes tua me ope destitutum, eum qui velit, ut ad cædem meam prosiliat incitabit. Quid ergo misericors et bonus Dominus? « Et dixit illi Dominus »Deus; non sic. » Ne putes, inquit, hæc ita fieri. Neque enim licebit cuique volenti te occidere; sed ex diuturniore vita tua, et major inde tibi dolor erit, et relinquam te posteris generationibus magistrum, ut tui spectaculum illis sit admonitio et castigatio, nullusque exemplum tuum sequatur. « Et dixit Dominus Deus : Non sic. Omnis qui »occiderit Caïn, septem ultiones solvet[1]. »Fortassis multa sunt quæ dixi, et multam corpori molestiam attulimus. Sed quid faciam? Quia video vestram in audiendo aviditatem, et ingens desiderium, reliqua etiam persequar, et pro viribus meis interpretabor. Quid est « Septem ultiones »solvet? » Sed iterum vereor ne dictorum multitudine memoriam eorum quæ dicta sunt obruam, et videar vobis fastidium afferre : sed si non fatigamini, sustinete, et hoc absoluto contextu, sermonem finiemus. « Et dixit illi Do»minus Deus : Non sic. Omnis qui occiderit Caïn, septies »ultiones solvet. Et posuit Dominus Deus signum in Caïn, ne omnis qui inveniret, illum occideret[2]. « Hoc timuisti, inquit, ne occiderere : confide, hoc non erit. Nam quisquis hoc facere attentaverit, septuplici pœnæ se faciet ob-

[1] Gen. IV, 15. — [2] Ibidem.

noxium : et idcirco signum tibi impono, ut nullus ignorans, interfecto te, pœnis illis se obnoxium faciat.

V. Sed par est ut manifestius vos doceam quomodo, qui Caïn occidit, septem pœnarum reus sit. Vos precor, attendite. Nam si nunc, sicut et in superioribus diebus sæpe charitati vestræ diximus, cum jejunii tempus est, et tanta tranquillitate fruimur, et liberati sumus a cogitationibus quæ mentem nostram perturbant, non summa diligentia addiscimus quæ in divinis Scripturis continentur, quando ea aliis temporibus discere poterimus? Ideo oro, et precor, et supplico, et quasi genua vestra contingo, intenta mente his quæ dicuntur auscultemus, ut fructu aliquo nobili et præcipuo accepto, domum postea redeamus. Quid igitur est, « Septem ultiones solvet? » Primum quidem septenarius numerus de multitudine dicitur in divina Scriptura : id quod sæpe in Scripturis occurrit, ut, « Sterilis peperit septem [1]; » et similia. Conjectare autem hic licet peccati magnitudinem, et ipsum non unum peccatum commisisse, sed septem, quorum quodvis per se magna pœna luendum. Igitur quomodo hæc numerabimus? Primum invidet fratri, quod Deo sit gratus : quod si solum affuisset, ad accersendum illi exitium suffecisset : secundo, frater fratri suo invidet; tertio, fraudes consuit; quarto, cædem opere implet; quinto, fratrem occidit; sexto, primus mortem operatus est; septimo, Deo mentitus est. Num assecuti estis dicta, an vero vultis ut ea iterum recenseamus, quo sciatis quomodo unumquodque per se sufficiebat, ut maxima plecteretur pœna? Nam quis vel venia dignaretur alteri invidentem, quod Dei benevolentia frueretur? Ecce unum maximum et inexpiabile peccatum. Deinde hoc majus ostenditur, quia frater erat cui invidebat, et nulla illum prorsus injuria affecerat. Ecce et hoc quoque non vulgare pecca-

[1] 1 Reg, II, 5. Jer. XV, 9.

tum est. Jam tertium, quod dolos nexuit, decepto et in campum allecto fratre, neque ipsam naturam reveritus. Quartum peccatum ipsa erat cædes, quam perpetravit. Quintum, quod fratrem occidit eodem ex utero prognatum. Sextum, quod primus cædis specimen introduxit. Septimum, quod rogatus a Deo, mentiri illi ausus est. Dicit igitur : « Qui te occidere tentaverit, septem maximis pœnis seipsum reum faciet. Ne igitur hoc metuas; ecce enim et signum in te pono, ita ut nullus qui te invenerit, ignoret. Nam ista in toto vitæ tuæ decursu nervorum resolutio futuris generationibus utilis erit : et id quod solus, nullo præsente, operatus es, hoc discent omnes qui te gementem et trementem videbunt, et quasi per corporis tremorem clamantem, et omnibus dicentem : Nullus talia audeat, qualia ego, ut ne in eamdem pœnam incidat. »

VI. Hæc audientes, dilecti, quæ dicta sunt non inconsideranter prætercurramus, neque hoc solum spectemus, ut huc quotidie conveniendo spirituali mensa fruamur. Nulla enim solius auditus utilitas fuerit, nisi adsit obsequentia per opera. Sed cogitantes unde in hoc inexpiabile et grave peccatum Caïn seipsum impulerit, ut per invidiam in proprium fratrem, qui nihil ipsi mali intulerat, ita sæviret, imo ipsum occideret; ne fugiamus adversa et mala pati, sed potius caveamus ne aliis mala per nos inferantur. Ille enim vere malo afficitur, qui proximo suo nocere tentat. Et ut verum hoc esse scias, vide hic, obsecro, quis est qui mala patitur, an qui occidit, vel qui occiditur? manifestum quod qui occidit. Etenim occisus ille usque ad nostra tempora ore omnium decantatur, prædicatur et coronatur ut veritatis primus testis : sicut dicit et beatus Paulus : « Mortuus Abel adhuc loquitur [1]. » Sed qui occidit, etiam tunc vitam agebat miserabiliorem quam ullus homo,

[1] Hebr. xi, 4.

et postea ab omnibus male audit, ut abominabilis Deo, et ut maledictus a divina Scriptura traducitur; et hoc quidem in præsenti vita, quæ simul intercidet : quæ autem in futuro sæculo utrique occurrere debeant, « Cum unicuique » pro suo opere reddet justus Judex[1], » quis sermo dicere posset, vel quæ bona, vel quæ mala? Nullus, nullus plane, neque jucunda, neque tristia narraverit. Enimvero Abelem quidem in regno cœlorum et perpetuis habitaculis, Patriarcharum, Prophetarum atque Apostolorum chori et omnium Sanctorum congregatio suscipient simul in perpetuum regnaturum cum rege Christo Jesu unigenito Dei Filio et Deo : hunc autem, Caïn inquam, gehenna ignis aliaque immortalia omnia tormenta excipient, ut crucietur in infinita sæcula, et cum illo omnes qui similia egerunt, et maxime in eos qui posthæc turpissimis affectionibus capti sunt, quanto major pœna a Domino omnium pronuntiatur. Audi enim beatum Paulum dicentem : « Quicumque enim » sine lege peccaverunt, sine lege peribunt[2] : » hoc est, leviorem ferent pœnam, eo quod non habuerint legem quæ minaretur et corrigeret. « Et quicumque in lege peccave- » runt, per legem quoque judicabuntur[3]. » Hi autem, inquit, qui eadem faciunt quæ illi, et legis adminiculum habuere, graviores et intolerabiliores sustinebunt cruciatus : et merito : quia neque lex, neque quod alios tot malis objectos viderint, modestiores et meliores eos reddiderit. Quocirca obsecro ut vel saltem nunc aliorum correptionibus nosipsos emendemus, et vitam nostram corrigamus ad Domini obedientiam, illius obtemperantes legibus, ut neque livor, neque invidia, neque corporalis amor, neque hujus vitæ gloria et potentia, neque ventris voluptas, neque alia quædam absurda concupiscentia dominetur animæ et rationi nostræ : sed expurgati ab omni cœno, voluptateque tem-

[1] Rom. II, 6. Apoc. XX, 13. — [2] Rom. II, 12. — [3] Ibid.

porali, et vale dicto omnibus fœdissimis absurdissimisque affectionibus, ad beatam illam vitam, et ineffabilia illa bona, quæ Deus se diligentibus præparavit, festinemus: quæ omnibus nobis concedantur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

Egressus est autem Caïn a facie Dei, et habitavit in terra Naïd e regione Edem [1], *et reliqua.*

I. Age iterum, hodie in manus sumentes quæ in serie lecta sunt, inde vobis doctrinam apponamus, et solitum ex libris beati Mosis colloquium habeamus, imo ex sancti Spiritus eloquiis, quæ per Prophetæ linguam divina gratia nos docuit. Sed quo manifestior sermo noster sit, operæpretium fuerit ut in memoriam vobis referamus, ubi doctrinam nuper absolverimus, ut eadem hodie repetita, de nunc lectis dicere incipiamus. Scitis enim nos argumentum de Caïn et Abel narravisse, ostendentes tam ex iis quæ facta sunt, quam ex iis, de quibus obtulerunt Domino sacrificia, quomodo faciendorum et non faciendorum agnitio naturæ nostræ insita sit et omnium Opificem nos liberi arbitrii fecisse, atque ubique vel coronare, vel condemnare, secundum animi nostri propositum: ob hoc enim sacrificium Caïn repudiatum fuit, dona vero Abel accepta:

[1] Gen. IV, 16.

atque inde invidiam ortam Caïnum in cædem fratris extimulasse, qui et post impium facinus, volente Deo ipsum provocare ad confessionem peccatorum, neque sic remedium sanitatis accepit : sed scelesto homicidio mendacium conjunxit, et gravem illam pœnam sibi conciliavit, supernaque gratia se nudavit, posteris in correctionis exemplum propositus : atque ob sententiam in se acceptam, omni hominum generi loquitur, quasi clamans et dicens : « Ne tale quid ullus vestrum unquam audeat, ne in similes incidat pœnas. » Vidistis Domini benignitatem, quomodo sua in illum pœna, non ipsum solum castigare, sed per ipsum simul posteros omnes omnino fugiendum esse tam temerarium facinus docere voluit? Age nunc sequentia attingamus, et videamus quid hodie nobis narret beatus ille Propheta, spiritus sancti afflatu eruditus. Nam postquam a Domino sententiam Caïn accepit : « Egressus est, inquit, » a facie Dei [1]. » Quid est, « Exiit a facie Dei ? » hoc est, nudatus est præsidio Dei, propter abominabile et perniciosum facinus. « Et habitavit in terra Naïd, e regione Edem [2]. » Narrat nobis divina Scriptura locum in quo postea habitavit, et docet quomodo et hic non procul a paradiso versatus sit, ut e regione illius existens, continuo memor esset, tum eorum quæ patri suo ob prævaricationem contigerant, tum magnitudinis eorum quæ ipse perpetraverat, propter quæ tanta sibi, neque patris correptione emendato, pœna irrogata est. Et vero locus ille in quo habitavit, perpetua memoria fuit, non illi soli, sed et sæculis posterioribus, ob tremorem et motionem. Nomen enim Naïd Hebraïca dictio est, et vertitur commotio. Itaque ut crimen illius perpetuo notum esset etiam a loco, quasi in columna ærea scriptum, illic eum collocavit. Deinde inquit : « Et » cognovit Caïn uxorem suam : et cum concepisset, pepe-

[1] Gen. IV, 16. — [2] Ibid.

» rit Enoch [1]. » Mortales deinceps facti homines, merito de filiorum successione curam habebant. Sed forte dixerit aliquis : « Quomodo, cum Scriptura nusquam alterius mulieris meminerit, dicit quod Caïn habuerit uxorem? » Ne mireris, dilecte. Nusquam enim catalogum mulierum diligenter facit; sed Scriptura divina, cavens ne quid superfluum proferat, singulos viros commemorat, non omnes tamen, sed brevius nobis narrat dicens : « Et genuit filios et » filias, et mortuus est [2]. » Verisimile igitur est Evam filiam peperisse post Caïn et Abel, quam in uxorem acceperit Caïn. Nam quia initia erant, debebatque augeri humanum genus, sorores ut ducerent concedebatur. Et ideo hæc nobis conjectanda relinquit Scriptura, et hoc solum narrat dicens : « Et cognovit Caïn uxorem suam, et cum concepisset, peperit Enoch. Et erat ædificans civitatem in no- » mine filii sui Enoch [3]. » Vide quomodo paulatim instituuntur. Quia enim mortales evaserant, immortalem suam memoriam facere voluerunt, partim ex filiis quos generabant, partim ex locis quibus filiorum nomina imponebant. Hæc omnia jure quis diceret peccatorum monimenta, necnon lapsus a pristina gloria, in qua cum essent, nullo horum indigebant Adam et Eva, utopte omnibus superiores, et nihil obnoxii. « Porro Enoch ipsi natus est, inquit, Gaïdad, et Gaïdad genuit Maleleel, et Maleleel genuit Mathusala, et Mathusala genuit Lamech [4]. » Vides quam cursim transit genealogias; virorum tantum mentionem facit Beatus ille, nusquam vero mulierum meminit. Sed quemadmodum de Caïn dictum est : « Cognovit uxorem suam, » cum nusquam nos docuerit, neque dixerit unde habuerit uxorem : sic sane et hic loquitur : « Et accepit sibi Lamech » duas uxores, nomen uni Ada, et nomen secundæ Sella. » Et peperit Ada, inquit, Jobel : hic fuit pater habitantium

[1] Gen. IV, 17. — [2] Id. V, 4, 5. — [3] Id. IV, 17. — [4] Ibid. 18.

» in tabernaculis pastorum. Et nomen fratri illius Ju- » bal : hic fuit is, qui demonstravit psalterium, et citha- » ram [1]. »

II. Vide Scripturæ diligentiam. Docuit nos et nomina eorum, qui nati sunt ex uxore Lamech, et quæ studia illorum fuerint : nempe quod unus alendis pecoribus fuerit deditus, et alter excogitaverit psalterium et citharam. « Sella autem, inquit, et ipsa peperit Thobel, et erat mal- » leator, et faber æris et ferri [2]. » Iterum et artem illius qui, ex Sella natus erat, indicat, quod nempe fabrilem æris artem exerceret. Vide quomodo, quæ ad usum et commodum humani generis spectant, paulatim provisa sint. Et primum Caïn a filio suo civitatem ab se ædificatam nominavit. Deinde eorum, qui ex uxoribus Lamech nati sunt, unus pascendis pecoribus se dedidit, alius æreriam exercebat, alius etiam psalterium et citharam adinvenit. « Soror » autem, inquit, Thobel Noëman [3]. » Quid hoc novum et insolitum ? nunc primum nominatim mulieris meminit : non sine causa, neque temere ; sed ut occultum quid nobis hic declaret, hoc fecit beatus Propheta : id quod in aliud tempus vobis reponemus, nunc historiam sequamur : neque enim parvi momenti quiddam est quod subditur, et plurimo labore habet opus, ac diligentiore inquisitione, ut possimus omnibus liquido exploratis, multum hinc utilitatis nobis afferre. « Dixit, inquit, Lamech uxoribus suis Adæ » et Sellæ : Audite vocem meam uxores Lamech, auribus » percipite sermones meos : quia virum occidi in vulnus » mihi, et adolescentulum in cicatricem mihi. Quia septies » ultio sumpta est de Caïn, de Lamech vero septuagies sep- » ties [4]. » Obsecro, mente intenta estote, et omnia quæ ad sæculares curas pertinent, seponentes, cum diligentia quæ dicuntur, perscrutemur, ut nihil eorum nos lateat, sed

[1] Gen. IV, 19-21. — [2] Ibid. 22. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 23, 24.

quantum possumus ad profundum ingressi, occultum thesaurum venari possimus in paucis illis verbis latentem. « Dixit autem, inquit, Lamech uxoribus suis Adæ et Sel-» læ : Audite vocem meam uxores Lamech, auribus perci-» pite sermones meos. » Considera, obsecro, statim ab initio, quantum illi profuerit pœna Caïn irrogata. Non solum enim non expectat ut ab alio arguatur, quod in idem et gravius peccatum lapsus sit : sed nullo vel accusante vel increpante, ipse semetipsum manifestum facit, et confitetur quæ facta sint, mulieribusque narrat delicti magnitudinem : quasi illud quod a Propheta dictum est implens : « Justus sui ip-» sius accusator est in principio sermonis [1]. » Plurimum enim ad emendanda peccata valet confessio. Utique sicut gravius est peccatis ipsis, post peccata commissa, peccata inficiari : id quod fratricida ille agebat, et rogatus a misericorde Deo, non solum non confessus est id, quod ausus fuerat patrare, facinus, sed et Deo mentiri ausus est : et ideo ut prolongaretur vita sua, fecit. Igitur Lamech in illa ipsa peccata inciderat : sed animo reputans negationem gravius illi parasse supplicium, vocatis mulieribus suis, nullo reprehendente vel arguente, ipse sua lingua et confessionem peccatorum edit, et conferens quæ a se facta erant, cum iis quæ a Caïn, pœnam sibi ipsi definit. Vidisti providentiam Domini, quomodo pœnæ illius occasio sunt misericordiæ, et misericordia non solum ad illum pertingit, qui pœna plectitur, sed et multis aliis utile efficit illud remedium, modo velint inde fructum capere? Unde enim, dic, quæso, Lamech ad hanc confessionem adductus esset, nisi eorum, quæ illi contigerunt, memoriam habuisset, quæ illius continuo mentem concutiebat? « Dixit, inquit : Au-» dite vocem meam, et auribus percipite sermones meos. » Vide quomodo contra seipsum judicium considere facit, et

[1] Prov. xviii, 17.

eas hoc modo hortatur ne dicta negligenter acciperent. Dicendo enim : « Audite vocem meam, et auribus perci-» pite sermones meos : » mentem vestram, inquit, intentam præbete, et diligenter auscultate quæ dicturus sum. Non enim de rebus vulgaribus vobis loquar, sed occultas quasdam res vobis aperiam, et confitebor ea, quæ nullus alius scit ; sed solus ego, et oculus ille, qui sopiri nescit, quem timens festino et anhelo, ut vobis palam faciam ea, quæ a me sunt acta, et quantis pœnis ego meipsum nefariis operibus obnoxium fecerim. « Quia » virum occidi in vulnus mihi, et adolescentem in cicatri-» cem mihi. Quoniam septies ultio sumpta est de Caïn ; de » Lamech autem septuagies septies. » Magnum quid dictum est, et valde magnum : in multisque bonus viri animus spectatur. Non solum enim factum confitetur, et cædes ab se patratas in medium affert : sed et pœnam sibi infert, comparans peccatum suum peccato Caïni. Qua enim venia, inquit, fuerit dignus, qui alterius pœna emendatior non fit, sed recentem et firmam habens ejus memoriam, insuper duplex homicidium patravit ? « Quia virum, inquit, oc-» cidi in vulnus mihi, et adolescentem in cicatricem mihi. » Non tantum, inquit, nocui illis quos occidi, quantum mihi-ipsi ; in pœnam enim, quam effugere non possum, meipsum conjeci, peccata operatus tanta, quæ veniam non merentur. Nam si ille pro una cæde septem pœnis obnoxius factus est, ego dignus fuerim qui septuagies septies pœnam luam. Cujus rei gratia, et quare ? Nam licet cædem ille patraverit, eamque fratris, attamen nullo unquam antea conspecto, qui hoc fecisset, neque alio viso, qui pœnam dedisset ejusmodi facinoris, et tantam iram fuisset expertus, quæ utraque mihi pœnas augent ; quia ante oculos habens quod ab illo perpetratum fuerat, et pœnam videns sic immedicabilem esse, cautior factus non sum. Propterea licet septuagies septies ma-

gis quam ille punirer, attamen neque sic dignam luerem pœnam.

III. Vides, dilecte, quomodo nostram Deus mentem liberi arbitrii fecerit, et sicut, si desides simus, supplantamur; ita et si vigiles esse voluerimus, contuemur id quod oportet? Quis enim istum, dic, obsecro, ad talem confessionem adegit? nullus alius quam conscientia, incorruptus ille judex. Quia enim ex desidia in peccatum declinaverat, et scelus opere perfecerat, statim insurrexit conscientia, inclamans, atque ostendens peccatorum magnitudinem, et quantis seipsum pœnis obnoxium reddidisset. Ita enim se habet peccatum, ut priusquam fiat, et ad opus perveniat, obtenebret et decipiat mentem: postquam autem consummatum fuerit, manifeste suam nobis absurditatem proferat et ostendat; sic brevis illa et absurda voluptas continuum menti dolorem inserit, conscientiæque fiduciam aufert, atque illum qui succubuerit, confusione perfundit. Benignus enim Deus ejuscemodi nobis accusatorem assistere voluit, qui nunquam quiescat: sed indesinenter ille congrediens clamet, et pœnam exigat delictorum. Et hoc quis viderit manifeste ex factis ipsis. Scortator enim, vel adulter, vel qui aliud tale quiddam admisit, etiam si omnes latere queat, nunquam tamen sic in tranquillitate vivit; sed habens acrem illum accusatorem suspiciones timet, umbras tremiscit, et eos qui conscii sunt, et qui non sunt; perpetuaque in animo ejus tempestas est, et reciprocantes ac contrarii fluctus. Insuper neque somnus ei suavis, sed terrore et formidine plenus; neque cibus voluptatem præbet; neque amicorum colloquia talem refocillare, vel liberare ab urgente anxietate possunt, sed quasi carnificem circumgestaret se lancinantem et flagellantem continuo: ita post absurdum illud facinus obambulat, nullo conscio, sustinens intolerabiles pœnas illas, et judex suiipsius factus

et accusator. Attamen qui hæc fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientiæ adjumento, et ad confessionem facinorum festinare, et ulcus ostendere medico qui curet et non exprobret, atque ab illo remedia accipere, ac soli ei loqui, nullo alio conscio, et omnia dicere cum diligentia, facile peccata sua emendabit. Confessio enim peccatorum, abolitio etiam est delictorum. Quod si Lamech ille suis mulieribus cædes a se commissas detegere et confiteri non refugit; quali crimus venia digni, si ei, qui omnia nostra accurate novit delicta, confiteri peccata nolumus? Num quia ignorat, discere vult? Nequaquam quia ignorat, confessionem a nobis requirit, qui omnia scit antequam fiant: sed volens per confessionem nos quoque peccatorum habere sensum, et gratum erga se ostendere animum. Num opes aliquæ hic sunt expendendæ? num longum iter suscipiendum? num dolorem et cruciatus affert hæc medicina? Absque sumptu et cruciatu est præsens pharmacum, et quam celerrime curat. Etenim secundum affectum et animum accedentis, sic et remedia vulnerum largitur Dominus. Igitur qui vult statim ad sanitatem redire, animæque curare ulcera, sobria mente medicum adeat, ab omnibus sæcularibus curis se abdicans, calidas lacrymas profundat, assiduitatem plurimam præ se ferat, fidem firmam afferat, ac medici confidat arti, et protinus sanitatem consequetur. Vidisti medici bonitatem, ad quam si omnium patrum amor conferatur, obscurabitur. Num grave aliquid et molestum a nobis requirit? contritionem cordis, compunctionem mentis, confessionem lapsus, assiduitatem continuam: et non solum largitur vulnerum curam, et a peccatis mundos reddit; sed et eum, qui antea innumeris peccatorum sarcinis gravabatur, justum efficit. O misericordiæ magnitudinem! o bonitatis excellentiam! Qui peccavit, quando confitetur peccata, veniam petit, et posthac securita-

tempræse fert, repente justus redditur! Et quo clare hoc discas, audi Prophetam dicentem: « Dic tu prior iniquitates »tuas, ut justificeris[1]. » Non simpliciter inquit: « Dic tu ini- »quitates tuas: » sed adjecit, « prior: » hoc est, ne expectes te arguentem, ne præstoleris accusatorem; ipse præveni, et rape sermonis principium, ut accusatoris linguam occludas.

IV. Vidisti Judicis benignitatem? In humanis quidem judiciis, si quis hoc faceret et ante allatam probationem facinora confiteretur, quamvis apud humanum fortasse judicem tormenta et sibi succedentes pœnas effugeret, tamen sententiam capitalem omnino in suum caput accerseret: at misericordis Dei, et animarum nostrarum Medici tanta est tamque ineffabilis bonitas et clementia, ut omnem etiam sermonem excedat. Nam si adversarium nostrum præverterimus, diabolum dico, qui in die illo ob faciem nostram stabit, et jam in præsenti vita, antequam ad tribunal ingrediamur, facinora confessi fuerimus, dicendique principium rapuerimus, nostrûm ipsorum facti accusatores, in tantam misericordiam provocabimus Dominum, ut non solum nobis concessurus sit ut a peccatis liberemur, sed ut in Justorum catalogo ascribamur. Enimvero si Lamech ille, qui neque legem habuit unde hoc discere posset, neque Prophetas audivit, neque aliam ullam admonitionem, ex judicio in natura insito conscius eorum quæ ausus fuerat, in medium attulit ea quæ patravit, et seipsum condemnavit: quomodo aliquam defensionem nos habere poterimus, vulnera non omni diligentia Domino ostendentes, eorum jam medicinam ab eo suscepturi? Id quod nisi nunc fecerimus, cum jejunii tempus est, cum tanta cogitationum tranquillitas, cum voluptas omnis sublata e medio, quandonam facinora nostra expendere poterimus? Idcirco semper vos obsecro ut sobrii sitis et

[1] Isaï. XLIII, 26.

vigiles, et præsentem vitam omnem in hoc insumatis, ut assiduitate illa intolerabile illud supplicium effugiamus, et gehennæ ignem vitare possimus. Maxime autem nunc, majorique studio id curandum, quando propter jejunii tempus continuis majoribusque fruimini admonitionibus. « Cognovit autem, inquit, Adam Evam uxorem suam; et cum » concepisset, peperit filium et appellavit nomen illius Seth, » dicens : Excitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel, » quem occidit Caïn [1]. » Postquam Scriptura divina genealogiam usque ad Lamech deduxit, iterum ad Adam et uxorem illius regreditur, et dicit : « Cognovit autem Adam » Evam uxorem suam; et cum concepisset, peperit filium, » appellavitque nomen illius Seth, dicens : Excitavit enim » mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Caïn. Pe» perit, inquit, filium, appellavitque nomen illius Seth; » nec contenta mater quod imposuisset illi nomen, dicit : « Excitavit enim mihi Deus semen aliud pro Abel, quem » occidit Caïn. » Vide hic quomodo et mater per appellationem nati filii, memoriam scelesti hujus operis continuam mentibus renovat; atque ut etiam posteri scirent quid Caïn patrare ausus fuisset, dicit : « Pro Abel, quem occidit Caïn. » Dolentis animæ verba sunt, et turbatæ ob facinoris memoriam, gratiasque agentis pro nato puero, hujusque nomine illius alterius scelus quasi in cippo inscribentis. Nam vere luctum non mediocrem parentibus attulerat, qui dextram suam adversus fratrem armaverat : et tam charum illum et amabilem illis ostenderat humi jacentem, mortuum, et sensu carentem. Nam licet sententiam accepisset Adam: « Terra es, et in terram abibis [2] : et, Quo» cumque die comederitis, morte moriemini [3] : » sententiam tamen in verbis hactenus cognoscebant, et nondum noverant qualis esset mortis ratio : sed hic primus ob odium

[1] Gen. IV, 25. — [2] Id. III, 19. — [3] Id. II, 17.

in fratrem, et livorem, qui intrinsecus illum rodebat, in fratricidium ruit, grave parentibus spectaculum exhibens. Proinde mater, quæ paululum caput erexit, et vix tandem aliquando tanti luctus consolationem invenit, gratias agit Domino ob natum puerum, et fratricidæ scelus infamat, hac maxima illum pœna afficiens, ut factum illius perpetuæ commendaretur memoriæ. Vidistis quantum malum sit peccatum? et quomodo peccantibus ignominiam et opprobrium inurat? Vidistis quomodo propter hoc divina gratia spoliatus, et omnibus in ludibrium factus sit? vidistis quomodo et parentibus, natura ad amandos filios propensis, propter pessimum hoc facinus abominabilis fuerit? Igitur fugiamus, obsecro, peccatum quod tantis nos malis involvit, et virtutem arripiamus, ut et supernam nobis benevolentiam conciliemus, et supplicium effugiamus. « Et Seth, inquit, » natus est filius. Appellavit autem nomen illius Enos : hic » speravit invocare nomen Domini Dei [1]. » Vide hic quomodo postea paulatim instituantur homines, ut in appellationibus filiorum grati animi indicium reponant. Hic quoque, inquit, nempe Seth ab se genitum filium vocavit Enos. Deinde Scriptura volens nobis nominis appellationem interpretari, inquit : « Hic speravit invocare nomen » Domini Dei. » Ex hoc enim posthac beatus Propheta genealogiam incœpturus est, rejecta memoria Caïn, et eorum qui usque ad Lamech ab eo descenderunt. Nam quia primatum natura sibi datum, primogenituræ dignitatem inquam, suæ voluntatis malitia dehonestarat, et ipse et qui ex eo nati, catalogo ejiciuntur. Seth vero, quod sibi natura negatum erat, id ex probo vitæ instituto consequitur, nempe in se translatum primogenituræ jus ; et quamvis non natura, attamen non ob voluntatis intentionem, etiam qui ex eo nati sunt, in genealogiis recensentur. Et sicut

[1] Gen. IV, 26.

hic Enos vocatus est, eo quod invocavit nomen Domini Dei : sic et qui ex eo deinceps ducunt originem, eamdem sortiuntur appellationem. Propterea beatus hic Propheta, narrando hoc loco subsistens, aliud iterum principium orditur.

V. Cæterum ne incœpta lectione aliquanto prolixiorem texamus sermonem, hic etiam nos cum beato Propheta dicendi finem faciamus, sequentem interpretationem, si Deus permiserit, in alium sermonem reponentes. Jam autem admonitam charitatem vestram vellem, quo ampliorem quemdam ex dictis nostris fructum percipiatis, ut quotidie vos examinetis quid ex hoc sermone, et quid ex alio lucrifeceritis ; et non solum auribus percipiatis nostra dicta, sed et menti vestræ bene commendetis, et quotidiana meditatione firmam rei memoriam teneatis. Vellem enim vos non vobis tantum proficere, sed et aliorum fieri magistros, ita ut possitis etiam alios admonere, neque hoc verbis duntaxat agere, sed et operibus erudire proximos ad præclarum virtutis officium. Cogitate, oro, si vos, qui hic affuistis, quotidie portiunculam tantum accepissetis ad emendandas affectionum perturbationes, jam ad summum aliquod fastigium perventuros fuisse. Nam non cessamus quotidianis sermonibus inculcare auribus vestris, quæ ad instituendam optimam vitam attinent, ut eradicentur mali isti affectus, iram dico, invidiam et livorem, quibus sublatis, facilius et insania illa in colligendis pecuniis emendationem admitteret, et cessante insania avaritiæ, majori securitate illicitæ fœdæque cogitationes comprimerentur : « Radix enim omnium malorum est avaritia [r]. » Quod si radicem resecuerimus, et funditus extirpaverimus, facilius ramos licebit amputare. Arx enim malorum, et colophon, ut ita dicam, peccatorum, est rabies illa colligendarum divitiarum, quam si domare voluerimus, nihil vetat quin

[r] 1 Tim. VI, 10.

simul et hac insania liberemur, et cum hac evellamus, et eradicemus omnes perniciosos affectus. Jam ne existimetis magnum aliquid et grave esse opum contemptum : quia cum mecum reputo tam multos ob inanem et inutilem gloriam multa auri talenta effudisse in nullam utilitatem, sed ut a circumforaneis, et trivialibus homunculis aucupentur nominis celebritatem, quæ ad vesperam desinit, et sæpe non usque ad vesperam durat, sed et priusquam dies compleatur, innumeris malis circumdatur. Alii autem Gentilium errore præoccupati, etiam ipsi ad humanam respicientes gloriam, quam maximi faciunt, abjectis simul omnibus, et pallio tantum atque baculo servatis, omnem vitam sic exigunt, omnem laborem illum et miseriam ob vani nominis celebritatem assumentes. Cum igitur hæc mecum reputo, nescio quam habituri simus vel excusationem, vel veniam, qui neque ob mandatum a Domino traditum, neque ob gloriam illam immortalem et interminatam, vel minimam rerum nostrarum portionem relinquere sustinemus, quin et deteriores illis reddimur, neque quantum sit discrimen cogitamus. Nam illi ob hominum, qui ejusdem naturæ sunt, inutilem gloriam, eo usque pervenerunt, ut tam multa projiciant : nos autem propter Dominum nostrum, qui suppeditat ea quæ possidemus, et ineffabilia illa dona pollicetur, sæpe neque parvum quiddam inopibus erogare volumus. Et qualibus oculis videbimus Judicem, negligentes mandatum illius tam facile ? Num adhortor ut omnia vestra abjiciatis ? Fruere omni prosperitate, et cum satisfeceris tuo usui, quæ supervacua tibi et otiosa jacent, in necessarium usum converte, aliisque distribue fame laborantibus, et gelu rigescentibus : et per illorum manus in tuam patriam transmitte, in quam propediem tibi pergendum, ut ibi accipias. Illi enim plurimum tibi prodesse poterunt ad transvehendas illuc opes,

ut quando illuc abieris, omnia invenias bene disposita, majorique illic fruaris abundantia, videns ea a transvehentibus, imo a benignitate Dei, ita multiplicata. Num laborem habet id negotii? num curam, num sollicitudinem? Ad hæc transvehenda nullo tibi opus est jumento, non custode, neque ullo alio. Nullus enim latro vel fur hac via incedit, ut nocere queat iis, quæ a te illuc mittuntur: sed ea, quæ reposueris in egenorum manus, illa in securum promptuarium, nempe manum Dei, effundes: quæ inviolata et custodita præbebit, et cum redieris in patriam, illis redditis, etiam prædicabit laudes tuas, et coronabit, ac te in latitudine constituens, securum et felicem reddet. Effundamus ergo, precor, deposita in pauperum ventres, et seminemus dum tempus est, ut opportuno tempore metamus, et ne transmissa temporis opportunitate, posthac frustra nos pœniteat. Haccine de causa benignus Deus plura tibi largitus est, ut in tuum solius usum impendas quæ dedit, et reliqua in arculis et promptuariis recondas? non ea de causa, sed ut secundum apostolicam admonitionem, « Abun» dantia tua aliorum inopiam suppleat[1]. » Et tu quidem forsitan etiam plus quam opus est his frueris, in deliciis, vestibus, alioque luxu, servis quoque et brutis, argentum multum dividens: pauper autem nihil horum a te petit, sed tantum ut famem mitiges, ut quotidianum illi cibum, ac necessarium usum tribuas, ut vivat, et non pereat: et neque hoc facere dignaris, neque cogitas te plerumque subito abreptum, omnia quæ collecta sunt hic relinquere, et interdum in hostes et inimicos transferri, te autem peccatis omnibus, per quæ hæc collegisti, tecum receptis hinc migrare. Et quid tunc dices in die illo terribili? quomodo te excusabis, qui ita negligenter salutis negotium instituisti? Propterea mihi obtempera, et cum adhuc tempus habes,

[1] 2 Cor. VIII, 14.

opes supervacuas distribue, ut prius illic in tuam reposita habeas salutem, et pro illis perpetua bona consequaris. Quæ nos omnes obtinere contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

Iste est liber generationis hominum, die quo fecit Deus Adam, secundum imaginem Dei fecit illum. Masculum et fœminam fecit illos; et vocavit nomen eorum Adam, qua die fecit eos [1].

I. Magnus et ineffabilis thesaurus, dilecti, in verbis modo lectis reconditus est. Et scio quidem multos, nominum catalogum respicientes et lectionis superficiei hærentes, putare nihil amplius in dictis, quam mera nomina esse: ego autem vos omnes obsecro ne simpliciter ea, quæ in Scripturis sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat divitias: quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetæ locuti sunt, ideo utpote a Spiritu scriptæ ingentem in se continent thesaurum. Et ne mireris quod in hac nominum enumeratione multas latentesque divitias sententiarum vobis me ostensurum pollicear. Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris Litteris, in cujus profundo non sit grandis quispiam thesaurus: proinde par est nos divina gratia ductos, et Spiritu sancto illustratos, eloquia divina adire. Neque opus habet divina Scriptura hominum sapientia, ut intel-

[1] Gen. v, 1, 2.

ligatur, sed revelatione Spiritus, ut hausto inde vero sensu, magnum nobis hinc lucrum accrescat. Nam si in sæcularibus negotiis scripta, quæ ab hominibus conficiuntur, sæpe tempore corrupta, a tempore initio instrumenti notato, et ab una syllaba, multum momenti habent : multo magis hoc in Scripturis divinis, a Spiritu sancto compositis, invenitur, modo sobrii simus, et non temere prætergrediamur, sed intenta mente diligenter omnia consideremus, et non negligentiores simus aliis, qui tanto studio in sensilibus utuntur. Enimvero qui metalla effodiunt, non in superficie manent, sed cum profunde admodum descenderint, et auri ramenta nancisci potuerint, magno labore et sedulitate ea a terra separant, postque multum illum laborem, brevem aliquam laborum inveniunt consolationem. Verumtamen licet hi sciant se utilitatem percepturos laboribus non respondentem, sæpeque etiam post tot vigilias, et labores, expectatione sua frustratos esse, neque sic desistunt, sed spe aluntur, et sensu laboris carent. Quod si illi tantum præ se ferunt studium in corruptibilibus, incertis, et caducis; multo magis decet nos, ubi divitiæ auferri nequeunt, et thesaurus absumi non potest, et spe non aberratur, par vel majus studium adhibere : ut hinc aliquo fructu percepto, desiderata assequi possimus, agnitaque ineffabili benignitate Dei, gratias agentes Domino nostro, ejus nobis favorem conciliemus, et diaboli retibus non illaqueemur. Age ergo, prolatis in medium iis, quæ nunc lecta sunt, diligenter singula perscrutemur, ut solita refocillati doctrina, sic domum iterum recedatis. « Iste est » liber generationis hominum, inquit, die quo fecit Deus » Adam, secundum imaginem Dei fecit illum. Masculum et » fœminam fecit illos; et nominavit nomen eorum Adam, » die quo fecit illos [1]. » Attende, obsecro, Prophetæ hujus

[1] Gen. v, 1, 2.

admirabilis sapientiam, imo sancti Spiritus doctrinam. Ab illo enim, ut sæpe dictum est, afflatus, nobis hæc omnia loquitur. Et linguam quidem Propheta commodavit, gratia autem Spiritus sancti per illam omnia humanum genus manifeste docet. Vide ergo quomodo ad originem sermonem reducit, et superiora iterum resumit. Quare, et qua de causa? Quia videt eos, qui tunc erant, magna præ se ferre ingrati animi signa, nec meliores fieri ex iis, quæ primo parenti acciderant, sed in idem malitiæ profundum præcipitari. Nam cum is, qui ex illo natus erat, statim concitante invidia, ad fratricidium ruisset, et ideo gravissimam pœnam tulisset, sicut superius charitatem vestram docuimus, ac posteri ejus nihil ea castigatione profecissent, sed in majoribus se malis involvissent, sicut audivistis heri, Lamech nempe peccatum suum uxoribus enarrantem, pœnamque adversus se decernentem; quia paulatim vidit increscere malitiam illorum, quasi malum humorem per totum corpus se diffundentem, sistit malitiæ impetum, et generationes illas, quæ ex Caïn usque ad Lamech, ne memoria quidem dignatur : sed quasi principium quoddam ducens, et luctum Adæ et Evæ demulcere volens, in quem illos injecerat fratricida, armata contra Abel dextra : sic narrationem orditur, et inquit : « Iste est liber generationis » hominum, die quo fecit Deus Adam, secundum imaginem » Dei fecit illum. Masculum et fœminam fecit illos ; et no- » minavit nomen eorum Adam, die quo fecit illos. »

II. Considera quomodo iisdem verbis usus fuerit, quibus et initio, ut doceret nos se generationes illas utpote reprobatas, neque memoria posthac dignas habere : sed ex Seth, qui nunc illis natus est, genealogiam ordiri, ut et ex hoc discas quantam Deus humani generis rationem habeat, et quomodo illos aversetur, quibus sanguinaria mens est. Nam illorum memoriam, quasi nunquam vixissent, ita silentio

præterit, monstrando nobis quam grave malum sit peccatum, quod qui amplectuntur, se primum et maxime pessumdant. Ecce enim illi e catalogo expunguntur, et eatenus tantum commemorantur, ut infametur ipsorum malitia, et posterioribus sæculis emendationis sint occasio. At qui injuste occisus, et fraterna manu interemptus est, ex eo tempore usque in hoc nostrum, omnium decantatur ore, et neque tempus hujus memoriam extinxit, neque illius crimen imminuit : sed et hic quotidie omnium ore prædicatur, et ille continue infamatur. Vidistis quantum malitiæ damnum, et quantum virtutis robur? et quomodo malitia, etiam si infestet et dominetur, extinguitur tamen et aboletur : virtus autem licet infestetur, et innumera gravia sustineat, ea occasione illustrior fit et clarior? Et liceret quidem hoc etiam ex aliis gestis, quæ similiter evenerunt, charitati vestræ ostendere : sed ne ab instituto nostro digrediamur, age denuo quæ dicta sunt, repetamus. « Iste est liber generationis hominum, die quo fecit Deus Adam, secundum imaginem Dei fecit illum. Masculum et fœminam fecit illos ; et appellavit nomen eorum Adam, die quo fecit illos. » Vide quomodo iterum narratione ab initio repetita, divina Scriptura nobis commemorat quantum honorem a Conditore sortitus sit homo. « Die quo, inquit, fecit Adam, secundum imaginem Dei fecit illum : » hoc est, principem illum constituit omnium visibilium. Hoc enim est « secundum imaginem, » secundum rationem dominii et principatus. Nam sicut omnium Deus principatum habet super omnia tam visibilia quam invisibilia, qui omnium conditor et opifex est : sic et cum formavit rationale hoc animal, voluit omnium visibilium præfectura insigne esse. Proinde et animæ substantiam illi largitus est, volens ipsum immortalem esse et perpetuum: verum ubi per desidiam excidit, et transgressus est mandatum sibi traditum, neque sic omnino ipsum aversatus

est : sed pro sua misericordia immortalitatem quidem illi ademit, morte autem damnatum in eodem ferme principatu reliquit. Deinde cum is, qui ex illo natus erat, in tantam prorupit insaniam, ut primus mortis speciem inveheret, violentam illam cædem exhiberet, ac cædi mendacium copulans, magnam improbitatem præ se ferret, diuturna castigatione emendare illum voluit, ut non solum ille lucrum faceret ex iis, quæ ipsi contingebant, sed et posteros doceret commissorum magnitudinem, et ingentem sceleris fœditatem. Cæterum quia præ magna ignavia, posteri quoque illius paulatim in graviora mala ruebant, volens, ut ita dicam, solari Adamum, qui non solum ob suam transgressionem adeo mœrebat, sed et ob flagitium Caïni in luctu intolerabili versabatur, quod suis ipse oculis cæsum Abel vidisset; neque enim mortis speciem sciebant, tametsi lata esset sententia. Unde et duplex illi ac triplex luctus aderat, quia primum viderunt mortem in vitam introductam, et violentam mortem, et a filio perpetratam, et in fratrem eodem patre eademque matre natum, qui nihil illi injuriæ intulisset. Volens ergo benignus Deus parem doloribus afferre consolationem, alium illi dat filium, Seth videlicet; atque hinc ipsi data sufficienti consolatione, ab illo postea progenici initium ducit. Propterea beatus Propheta sic exorsus est, dicens : « Iste est liber generationis hominum. » Deinde ut promisit se narraturum hominum generationem, vide qua serie utitur. « Vixit Adam annis ducentis triginta, » et genuit secundum speciem suam, et secundum imagi- » nem suam; et appellavit nomen illius Seth. Fuerunt au- » tem ipsius anni septingenti, et genuit filios et filias. Et » facti sunt omnes dies Adam, anni nongenti triginta, et » mortuus est [1].

III. Nonne bene dicebam in exordio sermonis, nihil esse

[1] Gen. v, 3-5.

temere et absque utilitate in sacra Scriptura positum? Ecce enim et nunc quanta diligentia usus est beatus ille Propheta: « Genuit, inquit, Adam secundum speciem suam, » et secundum imaginem suam, et appellavit nomen illius » Seth. » Cum de priore loqueretur filio, Caïn dico, nihil tale significavit, nimirum jam antea indicans illius in malum proclivitatem; et merito : non enim servavit paternos mores, sed protinus ad malitiam confugit. Hic autem, inquit, secundum speciem et secundum imaginem suam, hoc est, eorumdem morum, quibus ille qui genuerat, et qui servaret eosdem virtutis characteres, qui paternam imaginem operibus exprimeret, et qui sua virtute prioris peccatum reparare posset. Neque enim de corporalibus lineamentis et characteribus Scriptura nobis disserens, dicit : « Secundum speciem suam, et secundum imaginem » suam : » sed de statu animæ, ut discamus hunc non talem esse futurum. Ideo et mater nomen filio imponens, cum gratiarum actione hoc nomen indidit : et neque naturæ, neque partui ascribit natum puerum, sed Dei virtuti. Illa enim naturam fœcundavit ad partum, et ait : » Cognominavit nomen illius Seth, dicens : Excitavit enim » mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Caïn [1]. » Vide verbi diligentiam. Non dixit : « Dedit mihi Deus : » sed, « Excitavit mihi. » Attende quomodo obscure nobis, hoc verbo, resurrectionis exordia hic ostendit. Ita enim loquebatur ac si quis diceret : « Pro eo qui cecidit, excitavit mihi hunc. » Quanquam ille, inquit, in terram dextra fratris percussus cecidit, et mortis periculum fecit, tamen Dei virtus pro cæso hunc mihi suscitavit. Sed quia nondum tempus erat resurrrectionis, non mortuum suscitavit, sed alium pro illo : quamobrem et ipsa dixit : « Suscitavit mihi Deus » semen aliud pro Abel, quem occidit Caïn. » Vidisti gra-

[1] Gen. IV, 25.

tum mulieris animum? vidisti benignitatem Domini? quomodo acceleratam illis consolationem excogitavit? Hanc imitemur omnes, et totum supernæ gratiæ tribuamus. Nam licet natura operetur, non tamen sua virtute, sed præcepto illius, qui ipsam fecit, obediens operatur. Et nunquam doleant mulieres quando non pariunt, sed gratum animum præ se ferentes, ad naturæ Opificem confugiant, et ab illo petant, qui naturæ Dominus est; et neque conjugum congressui, neque alteri cuipiam rei filiorum imputent generationem, sed Conditori omnium, qui ex nihilo naturam nostram produxit ut esset, et claudicantem corrigere potest: quandoquidem et ista ex occasione luctus Deo gloriam referendi sumpsit argumentum, et Domino totum tribuit, dicens: « Excitavit mihi Deus semen aliud » pro Abel quem occidit Caïn. » Vides quomodo non solum non gravatim tulit, neque triste aliquid locuta est? non enim prætermisisset divina Scriptura, siquidem tale quiddam ab illa dictum fuisset; verum generose ferens quod acciderat, consolatione statim dignatur, et majora grati animi dat signa, Domini beneficium prædicans. Vide enim quam benigne Dominus quæ suarum sunt partium exequatur. Non modo enim alium dat illi filium, sed et virtute præditum fore antea significat. « Genuit enim, inquit, se- » cundum speciem suam, et secundum imaginem suam. » Et ut statim discamus nati virtutem, vide quia et ipse statim per appellationem filii sui suæ mentis pietatem ostendat. « Et Setho, inquit, natus est filius, et appellavit » nomen illius Enos: hic speravit invocare nomen Domini » Dei [1]. » Vidisti appellationem diademate clariorem, purpura splendidiorem? Quid fuerit illo beatius, qui invocatione Dei ornatur, idque pro nomine possidet? Vides id quod ab initio dicebam, et in parvis appellationibus mag-

[1] Gen. IV, 26.

nas sententiarum divitias reconditas esse? Non solum enim hic parentum monstratur pietas, sed et magna erga liberos diligentia. Et quomodo statim et a principio erudiebant puerulos qui ipsis nascebantur, admonentes per appellationes, quas illis imposuerant, ut virtutem exercerent? non sicut nunc fortuito, et ut primum succurrit, nomina fiunt. Nomine, inquiunt, avi vel proavi vocetur puer : at prisci non ita, sed omnem operam adhibebant, ut talia natis imponerent nomina, quæ non solum illos, qui nomina sortiebantur, in virtutem adducerent, sed et alios omnes etiam, qui sequentibus sæculis futuri erant, omnimodæ philosophiæ doctrina essent. Id quod sciemus, si sermo aliquanto amplius processerit. Igitur nos neque quævis nomina pueris indamus, neque avorum et proavorum et eorum, qui genere clari fuerunt, nomina tribuamus, sed sanctorum virorum, qui virtutibus fulserunt, plurimaque apud Deum fiducia valuerunt. Imo, neque horum nominibus fidant vel parentes, vel pueri, quibus talia nomina contingunt. Nihil enim prodest alicui vocabulum virtute vacuum, sed habenda est salutis expectatio in virtutis operatione : et neque in appellatione sublime sapere, neque in cognatione sanctorum virorum, neque in aliquo alio, sed in fiducia propriorum operum : imo neque in illis multum de se sentire; sed tunc magis humilem et modestum esse oportet, cum magnas virtutum divitias congerere possumus : sic enim et ipsi collectas divitias tuto custodiemus, et benevolentiam Dei nobis conciliabimus. Enimvero propter hoc et Christus Discipulis suis dicebat : « Cum omnia feceritis, dicite : Inutiles servi sumus[1], » in omnibus eorum confidentiam reprimens, et ad modestiam eos revocans, ut bonis operibus non extollantur, sed sciant maximam virtutum esse in bonis operibus modeste et humiliter se habere.

[1] Luc. XVII, 10.

IV. Porro ad contextum sermonis redeamus, et videamus eos, qui postea nati sunt. Probabile est enim nos, paulatim procedendo, majores inventuros esse thesauros et immensas divitias. « Et vixit Enos, hic Sethi filius, annos » centum nonaginta, et genuit Caïnan [1] : et Caïnan genuit » Malaleel [2], et Malaleel genuit Jared [3], et Jared genuit » Enoch [4]. Et vixit Enoch annis centum sexaginta quin- » que, et genuit Mathusala. Placuit autem Enoch Deo. Et » vixit Enoch, postquam genuit Mathusala, annis ducentis, » et genuit filios et filias. Et fuerunt dies Enoch trecenti » sexaginta quinque. Et placuit Enoch Deo, et non inven- » tus est, quia transtulit illum Deus [5]. » Num bene dicebam nos procedendo magnum thesaurum in illis nominibus inventuros esse? Animadverte enim, obsecro hic, dilecte, et Justi virtutem, et boni Dei ingentem benignitatem, et Scripturæ diligentiam. « Et vixit Enoch annis centum sexa- » ginta quinque, et genuit Mathusala. Et placuit Enoch » Deo, postquam genuit Mathusala. » Audiant viri et mulieres, et discant Justi virtutem, nec putent nuptias in causa esse, quo minus quis Deo placeat. Nam idcirco divina Scriptura semel et iterum id significavit dicens : « Genuit » Mathusala, et tunc placuit; » et idem ingeminat ac repetit, dicens : « Et placuit, postquam genuit, » ut ne quis arbitretur obstaculum virtuti esse conjugium. Quia si sobrii sumus, neque educatio, neque conjugium, neque aliud quid nobis oberit, quo minus placeamus Deo. Ecce enim et hic ejusdem naturæ erat, cujus et nos sumus : et neque lex tradita erat, neque Scripturæ docebant, neque aliud quidquam ad sapientiæ philosophiæque studium deducebat. Ex se, et ex voluntate ipsius profectum est quod Deo placeret, ita ut usque hodie vivat nondum mortem expertus. Nam si nuptiæ, dilecti, vel puero-

[1] Gen. v, 9. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 18. — [5] Ibid. 21-24.

rum educatio, impedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc nostram vitam nuptias introduxisset universorum Creator, ut ne in rebus præcipuis et maxime necessariis nos læderet. Sed quia non solum nihil nobis obstant ad philosophandum secundum Deum, si voluerimus esse sobrii, sed et magnam afferunt consolationem, dum comprimunt insanum naturæ impetum, nec turbari quasi mare sinunt, sed efficiunt ut scapha feliciter in portum appellat, ideo consolationem hanc humano generi tribuit. Quod quam verum sit, ostendit Justus ille: « Quia » postquam, inquit, genuit Mathusala, placuit Deo Enoch.» Neque parvo annorum numero in virtutum exercitio perseveravit, sed vixit, inquit, annis ducentis. Et quia post transgressionem Adæ inventus est homo, qui ad virtutum culmen ascenderet, et primi parentis peccatum revocaret, ob eam, quam apud Deum habebat, gratiam, vide boni Dei excellentem clementiam. Nam quia invenit aliquem, qui potuit peccatum Adæ revocare, monstrando reipsa quia, non volens mortem humano generi inferre propter mandati transgressionem, eum qui mandatum acceperat condemnaverit, hunc viventem transfert. « Et placuit, inquit, » Enoch Deo, et non inventus est, eo quod transtulit illum » Deus. » Vides sapientiam Domini? viventem transtulit, non immortalitatem largitus est, ne peccandi metum enervaret, sed timorem in humano genere vigentem reliquit. Propter hoc iterum obscure, ut ita dicam, et latenter revocare vult sententiam quam contra Adam protulit; sed manifestum hoc non facit, ut timor illius emendationi serviat. Et idcirco Enoch, cum ipsi multum placeret, transtulit. Jam si quis curiosius rogare velit, et dicere: « Et quo ipsum transtulit? et num ad usque ad præsens vixerit? » discat non convenire humanis cogitationibus obsequi, et curiosius ea, quæ a Deo fiunt, explorare, sed credere iis quæ

dicuntur. Nam quando Deus aliquid pronuntiat, dictis ipsius contradicendum non est, sed fide digniora habenda sunt quæ a Deo pronuntiantur, etiamsi non compareant, quam ea, quæ oculis nostris subjecta sunt. Enimvero Scriptura dixit quod transtulerit illum, et quod viventem transtulerit, nec mortem expertus sit, sed ob suum, quem apud Deum habebat, favorem, superior factus sit divina sententia contra humanum genus prolata. Quo autem illum transtulerit, et quomodo nunc agat, hoc non adjecit.

V. Vidisti bonitatem Domini, quomodo inventum virum, qui virtutem operatus est, non fraudavit dignitate quam primigenæ homini ante mandati transgressionem largitus erat, docens nos se et illum, nisi dæmonis deceptionem pluris fecisset quam traditum mandatum, eodem vel majori honore dignaturum fuisse? « Et vixit, inquit, Ma» thusala annos centum et octoginta septem, et genuit La» mech [1] : et vixit Lamech annos centum octoginta, et ge» nuit filium, et appellavit nomen illius Noë, dicens: Hic » requiescere faciet nos ab operibus nostris, et a molestiis » manuum nostrarum, et a terra quam maledixit Dominus » Deus [2]. » Vide iterum, per appellationem nunc nati ex Lamech, mysteriorum magnitudinem, vaticinii excellentiam, et boni Dei ineffabilem benignitatem. Quoniam enim præscientia sua prævidebat ea, quæ futura erant; ut vidit malitiam hominum in dies magis atque magis increscere, prædicit per appellationem pueri mala, quæ totum humanum genus invasura essent, ut vel timore castigati abducerentur a vitiis, et amplexarentur virtutem. Et vide patientiam Domini curantis, ut ante tantum tempus vaticinium præcederet, ut et suam ostenderet misericordiam, et omni privaret defensione eos, qui pœnæ futuri erant obnoxii. Sed forte quis dixerit : « Unde Lamech hoc habuit, ut tantum

[1] Gen. v, 25. — [2] Ibid. 28, 29.

vaticinium prædiceret? non enim meminit Scriptura eum multa virtute claruisse, admirabilemque fuisse. » Ne mireris, dilecte. Dominus enim noster sapiens et omnipotens, per indignos sæpe concedit prædici magnas mirabilesque res : idque non in veteri Testamento solum, sed et in novo. Audi enim Evangelistam de Caïpha Judæorum pontifice dicentem : « Hoc autem a semetipso non dixit, sed » cum esset Pontifex anni illius, prædixit moriturum esse Je- » sum non solum pro populo, sed ut gentes dispersas con- » gregaret in unum [1]. » Invenies item et a Balaam tale quid factum : vocatus enim ut malediceret populum, non solum non maledixit, sed et prædixit multas mirasque res, non de populo tantum, sed etiam de adventu Salvatoris nostri [2]. Non igitur mireris, si etiam nunc Lamech ita puerum appellarit, sed Deo totum tribue, qui solerti sua sapientia cuncta dispensat. « Et vocavit nomen illius Noë. » Hoc nomen, si quis interpretetur, quietem dicit. Quietem autem vocat generalem illum interitum post multos annos futurum : sicut et Job dicit : « Mors viro quies [3] : » quoniam multus est et valde magnus labor malitiæ, ejus cessationem et perditionem per diluvium futuram, quietem vocat. « Et vocavit nomen illius Noë. » Deinde appellationem nominis interpretatur, et dicit : « Hic utique quietem » nobis præstabit ab operibus nostris : » a malitia, inquit, avertet, « Et a molestiis manuum nostrarum : » et iterum hoc ipsum, « Ab operibus, inquit, malis : » non enim dicit, manus dolore affectas, sed per illarum opera et malas actiones, molestias auctas fuisse. « Et a terra, quam maledixit » Dominus Deus. » Liberabit nos, inquit, ab omnibus malis prementibus, et laboribus et miseriis, quas subimus in terra colenda, quæ maledictioni facta est obnoxia propter primigenæ hominis transgressionem. Hic animadverte, di-

[1] Joan. XI, 51, 52. — [2] Num. XXIV, 17. — [3] Job. XVII, 16.

lecte, quomodo puellus iste, paulatim crescens, omnibus ipsum videntibus discendi occasio fuerit. Nam mox ut quis nomen pueri sciscitatus est, ex interpretatione vocabuli didicit eventurum generalem interitum. Nam si quis divino Spiritu afflatus simpliciter hoc futurum dixisset, id statim fuisset oblivioni traditum, et gravitas pœnæ non fuisset omnibus cognita; nunc autem quia hic ante omnium versatur oculos, tempestive et intempestive divinam commemorabat indignationem. Porro ut certo sciamus quanto tempore perseveraverit filius per sui nominis appellationem omnes admonere ut desisterent a peccato, et virtutem amplexarentur, quo iram hanc effugere valerent, dicit : « Et » erat Noë annorum quingentorum, et genuit tres filios [1]. » Vide iterum alium Justum cum uxore et filiis, qui bene operando admodum placuit Deo, et contra quam omnes agebant, virtutis viam elegit, et neque nuptiis, neque filiorum educatione prohibitus est. Porro obstupescenda est ineffabilis patientia Dei, et prodigiosa hominum, qui tunc erant, nequitia. Ecce enim quingentis annis vixerat Justus ille, clamans et testificans suo nomine futurum per universum orbem diluvium, ob nimiam hominum malitiam, et neque sic a nequitia abstinere voluerunt. At clemens Deus neque post tantum vaticinium, neque post tot annorum numerum pœnam inducit : sed denuo suam aucturus patientiam, alios non paucos annos suæ tolerantiæ adjungit. Neque enim ideo produxit humanum genus ut puniret, sed plane e diverso, ut donaret nobis innumera bona quibus fruceremur. Et propterea ipsum ubique vides cunctantem, et moras nectentem in pœnis infligendis. Verum ne dictorum multitudine memoriam vestram obruamus, hic sermonem sistentes, cætera usque in crastinum reponemus.

[1] Gen. v, 31.

VI. Hæc autem ne simpliciter et inconsideranter audiamus, dilecti : sed erudiamur ad virtutum curam agendam, admodumque studeamus Deo bene placere, et neque domus gubernationem, neque uxoris curam, neque filiorum sollicitudinem, neque aliud quiddam prætexamus, quod putemus satis esse ad excusandam nostram negligentem, desidemque vitam ; neque frigida illa verba proferamus, et dicamus : « Mundanus sum, uxorem habeo, et liberorum curam gero : » id quod multi solent dicere, si quando eos roganus ut ad virtutum labores ingrediantur, vel multum studium adhibeant in sacris Litteris legendis. « Non est hoc meum, inquit : numquid renuntiavi sæculo ? numquid monachus sum ? » Quid dicis, homo ? An hoc ad solos monachos pertinet, ut bene Deo placeant ? « Omnes homi- » nes vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire [1], » nullamque virtutem negligere. Audi enim eum per Prophetam dicentem : « Nolo mortem peccatoris, sed ut conver- » tatur et vivat [2]. » Numquid, dic, oro, Justo huic uxoris consuetudo, vel liberorum cura fuit obstaculo ? Obsecro igitur ne nosmetipsos fallamus, sed quanto magis hujuscemodi curis implicamur, tanto magis remedia ex lectione divinarum Scripturarum suscipiamus. Nonne et illi ejusdem, cujus nos sumus, fuerunt naturæ, neque tam multas habuerunt occasiones ad virtutis studium inducentes ? Qua ergo erimus venia digni, qui tali fruimur doctrina, et tantam gratiam assecuti sumus, ac superne subsidium habemus, et ineffabilium illorum bonorum promissionem accepimus, si non ad mensuram virtutum pervenimus, quibus antiqui Patres pollebant ? Nam si voluerimus sobrii esse, sufficiunt vel ea, quæ hodie dicta sunt, ut ad virtutis amorem nos excitent, nec ullum putemus ad illius viam esse impedimentum. Nam si ii, qui ante legem erant, a doctrina

[1] 1 Tim. II, 4. — [2] Ezech. XVIII, 23.

naturæ suæ insita ad tantam pertigerunt virtutem, quid nos poterimus dicere, qui post tantum adminiculum, et post Christi adventum, et innumera ejus miracula, adhuc tam procul a virtute sumus? Proinde obsecro ne ad ea, quæ in sacris Scripturis sunt contenta, simpliciter ingrediamur, sed ea cum attentione legamus, ut ex illis percepta utilitate, vel sero saltem aliquando virtutem, quam Deus probat, capessere valeamus. Nam si spiritualem hanc doctrinam etiam nos quotidie vobis clamaturi sumus, vosque in eadem maneatis ignavia, quæ vestra erit utilitas ex continua doctrina? aut nobis quæ consolatio erit, cum videmus nos tantum laborare frustra, et nihil proficere tanto studio? Dic mihi: nonne ex duabus substantiis constituti sumus, ex anima dico, et corpore? Cur ergo non parem utrique curam impendimus, sed corpus quidem omnibus modis curamus, et accersimus medicos, ac nos quoque illud diligenter curamus, vestitu pretioso illud tegimus, cibum supra quam sat est sumimus, atque in continua prosperitate illud esse volumus, et nulla omnino ægritudine vexari; sed si forte quid obturbet, omnem movemus machinam, ut quod molestiam affert emendetur? Et hoc de corpore dico, quod secundum substantiam minus est: quid enim majus, anima-ne, an corpus? Nam si vis videre diversitatem, animadverte quomodo nullius momenti sit corpus, si anima ab eo discesserit. Igitur qui tantam habes corporis curam, cujus gratia, et propter quod tantum animæ contemptum admittis, et neque congruum illi cibum impartiris, admonitionem dico ex sacris Scripturis, neque vulneribus et ulceribus, quæ illius robur debilitant, et fiduciam enervant, idonea remedia apponis, sed fers ut illa despecta fame contabescat, ab ulceribus putrefiat, et objecta quasi canibus, liceat sic dicere, a malis et illicitis cogitationibus dilaceretur, omnisque firmitas ejus dissolva-

tur? Quare non sicut visibilis corporis gerimus curam, ita et animæ, quæ incorporea et invisibilis; præsertim cum cura ejus non modo levis sit et facilis, sed etiam nihil in ea insumatur, neque laboretur? Atque hic quidem cum est corpus curandum, cum sanandi morbi corporis, magnam necesse est pecuniam impendere, nunc in medicos, nunc in alia necessaria, utpote in vestes et alimenta; ne quid interim dicam de iis, quæ præter necessarium usum luxu absumuntur, anima autem nullo horum indiget: sed si volueris, sicut quotidie corpori cibum suppeditas et pecunias effundis, sic et animam non despicere, ut ne fame pereat, sed dare ipsi congruentem cibum, videlicet ex lectione Scripturarum et ex spirituali adhortatione: « Non enim in » pane, dicit, solum vivet homo, sed in omni verbo quod » egreditur per os Dei[1]; » optime de his statueris, et parti, quæ nobis magis est propria, recte prospexeris. Sicut igitur corpori varia præbes indumenta, et rationem habes anni tempestatum in vestium diversitate; similiter neque animam despicito, ut ne nuda bonis operibus obambulet, sed decentibus illam vestibus induc; statim eam reparabis et ad naturalem sanitatem reduces. Et quæ sunt animæ indumenta? eleemosyna et largitas in pauperes: hoc enim maximum animæ vestimentum est, hoc splendidum illius indumentum. Si autem vis non solum vestimenta parare, sed illam ornare etiam, sicut corpus soles, appone adjutorium quod ex precibus est, et peccatorum confessionem, et continuis lacrymis faciem tuam lavare ne cesses. Nam sicut faciem corporis tui quotidie cum omni sollicitudine abluis, ne qua forte macula, facici inhærens, deformem illam reddat: sic et animæ curam habe fervidis quotidie lacrymis eam abluens. Hac enim aqua maculis depositis, ejus facies splendidior evadit. Et quia mulieres pleræque

[1] Matth. IV, 4. Luc. IV, 4.

ob mollitiem, apostolicum mandatum contemnentes, quo jubetur, « Ne in tortis crinibus, aut auro, vel margaritis, vel » veste sumptuosa [1] » se ornent, magno hoc luxu faciunt: neque mulieres tantum, sed et viri quilibet molles vilibus mulierculis similes fiunt, annulos digitis gestant, et magnis gravibusque lapidibus se ornant, de quibus erubescere oporteret: et illæ ergo et hi, si meis parerent sermonibus, aurea hæc, quæ et viris et mulieribus damnosa sunt, in ornatum animæ transferrent, et istis illam adornarent. Nam sicut corpori circumposita, etiamsi formosum sit, ipsum deforme reddunt: ita si animæ circumponantur, etiam deformi, summam pulchritudinem afferent. Et quomodo, dices, possunt animæ circumponi aurea? iterum dico, per manus pauperum. Illi enim accipientes, formosam illam reddunt. Illis auream pecuniam trade, et in illorum ventres dispensato, tantamque tibi vicissim dabunt pulchritudinem, ut forma tua verum illum sponsum alliciat, innumeraque dona conciliet. Cum autem pulchritudine Dominum allexeris, suppeditabuntur tibi bona omnia, et immensis opibus abundabis. Si ergo amabiles fieri Domino volumus, jam non ornatum corporis tanti faciamus, sed animæ formositatem quotidie magna diligentia curemus, ut et gratiam benigni Dei nobis conciliemus, et ineffabilia bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Tim. II, 9.

HOMILIA XXII.

Et erat Noë annorum quingentorum, et genuit Noë tres filios, Sem, Cham et Japhet [1]. Et factum est quando cœperunt homines multiplicari super terram, et filiæ natæ sunt eis [2].

I. Reliquias hesternæ mensæ vobis hodie proponere volo. Sed ne ægre feras, dilecte, quod reliquias dico. Nam in sensibilibus quidem alimentis, post unum et alterum diem, marcida fiunt edulia, et ad vescendum inutilia : in spirituali vero mensa nihil tale vereri oportet. Ipsa enim, quanto plus temporis præteriit, tanto majorem gratiam habet, et recentior atque vegetior invenitur. Age igitur promissionem, quam heri emisimus, impleamus, et debitum doctrinæ grato exhibeamus animo. Non enim hoc utile est accipientibus duntaxat, ut in aliis debitis, sed et mihi dinumeranti. Et quid dico mihi dinumeranti ? Talis est spiritualis debiti natura, ut quanto magis solvitur, tanto magis augeatur, et substantiam magis multiplicet, atque ineffabiles divitias afferat tam danti, quam accipientibus. Vidisti novam debiti naturam, et raram solutionis speciem ? In hunc enim modum se habent spiritualia, ut distributione magis crescant, et cum multi sunt participes, uberior sit abundantia ; et qui numeravit, non sentiat se aliquid numerasse, quandoquidem ejus opes crescunt, et iis, qui acceperunt, major etiam copia accrescat. Quia igitur talis est spiritualium istorum natura, magna alacritate etiam nos

[1] Gen. v, 31. — [2] Id. vi, 1.

ad solutionem festinemus, et vos ad suscipiendum aures accommodetis, ut omnes cum latis animi sinibus sumpseritis quæ a nobis dicuntur, ita domum proficiscamini. Iterum autem argumentum de justo Noë in medium afferre volo, ut Justi magnam virtutem, et ineffabilem Dei misericordiam, ac tolerantiam, quæ omnem animi captum transcendit, discatis. Didicistis heri quomodo ab ortu suo Justus ille, accepto a patre nomine, obambulabat, omnibus qui tunc erant doctor calamitatum, quasi clamans et per ipsum nomen suum dicens: « Desistite a malo, operamini virtutem, timete pœnam impendentem : commune diluvium in toto orbe erit. Ingens Dei indignatio instat, quia et magna nequitiæ colluvies. » Et hoc non per duos vel tres tantum annos faciebat, sed quingentos annos vixit hæc admonens. Vidistis tolerantiam Domini? vidistis bonitatis excellentiam? vidistis ineffabilem patientiam? vidistis malitiæ incrementa? vidistis improbitatis magnitudinem? Hucusque enim, ut scitis, heri sermo noster processit : operæ-pretium est igitur ut hodie discamus quomodo misericors Deus, pro sua bonitate, neque quingentis annis ad tolerantiam contentus fuit, sed addidit annos alios ad superiores in gratiam eorum qui tantum peccaverant. « Et » erat Noë, inquit, quingentorum annorum. » Ad utilitatem nostram divina Scriptura numerum annorum Justi assignavit, ut discamus quanto tempore vixerit, admonens illos, et quomodo illi quidem malitiæ viam sectati, in ea consumpti sint; Justus autem secus quam alii ambulans tanta virtute præcelluerit, ut et sibi Dei benevolentiam conciliaret, et cum omnes alii pœnis obnoxii fierent, ipse solus cum tota familia effugeret. Hinc discimus nobis, si sobrii fuerimus et non desides, non solum nihil nocere, si inter medios malos versemur; sed id nos reddere virtutis studiosiores. Nam ideo benignus Deus sic dispensavit, ut

simul essent boni et mali, quo malorum subenervaretur malitia, bonorumque virtus clarius elucesceret, et desides a studiosiorum consuetudine plurima commoda lucrifacerent, modo vellent. Hic cogites, velim, quantæ virtutis fuerit ille Justus, quomodo in tanta multitudine, quæ magno impetu in malum ruebat, solus ipse diversa ambulavit via, virtutem malitiæ præferens : ac neque aliorum consensus, nec tanta frequentia reddebat eum ad virtutis iter segniorem, sed jam prius implebat quod beatus Moses postea dicturus erat : « Non eris cum pluribus in malitia [1]. » Et quod magis admirabile, cum multos haberet, imo omnes qui ad malum et ad prava opera cohortarentur, et nullus esset qui ad virtutem induceret; tanta ille in eam vehementia ferebatur, ut viam tantæ multitudini oppositam et contrariam teneret : neque timebat, aut verebatur pravorum concordiam, neque illi tale quid evenit, quale solet ignavis accidere, qui si quando viderint multos simul concurrere, hoc velamen et hanc occasionem suæ ignaviæ prætexunt, ac dicunt : « Cur ego novum quidpiam et singulare præter illos omnes aggressurus sum, adversarius tantæ multitudini, et cum tanto populo bellum suscepturus? Numquid illis omnibus justior sum? Quæ utilitas foret tantarum inimicitiarum? quod commodum tanti odii? » Nihil hujusmodi inutiliter cogitabat, neque animo versabat, sed et hoc, quod postea a Propheta dictum est, prius ipse implebat : « Melior est unus faciens voluntatem Do» mini, quam innumeri prævaricatores [1]. » Num societas, inquit, multitudinis ad malum ruentis, et simul rapientis, a cruciatu me poterit eripere? Sciebat enim, sciebat liquido quemque pro sua salute rationem redditurum esse, neque unquam fore ut, alio peccante, alius pœnam sustineat, vel mercedem sortiatur. Idcirco Justus, quasi scintilla

[1] Exod. XXIII, 2. — [2] Eccli. XVI, 3.

in medio mari versans, non solum non extinguebatur, sed quotidie fulgidiori luce prodibat, omnes suis operibus docens. Vidisti quomodo sui juris et arbitrii naturam nostram Dominus formavit? Unde enim, dic, oro, illi ad malitiam properabant, et seipsos pœnis faciebant obnoxios; iste autem virtutem eligebat, et fugiens eorum societatem, pœnæ non obnoxius fuit? Nonne manifestum sua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, et nisi naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutis præmia accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est, ideo et peccantibus supplicia parata sunt, et bene operantibus mercedes et præmia. « Et erat, » inquit, Noë annorum quingentorum, et genuit tres filios » Sem, Cham et Japhet. » Considera divinæ Scripturæ accurationem. Postquam numerum annorum Justi nobis narravit, exhibuitque ingentem Domini patientiam, iterum summam tolerantiam ejus, et nequitiæ hominum exuperantiam declarare nititur.

II. Sed audiamus ipsa verba Mosis: Spiritu enim loquens, omnia nos diligenter vult docere: « Et factum est, » inquit, quando cœperunt homines multiplicari super ter- » ram, et filiæ natæ sunt illis [1]. » Non absque ratione addidit, « Et filiæ natæ sunt illis: » sed ut magnam multitudinem sic insinuaret. Nam ubi tanta radicum est multitudo, necesse est etiam multos ramos enasci. « Ut viderunt, inquit, » filii Dei filias hominum, quod pulchræ essent, sumpserunt » sibi uxores ex omnibus, quas elegerant [2]. » Singulas dictiones diligenter consideremus, ne quid in fundo latens nos prætereat. Operæ-pretium enim fuerit bene scrutari hunc locum, ut subvertamus fabulas omnia inconsiderate loquentium. Et primum efferenda ea, quæ dicere audent, et

[1] Cap. VI, 1. — [2] Ibid. 2.

monstrata eorum, quæ ab illis dicuntur, absurditate, germanus quoque Scripturæ sensus vestræ charitati aperiendus est, ut ne simpliciter et facile aures accommodetis tam blasphema dicentibus, et adversum capita sua blaterare audentibus. Asserunt enim hoc non de hominibus dictum esse, sed de Angelis : « Hos enim, aiunt, filios Dei appellavit. » Primum ostendant, ubi Angeli filii Dei appellati sint : sed non poterunt usquam monstrare. Homines quidem filii Dei dicti sunt, Angeli autem nunquam. Atqui de Angelis dicit : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos » flammam ignis [1]. » De hominibus autem : « Ego dixi : Dii » estis [2]. « Et iterum : « Filios genui, et exaltavi [3]. « Et iterum : « Primogenitus filius meus Israël [4]. » Angelus autem nusquam vocatus est filius, neque filius Dei. Cæterum quid dicunt? Profecto Angeli quidem erant : sed quia ad iniquum hoc opus descenderunt, dignitate sua exciderunt. En iterum fabulosius aliud. Ergo-ne nunc exciderunt, et hæc ruinæ illorum causa? Verum Scriptura nos aliter docet, nempe antequam formaretur primus homo, a sua dignitate excidisse et diabolum et eos, qui cum eo majorem quam decebat dignitatem ambiebant, sicut et Sapiens quidam inquit : « Invidia autem diaboli mors intra- » vit in mundum [5]. » Dic, quæso, mihi, si non ante factum hominem excidit, quomodo in tanta dignitate manens invidit homini? Quomodo rationi consonum est Angelum incorporeum, et in tali dignitate constitutum, homini invidere corpore circumamicto? Sed quoniam a superna gloria in extremam ignominiam dejectus fuerat, licet esset incorporeus, videns formatum hominem, in corpore tantum honorem Conditoris benevolentia sortitum, invidia exarsit, et deceptione, ad quam serpentis opera usus est,

[1] Psal. CIII, 4. — [2] Id. LXXXI, 6. — [3] Isaï. I, 2. — [4] Exod. IV, 22. — [5] Sap. II, 24.

hominem mortis pœnæ obnoxium fecit. Talis enim est malitia ; non potest non graviter ferre aliorum felicitatem. Quod igitur diabolus, et omnis ejus cohors olim a gloria illa exciderint, et ignominiosi evaserint, manifestum est. Alioquin etiam quanta non dementia plenum fuerit, dicere Angelos ita dejectos, ut cum mulieribus rem haberent, et incorporea illa natura copularetur corporibus? Annon audis Dominum dicentem de Angelorum substantia : « In resurrectione enim neque matrimonium contra» hunt, neque nubunt, sed sunt sicut Angeli Dei [1]? » Neque enim possibile est incorpoream naturam talem unquam concupiscentiam habere. Ad hæc etiam cogitandum est hoc omnibus modis absurdissimum fuisse in animum inducere. Nam si Sancti et qui Spiritum sanctum acceperant, neque « visionem Angelorum videre [2] » potuerunt; enimvero vir desideriorum conspecta Angeli præsentia, non tamen substantia : quo pacto enim videri posset incorporalis substantia? sed transformatione solum quadam visa, parum abfuit quin viribus destitutus et animam amitteret; atque si tantus ac talis vir pene absque spiritu jacebat, quis etiam valde insanus comprobaret hæc blasphema verba dementiæ plena, quod incorporea et spiritualis natura corporis complexum ferret?

III. Sed ne pluribus ista excutientes terere tempus videamur, age, quia sufficientibus argumentis charitati vestræ declaravimus quam sit hoc impossibile, doceamus nunc quæ rei sit veritas; iterum tamen lectis iis, quæ in divina Scriptura feruntur. « Et factum est, inquit, quando cœpe» runt homines multiplicari super terram, et filiæ natæ sunt » illis : ut viderunt filii Dei filias hominum, quod pulchræ » essent, sumpserunt sibimetipsis uxores de omnibus, quas » elegerant. » Prius docuimus vos morem esse Scripturæ,

[1] Matth. xxii, 30. Luc. xx, 35. — [2] Dan. x, 7.

ut homines filios Dei vocet. Et quia isti a Setho originem trahebant, et ab ejus filio, qui appellatus est Enos : dicit enim : « Iste speravit invocare nomen Domini Dei [1] : » ab illo postea nati, vocati sunt filii Dei in divinis Scripturis, propterea quod eousque parentum virtutem imitati sunt. Filios autem Caïn et qui ex eo nati, et qui ante Seth geniti fuerunt, filios hominum vocat. « Factum est, inquit, cum » cœperunt homines multiplicari super terram, et filiæ » natæ sunt illis : ut viderunt filii Dei, » qui a Seth et ab Enos progeniti, « filias hominum, » illas quæ ab aliis natæ sunt, de quibus dixit quod filiæ natæ sint illis, et quod pulchræ essent. Vide quomodo per verbum hoc omnem nobis eorum intemperantiam insinuet. Non enim ob desiderium procreandorum filiorum conveniebant, sed ob voluptatem et intemperantiam. « Ut viderunt, inquit, filias hominum, » quod pulchræ essent. » Concupiscentia formæ illos in hanc induxit perniciem, pulchritudo aspectus scortationis et intemperantiæ eis occasio fuit. Et neque id satis habens addit : « Sumpserunt sibi ipsis uxores de omnibus, quas ele- » gerant : » quod etiam magnam illorum intemperantiam insinuat, quod a pulchritudine victi sunt, et frenum imponere inordinatæ concupiscentiæ suæ non valuerunt ; sed spectando capti submersique sunt, atque ob impium hoc opus superna providentia sese vacuos reddiderunt. Et ut discamus ipsos non lege nuptiarum, neque procreandorum filiorum gratia hoc fecisse, propter hoc dicit : « Ut vide- » runt quod pulchræ essent, sumpserunt sibimetipsis uxores » de omnibus, quas elegerant. » Quid igitur ? Reprehendetne aliquis aspectum oculorum ? Non : neque enim oculus ruinæ causa fuit, sed voluntatis negligentia et effrenata concupiscentia. Nam oculus propterea factus est, ut dum videt creaturas Dei, ipsarum Conditorem celebret. Itaque

[1] Gen. IV, 26.

oculi opus est videre : male autem videre, a mente est, quæ intrinsecus gubernat. Nam membra nostra utilia ad bonum operandum condita sunt a Domino, et gubernari ea concessit ab incorporea substantia, de anima dico. Postquam autem hæc negligens esse, et habenas laxare cœperit, quemadmodum auriga nesciens equorum ferociam compescere, remissis frenis, et equos currum trahentes et scipsum in præceps dejicit : sic plane et voluntas nostra, quando quidem nescit membris ut oportet uti, inordinatis indulgens concupiscentiis, scipsam submergit. Propterea Dominus noster Christus, sciens fragilem nostram naturam et voluntatis negligentiam, legem posuit quæ muniret ac prohiberet curiosam considerationem ; ut nascens in nobis incendium, cum adhuc procul est, extinguat ; et ait : « Qui » aspicit mulierem, ut concupiscat illam, jam adulterium » commisit cum illa in corde suo [1]. » Propter hoc, inquit, interdico vobis illicitum visum, ut ab opere illicito vos liberem. Ne putes, inquit, congressu solum peccatum fieri : voluntas est quæ condemnatur. Igitur et hi visæ pulchritudinis spectaculo capti sunt. « Viderunt enim, inquit, quod » pulchræ essent, et sumpserunt sibi uxores ex omnibus, quas » elegerant. » Sed videamus etiam post illicitam illorum operationem et intemperantem animum, Domini Dei bonitatem. « Dixit, inquit, Dominus Deus : Non permanebit spiritus meus » in hominibus his in sæculum, eo quod ipsi carnes sint. Erunt » autem dies ipsorum centum viginti anni [2]. » Hic in paucis verbis abyssus misericordiæ videri potest. « Et dixit, in- » quit, Dominus Deus : Non permanebit spiritus meus in » hominibus his in sæculum, eo quod ipsi carnes sint. » Spiritum hic potentiam suam, qua curam nostri agit, vocat, illorum interitum prænuntians. Et ut scias hac de re sermonem haberi, vide quid subdatur. « Eo quod ipsi, inquit,

[1] Matth. v, 28. — [2] Gen. vi, 3.

» carnes sint : » hoc est, eo quod carnalibus operibus seipsos totos dedant, et animæ substantia abutantur, et quasi sola carne circumdati anima carerent, sic vitam suam absumant. Perpetuus enim Scripturæ mos est carnem vocare carnales; sicut virtute præstantes, carnis expertes nominat; quemadmodum Paulus dicit : « Vos autem non estis in carne [1] : » non quod non carne circumdati essent, sed quia carne circumdati, superiores erant carnalibus affectionibus et sensibus. Nam sicut istis dicebat : « Vos autem non estis in carne, » eo quod carnalia despiciebant : ita et de illis dicitur quod sint carnes, eo quod carnalibus rebus continuo sint occupati. « Eo quod ipsi carnes sint, » non ultra concedam eis ut peccatis suis coinquinentur.

IV. Vidisti indignationis magnitudinem ? vidisti minarum vehementiam ? Considera etiam quomodo interminationi et indignationi misericordiam admiscuit. Talis enim est Dominus noster; minatur sæpe, non ut opere compleat minas, sed ut, correctis nobis, minas non ad opus perducat. Alioqui si punire vellet, cur prædiceret ? Sed quia non vult, semper cunctatur et moram nectit, et differt, et prædicit, occasionem reis præstans, ut fugiendo malitiam et sectando virtutem, pœnas non experiantur. Itaque postquam interminatus est illos se exterminationi generali traditurum : hoc enim est, « Non permanebit spiritus meus in » hominibus istis, eo quod ipsi sint carnes, » ac si diceret : Non sinam illos posthac vivere. Non contentus quingentorum annorum patientia, qua per omnem vitam Noë, audito illius nomine, docebantur, nunc iterum protrahens et differens indignationem, aliud illis tempus præscribit et dicit : « Interminatus sum, et dixi et palam feci meam indignationem, quam ob multitudinem peccatorum, quæ operati estis, vobis inferri justum est : sed quia etiam eos, qui incurabi

[1] Rom. VIII, 9.

liter peccaverunt, salutem consequi volo, nullumque perire, idcirco vobis indulgeo et tempus centum viginti annorum, ut, si volueritis, et peccata ablueritis resipiscendo atque in meliora vos convertendo, necnon virtuti studueritis, pœnarum pericula effugiatis : « Erunt enim, inquit, » dies eorum anni centum viginti. Gigantes autem, inquit, » erant super terram in diebus illis. Et posteaquam ingressi » sunt filii Dei ad filias hominum, illæque sibi genuerunt, » illi erant gigantes, qui a sæculo viri famosi [1]. » Gigantes hic a divina Scriptura dici opinor robustos corpore : ex illis, inquit, generatio illorum aucta est : id quod et alio loco videre licet dictum : « Gigantes, inquit, veniunt ut furorem » meum placent [2]. » Hunc porro centum viginti annorum numerum, aliqui putant terminum vitæ esse. Non hoc autem significat, sed nunc patientiam declarare vult, quam et post hæc peccata in ipsos ostendit. Igitur ut discamus illos post indignationem, et minas, et tanti temporis diuturnitatem, quam ipsis in pœnitentiam dederat, non solum nihil profecisse, sed in iisdem moribus perseverávisse, propterea dicit : « Postquam ingressi sunt filii Dei » ad filias hominum, illæque sibi genuerunt, illi erant » gigantes, qui a sæculo viri famosi. » Vidisti improbitatis magnitudinem? vidisti stupidas et doloris sensu carentes animas ? Neque pœnæ timor, neque tolerantiæ tempus arcuit illos a malis operibus : sed semel in præceps dejecti, et mentis oculo excæcati, a mala concupiscentia, quasi ab ebrietate quadam demersi, ad se redire ultra noluerunt : quemadmodum et Sapiens quidam dicit : « Im- » pius cum in profundum ceciderit malorum, contemnit [3]. » Grave enim, grave est, dilecte, capi laqueis diaboli. Anima enim postea quasi in retibus comprehensa trahitur, et sicut sus in luti volutabro oblectatur, sic et ista a mala con-

[1] Gen. VI, 4. — [2] Isai. XIII, 3. — [3] Prov. XVIII, 3.

suetudine obruta, ne sentit quidem peccatorum fœtorem. Ideo opus est ut sobrii et vigiles simus, ne ab initio diabolo ingressum concedamus, ut ne obtenebrata ratione nostra, et excæcata mentis perspicacia, quasi privatos hujus solis lumine reddat, nec valeamus in radios Solis justitiæ contueri, et ita in præceps feramur ; id quod et illis tunc accidit. Audi enim iterum bonitatis Dei tolerantiam. « Ut vidit autem, inquit, Dominus Deus, quod multi- » plicatæ sunt malitiæ hominum super terram. » Quid sibi vult hoc dictum, « Ut vidit autem ? » Num ignorabat Dominus? absit : sed pro nostra infirmitate omnia narrat divina Scriptura, ut nos doceat eos, etiam post tantam Dei tolerantiam, in iisdem mansisse malis, aut etiam in pejora se conjecisse, ait : « Ut vidit autem quod multiplicatæ sunt » malitiæ hominum super terram. » Ex hoc enim malo opere, quasi e fonte quodam, multa etiam alia suboriebantur peccata, ideo dicit : « Malitiæ hominum. » Nam ubi scortatio, et luxuria, et tanta intemperantia, verisimile est ibi et ebrietatem, et crapulam, et magnam injustitiam, et avaritiam, innumeraque alia nasci mala. « Ut vidit autem, » inquit, Dominus Deus quod multiplicatæ sunt malitiæ » hominum super terram, et quod unusquisque cogitat in » corde suo diligenter ad mala omnibus diebus [1]. »

V. Vide quomodo singula quæ dicuntur peccatorum ostendunt magnitudinem. Quia enim in genere dixit : « Multi- » plicatæ sunt malitiæ hominum super terram, » subdidit, « et unusquisque. » Magna hujus verbi emphasis et vis est. Non, inquit, adolescens solum, sed et senex eadem agit quæ adolescens : neque vir solum, sed et mulier : neque servus solum, sed et liber : non dives solum, sed et pauper. Et verbum, « cogitat, » multum habet momenti. Non enim ex subreptione hoc illis accidit, sed in corde cogitant, et hæc per singulas

[1] Gen. vi, 5.

horas volvunt, in his studium suum collocant, et neque fortuito semel et iterum supplantati a peccato, a malitia sibi temperant, sed diligenter eam exercent, et mala operantur : hoc est, magno studio, nihil obiter, nihil negligenter ab eis fit, neque brevi tempore, sed omnibus diebus, omnem suam vitam in hoc impendunt. Vidisti malitiæ immanitatem? vidisti quomodo dedita opera rem fecerint, diligenter omnia mala operantes; et omnis ætas ad agendum malum sua sponte accesserit? Unusquisque, inquit, neque ætas immatura, et alioquin inexperta malorum vacua erat : sed statim et ab incunabulis omnes malum hoc prælium certabant contendentes ut malis operibus alter alterum superaret. Hic, oro, animo expende miram hujus Justi sapientiam, qui in tanta malorum conspiratione malitiam effugere valuit, et nihil inde damni sensit : sed quasi ex alia natura constitutus, sic forti animo præditus, et per seipsum virtutis operationi deditus, et malam eorum conspirationem effugit, et a communi omnium perditione est exemptus. « Et » secum reputavit, inquit, Dominus Deus quod fecisset ho» minem super terram [1]. » Vide iterum verbum crassum, et nostræ parvitati idoneum. « Secum reputavit, » inquit, pro pœnituit, non quod pœnituerit Deum, absit : sed secundum humanam consuetudinem loquitur nobis divina Scriptura, ut nos doceat enormia illorum peccata clementem Deum in indignationem concitasse. « Et secum reputavit, » inquit, Dominus Deus quod fecisset hominem super ter» ram. » Num enim propter hoc ipsum produxi, inquit, ut in tantam perniciem lapsus, sibiipsi perditionis fieret auctor? Nam hac de causa a principio tanto honore eum insignivi, et tantam ejus curam me habere declaravi, ut virtuti vacans, alienus a perditione fieret. Quoniam autem clementia mea abusus est, satius posthac fuerit malos ejus

[1] Gen. VI, 6.

conatus impedire. « Et cogitavit, dixitque Dominus Deus, » inquit; Delebo hominem quem feci, a facie terræ, » ab homine usque ad pecus, et a reptilibus usque ad » volatilia cœli : quia mecum reputavi quod fecerim » eos [1]. » Quæ mei officii erant, inquit, omnia exhibui. Ex nihilo, ut esset, illum produxi, naturæ illius scientiam faciendorum et non faciendorum indidi, liberum arbitrium donavi, ineffabili tolerantia usus sum, et post longum illud tempus, et post indignationem et minas quas dixi, et aliud præfinivi tempus, volens ut, illo sua peccata sentiente, indignatio mea revocaretur : sed quia etiam sic nihil lucrifacio, nec proficio, cogit necessitas ut minas opere compleam, et omnibus modis deleri illos curem, ac sicut malum quoddam fermentum abolcam totum illorum genus, ut ne posterioribus generationibus peccandi doctores fiant. « Et dixit Dominus Deus : Delebo hominem quem » feci, a facie terræ, ab homine usque ad pecus. » Jam forte dixerit aliquis : « Quare, cum homo in malum declinavit, etiam bruta eamdem pœnam sustinent? Merito sane. Num propter suum ipsorum usum producta sunt bruta? propter hominem facta sunt. Cum hic igitur e medio auferatur, quis illorum usus esset? idcirco et istam pœnam communem ferunt, ut indignationis gravitatem addiscatis. Et sicut ab initio cum primus homo peccasset, terra maledictionem accepit : sic et nunc cum abolendus esset homo, bruta quoque cladis socia fiunt. Quemadmodum enim cum homo gratus fit Deo, creatura quoque humanæ felicitatis particeps est, sicut beatus Paulus inquit : « Quia » et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in » libertatem filiorum gloriæ Dei [2] : » sic et nunc cum homo ob multitudinem peccatorum puniendus, et universali perditioni tradendus esset, etiam jumenta, et reptilia, et vola-

[1] Gen. VI, 7. — [2] Rom. VIII, 21.

tilia cœli simul pereunt diluvio, quod totum orbem invasurum erat. Et sicut in domo, quando is, qui præest, in indignationem Domini incidit, solent comministri omnes ei condolere : ita et hic quasi in domo hominibus pereuntibus, omnia quæ in domo, et quæ sub illius erant dominio, necesse fuit in eamdem pœnam incidant. « Et mecum re» putavi, inquit, quod fecerim illos. » Verbo hoc quantum se nostræ humilitati attemperat? Num volebam, inquit, tanta illos pœna plecti ? ipsi me peccatorum immanitate in tantam invexerunt indignationem. Cæterum ne putemus omnimodam abolitionem humani generis fieri, radicitusque naturam nostram eradicandam : sed discamus quantum malum sit peccatum, et quantum bonum virtus : et « Quod melior sit unus faciens voluntatem Domini, quam » decem millia prævaricatorum[1], » dicit : « Noë autem invenit » gratiam coram Domino Deo [2]. » Tametsi multitudo omnis, inquit, in tantam malitiam inciderit, Justus tamen hic scintillam virtutis servavit, dum his omnibus omni tempore loquitur, et dum adhortatur ut a malitia desistant, simul se interim liberum ab illorum lue servavit. Insuper sicut illi malis operibus clementem Deum ad indignationem provocaverant : sic ipse virtute pollens, gratiam invenit coram Domino Deo. Non est enim personarum acceptor Deus. Verum etsi in tanta multitudine inveniat hominem unum quæ sibi placita sunt facientem, non despicit, sed sua illum dignatur cura, et tanto majorem illius rationem habet, quanto cum tot tantique sint qui ad malum eum trahunt, ipse constantius virtutis viam sectatus est.

VI. Id scientes, ad id unum spectemus quod ipsi placet, et efficit ut ipsius gratiam nobis conciliemus : neque hominum amicitiæ, neque consuetudini ita serviamus, ut virtutis faciamus jacturam, sed Dei tolerantia, prout decet,

[1] Eccli. XVI, 3. — [2] Gen. VI, 8.

utamur : et dum adhuc tempus habemus, omnem deponentes ignaviam, virtutem amemus, peccatumque odio habeamus. Nisi enim et ad istam amore et desiderio quodam immenso nos contulerimus, et nequitiam valde oderimus, neque hujus damnum effugere, neque illam amplexari poterimus. Quod enim virtus opus habeat iis, qui eam concupiscunt, et ejus desiderio exardescunt, de hoc Prophetam audi dicentem : « Judicia Domini vera, justificata in idipsum, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum [1]. » Non quod non magis desiderabilia, sed quia apud nos non inveniuntur alia, quæ his materiis sint pretiosiora : propterea subdit : « Et dulciora super mel et favum [2]. » Et hic quoque quia non invenit quod natura melle dulcius esset, hac similitudine usus est. Igitur sicut iis, qui in opibus colligendis insaniunt desiderio et concupiscentia quadam, in hoc incumbunt magno studio et conatu, et nunquam explentur : avaritia enim insatiabilis est ebrietas : et sicut ebrii, quanto plus vino se ingurgitant, tanto magis ad sitim inflammantur : sic et isti quoque insaniam hanc indomitam nunquam sistere possunt, sed quanto magis suas opes augeri vident, tanto et concupiscentia magis flagrant : neque antea a pessimo appetitu hoc absistunt, donec in ipsum malitiæ profundum descenderint. Igitur si illi perniciosam hanc concupiscentiam malorum omnium causam cum tanta contentione curant : multo justius est nos judicia Domini, quæ super aurum sunt et lapidem pretiosum multum, semper in mente nostra versare, nihilque pretiosius virtute ipsa existimare, sed excindere ex animo nostro affectiones illas pestiferas omnes, et scire temporalem illam voluptatem perpetuum parere solere dolorem, et fine carentia tormenta; cavendumque esse ne decipiamus nosipsos, neque putemus hic finem habituras

[1] Psal. xviii, 10, 11. — [2] Ibid.

esse res nostras. Id vero sentiunt plerique, licet verbis non loquantur : nam credere se dicunt resurrectionem, et futuram retributionem. Sed ego non attendo verba, sed quotidiana gesta. Nam si resurrectionem expectas et retributionem, quare ita præsentis vitæ gloriæ deditus es? Quare, dic mihi, quotidie crucias te, pecunias plures quam arena sit colligens, et agros, et domos, et balnea emens, atque hæc sæpe per rapinam et avaritiam corradendo, et illud Prophetæ dictum implendo : « Væ qui conjungunt do» mum ad domum, et agrum agro copulant, ut vicino au» ferant aliquid [1] ? » Annon hæc quotidie videre est? Et ille quidem dicit : « Hujus domus obscuritatem et umbram meæ parit, » et infinitos prætextus excogitat, ut eam rapiat : alius autem raptum pauperi agrum, suo conjungit. Hoc autem multo majus, et magis admirabile, minusque venia dignum, quod unus uno eodemque loco habitans et sedens, sæpe alio transire, neque si vellet, valens, vel ob varias occupationes, vel corporis valetudine alligatus ; ubique tamen et in omnibus ferme urbibus, monimenta avaritiæ suæ possidere, et immortales malitiæ suæ columnas statuere satagit, et peccata quidem, ex quibus hæc omnia collecta sunt, suo imponit capiti, ferensque gravem ac onerosam molem non sentit : aliis autem usum, qui ex his haberi potest, concedit, non solum post emigrationem ex hac vita, sed etiam antequam hinc egrediatur. Nam etiamsi non invitus eis nudetur, a familiaribus hæc omnia dissipantur, et ut ita dicam, dilacerantur, neque ipse vel millesima eorum parte fruitur. Et quid dico, fruitur? quomodo, cum nonnisi ventrem unum habeat, possit tot opum multitudinem absumere?

VII. At malorum omnium causa est vana gloria ; quod nempe velit nomen suum imponi agris, balneis, et ædibus. Quæ tibi hinc utilitas, homo, cum non multo post, febri

[1] Isaï. v, 8.

quapiam te corripiente, animaque subito evolante, nudus et vacuus relinquendus sis : imo virtute quidem nudatus, vestitus autem injustitia, rapinis, avaritia, gemitibus, ejulatibus, lacrymis orphanorum, insidiis, dolis? Quomodo poteris grandes prementesque illas sarcinas peccatorum ferens, per angustam illam portam intrare, quæ capere nequit molem tantæ magnitudinis? Necessarium itaque foris manere, et oneribus illis gravatum frustra pœnitere, cum jam ante oculos parata videbis tormenta, et ignem illum terribilem ac nunquam extinguendum, vermemque nunquam moriturum. Cæterum si quam nostræ salutis habemus rationem, dum adhuc tempus habemus, desistamus a nequitia, sectemur virtutem, vanam gloriam despiciamus. Nam idcirco vana dicitur, quia inanis est, et nihil habet stabile neque firmum : sed solum est oculorum deceptio, et priusquam appareat, avolat. Annon et videmus sæpe eum, quem hodie præcedunt lictores, et stipant satellites, cras in carcerem conjici, et cum malefactoribus versari? Quid hac vana et inani gloria fallacius? Quod si in hac vita vicissitudinem hanc evadat, omnino mors veniens felicitatem abscindet, et quem hodie in foro magna pompa comitabatur, qui in carcerem conjiciebat, et in solio sedebat, inflabatur, et homines alios quasi umbras despiciebat, is subito postea jacebit mortuus absque spiritu, fœtore plenus, petitus innumeris conviciis cum ab iis quos pridem injuria affecit, tum ab iis quos nunquam læsit, condolentibus tamen iis qui ab isto injuria affecti fuerant. Quid hoc miserabilius fuerit? collecta autem omnia sæpenumero inimici et hostes inter se partiuntur et distribuunt : peccata autem per quæ hæc coacervata sunt, secum aufert, de quibus diligens et accurata ratio exigetur. Ideo obsecro ut, fugientes vanam hanc gloriam, veram desideremus, et quæ omnibus duret sæculis : et neque opum amor nos

supplantet, neque concupiscentiæ flamma exurat, neque livor et invidia torqueant, neque furor et ira nos incendant : sed has omnes malas et perniciosas affectiones rore spiritus extinguentes, despiciamus præsentia, desideremus futura, in memoria habeamus futurum diem, magnaque diligentia vitam instituamus. Neque enim hac de causa in hanc vitam nati sumus, ut solum comedamus et bibamus. Non vita est propter cibum et potum, sed propter vitam cibus et potus. Ne ergo invertamus ordinem, neque sic ventri et carnis voluptatibus serviamus quasi eam ob causam facti simus : sed reputantes damnum quod inde nascitur, castigemus motus carnis; ne simus segnes, nec permittamus illam adversus animam insurgere. Nam si Paulus ille talis et tantus, qui quasi alatus per totum orbem transcurrebat, corporalibus necessitatibus superior factus, et arcanorum illorum verborum auditor, quæ usque in hunc diem alius audivit nullus, scribens dicebat : « Castigo corpus meum, » et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipse re- » probus inveniar [1]. » Si igitur ille, qui tanta dignatus est gratia, post tanta et talia opera, opus habebat ut castigaret, in servitutem redigeret, ac potestati dominioque animæ corporis lascivias subjiceret : castigat enim quis quod insurgit, et in servitutem redigit id quod frena rejicit : quid dicemus nos, qui omnibus virtutibus destituti, omnibus peccatis onerati sumus, et præterea magnam ignaviam præ nobis ferimus? Num inducias habet hoc bellum? num tempus aggrediendi assignatum? Semper nos vigilare et sobrios esse oportet, et nunquam in securitate degere : quia non est præfinitum tempus quando nos aggressurus est hostis. Igitur semper nobis cura sit, semper solliciti simus de salute nostra, ut sic nunquam expugnari possimus; et hostiles effugientes insidias, misericordiam a Deo

[1] 1 Cor. IX, 27.

assequamur gratia et miserationibus Unigeniti ejus, cum quo Patri, simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

Noë autem invenit gratiam coram Domino Deo. Istæ autem sunt generationes Noë. Noë homo justus, perfectus existens in generatione sua : Deo placuit Noë [1].

I. Vidistis in iis, quæ dicta sunt, quanta divinæ misericordiæ magnitudo, quam ingens tolerantia? Vidistis hominum, qui tunc erant, portentosam malitiam? Didicistis quanta fuerit in media tanta multitudine Justi virtus, et quam nihil ei nocuerit vel illorum in malum conspiratio, vel quod solus in medio istorum interceptus, longe diversa incesserit via? Nam quasi gubernator optimus, mentis clavum magna vigilantia arripiens, navim suam ab irruentibus malitiæ procellis submergi non est passus : sed factus tempestate potentior, licet in alto jactatus, quasi in portu sederet, virtutis gubernaculum dirigebat, et a diluvio omnes orbis incolas devastaturo se eripiebat. Tanta res est virtus, tam immortalis, tam invicta, tam nihil cedens hujus vitæ varietatibus : sed super malitiæ retia volitans, quasi e sublimi specula quadam, sic omnia humana despicit, nihil quod aliis molestum sit, sentit. Sed sicut is, qui super excelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad petram magno impetu disrumpi, ac protinus in spumam solvi : ita

[1] Gen. VI, 8, 9.

et qui virtuti dat operam in securo constitutus loco, nihil insuave fert a rebus turbulentis, sed tranquillus animo et quietus sedet, intelligitque res hujus vitæ nihil differre ab amnium fluentis, utpote quæ tam rapido cursu transeant. Nam sicut videre licet maris fluctus nunc quidem in altum extolli, mox autem deprimi : ita et videmus eos qui virtutem contemnunt, et nequitiæ dant operam, nunc quidem sublime sapere, et supercilia extollere, atque hujus vitæ curis intentos esse, subito autem dejici, et ad extremam venire inopiam. Quos beatus David subindicans, dicebat : « Ne timueris cum dives factus fuerit homo, vel cum » multiplicata fuerit gloria domus ejus : quia cum interie- » rit, non sumet omnia [1]. » Et bene dixit, « Ne timueris. » Ne te conturbet, dicere vult, divitis abundantia et gloriæ splendor. Videbis enim non multo post humi jacentem, et nihil operari valentem, mortuum cadaver vermibus in cibos objectum, nudumque his omnibus factum; qui nihil horum omnino secum auferre potuerit, sed hic omnia reliquerit. Ne igitur anxius sis, cum videris præsentia : neque beatum dicas eum qui post breve tempus ab his omnibus destituetur. Ejusmodi enim est præsens felicitas, et divitiarum natura, ut non una commigrent, cum hinc fuerit abeundum. Divites enim, his omnibus relictis, nudi hinc abscedunt, tantum malitia vestiti, et peccatorum oneribus inde collectis. At longe secus habet virtus, quæ hic quoque potentiores insidiatoribus, et plane invictos reddit suos, continuamque præbet voluptatem, et ne sentire quidem sinit rerum istarum inæqualitatem : sed et hinc emigrantibus comitem se addit, et tunc potissimum, cum ejus subsidio egemus, in dieque illo terribili magnum nobis præstat auxilium, placans nobis Judicis oculum : et sicut hic ab ingruentibus infortuniis, ita et in futuro se colentes

[1] Psal. XLVIII, 17.

a tormentis illis eripit. Neque hoc solum agit, sed et ineffabilia nobis bona, quibus fruamur, conciliat. Et ut scias hæc ita sese habere, neque nos in vanum et frustra ad blandiendum his verbis uti, tentabo nunc ex his, quæ proposita sunt charitati vestræ id ostendere. Vide enim quomodo admirandus ille vir, Noë dico, universo hominum genere adversus semetipsum clementiam Domini ad iracundiam provocante, ille, inquam, solus sua virtute potuit et indignationis periculum effugere, et magnam Dei benevolentiam sibi conciliare. Ac, si placet, loquamur de iis quæ in præsenti vita eveniunt. Sunt enim fortassis aliqui futuris et invisibilibus parum credentes. Videamus itaque ex iis, quæ hic eveniunt, qualia contingunt iis, qui nequitiæ se dedunt, et qualia accepit is, qui virtutem sectatur. Postquam enim bonus Deus ob ingens malitiæ augmentum sententiam tulit esse humanum genus universali pernicie puniendum, et dixit : « Delebo hominem, quem feci, a facie terræ[1] : » et monstrans indignationis suæ magnitudinem, non contra humanum duntaxat genus sententiam protulit, sed et contra omnia jumenta, et reptilia, et volatilia : cum enim perituri et submergendi homines essent, propter quos hæc facta sunt, jure ac merito illa quoque pœnæ consortio paria fuere. Igitur cum sententia nondum præfinita esset, qua alii ab aliis secernerentur, ut discas quam non sit personarum acceptor Deus, sed in corda nostra ingrediens nullum despiciat, et si vel parvam quamdam occasionem nos afferamus, ineffabilem suam declaret misericordiam, inquit Scriptura, ut ne totum genus humanum abolendum putemus, sed sciamus, ipsum per suam bonitatem relinquere scintillam et radicem quamdam salvam, ut iterum humanum genus in proceros extendi possit ramos : « Noë, inquit, » invenit gratiam coram Deo.

[1] Gen. VI, 7.

II. Vide Scripturæ diligentiam, quomodo ne syllabam quidem unam inutilem contineat. Nam postquam nos docuit gravitatem nequitiæ hominum, et pœnæ magnitudinem improbis inferendam, indicat nobis eum, qui in tanta multitudine potuerit sinceram servare virtutem. Est enim virtus etiam per seipsam admirabilis. Quod si quis illam in medio prohibentium colat, multo admirabiliorem ipsam ostendit. Propterea divina Scriptura quasi admirando Justum, dicit de illo, in medio illorum qui indignationem Dei experturi erant versante : « Noë autem invenit gratiam co-» ram Domino Deo. » Invenit gratiam, sed coram Deo : non simpliciter invenit gratiam, sed coram Domino Deo : ut nos doceat ipsum unum habuisse scopum, ut ab illo oculo laudaretur, qui dormitare sopirique nescit, nihilque curavisse humanam gloriam, vel ignominiam, vel irrisionem. Verisimile enim est eum, cum præter morem omnium virtutem coleret, fuisse subsannatum et irrisum ab omnibus nequitiam sectantibus, qui consueverant eos, qui illam vitarent, et virtutem amplexarentur irridere : id quod et nunc sæpe fieri solet. Videmusque segnes multos, qui risum et subsannationem ferre nequeunt, sed præferunt humanam gloriam veræ et immortali, abstracti et allecti ab aliorum hominum malitia. Animæ enim fortis et constantis est, posse obsistere iis, qui avellere moliuntur, et nihil facere ut hominibus placeat : sed oculum suum intendere ad illum insopitum oculum, atque ab eo solum gloriam expectare, istorumque gloriam despicere, nulliusque pili facere humanam laudem vel convicia, sed ea prætermittere ut umbras et somnia. Jam hic sæpe multi non ferentes injurias decem aut viginti hominum vel etiam pauciorum, supplantati sunt et corruerunt. « Est enim » confusio ducens in peccatum [1]. » Neque parvum est des-

[1] Eccli. IV, 25.

picere irridentes et exprobrantes et salibus incessentes: at Justus ille non talis erat, neque enim tantum decem et viginti et centum homines, sed et omnem hominum naturam, et tot myriadas despexit. Verisimile enim est omnes illos risisse, traduxisse, subsannavisse, debacchatos esse; ac forte etiam, si possibile fuisset, dilacerare voluisse. Semper enim contra virtutem insanit malitia: atqui non solum nihil illi nocet, sed et infestando fortiorem reddit. Tantum enim virtutis est robur, ut patiendo superet eos, qui negotium sibi faciant, et cum impugnatur, hostibus fiat potentior. Atque id in multis videmus. Cæterum ut vobis occasiones præbeamus: « Da enim, inquit, sapienti »occasionem, et sapientior erit [1]: » operæ-pretium fuerit et ex veteri, et ex novo Testamento Scripturæ vobis afferre exempla. Itaque cogita, obsecro te, Abel nonne occisus est a Caïn [2]? nonne humi prostratus? Sed ne spectes quod prævaluerit, occideritque eum cui invidebat, nihil ab illo læsus; sed sequentia expende, ut scilicet occisus ille ad hoc usque tempus prædicetur et coronetur, nec tantum tempus ejus memoriam imminuat; at qui occidit et prævaluit, etiam tunc vitam morte graviorem sustinuit; atque ex eo tempore usque in hodiernum infametur, et omnibus execrationi habeatur, cum ille quotidie omnium ore celebretur. Et hæc quidem in præsenti vita: quæ autem in futuro sæculo contingent, quis sermo, quæ mens enarrare posset? Ac scio quidem vos, utpote intellectu præditos, multa talia in Scripturis contenta reperturos esse. Nam illæ hac de causa in nostram utilitatem sunt scriptæ, ut hæc dicentes, malitiam fugiamus virtutemque colamus. Vis et in novo Testamento idipsum videre? Audi beatum Lucam istud ipsum de Apostolis narrantem: « Qui flagellati »a concilio discesserunt gaudentes, eo quod digni fuissent

[1] Prov. IX, 9. — [2] Gen. IV. 8.

» habiti qui pro nomine Christi ferrent ignominiam [1]. » Tametsi flagella non gaudii sint occasiones, sed tristitiæ et mœroris, nihilominus flagella propter Deum, et causa propter quam flagellabantur, gaudium eis pariebant. At ii, qui flagellarant, in magna animi consternatione et hæsitatione nesciebant quid facerent. Audi enim illos, quomodo post flagellationem animo fluctuent, et dicant : « Quid fa- » ciemus hominibus istis [2] ? » Quid dicis ? flagellastis, innumeris malis eos affecistis, et adhuc dubitatis ? Tam fortis invictaque res est virtus, et dum patitur, lædentes vincit.

III. Sed ne prolixior sit sermo, necessarium fuerit ut iterum ad Justum nostrum redeamus, et cum stupore admiremur illius virtutis præstantiam, quomodo nempe populum ridentem, ludificantem, subsannantem, traducentem; iterum enim eadem dico et dicere non cessabo; despicere et superare potuerit. Quomodo ? Ego dicam. Quia continuo ad oculum illum, qui falli sopirique nequit, mente respexit, postea hæc omnia quasi non essent curavit. Et profecto sic se res habet, ut cum quis hoc amore saucius est, et in Deum desiderio suo tendit, nihil visibilium videat; sed perpetuo eum quem desiderat imaginetur, nocte scilicet atque die cubans et surgens. Ne igitur mirum tibi sit, si et Justus ille semel eo solum respiciens, non curavit eos, qui supplantare ipsum conabantur. Nam exhibito studio suo, et divinam gratiam nactus, his omnibus superior erat. « Noë enim, inquit, invenit gratiam » coram Domino Deo. » Tametsi omni hominum generi, quod tunc erat, non esset gratus, neque amabilis, eo quod nolebat eamdem incedere viam, quam illi, apud eum tamen, qui corda scrutatur, invenit gratiam, qui et illius mentem approbavit. Et quid damni, dic, oriebatur, quod a congeneribus subsannaretur et irrideretur, cum is, « Qui

[1] Act. v, 41. — [2] Id. iv, 16.

» finxit corda nostra, et intelligit omnia opera nostra [1], » prædicaret illum et coronaret ? Et quæ utilitas homini, si ipsum totus orbis admiretur et laudet, Conditor autem omnium, et judex, qui decipi nequit, in die illo terribili condemnaturus sit ? Itaque, dilecti, cum hæc nobis comperta sint, nullius pensi habeamus hominum laudem, neque ab illis celebrari quovis modo quæramus : sed propter illum solum, « Qui scrutatur corda et renes [2], » virtutis opera faciamus, et peccata fugiamus. Quamobrem Christus erudiens nos ut ne captandis hominum laudibus inhiemus, post multa alia tandem et hoc intulit, dicens : « Væ vobis, » quando benedixerint vobis omnes homines[3]. » Considera quomodo per, « Væ, » nobis declarat quotuplex illos pœna maneat. Væ enim lamenti nuntium verbum est. Unde quasi miseros eos vocans, dicit : « Væ vobis, quando be» nedixerint vobis omnes homines. » Et vide quam caute dictum. Non simpliciter dixit, « homines, » sed « omnes ho» mines. » Impossibile enim est ut vir probus, qui per angustam et arctam virtutis viam ambulat, et mandata sequitur Christi, ab omnibus laudetur, et admirationi habeatur. Est enim et illa ingens malitia, virtuti adversari. Proinde Dominus sciens non posse fieri ut is, qui virtutem diligenter exercet, et ab ipso tantum laudem ut accipiat præstolatur, ob omnibus hominibus laudetur, et bene audiat ; ideo miseros vocat eos, qui propter humanam laudem virtutem negligunt. Nam celebrari ab omnibus, maximum fuerit argumentum non magnam haberi virtutis rationem. Quomodo enim ab omnibus probari poterit vir bonus, si vult injuria affectos eripere ab iis, qui injuria afficiunt, et eos qui vexantur, ab iis qui male faciunt ? et iterum si vult corrigere peccantes, et laudare bene agentes, nonne verisimile est eum ab aliis laudandum, ab aliis

[1] Psal. xxxii, 13. — [2] Id, vii, 10. — [3] Luc. vi, 26.

vituperandum esse. Propterea inquit : « Væ vobis, quando » vobis benedixerint omnes homines. » Quomodo igitur non erit admiratione et laude dignus Justus iste, qui ea, quæ Christus adveniens docuit, prius ipse a lege naturæ edoctus, deditissima opera adimplevit, laudemque humanam contemnendo, gratiam apud Deum per virtutem invenire studuit? « Noë enim, inquit, invenit gratiam co- » ram Domino Deo. » Cæterum ipsum propter virtutes, quas habebat, invenisse gratiam coram Domino Deo narravit nobis admirabilis ille Propheta Spiritu sancto afflatus : operæ-pretium itaque ut et sequentia discamus, et videamus quid de illo sentiat Deus « Hæ autem, inquit, sunt » generationes Noë : Noë homo justus, perfectus in gene- » ratione sua : Deo placuit Noë[1]. » Rarus et novus genealogiæ modus : nam ut divina Scriptura dixit : « Hæ sunt ge- » nerationes Noë : » et aures nostras excitavit, quasi genealogiam illius narratura, et quis ejus pater fuerit, et unde genus duxerit, et quomodo in hanc vitam fuerit editus, et alia cuncta quæ mos est genealogias narrantibus recensere : relictis tamen illis omnibus, et aliorum consuetudine superior, inquit : « Noë homo justus, perfectus » in generatione sua : Deo placuit Noë. » Vidisti admirabilem genealogiam? « Noë, inquit, homo : » vide etiam naturæ commune nomen pro laude Justi usurpatum. Nam quia cæteri ob carnales voluptates, quibus immersi erant, amiserant esse homines; iste, inquit, in tanto populo hominis imaginem servavit. Tunc quippe homo est, quando virtutem colit. Neque enim speciem habere hominis, et oculos, et nares, et os, et genas, et cætera membra, hoc hominem esse ostendit : hæc enim membra sunt corporis. Hominem illum dicimus, qui imaginem hominis salvam retinet. Quæ autem est imago hominis? rationalem esse.

[1] Gen. VI, 9.

Quid ergo? annon et illi fuerunt rationales? Verum non hoc solum fuerit hominem esse, sed et virtutibus esse deditum, et vitia fugere et illicitis affectionibus imperare, et mandatis dominicis obtemperare, hoc est esse hominem.

IV. Porro ut discas morem esse Scripturæ, ut vitiis studentes et virtutem negligentes hominum nomine vocare non dignetur, audi Deum loquentem, sicut heri dicebamus : « Non permanebit spiritus meus in hominibus is-» tis, eo quod ipsi carnes sunt [1]. » Ego enim, dicere vult, substantiam ex carne et anima illis dedi : ipsi autem quasi sola carne circumdati, ita virtutes animi negligunt, et solam carnem deinde sectantur. Vidisti quomodo ob malitiam carnem eos vocat et non homines? Et iterum, ut statim audietis, terram eos nominat divina Scriptura, eo quod terrenis cogitationibus absumantur : dicit enim : « Cor-» rupta autem erat terra coram Deo. » Non de terra sensibili loquitur, sed inhabitatores terram vocat. Alio autem loco neque terram neque carnem nominat : sed neque esse eos putat in hac præsenti vita, eo quod virtute careant. Audi enim Prophetam clamantem et dicentem in media Jerosolymitanorum metropoli, ubi tot millia millium et multitudo innumera. « Veni, et non erat homo : vocavi, et non » erat qui audiret [2]. » Non quia non aderant, sed quia præsentes nihilo meliores erant, quam si non fuissent præsentes. Et alio quoque loco : « Discurrite et videte, si est unus » qui faciat judicium et justitiam, et propitius ero [3]. » Vidisti quomodo illum solum Scriptura sancta hominem vocare solet, qui virtutem colit : cæteros autem neque esse putat, sed aliquando vocat terram, et aliquando carnem? Hac de causa genealogiam Justi narraturam se promittens divina Scriptura dicit : « Noë homo : » hic enim solus homo, cæteri autem non homines, sed humanam geren-

[1] Gen. VI, 3. — [2] Isai. L, 2. — [3] Jer. V, 1.

tes formam, et ex hominibus in bestias mutati, malitia voluntatis nobilitatem naturæ amiserunt. Quod enim cum in malum declinant homines rationales, et servi fiunt irrationalium affectionum, divina Scriptura imponat illis bestiarum nomina, audi ut quodam loco dicit : « Equi fœmi» narum amatores facti sunt[1]. » Vide quomodo ob immodicam salacitatem hanc brutorum cognominationem indat. Alibi autem : « Venenum aspidum sub labiis eorum[2]; » ubi ejus bestiæ dolum et fallaciam imitari eos indicat. Canes quoque mutos alios vocat[3]. Et iterum dicit : « Sicut as» pidis surdæ et obturantis aures suas[4], » illos subindicans, qui aures ad doctrinam virtutis obturant. Et multa alia quis nomina inveniet imposita a divina Scriptura iis, qui in brutorum affectus per ignaviam transeunt. Neque in veteri solum istud videre licet, sed et in nova lege. Audi enim Baptistam dicentem Judæis : « Progenies viperarum, » quis vobis monstravit fugere a ventura ira[5] ? » Vidisti quomodo et hic dolum mentis illorum bestiæ nomine significavit? Quid ergo miserabilius fuerit peccatoribus, qui et ipso hominis nomine privantur, et propter hoc majoribus pœnis digni sunt; quod post acceptas a natura plurimas occasiones ad benefaciendum monentes, deserta ac prodita virtute ultro ad vitia transfugiant? Quoniam igitur qui tunc erant, omnes ea se hominis appellatione indignos præstabant : Justus autem ille in tanta virtutis sterilitate, tam excellenti virtute floruit, ideo Scriptura cum cœpisset narrare viri genealogiam, dixit : « Noë autem homo. » Est et alius Justus quidam, cui hoc nomen pro summo encomio contigit, et præ aliis omnibus hoc nomine prædicatur, ut sic virtus illius diligenter exponatur. Quis ille est? Beatus Job, ille pugil pietatis, athleta orbis, qui solus incura-

[1] Jer. v, 8. — [2] Psal. xiii, 3, et cxxxix, 4. — [3] Isaï lvi, 10. — [4] Psal. lvii, 5. — [5] Matth. iii, 7, et xii, 34.

bilia illa sustinuit, et acceptis innumeris a diabolo telis, vulnus non accepit : sed sicut adamas quidam omnes impetus ferre potuit, et a tantis fluctibus non solum non est submersus, sed et prævaluit; et acceptis in corpus suum omnibus, qui in mundo erant, doloribus, hac ratione multo clarior evasit. Non solum enim non illum terrore perculit ingruentium dolorum frequentia, sed et majorem gratiarum actionem excitavit : atque in omnibus suum gratum animum declarans, letalem diabolo plagam inflixit, quo ille intelligeret sese frustra moliri et contra stimulum calcitrare. Hunc igitur Sanctum etiam ante tot agones et certamina, tantum laudavit misericors Deus, et prædicans dixit diabolo : « Num animo tuo advertisti famulum meum » Job, quod non sit homo similis illi super terram, homo » inculpatus, justus, verax, Deum colens, abstinens ab » omni opere malo [1] ? » Vidisti et hunc a communi naturæ nomine prius prædicari? « Advertisti, inquit, famulum » meum Job, quod non sit similis illi homo? » Et similes utique omnes sumus, sed non secundum virtutem, sed secundum formæ rationem : at hoc non est homo, sed quando abstinens a malitia virtutem operatur.

V. Vidisti quos divina Scriptura homines appellare solet? Quocirca et ab initio cum vidisset Deus eum, qui a se factus erat, dicebat : « Faciamus hominem secundum imaginem » nostram et secundum similitudinem [2], » hoc est, ut imperet et visibilibus omnibus et affectibus suis : imperet, non ferat imperium. Quod si suam prodens dignitatem imperium ferat potius, quam imperet, homo esse desinit, et brutorum in se nomen transfert. Atque hac de causa nunc divina Scriptura virtutem Justi illius commendare volens, dicit : « Hæ sunt generationes Noë : Noë homo justus [3] » Ecce et aliam maximam præconii speciem, « Justus : » hac

[1] Job. I, 8. — [2] Gen. I, 26. — [3] Id. VI, 26.

appellatione omnem virtutem complectitur. Hoc enim nomen, Justus, consuevimus dicere de iis, qui omnigenam exercent virtutem. Postea ut discas quomodo ad summum virtutis fastigium pervenerit, id quod et tunc exigebatur a nostra natura, inquit : « Justus et perfectus in genera» tione sua. » Omnia, inquit, implevit quæcumque facere convenit eum, qui virtutem amplexatur. Illud enim significat, « Perfectus; » nihil intermisit, in nullo claudicavit. Non in hoc recte agebat, in illo autem peccabat ; sed in omni virtute perfectus erat : illud enim exhibere ejus officii erat. Præterea ut ex tempore quoque, et ex comparatione cum aliis illustriorem nobis Justum exhiberet, inquit : « Perfectus in generatione sua : » in tempore illo, in generatione illa perversa, quæ adeo in malum declinavit, quæ neque vestigium virtutis præ se ferre voluit. In illa igitur generatione, in illis temporibus Justus ille non solum virtutem præ se tulit, sed et in tantum pervenit virtutis culmen, perfectus, et in omnibus absolutus. Nam id quod ante dixi, bene agere inter virtutis hostes, et inter eos, qui virtutem prohibent, eamdem sedulitatem præ se ferre, majus semper virtutis pondus testatur. Unde hac ratione Justus ille majores laudes nactus est. Neque hic finem laudandi illum facit divina Scriptura, sed adhuc virtutis illius excellentiam demonstrat, et quod divino calculo probatus fuerit : quia postquam dixit, « Perfectus in generatione sua, » addit, « Deo placuit Noë. » Tanta erat virtus illius, ut et a Deo laudari promeruerit. « Deo enim, inquit, placuit Noë; » ac si diceret : Approbatus fuit a Deo, per bona opera placuit illi oculo, qui sopiri non potest, et illius sibi favorem tantum conciliavit per bonam vitam, ut eum non solum ab indignatione in omnes effundenda liberarit, sed et aliorum patronum fecerit. « Deo enim, inquit, placuit Noë. » Quis hoc beatior fuerit, qui tantam præ se ferre potuit

virtutem, ut Dominum universi haberet laudum suarum præconem? Hæc ab eo sunt facta, quæ quibusvis divitiis, quavis abundantia, quavis gloria et potentia, quavis humana felicitate potiora duxerit quisquis mentem habet. Hæc regno magis desiderabilia fuerint ei, qui Deum sincero amore diligit. Verum enim regnum istud est, posse nos optima vita propitium et clementem nobis reddere Dominum. Gehennam enim timere non debemus propter ignem illum inextinguibilem, et pœnas terribiles, et perpetuos cruciatus : sed quia offendimus tam bonum Dominum, et ab illius gratia sumus alieni : ita et ad regnum nobis festinandum, nonnisi propter amorem in illum, ut ejus gratia fruamur. Nam ut regno desiderabilius est, clementem Dominum nostrum benevolum esse nobis : ita gehenna gravius, ab illius benevolentia excidere. Vidistis quantæ nobis utilitatis fuit argumentum appellatio Justi, et quantum sententiarum thesaurum peperit admirabilis hujus viri genealogia? Sequamur igitur et nos divinæ Scripturæ regulas, et si velimus aliquorum genealogias enarrare, non patres et avos et abavos in medium afferamus, sed ejus solum, cujus est genealogia, virtutem detegamus. Hic optimus genealogiæ modus est. Quæ enim utilitas ex claris et probis parentibus originem ducere, te autem bonæ vitæ esse expertem? aut quod damnum fuerit, si parentes et progenitores fuerint ignobiles et obscuri, ipse autem virtutibus floreas? Quia et Justus ille talis fuit, et conciliavit sibi gratiam Dei, non quod a talibus fuerit parentibus; neque enim ita eos commemorat Scriptura ut virtute nobiles. Nihilominus cum tanta essent obstacula et tot impedimenta, in ipsum pervenire potuit virtutis fastigium; ut discas eum, qui vigilat et sobrius est, et suæ salutis curam agit, nihil esse quod prohibeat. Nam sicut ubi negligentes cœperimus esse, etiam a rebus minimis offendimur : ita si

voluerimus sobrii esse, quamvis innumeri sint qui ad malitiam trahant, neutiquam nostrum studium poterunt labefactare : sicut neque illum Justum, tametsi tot essent id curantes, segniorem in exercenda virtute facere potuerunt. Proinde nullus alium arguat, et in alios culpam transcribat, sed suæ ignaviæ totum imputet. Et quid dico in alios ? neque diabolum ipsum quis tam potentem putet, ut prohibere quempiam possit quominus in viam, quæ ad virtutem ducit, eat. Supplantat quidem et decipit socordiores, non impedit autem, nec vim infert ; id quod rerum experientia docet : nempe si vellemus vigilare, tantæ constantiæ specimen exhiberemus, ut neque si multi essent ad malitiæ viam nos cohortantes, eorum ferremus consilium ; sed omni adamante firmiores, aures obturaremus tam prava consulentibus. At si negligentes fuerimus, etiamsi nullus sit qui consulat vel supplantet, nostra sponte ad malitiam prosiliemus. Nam si hoc non esset situm in voluntate nostra, et in animi potestate, Deus naturam nostram sui juris non fecisset ; oportebat eos qui naturæ nostræ participes, et iisdem obnoxii sunt affectionibus, vel omnes malos esse, vel omnes virtute præditos. Cum autem videmus congeneres nostros, et eisdem affectionibus obnoxios, non eadem quæ nos pati : sed et valida ratione gubernare naturam, et inordinatos motus domare, et refrenare concupiscentiam, imperare furori et iræ, fugare invidiam, eliminare livorem, contemnere rabidam in conquirendis pecuniis cupiditatem, minorem gloriæ curam habere, ridere omnem præsentis vitæ felicitatem, aspirare ad veram gloriam, et præponere visibilibus omnibus laudem, quæ a Deo est ; nonne manifestum est eos, post gratiam Dei suo studio bene agere posse, nosque nostra ignavia nostram amittere salutem, et ejus gratia nos spoliare ?

VI. Quapropter, obsecro, ut hæc cogitantes, et in mente nostra continuo versantes, nunquam diabolum, sed nostram levem ignavamque mentem arguamus. Et hæc dico, non quod diabolum a suo crimine absolvere velim : absit : « Vadit enim sicut leo ut rapiat, et rugiens, et quærens » quem devoret [1] : » sed et nos cautiores reddere volui, ut ne existimemus carere nos culpa, siquidem tam facile ad malitiam prorumpimus; et ne frivola illa dicamus verba : » Quare Deus dimisit illum tam improbum, ut supplantaret et prosterneret? » sunt enim hæc verba ingrati admodum animi. Verum tu hoc tecum considera, illum propter hoc potissimum relictum esse, ut timore compulsi, et hostis insidias expectantes, simus perpetuo sobrii et vigiles, laboremque virtutis leviorem faciamus spe retributionum et expectatione æternorum et ineffabilium illorum bonorum. Et quid miraris, si ob hanc causam reliquit diabolum Deus, cui tanta nostræ salutis cura, et qui ita nostram somnolentiam excutit, materiamque coronarum nobis præparat? Ipsam etiam gehennam propterea paravit, ut metus pœnæ intolerabilisque cruciatus ad regnum nos impellat. Vidisti solertem Domini benignitatem? quomodo omnia faciat et tractet, ut non solum eos, qui ab se conditi sunt, servet, sed et ineffabilibus bonis ditet? Propterea liberum arbitrium nobis indidit, et in natura conscientiaque nostra reposuit scientiam boni et mali, diabolumque esse permisit, ac gehennam minatus est, ut eam non experiremur, sed regnum adipisceremur. Et quid miraris si ista omnia et innumera alia ideo fecerit? Qui in sinu Patris est, formam servi suscipere voluit, et omnia alia sustinere quæ ad corpus pertinent, ex muliere ortum habere, ex Virgine nasci, novem mensibus in utero gestari, pannis involvi, patrem suum putari Joseph sponsum Mariæ, paulatim

[1] 1 Petr. v, 8.

crescere, circumcidi, sacrificium offerre, esurire, sitire, fatigari, et tandem etiam mortem sustinere, et mortem non vulgarem, sed eam, quæ ignominiosissima habebatur, crucem dico, et hæc omnia propter nos nostramque salutem suscepit omnium Conditor, immutabilis, qui omnia ex nihilo ut essent produxit, « Qui respicit terram, et facit »eam tremere [1]; » cujus gloriæ fulgur neque Cherubim, incorporeæ illæ Virtutes videre possunt, sed aversas facies tegunt objectis alis, miraculum nobis exhibentes; quem semper laudant Angeli et Archangeli, et innumera millia. Hic propter nos et propter nostram salutem homo fieri voluit, et optimæ vitæ nobis viam paravit, et per ea sufficientem nobis doctrinam consignavit, per quæ hac ipsa nostra natura assumpta transivit. Quæ igitur posthac nobis erit excusatio, si cum tot tantaque salutem nostram præcesserint, in rebus inutilibus nos occupemus, sola circa hæc negligentia nostram amittentes salutem? Proinde obsecro ut vigilemus, et non temere aliorum sequamur consuetudinem. sed nostram vitam quotidie diligenter excutiamus, videamusque quid peccatum, quidve recte a nobis gestum sit: ut sic peccata nostra emendemus, supernamque nobis gratiam conciliemus, ac Deo placeamus, exemplo Justi illius, et denique regnum assequamur cœlorum, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simul et Spiritui sancto sit gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. cm, 32.

HOMILIA XXIV.

Genuit autem Noë tres filios, Sem, Cham, Japheth : corrupta autem erat terra coram Deo, et repleta est terra injustitia [1].

I. Haud vulgarem utilitatem heri nobis attulit justi Noë genealogia. Nam et cognovimus mirabilem genealogiæ modum, et vidimus Justum laudari, non a parentum claritate, sed a morum probitate, propter quam tantum accepit testimonium a divina Scriptura : « Noë enim, inquit, homo » justus, perfectus existens in generatione sua : Deo placuit » Noë [2]. » Totum enim sermonem in pauca hæc verba insumpsimus heri. Quandoquidem divinorum eloquiorum natura in paucis verbis multas sententiarum affert divitias, et ineffabilem diligenter scrutari volentibus thesaurum largitur. Proinde obsecro ne quid in sacris Litteris perfunctorie aut obiter prætereatur, sed etiamsi nomina recenseantur, vel historiæ narrentur, reconditum investigemus thesaurum. Nam ideo Christus dicebat : « Scruta- » mini Scripturas [3]. » Quia non ubique in superficie mens Scripturæ invenitur ; sed opus est scrutinio multo, ut nihil in profundo latens, nobis remaneat absconditum. Quod si sola naturæ appellatio, hoc inquam nomen, « Homo, » tantæ nobis utilitatis argumentum heri fuit, quantum lucrum non percipiemus, si attenta ac vigili mente singula, quæ in sacra Scriptura feruntur, audierimus? Etenim clementem habemus Dominum, et quando videt nos sollicitos,

[1] Gen. vi, 10, 11. — [2] Ibid. 9. — [3] Joan. v, 39, et vii, 52.

et magnum desiderium ad cognoscenda divina eloquia habere, non permittit nos ulla re indigere : sed statim illustrat mentem nostram, et suum fulgorem largitur, et pro perspicaci sapientia illa sua, omnem veram doctrinam animæ nostræ inserit. Eapropter cum nos ad istud ipsum adhortaretur, et alacriores faceret, beatitudine dignos declaravit eos, qui tale desiderium præ se ferrent, dicens : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur [1]. » Vide sapientiam Doctoris, non solum nos per beatitudinem hortatur, sed et cum dixit : « Qui esuriunt et sitiunt justitiam, » docuit audientes, quanta alacritate spiritualia eloquia investigare par fuerit : « Quemadmodum, inquit, ii quos fames ducit, mira alacritate ad cibos festinant, et qui siti ardent ad potum magno desiderio accedunt; eodem modo ad spiritualem doctrinam, tanquam esurientes et sitientes accedere par est. » Hujusmodi enim viri non solum beatitudinibus digni sunt; sed et quæ cupiunt assequuntur. Etenim « satiabuntur, » inquit, hoc est, explebuntur, explebunt spirituale suum desiderium. Igitur quia tam bonus, tamque liberalis Dominus nobis est, age et nos ad ipsum confugiamus, et ejus nobis gratiam conciliemus, ut et ipse pro sua misericordia illustret nostram mentem ad videndam divinarum Scripturarum virtutem : et vos quoque multa alacritate spiritualem doctrinam quasi esurientes et sitientes suscipite. Forte enim, forte bonus et omnipotens Dominus, etiamsi nos humiles simus et abjecti, propter vos et vestram utilitatem « Suppeditabit » nobis sermonem in apertione oris [2] » in gloriam suam, et in ædificationem vestram. Projecta igitur cura nostra omni in supernam gratiam, et invocato eo, qui et sapientiam dat parvulis, et illuminat cæcos, et expeditas reddit linguas balborum, paulo ante lecta tractemus : ut quæ

[1] Matth. v, 6. — [2] Ephes. vi, 19.

ipse pro sua misericordia nobis suppeditarit, charitati vestræ proponamus. Sed intenta, obsecro, adsitis mente, et diligenter iis, quæ dicuntur, attendite, omnesque hujus vitæ curas seponite, ut spirituale semen, quasi in pinguem et feracem agrum, evulsis herbis et spinis, projiciamus. « Hæ » autem, inquit, generationes Noë. Noë homo justus, per- » fectus existens in generatione sua : Deo placuit Noë. » In iis nuper finem docendi faciebamus, ideo sequentia in medium proponenda sunt. « Genuit autem, inquit, Noë » tres filios, Sem, Cham, Japheth [1]. » Non absque causa divina Scriptura et tempus et numerum nobis assignavit filiorum Justi : sed et hinc nobis latenter insinuare vult ingentem multiplicemque ejus virtutem. Nam postquam superius dixit : « Noë erat quingentorum annorum, » tunc subdidit : « Et genuit tres filios, » docendo nos summam continentiæ illius magnitudinem fuisse, cum tantæ intemperantiæ dediti essent omnes homines, tantaque salacitate omnes ætates, ut ita dicam, ad malum ruerent. Audistis enim divinam Scripturam dicentem : « Ut autem vidit Do- » minus quod impletæ sunt malitiæ super terram et quili- » bet cogitaret mala diligenter in corde suo a juventute [2]. » Ubi manifeste declarat et juvenes vicisse provectiores ætate, et senes non minus quam juvenes insaniisse, et ad malum multa proclivitate propensam fuisse ipsam etiam ætatem malorum inexpertam.

II. Ut igitur discamus quo pacto, iis omnibus tantam insaniam ac rabiem præ se ferentibus, Justus ille manserit solus, continentiam cum aliis virtutibus strenue servans, donec ad quingentesimum annum pervenit ; cum dixisset, « Erat Noë quingentorum annorum, » tunc inquit : « Et » genuit Noë tres filios. » Vidisti, dilecte, excellentem Justi temperantiam ? Ne hoc ita perfunctorie transeamus,

[1] Gen. VI, 10. — [2] Ibid. 5.

sed et tempus illud expendamus, et malitiam, quæ ad omne hominum genus ob eorum desidiam se extenderat, et consideremus quantæ sit virtutis et pietatis erga Deum, in tantam temporis longitudinem concupiscentiæ rabiem refrenare, viamque longe ab aliis diversam carpere, et non solum ab illicito cœtu se cohibere, sed et a legitimo et inculpato. « Et genuit, inquit, Noë tres filios, Sem, Cham, » Japheth. Corrupta autem erat terra coram Deo, et repleta » erat terra injustitia [1]. » Mihi videtur divina dispensatione factum, ut Justus ille nunc tandem ad uxorem accederet, illosque filios susciperet. Quia enim ob malitiæ magnitudinem, et ingentem improbitatem generali pernicie totus orbis delendus erat, misericors Deus quasi radicem aliquam et fermentum voluit Justum illum superesse, ut, abolitis illis, origo et primitiæ quædam esset futurorum. Hujus rei gratia, cum jam quingentorum esset annorum, haberetque tres istos filios, illis contentus fuit : reipsa declarans hoc se fecisse, ut divinæ in humanum genus futuræ benignitati serviret. Et quo scias hoc non esse temeraria conjectura dictum, considera Scripturæ diligentiam. Nam postquam dixit Justum illum tres habuisse filios, statim subdidit : « Corrupta erat autem terra coram Deo, et im- » pleta erat terra injustitia. » Vidisti in eadem natura magnam et ineffabilem varietatem ? De Justo enim dicebat Scriptura ; « Noë homo justus, perfectus existens in ge- » neratione sua : » de reliquis autem omnibus inquit : « Corrupta autem erat terra coram Deo, et impleta erat » terra injustitia. » Nomine enim terræ, hominum multitudinem vocat. Quia enim omnia eorum opera terrestria erant ; idcirco terræ nomine et eorum vilitatem, et malitiæ exuperantiam significat. Nam sicut de protoplasto, qui legem transgressus, gloriam qua circumdabatur amisit,

[1] Gen. vi, 11.

mortisque pœnæ obnoxius factus fuit, dicebat: « Terra »es, et in terram abibis; » ita et hic, quia plurimum invaluerant vitia, inquit: « Corrupta autem erat terra. » Neque simpliciter dicit: « Corrupta autem erat terra: » sed, « Coram Deo: et impleta erat terra injustitia. » Dicendo enim, « Corrupta erat, » omnigenam illorum malitiam emphasi quadam dixit. Non enim dici potest eos unius vel duorum peccatorum tantum reos fuisse, sed omnes iniquitates absque modo commisisse: ideo subdit: « Et im- »pleta erat terra injustitia. » Non obiter, neque vulgariter malitiæ studebant, sed peccata quæque ferventi contentione agebant. Et vide quomodo illos postea ne tenui quidem memoria dignatur, sed nomine terræ vocat, simul indicans et peccatorum gravitatem et Dei indignationem. » Corrupta erat autem terra, inquit, coram Deo, » hoc est, secus quam præceptum erat a Deo omnia faciebant, mandata Dei conculcantes, et magistrum naturæ humanæ insitum per desidiam amittentes. « Et impleta erat terra, » inquit, injustitia. » Vidisti, dilecte, quantum malum sit peccatum, quomodo id efficiat ut homines suo nomine vocari non sint digni? Audi rursus quæ sequuntur: « Et »vidit Dominus Deus terram, et erat corrupta[1]. » Vide iterum quomodo eos terram vocet: et postea cum semel atque iterum et tertio nominavit terram, ut ne quis de terra sensibili eum dixisse suspicetur, inquit: « Quia cor- »ruperat omnis caro viam suam super terram. » Neque nunc hominis appellatione eos dignatur, sed carnem vocat: quo nos docere voluit se non de terra hæc dicere, sed de hominibus carne amictis, et terrestribus negotiis sese totos impendentibus. Mos enim Scripturæ est, ut sæpe charitati vestræ dixi, carnalia sapientes, et nihil sublime cogitantes, carnis nomine appellare, sicut et beatus Paulus in-

[1] Gen. VI, 12.

quit : « Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt [1]. » Quid igitur? non fuit in carne et is qui hæc dicebat? Non hoc dixit, quod qui carne circumdati sint, Deo placere non possint, sed de iis loquitur, qui nullam virtutis rationem habent, et nihil nisi carnale sapientes, carnis voluptates sectantur, nullamque animæ incorporeæ et spiritualis curam gerunt. Itaque quia dictis istis divina Scriptura docuit nos peccatorum multitudinem, malitiæ excessum, indignationis divinæ magnitudinem, et quod ob studium malorum operum semel atque iterum ac tertio terram eos, qui tunc vivebant, nominaverit, carnisque nomine vocaverit spoliatos communis naturæ vocabulo; nunc per ea quæ subdit, ineffabilem Dei misericordiam, et indulgentiæ ejus magnitudinem ostendit nobis. Quid enim ait? « Et dixit Dominus ad Noë. »

III. Vide summam bonitatem : siquidem Justo huic, sicut amicus amico, communicat eam pœnam, quam humano generi est intentaturus, et dicit : « Tempus omnis homi- » nis venit coram me. Quia impleta est terra injustitia ex » illis. Et ecce ego disperdo illos et terram [2]. » Quid est, « Tempus omnis hominis venit coram me? » Magnam, inquit, ostendi patientiam, magnam tolerantiam, nolens hanc inferre pœnam, quam illaturus sum : sed quia immodica peccatorum illorum multitudo in hoc tempus eos adduxit, finem iis imponere oportet, excindique illorum malitiam, ne ulterius progrediatur : « Tempus enim, in- » quit, omnis hominis venit coram me, » Vide et hic, quomodo ut superius dicebat : « Unusquisque cogitat; » ita et nunc « Omnis hominis. » Omnes enim consentiunt, ad iniquitatem transfugerunt, inquit, et in tanta multitudine non inveniri potest aliquis, cui virtutis sit cura. « Tempus » enim, inquit, omnis hominis venit coram me. » Tempus, hoc est, advenit tempus quo secandum erit, et ulceris re-

[1] Rom. VIII, 8. — [2] Gen. VI, 13.

pentis vis compescenda. « Tempus omnis hominis venit » coram me, » quasi nemo videret, rationemque delictorum ab ipsis exacturus esset, sic sese malis operibus manciparunt, non cogitantes quod me nihil latere queat, qui vitam animamque et corpus dedi, totque bona suppeditavi. « Tempus igitur omnis hominis venit coram me. » Dein quasi satisfacturus, rationemque redditurus Justo, quomodo nimia peccatorum gravitate ac multitudine se ad tantam indignationem provocarint, ait: « Quia impleta » est terra injustitia ex illis. » Num prætermissum est aliquid, inquit, ab eis, quod ad peccatum tenderet? Tantam malitiæ magnitudinem videre licet, ut et supereffluat, et exundet, totamque terram impleat: propterea et illos disperdo, et terram ipsam. « Ecce, inquit, ego disperdo il- » los et terram. » Quia priores ipsi malis suis operibus seipsos corruperunt, idcirco generalem interitum inducam, deleboque ipsos pariter atque terram, ut purgationem accipiat terra, et a tot peccatorum maculis emundetur. Cogita, quæso, quali tunc fuisse animo Justum istum verisimile est, cum hæc a Domino audiret? Nam licet multæ virtutis sibi conscius esset, non tamen absque dolore quæ dicebantur accepit. Ad dilectionem enim propensum est justorum genus, et pro aliorum salute justi quæque libenter ferenda susciperent. Quo igitur affectu fuisse verisimile est eximium illum virum cum in mente sua omnium interitum et totius naturæ perniciem versaret, et fortassis nec sibiipsi jucundum quidpiam polliceretur? Nondum enim quiddam de hac re compertum habebat. Ut igitur mente non turbaretur, sed parvam quamdam consolationem in tanta mœroris magnitudine accipere posset, postquam docuit eum malitiæ illorum gravitatem, ac tempus urgere, ut profunda illi sectione incidantur, dicit ei: Illos quidem communis pernicies excipiet: « Tu vero fac

» tibi ipsi arcam [1] » Quid est, « Tu vero? » Quia non communicasti eorum nequitiæ, sed omnem in virtutibus vitam peregisti : ideo tibi impero ut extruas arcam « Ex lignis » quadratis incorruptis. Mansiuncalas per arcam facies, et » glutinabis intrinsecus et extrinsecus eam bitumine. Sit » autem trecentorum cubitorum longitudo, et quinqua- » ginta latitudo, et triginta cubitorum altitudo. Colligens » facies arcam, et in cubitum consummabis ejus summita- » tem. Januam autem facies a latere, cubiculis bicame- » ratis, et tricameratis facies eam [2]. » Considera indulgentiam Dei, et ineffabilem virtutem misericordiamque omnem rationem transcendentem. Simul declarat et suam erga Justum providentiam, ut fabricet arcam illi imperans : ordinansque interim modum in quem construenda, nempe in quam longitudinem, latitudinem et sublimitatem, et maximam ei consolationem affert, spem salutis per arcæ constructionem ostendens : illos quoque, qui tam graviter peccaverant, fabricatione arcæ admoneri volens, ut secum cogitarent quæ fecissent, resipiscendoque indignationem non experirentur. Neque enim parvum illis tempus denuo ad resipiscentiam concessum est per arcæ constructionem : sed plane multum et sufficiens fuisset, nisi adeo ingrati fuissent et stupidi ad erratorum emendationem. Par enim erat singulos eorum, cum viderent Justum, qui fabricabatur arcam, causam constructionis sciscitatos esse, et cognita divina indignatione, inde ad sensum peccatorum suorum venire, siquidem voluissent. Verum hæc illis nullam utilitatem attulerunt, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt.

IV. Igitur postquam de construenda arca Justo præcepit, communicat et narrat ei etiam pœnæ speciem, quam illaturus erat, et dicit : Tu quidem hanc para, sicut præcepi :

[1] Gen. VI, 14. — [2] Ibid. 14-16.

ego autem, ubi tu ædificium compleveris, etiam ea quæ ad te attinent in tuto collocabo. « Ego autem, inquit, in-» ducam diluvium, aquam super terram, ut corrumpat om-» nem carnem, in qua est spiritus vitæ subter cœlum, » et quæcumque fuerint super terram, morientur [1]. » Vide quomodo et per minas ostendit quam gravia illi peccaverint, et inquit : Etenim eamdem pœnam inducam tam rationalibus, quam rationis expertibus. Quia enim principatum suum prodiderunt, et in brutorum ferociam declinarunt, nulla erit pœnarum differentia. « Inducam enim diluvium » aquæ, ut corrumpat omnem carnem, in qua est spiritus » vitæ subter cœlum. » Et jumenta, inquit, et volatilia, et feræ, et quadrupedia, et quæcumque sub cœlo sunt, consumentur. Et ut discas nihil relictum iri, inquit : « Et » quæcumque sunt super terram, morientur. » Nam purificatione orbis opus habet, sed hoc te non conturbet, neque mentem tuam confundat. Nam quia video ulcera eorum incurabilia, sistere volo malitiæ fluenta, ut ne gravioribus pœnis obnoxios se faciant. Idcirco etiam nunc pro solita mea clementia indignationem bonitate temperans, talem pœnam infero, quæ sine dolore sit, et non sentiatur. Neque enim ad magnitudinem peccatorum vel ad merita eorum respiciens, sed prævidens futura, et hos congruenti pœna plectere, et posteros ab hujusmodi pernicie liberare volo. Ne igitur mœstus sis, neve turberis hæc audiens. Nam etsi illi dignam peccatis suis pœnam luent ; « Sed sta-» tuam testamentum meum tecum [2]. » Quoniam omnes priores indignos sese præstiterunt, neque de mandatis meis bene senserunt, tecum posthac statuam testamentum meum. Etenim protoplastus post tot beneficia deceptionem passus, mandata mea transgressus est : et qui ex illo natus est, ipse in idem malitiæ profundum incidit, unde et con-

[1] Gen. VI, 17. — [2] Ibid. 18.

tinuam cum maledictione pœnam accepit. Verum neque illius pœnis posteri emendatiores facti sunt, sed mala sua ita coacervarunt, ut et genealogias ipsorum reprobarem. Sane post hæc ut inveni Enoch, qui virtutis imaginem servavit, quia valde mihi charus fuit, eum vivum transtuli [1] : monstrans omnibus virtutis cultoribus quantas mercedes et retributiones adipiscantur; et cupiens ut cæteri illius imitatores fierent, eamdemque viam ingrederentur. Cæterum quia, aliis omnibus postea malitiam sectantibus, te solum inveni in tanta multitudine, qui primi parentis transgressionem revocare possis, tecum statuam testamentum meum. Nam bonæ tuæ vitæ opera declarant fidelem te in suscipiendis mandatis meis. Denique ne adhuc Justus hæc audiens mœreat, quasi solus ipse liberandus sit, iterum consolatione eum, ut ita dicam, demulcens, dicit : « Ingre» dieris autem in arcam tu, et filii tui, et uxor tua, et uxores » filiorum tuorum [2]. » Nam licet multum a virtute Justi illius abfuerint, alieni tamen erant a gravioribus illorum peccatis. Alias quoque ob duas hasce causas salute potiti sunt. Una, in honorem Justi. Solet enim clemens Deus honorem hunc dare servis suis, ut eorum gratia et alii salutem nanciscantur. Id quod et beato Paulo concessum est, magistro illi orbis, qui ubique suæ doctrinæ radios emittebat. Quandoquidem cum ille Romam navigaret, orta in mari tempestate magna, ita ut omnes saluti suæ timerent, nullamque bonam spem propter procellæ vehementiam haberent, vocatis omnibus dicit : « Bono animo » estote, viri. Amissio enim animæ nullius erit ex nobis, » præterquam navis. Astitit enim mihi hac nocte Dei, cujus » sum et cui deservio, Angelus dicens : Ne timeas, Paule : » dedit enim tibi Deus omnes qui tecum navigant [3]. » Vidisti quomodo virtus viri salutem illis conciliavit ? imo non

[1] Gen. v, 24. — [2] Id. vi, 18. — [3] Act. xxvii, 22-24.

virtus tantum, sed et clementia Domini. Simili modo et hoc loco factum est, et hæc prima causa fuit. Altera vero ista : volebat fermentum aliquod et radicem ad posteritatis constitutionem relinquere : non quod impossibile esset Deo iterum formare hominem, et ex uno generis iterum augmentum facere, sed quia sic ipsi visum est pro solita benignitate.

V. Attende igitur Dei bonitatem etiam per ea quæ sequuntur. Nam sicut interminando pœnam, cum hominum genere et jumenta, et reptilia, et volatilia, et feras peritura dixit : ita et hic propter Justum imperat ut introducatur in arcam ex unoquoque illorum genere par unum, ut sit semen et primitiæ multitudinis postea futuræ. « Et ex om-» nibus, inquit, jumentis, et ex omnibus feris, et ex omni » carne, bina ex omnibus induces in arcam, ut pascas apud » te, masculus et fœmina erunt. Ex omnibus avibus volati-» libus secundum genus, et ex omnibus jumentis secundum » genus, et ex omnibus reptilibus repentibus super terram » secundum genus, bina ex omnibus intrabunt ad te, ut » pascantur apud temetipsum, masculus et fœmina [1]. » Ne obiter hæc prætereris, dilecte; cogita quantum peperierint Justo curarum tumultum, cogitanti apud se quantam hæc omnia curam exigerent. Non enim sufficiebat ei cura mulieris et filiorum, et nuruum, sed et sollicitudo tot brutorum et educatio addebatur. Verum paulisper expecta, videbisque Dei bonitatem, quomodo incumbentem Justo curam levet. « Tu autem accipies, inquit, tibi ipsi de om-» nibus cibis, de quibus comeditis, et congregabis apud » teipsum, et erunt tibi et illis in cibum [2]. » Ne existimes, inquit, destitutum te mea providentia relinqui. Ecce enim præcipio ut quæ vestræ alimoniæ sufficiunt, et quæ ad alenda bruta spectant, omnia in arcam inferantur : ita ut

[1] Gen. VI, 19, 20. — [2] Ibid. 21.

nullam vel famem, vel penuriam experiamini, et nec bruta pereant, utpote cibum non habentia sibi convenientem. « Et » fecit, inquit, Noë omnia quæcumque sibi præcepit Dominus » Deus, sic fecit [1]. » Videas et hic encomium amplum. « Fecit, » inquit, omnia quæcumque præcepit ei Dominus Deus. » Non aliud quidem opere exequebatur, aliud autem negligebat : sed omnia quæ præcepta erant fecit ; et sic fecit ut præcepta erant ei ; nihil intermisit, sed omnia implevit, et operibus suis probavit se juste benevolentia Dei dignatum fuisse. Quantis non coronis dignum fuerit hoc testimonium, quo a divina Scriptura fruitur Justus ille ? Quis hoc fuerit beatior, qui omnia opere complevit, quæ sibi a Deo præcepta fuerant, et tantam in iis, quæ sibi imperata erant, obedientiam declaravit ? Et ut scias quanta omnium Conditor ipsi præfari dignatus sit, audi quæ sequuntur. « Et dixit, inquit, » Dominus Deus ad Noë : Ingredere tu, et omnis Domus » tua in arcam [2]. » Deinde ut sciamus ipsum non gratia duntaxat Justum servare, sed et laborum mercedes ipsi, et virtutis præmia tribuere, dicit : Ideo tibi impero ut tu et domus tua omnis in arcam ingrediamini : « Quia te » vidi justum coram me in generatione ista [3]. » Magnum et fide dignum testimonium. Quid enim hoc majus esset, cum ipse Conditor, et qui eum ut esset produxit, talia de Justo pronuntiat ? « Quia te vidi justum, inquit, coram » me. » Vera hæc virtus est, quando coram Deo quis illam exhibet, quando oculus ille, qui decipi nequit, suum fert calculum. Exin docens nos benignus Deus mensuram virtutis, quanta tunc ab Justo exigebatur ; non enim eamdem virtutis mensuram ab omnibus afferri vult, sed pro varietate temporum virtutis differentiam requirit ; dicit : « Quia » te vidi justum coram me in generatione ista, » quæ tam mala, quæ in tantam malitiam declinavit, quæ tam ingra-

[1] Gen. VI, 22. — [2] Id. VII, 1. — [3] Ibid.

tum animum præ se fert. « Te vidi justum, » te solum inveni gratum, te vidi virtutis rationem habere : tu solus coram me justus apparuisti, omnibus aliis pereuntibus, te jubeo ingredi cum omni domo tua in arcam. Ex animalibus puris jubeo te introducere septena. Quia prius indefinite præceperat ex omnibus par unum introduci : propter hoc nunc dicit : « Ex puris autem septena, ex impuris vero » bina, masculum et fœminam [1]. » Postea autem causam docens, subdit : « Ut nutrias semen super omnem terram [2]. » Operæ-pretium autem hoc loco fuerit inquirere et videre unde sciebat Justus quænam pura, quænam impura. Nondum enim erat distinctio hæc facta, quam postea Moses Judæis in legibus suis statuit. Unde ergo sciebat? a seipso, et ab insita naturæ suæ doctrina, quam et ratio dictavit. Nihil enim immundum ex iis quæ Deus fecit. Quo pacto enim immundam vocaremus ullam creaturam quæ semel superne a Conditore approbata fuit? Dixit enim divina Scriptura : « Vidit Deus omnia quæcumque » fecit, et ecce bona valde [3]. » Sed postea natura a seipsa hanc differentiam exhibuit. Et ut videas hoc esse verum, considera quomodo in nonnullis locis, ab aliquibus abstinent aliqui ut immundis et non probatis, aliqui illis ipsis vescuntur, consuetudine ipsos ad hoc inducente : sic et tunc quoque ipsa scientia Justo insita docebat quænam ad cibum accommoda, et quæ immunda; non quod ita essent, sed quod pro immundis haberentur. Qua enim de causa, dic, oro, asinum immundum censemus, quamvis seminibus tantum pascatur, alia autem quadrupedia cibo convenientia putamus, etiamsi immundo alimento pascantur? Ita scientia a Deo naturæ suppeditata hæc docebat. Posset autem et aliter dici : Quia Deus, qui præceperat, idem etiam illorum cognitionem ei indidit.

[1] Gen. VII, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Id. I, 31.

Cæterum de mundis ac immundis satis dictum est.

VI. Verum interim alia sese offert quæstio : quare ex immundis bina, ex mundis autem septena? hæc quoque, quare non vel sex, vel octo, sed septem paria? Fortassis longius excurrit oratio, sed si non piget, et si vultis, paucis hæc charitatem vestram docebimus, ea scilicet quæ nobis divina gratia concesserit. Multi enim varias de iis fabulas narrant, et hinc occasione sumpta, observationes numerorum ostentant. At non observatio, sed intempestiva hominum curiositas talia fingere molitur, unde et multæ hæreses ortæ, quod statim scietis : etenim frequenter (ut videamur quasi ex abundantia eos, qui ex suis opinionibus nova afferunt, compescere) invenimus in Scripturis copulæ numerum servatum : quippe quando misit Discipulos, binos eos misit [1]. Ipsi autem omnes duodecim erant et Evangelia quatuor numero. At supervacaneum fuerit hæc apud charitatem vestram commemorare, quæ satis didicit hujusmodi dictis obturare aures. Necessarium autem ut posthac doceamus quare septena et septena ex puris introduci in arcam præceperit. Plura quidem præcepit ex mundis introduci, ut Justus ille, et qui cum illo erant, ex illorum usu aliquam consolationem acciperent. Quod autem septena et septena, et hoc quoque si causam discretis, summum indicium est piæ mentis justi viri. Nam quia cognovit benignus Deus viri virtutem : et quod ut justus, et tanta Domini fretus misericordia, ubi tantæ tempestatis effugisset periculum, liberatusque fuisset a periculo, et ab arcæ incommodis solutus, gratum animum declaraturus, et pro gratiarum actione hostias et sacrificia oblaturus esset, ut ne hoc faciendo mutilaret paria : ideo Dominus præscius hujus gratæ mentis, jubet septena et septena introduci ex singulis avium generibus, ut cum cessaret universalis interitus, et suam mentem declararet, pa-

[1] Marc. VI, 7. Luc. X, 1.

ria volatilium, cæterorumque animalium non læderentur : id quod in sermonis progressu discetis, ubi in eum locum pervenerimus. Videbitis enim Justum illum hæc fecisse. Didicistis causam ob quam septena et septena introducere præceptum fuit, ne posthac toleretis eos, qui fabulari, adversusque divinam Scripturam insurgere, et quæ ex suo capite finxerunt, ut sacra dogmata introducere nituntur. Igitur postquam omnia clare mandata fuerunt, et de avibus, et de mundis, et de immundis, et de alimentis, dicit Justo : « Adhuc enim » septem dies sunt, et ego induco pluviam super terram » quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et delebo » omnem substantiam, quam feci, a facie terræ, ab homine » usque ad jumentum [1]. » Attende, obsecro, etiam ex iis, quæ nunc dicta sunt, bonitatis divinæ excellentiam, quomodo post tantam tolerantiam etiam nunc ante septem dies prædicit, volens metu emendatiores illos reddere, et ad pœnitentiam reducere. Nam quod ideo prædicat, ne ea quæ dicit, super eos inducat, considera Ninivitas, et attende quanta horum et illorum sit differentia. Quia cum tot annis audissent ante fores esse calamitates, neque sic a malitia sua cessarunt. Etenim consuevimus negligentiores esse, quando differtur, et protrahitur punitio; ac cum proxime instant ærumnæ, tunc humiliamur, et plurimam ostentamus conversionem; id quod et in Ninivitis contigit. Quandoquidem ubi audierunt : « Adhuc tres dies, et Ninive » subvertetur, [1]. » non solum non desperaverunt, sed et ad dictum hoc exurrexere, tantamque vitiorum fecerunt abstinentiam, et tam diligentem confessionem exhibuerunt, ut et ad bruta usque extenderent ea, quæ attinebant ad confessionem; non quod bruta animantia confessionem ediderint : quomodo enim possent, cum sermone careant? sed ut per hoc misericordiam boni Domini sibi conciliа-

[1] Gen. VII, 4. — [2] Jon. III, 4.

rent. Prædicato enim jejunio, inquit, rex ipse mandavit ut neque oves, neque boves, neque alia bruta pabulum vel aquam acciperent. Sed omne hominum genus tunc saccis amictum, et ipse quoque rex sublimi solio sedens, magnam et parem cum aliis egere pœnitentiam : feceruntque hæc, licet ignorarent an pœnam evasuri essent. Dicebant enim : « Quis scit, si forte pœniteat Deus super malitia, quam ut » nobis faciat, locutus est? »

VII. Vidisti barbarorum gratum animum? vidisti quomodo neque dierum angustia segniores fecit, neque ad desperationem induxit? vide et illos post numerum tot annorum, ubi audiverunt : « Adhuc septem dies et diluvium inducetur, » neque sic conversos, sed stupidos et sine dolore mansisse. Unde in confesso fuerit voluntatem nostram malorum omnium causam esse. Ecce enim et hi, et isti fuerunt homines, et ejusdem cujus alii naturæ, sed non ejusdem voluntatis. Propterea nec eadem eorum sors fuit, sed Ninivitæ subversionem subterfugerunt, cum bonus Deus propter suam clementiam eorum contentus esset pœnitentia : sed isti submersi, in communi interitu perierunt. « Adhuc enim, inquit, septem dies, et ego induco pluviam » super terram. » Deinde ut magis augeat terrorem, inquit : « Quadraginta diebus et quadraginta noctibus. » Quid enim? annon poterat, si voluisset, uno die totam pluviam inducere? Quid dico, uno die? uno momento posset : sed hoc dedita opera facit, volens simul et timorem incutere, et occasionem præstare, qua possent pœnam, quæ jam in foribus esset, effugere. « Et delebo, inquit, omnem substantiam, quam » feci, a facie terræ, ab homine usque ad pecus. » Vide quomodo et semel et iterum prædicit, et neque sic illos tangit. Omnia autem hæc faciebat, ut nos doceret se juste eis tantam pœnam inflixisse, et ut nullus insipientium arguere et dicere

[1] Jon. III, 9.

posset«: Si procrastinavisset, forte pœnitentiam egissent, forte a vitiis abstitissent, et ad virtutem rediissent. Eaque de causa annorum quoque numerum declaravit nobis, et arcam fabricari jussit. Et post hæc omnia etiam ante dies septem prædicit, ut omnium temere loquentium impudentes linguas compescat. «Et fecit, inquit, Noë omnia quæ» cumque mandavit ei Dominus Deus [1]. » Vide quomodo et nunc Justi gratum animum et obedientiam divina Scriptura prædicat, docens nos eum nihil quod imperatum erat prætermisisse, sed omnibus impletis, etiam per hoc, virtutis suæ specimen præbuisse.

VIII. Illum igitur et nos imitemur Justum, et mandata a Deo tradita implere studeamus, ac leges a Christo nobis latas non despiciamus. Sed earum præsentem servantes memoriam, festinemus ad bona opera, nec segnes simus in iis tractandis, quæ ad salutem nostram pertinent, præsertim cum nunc longe major virtutis mensura a nobis exigatur, quanto et meliora bona sortiti sumus. Ideo et Christus dicebat: «Nisi abundaverit justitia vestra plus » quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in reg» num cœlorum [2]. » Consideremus igitur hoc dictum, et non perfunctorie transeamus: sed cogitemus quanta pœna futura sit eorum, qui non solum non operam dant ut illos superent, sed etiam minus quam illi præstant; neque cavent ut iram remittant proximo, vel linguam a juramentis servent puram, vel oculum muniant a pernicioso spectaculo: et cum Dominus præcipiat non solum fortiter ferre, si qua injuria fuerimus affecti, sed et beneficia inimicis largiter præbere: ait enim, « Et qui tecum judicio contendere, et » tunicam tollere vult, dimitte et pallium [3]. » Nos autem sæpe proximo injuriam inferre nitimur, aut lædentem ulcisci, quamvis nobis imperatum sit non solum diligentes

[1] Gen. VII, 5. — [2] Matth. V, 20. — [3] Ibid. 40.

diligere; « Nam hoc, inquit, et Publicani faciunt [1]; » sed et bene et amice affectos esse in eos, qui nos hostiliter infestant : nos tamen ne amicis quidem parem charitatem exhibemus. Eapropter doleo et lugeo, quia video in nobis tantam virtutis raritatem ; malitiam autem quotidie invalescere : neque moratur gehennæ timor nostrum in mala cursum, neque regni desiderium incitat, ut in via virtutis ambulemus : sed omnes, ut ita dicam, quasi pecudes abducimur : et neque cogitamus terribilem illam horam, vel leges a Domino nobis datas : sed omnes ad hominum opiniones spectamus, et gloriolam ab illis venamur, neque audire volumus Evangelium dicens : « Quomodo vos » potestis credere gloriam ab hominibus accipientes, et glo» riam quæ a solo Deo est, non quærentes [2] ? Quemadmodum enim qui illam humanam desiderant, divina prorsus excidunt : ita qui divinam continuo sectantur, neque hac privantur : id quod ipse prius promisit : « Quærite primum regnum » Dei, et hæc omnia vobis adjicientur [3]. » Etenim eum, qui hujus desiderio tenetur, sequuntur hæc omnia. Nam qui illuc mente sua alis instructus volat, omnem præsentem prosperitatem, quasi non esset, contemnit. Oculi enim fidei, quando vident ineffabilia illa bona, ne sentiunt quidem hæc visibilia : tantum inter hæc et illa interest. Sed neminem video qui invisibilia visibilibus præferat. Idcirco mihi mœror est, et indesinens dolor cordi meo, quia non rerum experientia docti sumus, neque Dei promissiones, neque munerum magnitudo, regni desiderium et amorem nobis ingenerant : verum adhuc humi reptantes, præferimus terrena cœlestibus, præsentia futuris : et ea, quæ prius avolant quam spectentur, iis quæ omnibus durant sæculis : et temporaneam voluptatem, perpetuæ voluptati : brevem hanc præsentis vitæ felicitatem, æternis illis, et fine carentibus

[1] Matth. v, 46. — [2] Joan. v, 44. — [3] Matth. vi, 33.

sæculis. Scio aures vestras his verbis vellicari, sed ignoscite. Avidus vestræ salutis hæc loquor, malens vos hic aliquantisper lancinatos æternam pœnam effugere, quam cum parva refocillatione perpetuam ferre pœnam. Nam si sermo meus in vobis proficit, præconceptum mœrorem repelletis, et nunc maxime dum adhuc sanctæ quadragesimæ tempus vobis reliquum est pusillum, poteritis peccata abstergere, magnamque a Deo clementiam vobis conciliare. Non enim multis diebus opus habet Dominus, neque tempore : sed si voluerimus, et in duabus hisce hebdomadis corrigere peccata nostra poterimus. Nam si Ninivitas, trium dierum pœnitentiam agentes, tanta dignatus est misericordia, multo magis nos non despiciet. Tantum si vere pœniteamus, et desistentes a peccato, viam quæ ad virtutem ducit ingrediamur. Enimvero de illis, Ninivitas dico, Scriptura testatur, dicens : « Quia vidit Deus quod discessit unus» quisque a via sua mala [1]. » Igitur si viderit quod et nos nunc virtuti junxerimus, et a malo destiterimus, festinemusque ad bonorum operationem, approbabit nostram conversionem, et sarcina peccatorum liberatis sua largietur dona. Neque nos sic peccatorum expiationem et salutem cupimus, sicut ipse cupit et adesse festinat, ut et ab illis liberos nos faciat, et salute potiri concedat. Eapropter, obsecro, excitemus nostras mentes, et sui quisque scrutator sit, an quid amplius a se præterito tempore cum laude gestum sit, vel quam utilitatem habuerit ex continua hac doctrina : si quid, quod proximo serviat, fructuum collegerit, si quædam vitia sua correxerit; si quod ad veram philosophiam adeundam incitamentum ex his nostris quotidianis acceperit admonitionibus. Bonis quidem operibus accessionem fieri curandum, et nunquam quiescendum est ab hoc bono agendi instituto : at si quis viderit con-

[1] Jon. III, 10.

suetudinem suam adhuc prævalere, et se in iisdem perseverare, cogat mentem suam suæ desidiæ rationem reddere: nec sinat progredi ulterius, sed pravæ consuetudinis finem faciat ; excindat impetum , coërceat cogitationes , in mente revolvat horrendum illum diem, cogitet mensæ hujus tremendæ participationem et splendorem ignis inde resilientis, ac conflagrantem vim , et qualem conveniat esse accedentis mentem; ab omni nempe macula, ab omni labe puram, et illicitarum cogitationum frequentiam subvertentem : ut sic interim diebus istis nosipsos præparantes, possimus, expurgata pro virili anima nostra, participes fieri præsentis istius sumptionis, et ineffabilibus illis bonis potiri, quæ promisit diligentibus se; gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXV.

Noë autem annorum erat sexcentorum, et diluvium aquæ factum est super terram [1].

I. Argumentum de quo heri charitati vestræ disserui, denuo attingam , et Justi Noë historiam iterum in medium afferam. Magnæ enim virtutum Justi divitiæ sunt, nostrique officii est omnibus pro nostra virili disquisitis, curare ut vestræ opes hinc auctiores fiant. Cæterum, obsecro, attenta mente adsitis, ut ne sententiæ hic recon-

[1] Gen. VII, 6.

ditæ a vobis diffugiant. Operæ-pretium autem fuerit, prius charitati vestræ commemorare, ubinam heri docendi finem fecerimus, ut inde hodie sermone repetito, dicenda dictis recte contexamus. Sic enim manifestiora nobis erunt etiam ea, quæ nunc dicuntur. Ubi ergo quæ docebamus heri finem habuerunt? « Dixit, inquit, Dominus Deus ad Noë: » Ingredere tu, et omnis domus tua in arcam: quia te vidi » justum coram me in generatione ista. Ex jumentis vero » mundis induc ad te septena: et ex jumentis quæ non » sunt munda, bina. Adhuc enim septem dies, ego inducam » pluviam super terram quadraginta diebus et quadraginta » noctibus, et delebo omnem substantiam, quam feci, a facie » terræ, ab homine usque ad pecus. Et fecit Noë omnia » quæ præceperat sibi Dominus Deus [1]. » Huc usque procedebat sermo, hic docendi finem faciebamus. Fortassis enim et ipsi meministis, quando charitati vestræ causam reddidimus, quare Deus ex mundis septena, ex immundis bina introduci jusserit. Age ergo hodie accedamus ad ea, quæ consequenter lecta sunt, et videamus quid nobis divina Scriptura dicat post ingressum Noë in arcam. Nunc enim maxime, si ullo alio tempore, decet ut amplius sit nostrum studium, cum ob jejunii tempus et dulcissima vestra consuetudine magis fruimur, et a voluptate crapulæ liberamur, excitatisque mentibus, dictis diligenter attendere possumus. Dicendum igitur unde hodie lectio cœpta est. « Noë autem erat annorum sexcentorum, inquit, et diluvium » aquæ factum est super terram [2]. » Attendite, obsecro, et ne perfunctorie dictum prætercurramus. Habent enim latentes divitias brevia hæc verba. Quod si mentem intenderimus, licebit ex isto misericordiæ Domini excellentiam, malitiæque hominum, qui tunc erant, exuperantiam deprehendere. « Noë autem annorum erat, inquit,

[1] Gen. VII, 1-5. — [2] Ibid. 6.

» sexcentorum. » Non absque causa annorum Justi numerum nos docuit divina Scriptura, neque ut istuc ipsum discamus, quot annorum fuerit ille, sed quia prius nos docuit Scriptura dicens : « Noë autem erat annorum quin» gentorum [1] ; » et postquam nobis annorum declaravit numerum, tunc narravit immodicam hominum in malum propensionem, et quia incumbit cogitatio hominum diligenter in mala a juventute; ideoque dixit Deus : « Non per» manebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod ipsi » sint carnes [2] : » prænuntiando eis indignationis suæ magnitudinem ; dein ut daret eis idoneum tempus, quod sufficeret ad resipiscendum, ut indignationem non experirentur, dicit : « Erunt autem dies eorum anni centum et viginti [3] : » hoc est, adhuc procrastinabo etiam post quingentos illos annos, in quibus Justus iste suo nomine satis omnes illos admonebat et inducebat, siquidem attendere voluissent, ut et a malitia desisterent, et ad virtutem se transferrent. Verumtamen et nunc polliceor me annos centum viginti toleraturum, ut tempore quod intercedet, quemadmodum par est utantur, malitiamque fugiant, et virtutem amplexentur. Et non solum contentus fuit centum et viginti annorum promissione, sed Justo præcepit ut arcam construeret, quo et ipse aspectus arcæ iis sufficientem memoriam suggereret, et nullus ignoraret inferendæ pœnæ magnitudinem. Nam istuc ipsum, quod Justus ille, et qui in summum virtutis pervenerat fastigium, tanto studio extruebat arcam, satis esse debebat ad injiciendum omnibus, quibus mens erat, angorem et formidinem, et persuadendum ut placarent tam mansuetum et clementem Dominum. Nam si barbari illi, Ninivitas dico, quos iterum in medium adducere operæ-pretium est, ut etiam hac ratione magis demonstretur et horum ingens malitia, et illorum

[1] Gen. v, 31. — [2] Id. vi, 3. — [3] Ibid.

magna probitas. Etenim Dominus noster in die illo terribili, judicii inquam, servos et servos in medium producens, sic condemnationem proferet, quando monstrabuntur ii, qui eadem bona sortiti erant, et eorumdem bonorum participes non eamdem exercuerant virtutem : sæpe autem etiam ex inæqualibus comparationes facit, ut majorem condemnationem ignavis inferat ; quapropter et in Evangelio dicebat : « Viri Ninivitæ exurgent in judicio cum »generatione hac, et condemnabunt eam, quia pœniten»tiam egerunt in prædicatione Jonæ : et ecce plus quam »Jonas hic : [1] »quasi diceret : Barbari, quorum nulla cura est habita, qui Prophetarum doctrinam non audierunt, qui signa non viderunt, qui miracula non spectarunt, sed auditis tantum unius hominis in naufragio servati verbis, quæ eos, magnam desperationem afferendo, consilii inopes facere poterant, ita ut etiam contemnerent quæ dicebantur, non solum non despexerunt Prophetæ verba, sed et in trium dierum angustia deprehensi, tam diligentem et studiosam fecere pœnitentiam, ut et sententiam Domini revocarent. Hi igitur, inquit, condemnabunt generationem hanc, circa quam tanta cura fuit adhibita, quæ Prophetarum libris enutrita est, quæ signa et miracula quotidie spectavit. Deinde ut et istorum magnam incredulitatis eminentiam ostenderet, etiam illorum ineffabilem probitatem, subdit : « Quia pœnitentiam »egerunt ad prædicationem Jonæ, et ecce plus quam Jo»nas hic : »Ninivitæ quidem, inquit, viso abjecto homine Jona, et ejus susceperunt prædicationem, et accuratissi mam fecerunt pœnitentiam : isti autem videntes multo ma jorem quam Jonas erat, ipsumque universi Dominum secum simul versantem, tantaque ac talia quotidie miracula operantem, leprosos mundantem, mortuos suscitantem,

[1] Matth. xii, 41.

vitia naturæ corrigentem, dæmones expellentem, morbos curantem, potestate multa peccatorum remissionem præbentem, non illam quam barbari fidem exhibuerunt.

II. Verum ad sermonis nostri seriem redeamus, ut videas quam immodica istorum fuerit improbitas et quam laboriosa illorum resipiscentia : Ninivitæ quidem in triduum coarctati, neque sic de salute sua desperarunt, sed ad pœnitentiam properantes, peccata abluerunt, misericordiaque Domini sese dignos exhibuerunt : isti autem, de quibus nunc sermo, tempus centum et viginti annorum ad pœnitentiam acceperant, neque aliquid inde lucrifecerunt. Proinde Dominus videns in multam illos excidisse nequitiam, celerem ipsis inducit correctionem, aboletque et e medio tollit mali eorum fermenti vitium. Ideo dicit : « Noë » autem erat annorum sexcentorum, et diluvium aquæ » factum est super terram. » Jam didicimus, quando indignatio et prædictio Domini facta est, Noë fuisse annorum quingentorum ; quando autem inductum est diluvium, sexcentorum : ita intercesserunt anni, inter prædictionem et diluvium, centum : et in iis annis ne tantillum quidem profecerunt, licet tantopere docerentur a Noë arcam fabricante. Sed fortasse quæret aliquis : Quare cum dixerit Dominus, « Centum viginti anni erunt dies eorum : » promiseritque se tanto tempore tolerantia usurum, antequam implerentur anni promissi, universale introducit excidium? Etiam hoc ipsius clementiæ maximum est argumentum et indicium. Nam quoniam vidit quotidie incurabiliter illos peccare, et non solum nihil ex ineffabili tolerantia sua proficere : sed et incrudescere ulcera, propterea succidit tempus, ut ne majori scilicet pœnæ se obnoxios facerent. Et quæ, dicet aliquis, hac major esset pœna? Est plane, est, dilecte, pœna et major, et terribilior, et perpetua, nempe quæ in futuro sæculo. Quidam enim etiamsi hic pœnam

subeant, illic tamen non effugiunt, sed leviorem sortientur ob eam quam hic tulerunt, magnitudinem supplicio-rum hinc minuentes. Audi Christum dicentem, et miseram vocantem Bethsaïda : « Væ tibi Chorazim, inquit, væ » tibi Bethsaïda : quia si in Sodomis factæ essent virtutes » illæ, quæ factæ sunt in vobis, olim in sacco et cinere pœ-» nitentiam egissent. Ideo dico vobis quia tolerabilius erit » terræ Sodomorum et Gomorrhæ in die judicii, quam » vobis [1]. » Vides, dilecte, quomodo cum dicit : « Tolerabi-» lius erit, » ostendit eos, licet tantam hic pœnam dederint, et incendium illud novum et rarum tulerint, illic quoque pœnam laturos esse, verumtamen leviorem, eo quod prius hic tantam experti sint indignationem ? Ne igitur et ii peccata coacervantes, majoribus se pœnis obnoxios redderent, Dominus bonus et benignus duritiam illorum pœnitere nesciam videns, tempus, quo se patientem futurum promisit, imminuit. Nam sicut eorum causa, qui admonitionibus suis prompte parent, ob bonitatem sibi peculiarem sententias suas revocat, et ad se conversos admittit, atque ab imminente supplicio liberat : ita quoque cum promittit vel bona aliqua se præbiturum, vel pœnitentiæ tempus, videt autem illos indignos, etiam tunc quoque suas promissiones revocat. Quocirca et per Prophetam dicebat : « Ad summam loquar super gentes, et super regna, ut » perdam et evertam : et si pœnitentiam egerint, agam et » ego pœnitentiam super iis, quæ locutus sum ut facerem » eis : » et iterum : « Ad summam loquar super gentes et » super regna, ut rædificem : et si peccaverint, pœniten-» tiam et ego agam super iis, quæ locutus sum ut facerem » eis [2]. » Vidisti quomodo a nobis occasiones accipit tam misericordiæ, quam erga nos declarat, quam indignationis ? Idcirco etiam nunc tempus resecat, cujus illi longi-

[1] Matth. xi, 21. 22. Luc. x, 13, 14. — [2] Jer. xviii, 7-10.

tudine abutebantur. Beatus quoque Paulus ad stupidos illos, qui salutem per pœnitentiam nobis datam non admittunt, dicebat : « An divitias bonitatis ejus et patientiæ »et longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas »Dei ad pœnitentiam te provocat : secundum autem duri»tiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibimetipsi »iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei [1]. » Vidisti quomodo et eximius ille Doctor orbis clare nos docuit eos qui patientia Dei ad pœnitentiam nobis concessa abutuntur, majori pœnæ et supplicio semetipsos obnoxios reddere ? Et hac de causa etiam nunc benignus Deus, quasi sese purgans, rationemque reddens quare, antequam promissum tempus impleretur, diluvium induxerit, annorum Justi numerum declarat, et dicit : « Noë autem erat anno»rum sexcentorum. » Nam qui in centum annis converti noluerint, quid amplius proficerent ex annis viginti, quam quod plura adjicerent peccata ? Enimvero monstrans ineffabilem suam misericordiam et excellentem bonitatem, non recusavit etiam ante septem dies prædicere eis diluvium mox inducendum, ut vel angustia temporis correpti, conversionem aliquam ostenderent.

III. Et vide clementiam Domini, quomodo quasi bonus aliquis medicus, variis viis morbum eorum curare tentat. Nam quoniam incurabilia eorum erant vulnera, tam prolixum eis tempus præscripsit, volens etiam, si in tanto tempore resipiscerent, revocare indignationis suæ sententiam. Semper enim mos ejus est, quoniam nostræ salutis curam agit, prædicere quas pœnas sit illaturus, ob hanc tantum causam ne inferat, quas si inferre vellet, neutiquam diceret : sed studiose prædicit, ut cum nos didicerimus, timore emendatiores facti, avertamus ipsius indignationem, et sententias irritas faciamus. Nihil enim est quod ita illum

[1] Rom. II, 4, 5.

exhilaret, ut conversio nostra, et a peccato ad virtutem regressus. Animadverte igitur quomodo et istorum ægritudinem industria quadam curare nititur : primo tantum temporis ad pœnitentiam dedit ; dein ubi vidit eos, quasi insensati essent, ita se gerere, nihilque proficere temporis longitudine, jam cum propemodum in foribus ipsis esset diluvium, iterum prænuntiat, non ante tres dies, sicut Ninivitis, sed ante septem. Et fidenter dixerim, magnitudinem clementiæ Domini nostri sciens, si vel in septem diebus veram pœnitentiam agere voluissent, effugissent utique diluvii periculum. Itaque quoniam neque productio tanti temporis, neque coarctatio a malis eos abducere potuit, induxit diluvium in sexcentesimo anno Noë. « Noë » autem, inquit, sexcentorum annorum erat, et diluvium » aquæ factum est super terram [1].» Vidistis, dilecti, quantæ nobis utilitatis materia facta sit, cognoscere numerum annorum Justi, et quot annorum erat, quando diluvium venit? Age progrediamur ad ea, quæ consequenter dicuntur. Nam ut cœpit diluvium, inquit : « Ingressus est autem Noë, et » filii ejus, et uxor illius, et uxores filiorum illius in arcam » propter aquam diluvii : et ex volatilibus mundis et ex vo- » latilibus immundis, et ex jumentis, et ex reptilibus bina. » Ex omnibus intraverunt ad Noë in arcam, masculus et » fœmina, sicut præceperat Dominus Noë [2]. » Non absque causa addidit : « Sicut præceperat Dominus Noë : » sed ut iterum augeret laudem Justi, quod omnia impleverit, sicut præceperat Dominus, et quod nihil ex dictis prætermiserit. « Et factum est post dies septem, sicut promiserat, inquit, » Dominus, et aqua diluvii facta est super terram in sex- » centesimo anno in vita Noë, mense secundo, vicesimo et sep- » timo mensis [3]. » Vide Scripturæ diligentiam, quomodo non solum nos docuit quo anno factum sit diluvium, sed et quo

[1] Gen. VII, 6. — [2] Ibid. 7-9. — [3] Ibid. 10, 11.

mense et die. Deinde ut ex narratione emendatiores reddat posteros, terroremque rei gestæ augeret, dicit : « In die illo » rupti sunt omnes fontes abyssi, et cataractæ cœli apertæ sunt » et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et qua- » draginta noctibus [1]. » Vide quanta dicendi attemperatione nunc etiam utitur sacra Scriptura : omnia enim secundum humanam consuetudinem loquitur ; non quod cataractæ sint in cœlo, sed omnia per familiaria nobis verba loquitur, quasi diceret : Præcepit tantum Dominus, et statim aquarum natura mandato Conditoris obedivit, et ut confluxit, totum orbem inundavit. Jam quod quadraginta diebus et quadraginta noctibus inductum est diluvium, et istuc ipsum bonitatis maximum specimen est. Volebat enim, propter magnam misericordiam, saltem aliquos ex eis castigatos generalem hanc internecionem effugere, cum ante oculos viderent et congeneres suos perire, et imminere sibi communem interitum. Verisimile enim est primo die bonam aliquam partem diluvio periisse, et secundo die accrevisse aliquid diluvii, et similiter die tertio, et reliquis. Atque ideo in quadraginta dies et quadraginta noctes produxit, ut omnem defensionis obtentum adimeret. Nam si voluisset atque imperasset, potuisset omnia in uno momento inundare : sed pro sua clementia tanta dierum diuturnitate usus est. Deinde dicit : « In die illa intravit » Noë in arcam, et Sem, et Cham, et Japheth, et uxor Noë, » et tres uxores filiorum illius, et omnes bestiæ secundum » genus, sicut præceperat Dominus Deus Noë [2]. » Quando, inquit, cœpit diluvium secundum præceptum Domini, intravit Noë in arcam cum filiis et uxore sua et uxoribus filiorum suorum, et omnes bestiæ secundum genus. « Et » clausit, inquit, Dominus Deus deforis ejus arcam [3]. »

IV. Animadverte etiam hic verbi ad nostram infirmitatem

[1] Gen. VII, 11, 12. — [2] Ibid. 13-16. — [3] Ibid. 16.

accommodationem. Clausit Deus forinsecus illius arcam, ut doceat se in magna securitate posuisse Justum. Ideo ait, « Clausit, et addit, deforis, » ita ut non posset videre Justus generalem omnium interitum, unde majori dolore ipse conficeretur. Nam si secum animo reputasset atrocissimam illam tempestatem, descripsissetque in mente humani generis perditionem, communem brutorum omnium interitum, et hominum et jumentorum, et ipsius terræ, ut ita dicam, abolitionem, mœstitia correptus, et valde turbatus fuisset. Quanquam enim erant improbi, qui peribant, attamen bonorum virorum animæ magna commiseratione affici solent, si quando vident puniri homines; et invenies omnes Prophetas et Justos plurimum pro illis Deo supplicare, sicut Patriarcha pro Sodomitis faciebat [1], sicut etiam Prophetæ continuo facere solebant. Etenim unus quidem dicebat: « Heu mihi, Domine, delebis tu reliquias Israël [2] ? » Alius autem ait: « Facies homines sicut pisces maris, non « habentes ducem [3] ? » Igitur quia alioquin Justus confundebatur mente, et turbabatur, ne ex visu et spectaculo majori tristitia afficeretur, in arca illum quasi in carcere includit, ut ne oculis prospicientem metus invaderet. Verisimile enim est, si vidisset inundationem tot aquarum, anxium fore ne et ipse aquis periret. Ejus igitur curam gerens benignus Deus, non permisit ipsum vel aquarum spectare sævitiem, vel videre hominum excidium, et communem orbis internecionem. Ego autem, quando reputo mecum Justi hujus vitam in arca, obstupesco et miror, iterumque Dei clementiæ totum ascribo. Nam nisi illa confirmasset illius mentem, et difficilia levia fecisset, quomodo, dic, oro, ferre potuisset, ibi inclusus quasi in custodia quadam et in tetro carcere? Quomodo, quæso, potuisset adversus tantos fluctuum impetus obsistere ?

[1] Gen. XVIII, 25. — [2] Ezech. IX, 8. — [3] Habac. I, 14.

Homines enim, qui in navi sunt, et velo utuntur, et gubernatorem ad clavum sedentem vident, et sua arte ventorum vi obsistentem, si quando fluctuum vident insaniam, enecantur metu, et de salute sua propemodum desperant. Quid igitur dixerit aliquid de Justo hoc? nam quasi in carcere, ut dixi, sedens, hinc et inde circumferebatur, neque cœlum videre, neque aliquo oculos vertere valens; sed intus tenebatur, nihilque prorsus videre poterat, quod consolationem afferret? Et ii quidem, qui in mari navigant, etiamsi in altum exurgant fluctus, possunt subinde in cœlum suspicere, et cacumina montium videre, et civitates magnas spectare, sicque aliquantam consolationem capere. Quod si gravior et intolerabilior fuerit tempestas, post decem vel paulo plures dies, et post multas illas tempestates et pericula, in terram ejecti, et paululum refecti, omnium illarum molestiarum obliviscuntur. Hic autem nihil tale, sed anno toto novum et stupendum illum carcerem inhabitabat, neque aërem respirare valens. Quomodo enim potuisset cum undique arca clausa esset? Quomodo, quæso, restitit? quomodo duravit? Nam si ferrea et adamantina illis fuissent corpora, quomodo potuissent, qui neque aëre fruebantur neque vento, qui non minus quam aër ad refocillanda corpora nostra factus est, neque oculos pascere poterant, aut cœli, aut terræ floribus pictæ spectaculo? Quomodo non excæcati oculi eorum, qui tandiu ibi egerunt? Et si humanis rationibus hæc deprehendere volumus, et illud cogitandum, unde fluvialis et potabilis aquæ copiam habebant in arca viventes. Et ut hæc præteream, quomodo potuit Justus ille cum filiis et uxoribus conversationem cum feris et aliis animalibus ferre? Quomodo tulit fœtorem? quomodo tulit cohabitationem? Et cur ista dico? quomodo bruta ipsa potuerunt durare, et non perire in tanta temporis longitudine, quæ neque aërem attrahere valebant,

neque moveri, sed in uno loco coërcebantur? Scitis enim, et probe scitis talem esse nostram brutorumque naturam, ut etiamsi aëre fruamur, aliisque omnibus, continuo autem in uno loco simus inclusi, nihil prohibeat quominus pereamus. Unde igitur potuit Justus cum omnibus, qui in arca erant, tanto durare tempore? Non aliunde quam ex superna gratia, cui omnia sunt possibilia. Annon arcam hinc et inde moveri, et non submergi a tanta aquarum vi, cum nullus esset gubernator, supernæ erat opis? Non enim dicere potes fuisse arcam ad modum navis, ut arte quadam illius iter dirigi potuerit. Arca erat undique munita: et propter præceptum Conditoris, non solum eam lædere non potuit aquarum impetus, sed et sublimior illis facta inhabitantes admodum securos reddidit. Quando enim Deus operatur aliquid, dilecte, noli humana ratiocinatione ejus opera exquirere: transcendunt enim mentem nostram, et nunquam potest humana cogitatio attingere et comprehendere eorum, quæ a Deo condita sunt, rationem.

V. Proinde par est nos, audientes quod Deus imperaverit, obedire et credere iis, quæ ab illo dicuntur. Nam cum conditor sit naturæ, omnia transmutat, et transformat prout sibi videtur. « Et clausit Dominus Deus deforis illius » arcam. » Magna hujus Justi virtus fuit, et fidei excellentia. Illa ipsa enim, ut arca construeretur, effecit, ut talem habitationem æquo animo ferrent coarctationemque, et vitam cum feris reliquisque brutis animalibus sustinerent. Hinc est quod beatus Paulus ejus mentione facta prædicans illum, clamabat dicens: « Fide oraculo admonitus Noë de » iis, quæ nondum videbantur, metuens aptavit arcam ad » salutem domus suæ, per quam condemnavit mundum, et » ejus, quæ secundum fidem est, justitiæ factus est hæres [1]. » Vidisti quomodo fides in Deum, quasi secura quædam

[1] Hebr. xi, 7.

anchora, fecit ut arcam construi curaret, et ejus habitationem sustineret? Nam hæc illi et salutis fuit occasio, « Per quam, inquit, condemnavit mundum, et ejus, quæ » secundum fidem est, justitiæ factus est hæres : » non quod ipse fuerit judex, sed quia ex comparatione condemnationem Dominus inducit. Cum enim eadem habuerint quæ Justus, non tamen eamdem virtutis viam ingressi sunt : per fidem, qua præditus fuit, condemnavit eos, qui tantæ fuerunt incredulitatis, ut prædictioni non crederent. Ego autem cum aliis omnibus virtutem etiam Justi admiror, Dominique bonitatem et ineffabilem misericordiam, quando considero quomodo potuerit versari in medio bestiarum, leonum dico, pardorum et aliarum immitium ferarum. Recordare hic, dilecte, obsecro, quantæ dignitatis fuerit primus homo ante inobedientiam, et Dei bonitatem animo observa. Posteaquam enim illius prævaricatio hanc potestatem nobis datam imminuerat, invenit autem bonus Dominus alium virum, qui potuit reparare imaginem pristinam, et servare virtutis characteres, magnamque in mandatis Dei obedientiam præ se tulit ; iterum ad primum honorem eum reducit, quasi docens nos operibus quantam potestatem Adam ante inobedientiam habuerit. Virtus itaque Justi, divina clementia adjuta, primum reparavit dominium, bestiæque iterum subjectionem agnoverunt. Cum enim illæ viderint Justum, obliviscuntur naturæ suæ, imo non naturæ, sed ferociæ, et naturæ insitam feritatem in mansuetudinem convertunt. Et vide quomodo hoc ipsum Danieli evenerit. Hic enim cum a leonibus circumdaretur, quasi ab ovibus stiparetur, sic intrepide agebat[1]. Quandoquidem Justi fiducia ferarum naturam frenabat, nec sinebat ut agerent ea, quæ feræ solent. Simili modo etiam egregius ille magna facilitate ferarum ferebat convictum,

[1] Dan. VI, 22.

et neque loci angustia, neque temporis diuturnitate, neque quod sic inclusus esset ut aërem respirare non posset, in torporem et nauseam ipse conjiciebatur, sed ob fidem in Deum omnia ipsi facilia videbantur, et sic versabatur in tetro illo carcere, sicut nos in pratis et lucis. Præceptum enim Domini efficiebat ut difficilia ipsi facilia viderentur. Talis enim Justorum mos est, ut quando aliquid propter Deum patiuntur, non res ipsas, quæ fiunt, spectent, sed causam secum expendentes, facile omnia ferant. Quandoquidem et Paulus, gentium doctor, vincula, ad tribunalia abductiones, quotidiana pericula, multas illas et intolerabiles afflictiones, leves vocabat; non quod natura tales essent, sed quia causa, propter quam accidebant, talem ei sententiam ingenerabat, ut neque adverteret, si qua gravia talia obvenirent. Audi enim illum dicentem : « Nam mo» mentanea levitas afflictionis nostræ, mire supra modum » æternum pondus gloriæ operatur in nobis [1]. » Expectatio, inquit, gloriæ quam assequemur, et perpetuæ illius felicitatis, id agit ut leviter feramus continuas illas afflictiones, levesque illas habeamus. Vidisti quomodo amor in Deum gravitatem molestiarum imminuit, neque sinit ut ullo earum sensu afficiamur? Sane ob hoc et Beatus ille omnia suaviter ferebat, utpote qui fide et spe in Deum pascebatur. « Et clausit, inquit, Dominus Deus deforis illius arcam, » et factum est diluvium quadraginta diebus et quadraginta » noctibus super terram : et superferebatur arca [2]. » Attende iterum quomodo narratione augeat terrorem, et aggravet factum. « Factum est enim, inquit, diluvium qua» draginta diebus et quadraginta noctibus, et multiplicata » est aqua, et elevavit arcam, et exaltata est a terra : » et invaluit aqua, et multiplicata est valde super ter» ram, et superferebatur arca super aquam : aqua au-

[1] 1 Cor. IV, 17. — [2] Gen. VII, 17.

» tem invalescebat valde vehementer super terram [1]. »

VI. Vide quomodo diligenter narrat magnam aquarum vim, et quotidianum exundantium illarum incrementum. « Invalescebat enim aqua, inquit, valde vehementer: et » occupavit omnes montes excelsos, qui erant sub cœlo. » Quindecim cubitis in sublime exaltata est aqua, et » operuit omnes montes [2]. » Merito ordinavit benignus Dominus claudi arcam, ut ne videret Justus quæ fiebant. Nam si nos post tot annorum numerum, et post tot sæcula audientes duntaxat Scripturæ narrationem, metu et stupore corripimur, quid verisimile est Justum illum fuisse passurum, siquidem oculis vidisset intolerabilem illam abyssum? Quomodo enim potuisset vel ad breve tempus resistere? Annon statim primo aspectu defecisset anima illius tota? et tam grave ac molestum spectaculum ferre ultra non potuisset? Cogita namque hic, dilecte, quomodo nunc cum parvus imber ingruit, in angore sumus, et de universo, deque ipsa quodammodo vita desperamus. Quid igitur verisimile erat Justum illum tunc fuisse passurum, si ad tantam sublimitatem vidisset exaltatas aquas? « Super » montes enim, inquit, quindecim cubitis exaltata est » aqua. » Recordare igitur hic, dilecte, verborum Domini, quando dicebat: « Non permanebit spiritus meus in homi- » nibus istis, eo quod ipsi sunt carnes [3]. » Et iterum: « Cor- » rupta est terra, et impleta est terra injustitia [4]. Et, « Vi- » dit Dominus terram, et erat corrupta: quia corruperat omnis caro viam suam [5]. » Itaque quia communi et integra purificatione orbis indigebat, et opus erat ab eo omnem maculam ablui, et omne fermentum prioris malitiæ sustolli, et neque vestigium malitiæ relinqui, sed quasi elementorum renovationem quamdam fieri: sicut bonus

[1] Gen. VII, 18. — [2] Ibid. 19, 20. — [3] Id. VI, 3. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 12.

artifex, si quando videt vas aliquod inveteratum a rubigine quasi consumi, injecto eo in ignem, id curat ut quidquid habet rubiginis deponat, et transformatum in pristinum decorem reducat; ita et Dominus noster totum orbem hoc diluvio purgavit, et a malitia hominum, ut ita dicam, et a coinquinatione et corruptione multa liberavit, et denuo ejus restituta facie, pulchriorem fecit, ita ut non permiserit vel vestigium prioris deformitatis relinqui. «Exaltata est, inquit, super montes quindecim »cubitis aqua.» Non abs re narrat hæc Scriptura, sed ut discamus non solum homines, jumenta, quadrupedes, reptilia submersa fuisse, sed et volucres cœli, et quæcumque in montibus degebant, feras dico, et alia bruta animalia. Idcirco dicit: «Exaltata est super montes quinde»cim cubitis aqua:» ut discas sententiam Domini opere impletam; dixerat enim: «Adhuc septem dies, et inducam di»luvium super terram, et delebo omnem substantiam, quam »feci, a facie terræ, ab homine usque ad pecus, et a reptili»bus usque ad volatilia cœli[1].» Hæc nobis a Scriptura narrantur, non tantum ut sciamus in quantam altitudinem aquæ pervenerint, sed ut simul videamus nullum omnino animal, vel feram, vel jumentum relictum esse, sed omnia cum humano genere deleta. Quoniam propter ipsum omnia producta erant, unde abolendo eum, merito et hæc abolenda erant. Postea ubi docuit nos in quantam altitudinem accreverit aquarum natura, nempe quod alta montium cacumina quindecim cubitis transcenderit, solitam suam diligentiam servans dicit: «Et mortua est omnis caro, »quæ movebatur super terram, volatilium et jumen»torum, et ferarum, et omne reptile quod movebatur »super terram, et omnis homo, et omnia quæ habent spi»ritum vitæ, et quicumque erat super aridam, mortuus

[1] Gen. VI, 7.

» est [1]. » Neque hoc simpliciter et absque causa dixit : « Et »omnis qui erat super aridam : » sed ut te doceat omnes quidem periisse, Justum autem solum cum omnibus iis, qui in arca erant, servatum esse. Nam isti secundum mandatum Domini, relicta arida, arcam conscenderant. « Et de»levit omne surgens quod erat super faciem omnis terræ, » ab homine usque ad pecus, et reptilia, et volatilia cœli, »et deleta sunt de terra [2]. » Vide quomodo et semel et iterum atque sæpius communem omnium interitum doceat factum, et quod nihil viventium effugerit, sed sub aquis suffocatum sit omne tam hominum, quam brutorum genus. « Et relictus est, inquit, solus Noë : et qui cum illo »in arca. Et exaltata est aqua super terram centum quin»quaginta diebus. » Tot diebus, inquit, mansit sublimis illa aquarum altitudo. Iterum etiam hic cogita Justi magnanimitatem et excellentem fortitudinem. Quid non passus est animo concipiens, ac propemodum mente videns corpora hominum et jumentorum, mundorum et immundorum, communem mortem sustinentia, et simul commixta, nullamque in omnibus discrimen. Præterea quid passus est, quando apud se recogitabat solitudinem, vastitatem, vitam illam doloribus plenam, omni solatio undique destitutam, neque colloquio, neque aspectu jucundam : cum non plane sciret quanto tempore ferenda esset illa in carcere vita? Quandiu enim strepitus aquarum, et æstus erant, timorem in illo quotidie crescentem generabant. Quid enim jucundi suspicari ipse poterat, qui videbat centum quinquaginta dies aquas in eadem copia manentes, et in altum sublatas ne minimum quidem subsidere? Verumtamen ferebat fortiter, sciens Domini omnipotentiam, et ipsum utpote Conditorem naturæ omnia pro libito facere, et transformare, neque ægre ferebat quod illic, esset

[1] Gen. VII, 21, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid. 24.

versandum. Nam Dei gratia roborabat illius alacritatem, et sufficientem præbebat consolationem, neque sinebat labi mentem, et cogitare aliquid aut parum virile, aut minus generosum. Quia enim prius quod suum erat adhibuerat, nempe virtutis diligentiam, justitiæ vigorem, fidei excellentiam; deinde magna cum ubertate assecutus est ea, quæ a Domino suppeditabantur; nimirum patientiam, fortitudinem, facultatem omnia mansuete ferendi, sustinendique arcæ inhabitationem citra damni corruptionisque sensum, neque bestiarum convictum fastidiendi.

VII. Illum igitur Justum, obsecro, imitemur et nos, operamque demus ut afferamus quæ nostra sunt, ut dignos nos ipsos paremus iis, quæ a Deo dantur. Nam idcirco expectat occasiones ex nobis, ut multam exhibeat liberalitatem. Itaque ne propter desidiam privemus nos illius donis, sed festinemus et urgeamus, ut principium apprehendamus, et viam quæ ad virtutem inducit, ut superno adjuti subsidio, etiam ad finem pervenire valeamus. Neque enim possibile est bonum aliquod nos recte agere non adjutos superna gratia. Igitur tales simus, qui appendamus nos in spem, quæ in Deum est, quasi in anchoram aliquam tutam et stabilem, et ne ad laborem virtutis respiciamus, sed considerantes retributionem, quæ laborem sequitur, leviter omnia feramus. Siquidem negotiator si quando ex portu egressus in medium maris venerit, non jam piratas, non naufragia, non marinas belluas, non ventorum incursus, et continuas tempestates, et multa infortunia cogitat solum, sed etiam lucra sibi obventura, cum illa effugerit: speque fultus, omnes prædictas ærumnas facile excipit, ut auctis opibus suis domum redeat. Et agricola non agriculturæ tantum labores cogitat, et imbres, et terræ sterilitatem, ac rubiginis incursum, locustarumque damna, sed et aream, et manipulos animo secum describens, fortiter

fert omnia, et præ bonorum expectatione neque labores sentit, quamvis incertæ spes sint; verumtamen spe meliori pascitur, nec renuntiat laboribus, sed omnia, quæ ad se pertinent, afferens, expectat ut aliquando laborum accipiat mercedes. Et miles quoque, qui assumit arma, et in prælium egreditur, non cogitat vulnera tantum, cædes, et hostium incursus, aliasque ærumnas; sed etiam victorias, et triumphos sibi præfingens, omni armatura se munit: et cum incertus valde sit exitus, et damna immineant, repulsis iis omnibus ex animo, ac bona spe proposita, ponit omnem torporem, et acceptis armis, contra hostium aciem properat. Igitur, dilecti, si negotiator, et miles, et agricola, ubi et incerta spes, et plures frustrationes, atque impedimenta, sicut audistis, multa et varia, non ita reformidat labores, ut a meliori propterea spe desistat: quali nos venia digni erimus ita negligentes ad capessendam virtutem, et non omnem laborem sponte subeuntes, cum tam secura nostra spes sit, tantaque bona nobis reposita, ac præmia et mercedes omnia, quæ a nobis recte geruntur, multis partibus superent? Audi igitur beatum Paulum, post tantas et tales afflictiones, et ad tribunalia abductiones, et carceres, et mortes quotidianas, dicentem: « Non sunt con» dignæ passiones præsentis temporis ad futuram gloriam » in nobis revelandam [1]. » Etiamsi quotidie, inquit, morti nos exponeremus, id quod natura non capit, licet mens vincens naturam, per benignitatem Domini coronetur, nihil, inquit, ferremus par tantis, quæ nos accepturos speramus, bonis, gloriæque in nobis revelandæ. Vide quanta gloriæ magnitudine fruantur virtutis asseclæ; ita ut illa gloria superet omnia quæcumque exhibere quis poterit: etiamsi ad culmen attingat, tunc quoque inferior erit. Quid enim tantum exhibere potest homo, quod certet cum Do-

[1] Rom. VIII, 18.

mini liberalitate? Quod si Paulus talis et tantus dicebat: « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram » gloriam quæ revelabitur in nobis. » qui alias dicit : « Quo- » tidie morior [1] ; » et rursus, « Plus omnibus laboravi [2] : » quid nos dicemus, qui neque vulgarem laborem pro virtute suscipere volumus, sed remissam vitam sectamur, et hoc unum cavemus, ne quid triste nobis accidat, quamvis sciamus non esse possibile aliter assequi beatitudinem cœlestem, nisi per præsentes afflictiones ad eam prius anhelemus? Afflictiones enim id nobis conciliant, ut Deo grati simus; et hic vel parum laborare, illic nobis magnam fiduciam præbet, dummodo velimus secundum consilium illius Magistri orbis ambulare. Considera, dilecte, licet tristia sint, quæ accidunt, esse tamen temporanea: bona vero, quæ illic suscepturi sumus, immortalia esse et æterna. « Quæ enim » videntur, inquit, temporalia sunt: quæ autem non viden- » tur, æterna [3]. » Feramus ergo fortiter hæc temporalia, neque desistamus a virtutum studiis, ut æternis et semper manentibus bonis fruamur, quæ nobis omnibus concedantur gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Cor. xv, 32. — [2] Ibid. 10. — [3] 2 Cor. iv, 18.

HOMILIA XXVI.

Et recordatus est Deus Noë, et omnium bestiarum, et omnium jumentorum, et omnium volatilium, et omnium reptilium, quæcumque erant cum illo in arca. Et adduxit Deus spiritum super terram, et cessavit aqua [1].

I. Magna et ineffabilis Dei benignitas, excellensque ejus bonitas ex jam lectis ostenditur, quam non solum erga rationale hoc animal, hominem dico, sed et erga brutorum animalium naturam declaravit. Nam cum omnium sit Conditor, erga omnia, quæ a se sunt condita, suam ostendit bonitatem : per omnia nobis notum faciens, quantam humani generis curam gerat, ac se omnia olim et ab initio propter salutem nostram fecisse. Itaque etsi puniat, etsi in nos animadvertat, ex eadem bonitate sua hæc et illa facit. Non enim vel affectione vel ira pœnam infert : sed malitiam excindere vult, ne ultra progrediatur. Quia et nunc, sicut auditis, diluvium ob nihil aliud induxit, quam ut curam ageret eorum, qui iniquitati se dediderant. Et qualis, inquies, cura hæc, omnes aqua suffocari ? Ne temere loquaris, homo, sed grato animo accipe ea, quæ a Domino sunt facta, et scies hoc etiam esse maximæ curæ argumentum. Nam eos, qui sic incurabiliter peccant, et quotidie vulnera sibi infligunt, et ulcera sibi omni cura superiora inferunt, ex tanto malo liberasse, nonne summæ erat prudentiæ ? Et ipse puniendi modus, nonne omni benignitate plenus est ? Eos enim, qui alioquin naturæ de-

[1] Gen. VIII, 1.

bitum soluturi erant, sic pœnæ loco vitam deponere, ut ne sensum quidem mortis haberent; sed absque doloris cruciatu supplicium subirent, quantæ non fuerit sapientiæ et bonitatis? Quin si quis animo pio expendat factum, non solum nempe iis, qui puniti sunt, beneficia esse collata, sed et posteris, qui duo maxima inde perceperunt bona; tum quod iisdem in malis non sint involuti; tum quod ex hujusmodi factis cautiores et temperatiores evaserint; quantam gratiarum actionem pro illis Deo non debeant? Etenim posteri pœna illorum, et metu, ne eadem quæ illi paterentur, meliores facti sunt : ac præterea omne malitiæ fermentum sublatum, et nullus relictus fuit eis malitiæ et iniquitatis magister. Vides quomodo et pœnæ et supplicia beneficia sint, et Dei erga hominem providentiam declarent? Et si quis velit hæc a primis et ab initio enumerare, inveniet omnes pœnas hac de causa peccatoribus intentatas. Nam et Adam peccantem non puniens tantum, sed et beneficio prosequens paradiso ejecit. Et quale dicis beneficium, etiam paradisi vita excidisse? Ne simpliciter attendas ad ea, quæ geruntur, dilecte, neque obiter quæ a Deo fiunt addiscas, sed profundum illius bonitatis intuere, et invenies omnia eadem de causa ab ipso fieri. Dic enim mihi, si Adam, postquam sic transgressus est, iisdem adhuc frui potuisset, quo non excidisset? Nam si, tantis promissis acceptis, serpentem deceptorem audivit, et insidias admisit, quas per eum diabolus intulit, spe videlicet obtinendæ æqualitatis cum Deo inflans, atque in prævaricationis peccatum illum injiciens; si in eadem dignitate ac vitæ ratione mansisset, quomodo non multo fide digniorem putasset malignum illum dæmonem, quam rerum omnium Conditorem, deque se sublimiora, quam dignitas sua ferebat, animo concepisset? Etenim talis hominum natura est, ut si quando peccans non refrenatur, sed

secure agit, ulterius procedens in præceps feratur. Alia tamen via possum ostendere quod, clementiam præ se ferens, Adamum paradiso jusserit excedere, et mortis pœnæ fecerit obnoxium : nam ejectione et propinqua habitatione castigatiorem, et in posterum securiorem faciens, reipsa docuit quantus deceptor fuerit dæmon. Mortis autem supplicium propter hoc intulit, ut ne posthac per inobedientiam peccato obnoxius effectus, perpetuo peccaret. Non videntur tibi hæc esse maximæ clementiæ, et ejicere a paradiso, et pœna mortis plectere? Possum autem et aliud præterea afferre : qualenam hoc? Hanc indignationem illi inferendo, non apud ipsum duntaxat beneficia collocavit, sed et posteros ipsius exemplo corrigere voluit. Nam si, postquam hæc evenerant, is qui ex eo natus est, Caïn inquam, qui præ oculis videbat patrem ex paradiso ejectum, ineffabilem illam gloriam amissam, maledictionem illam miram, quæ dicebat : « Terra es, et in » terram abibis [1]; » melior factus non est, sed gravioribus se involvit malis : si non vidisset quæ patri contigerant, in quam non pervenisset insaniam? Et quod sane admiratione fuerit dignum, illum etiam, qui talia peccavit, et nefario homicidio dextram polluit, puniens, misericordia pœnam miscuit.

II. Et ut manifeste scias divinæ bonitatis, quæ et isti exhibita est, magnitudinem : tum quidem cum Deum gravi contumelia afficeret offerendo sacrificium, et magnum præ se ferendo contemptum; non enim dividebat juste, sed offerebat simpliciter et absque delectu; nihil vel grave vel molestum adversus illum locutus est Deus, quamvis peccatum ipsum non esset parvum et vulgare, sed valde magnum. Nam si ii, qui congeneres homines honorari volunt, prima et præcipua illis tribuunt, illaque offerre maxime

[1] Gen. III, 19.

student, quæ omnibus pretiosiora sibi videntur : quomodo hominem Deo offerentem, non oportebat Deo pretiosiora et præstantiora offerre? Igitur cum tantum peccaret, et tantum præ se ferret contemptum ille, Deus tamen non petivit pœnam, neque pro factis supplicium exegit : sed quasi amicus amico, cum omni lenitate loquens, sic dixit: « Peccasti, quiesce [1]. » Peccatum duntaxat illi indicavit, et consuluit ne ulterius progrederetur. Vidisti bonitatis excellentiam? Sed quia ille non solum nihil ex tanta patientia lucrifecit, sed et graviora primis adjecit, atque ad fratris necem properavit; Deus quidem in eum adhuc magnam ostendebat lenitatem, interrogans prius et dans illi satisfactionis locum : sed quia mansit impudens, tunc pœnam intulit ei, emendationis gratia, quæ etiam ipsa multum habebat misericordiæ admixtum. Vides quomodo Deus, quando in ipsum peccavit, peccatumque non vulgare, dimisit ei : quando autem in fratrem armavit dextram, maledictum intulit et increpavit? Sic nunc et nos faciamus, imitemurque Dominum nostrum; et si quid in nos peccatum fuerit, veniam demus, et remittamus iis, qui in nos deliquerunt : quando autem in Deum peccatum refertur, tunc pœnas exigamus. Sed nescio quî fit ut omnia secus faciamus; omnino peccata, quæ ad Deum pertingunt, inulta esse sinimus : si quis autem parum quid in nos peccaverit, ejus graves sumus ultores et accusatores, ignorantes nos ea ratione misericordem Dominum magis exacerbare. Quod enim mos sit Deo sæpe dimittere quæ in se peccata fuerint, verum quæ in proximum, ea cum magna severitate exquirere, audi beatum Paulum dicentem : « Si quis uxorem habet infidelem, et ipsi gra-» tum fuerit cohabitare illi, non dimittat illam. Et si qua » mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare

[1] Gen. IV, 7.

» cum illa, non dimittat illum [1].» Vidisti quanta ibi indulgentia? Etiamsi Gentilis fuerit, etiamsi infidelis, probet autem cohabitationem, non refugiat. Et iterum : « Etsi » Gentilis fuerit mulier, etsi infidelis, vultque cohabitare, » non repellat. Quî scis, inquit, mulier, num virum sal- » vatura sis? aut quî scis, vir, num mulierem salvaturus » sis [2]?» Vide quomodo non prohibet infidelem quempiam vel quampiam in contubernii legem assumi. Audi iterum ipsum Christum dicentem Discipulis : « Dico enim vobis, » omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornica- » tionis, facit illam mœchari [3].» Ingens benignitas, etiamsi infidelis fuerit vel gentilis, si consenserit, retine. Si autem in te peccaverit, et pactorum obliviscatur, aliorumque prætulerit consortium, licet tibi illam ejicere et repellere. Hæc cogitantes, studeamus etiam Domino propter hanc in nos benevolentiam pariter referre, et sicut ipse vult dimittere ea, quæ in se peccata sunt; quæ autem in nos, ulciscitur, idque magna severitate : eodem sane modo et ipsi faciamus; quæcumque in nos peccant proximi, remittamus; quæ autem contra Deum, ea magno studio curemus ulcisci. Quod et nobis proderit plurimum, et eos, qui corriguntur, non parum juvabit. Fortassis hodie prolixius justo proœmium fecimus. Sed quid agam? hoc præter sententiam mihi contigit, verborum fluxu rapto. Quoniam autem omnis sermo noster de diluvio est, opus nobis erat charitati vestræ ostendere pœnas, a Deo nobis illatas, misericordiæ magis esse, quam pœnæ : sic quoque erat et diluvium. Nam sicut benignus erga filios pater, omnia ob curam in genus nostrum facit. Ut autem ex iis, quæ nunc proposita et hodie lecta, discatis benignitatis illius magnitudinem, audiamus ipsa divinæ Scripturæ verba. Nam quia heri docuit nos beatus Moses, dicens,

[1] 1 Cor. VII, 12, 13. — [2] Ibid. 15, 16. — [3] Matth. V, 32.

« Exaltata est aqua super terram diebus centum quinqua-» ginta : » et eo usque docendo processimus ; hodie ait : « Et » recordatus est Deus Noë, et omnium ferarum, et om-» nium jumentorum, et omnium volatilium, et omnium » reptilium, quæcumque erant cum illo in arca [1]. »

III. Vide hic iterum quam se attemperet nostræ infirmitati divina Scriptura. « Et recordatus est, inquit, » Deus. » Dilectissimi, intelligamus hæc ut dignum est de Deo intelligere, ac ne secundum naturæ nostræ infirmitatem hæc crassa verba intelligamus. Nam quantum ad ineffabilem illam naturam attinet, indignum fuisset hoc verbum : quantum autem ad nostram imbecillitatem, apposite est dictum. « Recordatus est, inquit, Deus Noë. » Quoniam narravit nobis in jam dictis, sicut prius charitati vestræ diximus, quadraginta diebus et totidem noctibus fuisse pluviam, et diebus centum quinquaginta eamdem mansisse aquam, quindecim cubitis super montes exaltatam : et cum hæc fierent, Justum resedisse in arca, neque aërem spirare valentem, habitantibusque cum eo brutis universis ; idcirco inquit : « Et recordatus est Deus Noë. » Quid est, « Recordatus est? » Misertus est, inquit, Justi in arca agentis : misertus est ejus in tanta angustia et rerum difficultate constituti, ignorantisque quandonam molestiæ illæ finem habituræ essent. Considera hic, quæso, quales tunc illius fuerint cogitationes post quadraginta dies et quadraginta noctes, quibus impetu magno pluviæ ingruebant; cum videret diebus centum quinquaginta in eadem altitudine manere aquas, neque omnino desistere, et quod multo gravius, neque oculis videre potuit ea, quæ facta sunt; sed inclusus, cum non posset unquam oculis assequi quanta essent mala, majorem sustinebat dolorem, gravioraque quotidie suspicabatur. Ego vero admiror quo-

[1] Gen. VIII, 1.

modo præ tristitia non fuerit absorptus, cum mentem illius subirent humani generis interitus, sua solitudo et difficilis illa vita. At causa bonorum omnium illi fuit sua in Deum fides, per quam et restitit, et omnia fortiter tulit, cumque spe pasceretur, nihil triste sentiebat. Quoniam igitur quod suum erat præstitit, tam patientiam monstrando, quam multam fidem afferendo, necnon miram fortitudinem præ se ferendo, vide quanta sit Dei erga ipsum benignitas. « Et recordatus est, inquit, Deus Noë. » Non simpliciter et absque causa dixit : « Et recordatus est : » sed quia prius divina Scriptura declaraverat nobis testimonium de Justo illo, dicens : « Ingredere in arcam, quia » te vidi justum in generatione hac [1]; » eapropter nunc inquit : « Et recordatus est Deus Noë, » hoc est, testimonii quod de illo perhibuerat, neque multo tempore neglexit Justum, sed distulit, quandiu ille ferre potuit, et tunc ei suum beneficium et gratiam impartitus est. Nam sciens infirmitatem nostræ naturæ, siquando permittit tentationem inferri, eo usque sinit, quousque scit nos posse sustinere : ut et retributionem, quæ nostræ congruat fortitudini, tribuat, et suam misericordiam declaret : sicut et Paulus inquit ; « Fidelis autem Deus, qui non sinet vos » tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione » proventum, ut ferre possitis [2]. » Quoniam igitur Justus ille fortitudinem et patientiam præ se ferebat, sua in Deum fide arcæ sedes et tædia sustinens, propter hoc inquit, « Et recordatus est Deus Noë. » Deinde ut discas abyssum divinæ misericordiæ, addidit divina Scriptura : « Et om- » nium ferarum, et omnium jumentorum, et omnium vo- » latilium, et omnium reptilium, quæcumque erant cum » illo in arca. » Vide quomodo omnia in honorem hominis facit. Nam sicut cum hominibus, qui diluvio perierunt,

[1] Gen. VII, 1. — [2] 1 Cor. X, 13.

omne brutorum animalium genus perdidit : ita hic suam erga Justum illum misericordiam declarare volens, in honorem ejus, suam etiam bonitatem ac curam in bruta et feras, et volatilia et reptilia usque extendi voluit. « Et re» cordatus est, inquit, Deus Noë, et omnium ferarum, » et omnium jumentorum, et omnium reptilium, quæ» cumque erant cum illo in arca. Et adduxit Deus spiri» tum super terram, et cessavit aqua.» Recordatus, inquit, Noë, et omnium, quæ cum illo erant in arca, præcepit aquæ impetum detineri, ut paulatim suam commonstraret benignitatem; et postea Justum respirare curaret, et a turbatione cogitationum liberatum in tranquillo statu constitueret, concesso et lucis usu et aëris respiratione. « Et adduxit Deus, inquit, spiritum super terram, et » cessavit aqua. Et obtecti sunt fontes abyssi et cataractæ » cœli [1]. » Vide quomodo more humano loquitur nobis omnia : « Obtecti sunt, inquit, fontes abyssi et cataractæ » cœli, et cohibita pluvia cœli.» Quasi diceret placuisse Domino ut iterum in sua regione manerent aquæ, neque ultra exundarent, sed paulatim desinerent. « Et cedebat » aqua vadens de terra, et minuebatur aqua post cen» tum quinquaginta dies [2]. » Quæ ratio poterit hoc unquam comprehendere ? Esto, stetit pluvia, cohibiti fontes non amplius exundabant, et cataractæ cœli cohibitæ sunt : aqua tanta quomodo desiit? Omnia abyssus erant : quomodo igitur tantus aquarum fluxus subito minor factus est? Quis hoc humana ratione invenire poterit unquam ? Quid igitur dicendum ? Dei præceptum est quod facit omnia.

IV. Ne igitur nos curiosius exploremus quomodo, sed tantum credamus ; nempe jussit, et exaltata est abyssus : præcepit, et iterum suum continuit impetum, et ad pro-

[1] Gen. VIII, 2. — [2] Ibid. 3.

prium concessit locum, quem solus ipse Dominus scit, qui condidit. « Et sedit, inquit, arca mense septimo, »vicesima septima mensis super montes Ararat. Aqua »autem decrescebat usque ad decimum mensem : et ap»paruerunt cacumina montium in decimo mense, prima »mensis [1].» Vide quam repente facta mutatio, et quanta simul aquarum natura desierit, ut supra montes arca resideret. Quæ supra dixerat Scriptura, quindecim cubitis super montes exaltatam fuisse aquam, nunc dicit sedisse arcam super montes Ararat, et paulatim postea aquam usque ad decimum mensem decrevisse, et tandem decimo mense visa fuisse cacumina montium. Considera, quæso, Justi constantiam, quomodo durare potuerit tot mensibus, qui quasi in tenebris erat inclusus. « Et factum est, »inquit, post quadraginta dies, aperuit Noë fenestram ar»cæ, quam fecerat, et emisit corvum, ut videret num »cessasset aqua [2]. » Ecce Justus ille nondum per se audet respicere, sed corvum mittit, ac per illum discere vult an bona rerum mutatio aliqua sit expectanda. « Et egres»sus, inquit, non rediit, donec siccaretur aqua a terra [3].» Adjecit Scriptura verbum hoc, « donec, » non quod postea redierit, sed idioma est Scripturæ divinæ. Et hanc consuetudinem sæpe quis inveniet, possentque multa talia inveniri, ac in medium afferri : sed ne omnia a nobis discentes negligentiores evadatis, vobis relinquimus, ut Scripturam scrutemini, et inveniatis ubinam proprietatibus et idiomatibus hujuscemodi utatur. Jam autem operæ-pretium fuerit ut dicatur causa quare non redierit hæc avis. Fortassis avis illa, uti est immunda, cum desiissent aquæ, incidit in cadavera hominum et brutorum, quibus, invento sibi congruenti cibo, insedit. Quod etiam ipsum non parvum bonæ spei argumentum fuit Justo. Alioqui

[1] Gen, VIII, 4, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7.

enim, nisi consolationem invenisset aliquam, reversa utique fuisset. Atque ut hoc esse verum scias, postea Justus, meliore spe concepta, emittit columbam, avem mitem et familiarem, quæ miram præ se fert mansuetudinem, et quæ nonnisi seminibus pasci solita, ex puris est avibus. « Et emisit, inquit, columbam a se, ut videret num » cessasset aqua a facie terræ. At columba, non inventa re- » quie pedibus suis, rediit ad ipsum in arcam, quia aqua » erat super omnem faciem terræ [1].» Par est ut hic disquiramus quomodo cum supra dixerit Scriptura sancta cacumina montium fuisse visa, nunc dicit columbam, non inventa requie, ad ipsum in arcam rediisse, quia aqua erat super omnem faciem terræ. Diligenter legamus quid sit dictum, et sciemus causam. Non enim simpliciter dixit : « Non inventa requie : » sed apposuit, « pedibus suis, » ut doceat nos, tametsi desierant ex parte aliqua aquæ, et cacumina montium apparuerant, adhuc tamen, ob abundantiam aquarum, etiam montium cacumina limo plena fuisse. Et ideo columba nondum stare, neque convenientem sibi cibum invenire valens, reversa est, reditu suo docens Justum esse adhuc magnam aquarum copiam. « Et » extenta, inquit, manu accepit illam, et introduxit » illam ad se in arcam [2]. » Vidisti quanta avis mansuetudo, quomodo rediens Justum docuit, ut aliquantisper adhuc longanimitatem exhiberet? « Ideo et cum sustinuisset, » inquit, adhuc septem dies, emisit columbam ex arca, » et reversa est ad ipsum columba ad vesperam, et habuit » folium olivæ surculum in ore suo [3].» Non absque ratione, neque temere adjunxit : « ad vesperam : » sed ut discamus eam tota die pastam fuisse, et invento sibi convenienti cibo, ad vesperam rediisse, in ore ferentem surculum olivæ. Tale quippe animal est, mite, et nostra fami-

[1] Gen. VIII, 8, 9. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 10, 11.

liaritate gaudens; et idcirco rediit, et olivæ surculo multum solatii Justo attulit. Sed dixerit fortasse aliquis : Et ubinam invenit folium olivæ? Totum hoc factum est dispensatione divina, et quod columba invenerit, et quod ore receperit et ad Justum reversa sit. Alioquin et arbor hæc semper virens est, verisimileque est, postquam aquæ regressæ sunt, arborem hanc adhuc habuisse foliorum comam. « Et ut expectavit, inquit, adhuc septem alios dies, » emisit columbam, et non adjecit ut ad illum rediret [1]. » Vide quomodo Justus in omnibus consolationem idoneam accipiat. Nam ut bona spe recreatus est cum rediret, et olivæ folium in ore ferret : ita et nunc cum egressa non redit, maximum illi indicium fuit eam sufficientem invenisse refocillationem, et aquas in universum desiisse. Et hoc ita esse audi ex sequentibus. « Et factum est, in- » quit, in uno et sexcentesimo anno vitæ Noë, primo » mense defecit aqua a facie terræ. Et aperuit Noë tectum » arcæ quod fecerat, et vidit quod defecit aqua a facie » terræ [2]. »

V. Iterum hic me stupor invadit, ut admirari cogar Justi hujus virtutem, et Dei clementiam. Quomodo enim, quæso, post tantum tempus, ut se aëri commisit, et oculos ad cœlum spectandum intendit, non captus est oculis et excæcatus? Probe namque scitis hoc contingere hominibus solere, etiam ad parvam dici partem in tenebrosis caliginosisque locis agentibus, cum subito in lucis fulgorem aspicere volunt. Justus autem ille anno integro, et tot mensibus in arca, quasi in tenebris agens, etiam nunc repente viso lucis jubare, nihil tale expertus est. Dei enim gratia erat, et patientia ab eo illi concessa, quæ etiam corporis sensus firmiores reddiderat, et potentiores quam qui a corporalibus necessitatibus vincerentur. « In mense au-

[1] Gen. VIII, 12. — [2] Ibid. 13.

» tem secundo arefacta est terra, vicesimo et septimo die » mensis [1]. » Non absque ratione tantam diligentiam adhibet divina Scriptura, sed ut discamus usque ad primum diem anni illius consummationem dilatam fuisse, quo monstraretur Justi patientia, et totius orbis purgatio fieret. Deinde postquam quasi a sorde quadam abluta est omnis creatura, et deposuit omnem maculam, quam ex humana contraxerat malitia, faciesque ei pura reddita est, tunc denique præcipit ut Justus ex arca exeat, liberque a gravi illo carcere fiat, et inquit: « Dixit Dominus Deus ad Noë: » Egredere tu, et uxor tua, et filii tui, et uxores filiorum » tuorum tecum: et omnes bestiæ quæcumque sunt tecum, » et omnis caro a volatilibus usque ad pecora, et omne rep- » tile quod movetur super terram educ tecum, et crescite » et multiplicamini super terram [2]. » Expende hic Dei bonitatem, quomodo per omnia Justum consolatur. Nam quia imperavit illi ut exiret ex arca ipse, et uxor, et filii, et uxores filiorum, et bestiæ omnes: ut ne et istuc ipsum mœrorem aliquem ei afferret, et anxium relinqueret cogitantem quomodo in solitudine esset futurus, tantam terræ latitudinem solus inhabitans, nullo jam alio vivente: ideo postquam dixit: «Egredere ex arca, et educ omnia tecum:» addit: «Crescite et multiplicamini super terram.» Vide quomodo Justus ille denuo supernam accipit benedictionem, quam ante transgressionem acceperat Adam. Nam sicut quando ille formatus est, audivit: « Et benedixit eis Deus, » dicens: Crescite et multiplicamini, et dominamini ter- » ræ [3]: » ita et huic nunc dicitur: » Crescite et multiplica- » mini super terram. » Quippe sicut ille origo et radix fuit omnium, qui nati sunt ante diluvium: ita et Justus hic fermentum quoddam, origo, et radix est omnium, qui post diluvium fuere: et hinc postea humanæ constitutionis prin-

[1] Gen. VIII, 14. — [2] Ibid. 15-17. — [3] Id. I, 28.

cipium factum est. Creatura quoque omnis suum accepit ornatum, terra ad ferendos fructus idcona facta est, aliaque omnia, quæ propter hominis ministerium sunt condita. «Et egressus est Noë, inquit, et uxor illius, et filii illius, » et uxores filiorum illius cum eo; et omnes bestiæ, et om- » nia pecora, et omne volatile, et omne reptile quod move- » tur super terram juxta genus suum exierunt ex arca[1]. » Postquam accepit mandatum a Domino et benedictionem dicentem : « Crescite et multiplicamini, » exiit ex arca cum aliis omnibus. Et posthac in tota terra solus vivebat Justus ille cum uxore, et filiis, et uxoribus illorum. Mox autem ut egressus est, suum declarans gratum animum, tam pro iis, quæ præterierant, quam quæ futura erant, gratias Domino agebat. Verum si placet, ne sermo sit longior, reservemus in diem posterum quæ ad gratum Justi animum pertinent, missum hic facientes sermonem: et obsecrantes vestram charitatem, ut continuo Beatum istum in memoria vestra geratis, et illius virtutis pulchritudinem bene discatis, quo eum imitemini. Animadverte enim, obsecro, quantus virtutis illius thesaurus, quia cum per tot dies de illo disseruerimus, nondum finem imponere narrationi potuimus eorum, quæ ad illum attinent. Quid dico finem imponere? quantacumque dixerimus, non poterimus ad culmen pertingere: sed quamvis et nos et posteri, multa de illo dicere valeamus, non tamen ad finem pervenire poterimus. Tanta res est virtus. Si enim voluerimus, poterit hic universam nostram naturam instituere, et ad virtutis imitationem inducere. Nam si ille inter tot improbos versans, neque habens familiarem aliquem, in tantum virtutis fastigium pervenisse inventus est, quæ nostra erit excusatio, cum nec talia nobis sint impedimenta, et tamen negligentes simus ad bona opera? Nolo enim dicas mihi solam illam quin-

[1] Gen. VIII, 18-19.

gentorum annorum vitam, quando subsannabatur et irridebatur, versabaturque in medio flagitiosorum: sed et annum illum, quem totum in arca transegit, qui sane conferendus mihi videtur toti tempori superiori: tantam ibi afflictionem ferre cogebatur Justus ille, in tantis versans angustiis, neque respirare valens, et ferarum brutorumque convictum ferens: qui et in omnibus mentem suam solidam declarabat, et voluntatem flecti nesciam, et fidem erga Deum, per quam facile et leviter omnia sustinebat. Atque idcirco, quoniam quæ sua erant omnia afferebat, eorum etiam, quæ a Deo erant, abunde potitus est. Quamvis enim multam ferret in arca angustiam, attamen terribilem tempestatem, et communem omnium internecionem effugiebat. Et propterea post angustiam illam et intolerabilem carcerem, securitatem et quietem adeptus est una cum divina benedictione; iterumque gratum animum operibus indicavit, et ubique invenies illum prima contulisse. Nam sicut in prima ætate omnem virtutem sectatus est, et a vitiis se alienavit, quibus, qui tunc vivebant, infecti erant: unde neque pœnarum particeps fuit, et cum alii omnes submergerentur, ipse solus servatus est: ita rursus quia fidem quoque habuit, et cum gratiarum actione suam in arca habitationem tulit, iterum divina dona copiose illi concessa sunt. Et cum egressus ex arca, et in pristinum statum restitutus esset, statim benedictionem consecutus est, et iterum solitam præ se tulit grati animi probitatem, emissaque gratiarum actione etiam tunc majoribus beneficiis a Deo cumulatus est. Mos enim Dei est, ut si nos tenuia quædam et vilia obtulerimus, sed tamen obtulerimus, multa liberalitate nos remuneret. Et ut discas quanta sit humana tenuitas, quanta Dei magnificentia, hic mentem adhibe: nos enim, si quid voluerimus offerre, quid amplius offerre possumus, quam quantum verbis gratias referimus?

Ea sane quæ ipse exhibet, opere nobis præstat. Quam imparia autem sunt verba et opera? Et Dominus nullarum rerum indigus est, nullaque rerum nostrarum eget, præterquam verbis : atque hanc ipsam verbis prolatam gratiarum actionem exigit, non quod ea ipse opus habeat, sed ut nos doceat gratos esse, et agnoscere tantorum bonorum suppeditatorem. Et illam ob causam Paulus quoque scribens, dicebat: «Grati estote[1].» Nihil enim sic requirit a nobis Dominus, ut istuc ipsum. Proinde ne simus ingrati, neque dum reipsa beneficia experimur, gravemur offerre Domino verbis nostris gratiarum actionem: iterum enim lucrum in nos redundat. Quod si de primis grati fuerimus, præterquam quod majora nanciscimur, etiam fiduciam nobis magnam comparamus. Unum hoc, obsecro, singulis diebus et horis, si fieri potest, supputemus nobiscum, non communia tantum beneficia, quæ toti naturæ omnium Opifex contulit, sed et privata et quotidiana: quid dico privata et quotidiana? etiam ea, quæ ignorantibus nobis confert, proque his gratias agamus. Quandoquidem enim pro salute nostra sollicitus est, multa etiam in nos nescios beneficia confert, sæpe etiam e periculis eripit, atque alia beneficia præstat. Fons enim est clementiæ, sua fluenta semper humano generi profundens. Igitur si hæc cogitemus, operamque demus ut et pro primis suis donis gratias offeramus Domino, et pro futuris sic nos præparemus, ut non videamur indigni ejus beneficiis, statim vitam egregiam instituere, et malitiæ periculum effugere poterimus. Beneficiorum enim memoria idonea nobis est magistra ad vitam virtute præditam, non sinens nos in torporem oblivionemque incidere, et ad malum declinare. Mens enim sobria et vigilans, non solum cum feliciter res succedunt, sed etiam quando præter sententiam nostram adversa eveniunt, non

[1] Colos. III, 15.

minus gratias agit, nihiloque ex rerum vicissitudine remissior fit: sed magis roboratur, et ineffabilem Dei providentiam considerat, qui cum sit dives et sapiens, etiam per res adversas, quamvis hoc intelligere non possimus, suam declarare potest providentiam.

VI. Igitur sic et nos omnia nostra faciamus, ut qualitercumque cadant, unicum nostrum opus sit continuo pro illis gratias agere. Propter hoc enim rationales facti sumus, et a brutis differimus, ut laudemus, celebremus, glorificemus jugiter Dominum omnium conditorem. Eapropter et animam nobis inspiravit, et linguam dedit, ut ejus in nos beneficia sensu percipientes, dominium agnoscamus, et nos gratos exhibeamus, ac pro viribus Domino gratias agamus. Nam si homines, quibus eadem est natura nobiscum, cum parvum aliquando ac vile nobis beneficium præstiterint, exigunt a nobis gratiarum actionem, non quod nostrum curent gratum animum, sed ut ipsi inde celebriores fiant: quanto magis id nobis faciendum in iis, quæ a Deo accepimus, qui hoc solum ob nostram utilitatem vult fieri? Nam sicut, cum grati sumus hominibus, qui nobis benefecerunt, illos clariores reddimus: ita et si in benignum Deum fuerimus grati, nos ipsos illustriores facimus. Quoniam non ut nostra celebratione opus habens, hoc fieri vult: sed ut quidquid id lucri est, iterum ad nos redeat, et dignos faciamus nos ipsos majoribus subsidiis. Quamvis autem non possimus id facere, ut dignum est: quî enim hoc fieri posset, cum tam fragili naturæ alligati simus? Et quid dico humanam naturam? neque ipsæ incorporeæ, et invisibiles Virtutes, et Principatus, et Potestates, et Cherubim, et Seraphim, ut dignum est, celebrare illum possunt, etiamsi pro viribus gloriam illi offerant; nihilominus justum fuerit pro viribus gratiarum actionem offerre, et indesinenter celebrare Dominum nostrum, et per laudum voces, et per

vitam optimam. Ista enim est clarissima Dei celebratio, quando per innumeras linguas gloriam ipsi offerimus. Nam qui virtute præditus est, id efficit ut omnes qui intuentur eum, Dominum ejus laudent : et celebratio hæc ei, qui occasionem præbuit, magnam et ineffabilem Dei benevolentiam conciliat. Quid igitur nobis beatius foret, si non solum nostris linguis bonum Deum gloria afficeremus, sed et proximos quoque, ut nostro nomine eum celebrarent incitaremus? Tantum enim virtutis robur est, ut innumeris linguis Conditorem laudare queat. Nihil utique vitæ virtutis studiosæ comparari potest, dilecte. Unde et Dominus dicebat : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant » opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui est » in cœlis [1]. » Vidisti quomodo lumen, cum apparuerit, dispellat tenebras? ita et virtus, si conspicua fuerit, et malitiam fugat et erroris tenebras abigit, mentemque videntium excitat ad Deum celebrandum. Quocirca satagamus ut sic luceant opera nostra, quo et Dominus noster celebretur. Hæc autem dixit Christus, non ut ad ostentationem aliquid faciamus; absit : sed ut diligenter, et ut ipsi probatur, vitam agamus, non blasphemiæ cuipiam locum concedentes, sed id efficientes, ut bonis operibus in laudem Dei prorumpant omnes qui nos vident. Tunc enim, tunc ipsius nobis gratiam majorem conciliabimus, et pœnam effugere, bonaque ineffabilia adipisci poterimus, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul et spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. v, 16.

HOMILIA XXVII.

Et ædificavit Noë altare Domino, et accepit de omnibus pecoribus mundis, et de omnibus volucribus mundis, et obtulit holocaustum super altare [1].

I. Vidistis heri clementis Domini bonitatem, quomodo ex arca Justum eduxit, ab ejus habitatione liberavit, ex illo tristi ac molesto carcere eripuit, et patientiam illius remuneravit, dicens : « Crescite et multiplicamini [2]. » Discamus hodie quam benevolus, et quam gratæ animæ fuerit Noë, unde ipse multo uberiorem Dei erga se benevolentiam sibi conciliaverit. Nam solet Deus, cum aliquem videt qui gratus sit de prioribus, largius et cumulatius sua dona in illum profundere. Demus igitur et nos operam, ut gratiarum actiones pro virili Domino offeramus pro donis, quæ ab eo pridem nobis præstita sunt, ut et majora inde consequamur, et nunquam obliviscamur Dei beneficia in nos collata ; sed semper ea in mente nostra versemus, ut ad continuam gratiarum actionem eorum memoria compellamur, tametsi tot sint, ut mens nostra non sufficiat ad comprehendendum et enumerandum magnam, quæ nobis contigit ex ejus liberalitate, copiam. Quomodo enim quis cogitare posset ea, quæ in nos jam sunt collata, quæ item promissa, quæ et quotidie conferuntur : quod ex nihilo produxerit ut essemus, quod corpus et animam dederit, quod rationales nos formaverit, quod aërem respirationi concesserit, quod creaturam omnem propter humanum genus produxerit,

[1] Gen. VIII, 20. — [2] Ibid. 17.

quod ipse quidem ab initio voluerit hominem in paradiso vitam agere citra omnem dolorem et laborem, et nihil minus habentem Angelis et incorporeis illis Virtutibus, existentem in corpore, sed et corporalibus necessitatibus non obnoxium? Deinde quando ob negligentiam deceptione diabolica per serpentem allata supplantatus fuit, neque sic destitit prævaricatori benefacere : sed et per illa ipsa, per quæ punierat, sicut heri diximus, excellentem suam humanitatem declaravit, atque multas alias innumerasque beneficiorum species in illum collocavit. Et postea procedente tempore et crescente genere, ac in omnem malitiam vergente, quia videbat incurabilia esse vulnera, nequitiæ operatores, quasi fermentum quoddam malum delevit, relicto Justo illo, qui radix et origo fieret generis humani. Et vide iterum quantam erga Justum illum declaret liberalitatem; totum humanum genus ab eo et filiis ejus instauravit, et in tantam multitudinem excrescere curavit, paulatimque justos eligens, Patriarchas dico, præceptores, dedit reliquo hominum generi, qui sua virtute omnes nos instituere, et quasi medici ægrotantes curare possint. Et modo eos in Palæstinam, modo in Ægyptum deducit, simul et servorum suorum patientiam exercens, et suam virtutem clariorem monstrans, mansitque semper eodem modo humanæ salutis curam gerens. Exhibuit Prophetas, et per illos signa et prodigia edidit. Atque, ut brevius dicam, quemadmodum enim maris fluctus, quamvis sexcenties id conemur, enumerare nunquam poterimus; ita neque beneficiorum Dei, quæ in nostram contulit naturam, varietatem. Tandem ubi vidit post tantam suam providentiam adhuc multa et ineffabili misericordia indigere humanum genus, et nihil plus fecisse vel Patriarchas, vel Prophetas, vel signa admirabilia, vel pœnas, vel admonitiones illas frequentissime adhibitas, et captivitates illas sibi invicem succe-

dentes : quasi miseratus genus nostrum, misit ad nos animarum corporumque medicum, unigenitum suum Filium, ex paternis, ut ita dicam, sinibus excitans : voluit suscepta servi forma e Virgine nasci [1], et nobiscum conversari, et omnia nostra ferre, ut genus nostrum peccatis oppressum jacens a terris in cœlum subvehere possit. Et hoc obstupescens tonitrui Filius, consideransque dilectionis divinæ excellentiam, quam erga genus nostrum declaravit, clamabat et dicebat : « Sic enim Deus dilexit mundum [2]. » Vide quanto miraculo plena hæc dictio : « Sic » ait, rei magnitudinem expendens, quam dicturus erat : propterea ad hunc modum exorsus est : « Sic dilexit. » Dic igitur nobis, beate Joannes, quomodo « Sic? » dic mensuram, dic magnitudinem, doce nos excellentiam. « Sic enim dilexit Deus mundum, » ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in » illum, non pereat, sed habeat vitam æternam [3]. » Vidisti causam adventus Filii hanc esse, ut per fidem in illum ii, qui perituri erant, salutis occasionem invenirent? Quomodo quis mente conceperit magnam et admirabilem illam, et quæ omnem rationem vincit, liberalitatem, quam naturæ nostræ per donum baptismi concessit, omnium peccatorum nostrorum data remissione? Sed quid dicam? neque mens sufficit, neque sermo valet cætera enumerare. Nam quantumvis dixero, multo plura dictis prætereo. Jam quis pœnitentiæ viam cogitaverit, quam humano generi nostro ob ineffabilem misericordiam suam concessit, et post baptismi gratiam, mirabilia illa mandata, per quæ, si velimus, poterimus ejus nobis gratiam conciliare?

II. Vidisti, dilecte, abyssum illius beneficiorum? Vidisti quanta enumeraverimus, sed nondum parvam eorum partem dicere potuimus? Quomodo enim humana lingua quæ a Deo nobis collata sunt pertractare posset? At licet illa

[1] Philip. II, 5. — [2] Joan. III, 16. — [3] Ibid.

tanta ac talia sint, multo majora et ineffabiliora sunt beneficia, quæ in futuro sæculo per virtutum viam incedentibus, et hinc migrantibus daturum se promisit. Quorum magnitudinem ut paucis verbis nobis commendaret beatus Paulus, inquit : « Quæ oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præparavit » Deus iis, qui diligunt se [1]. » Vidisti dona excellentia? vidisti beneficia illius omnem humanam cogitationem transcendentia? Dicit enim : « In cor hominis non ascenderunt. » Si igitur volumus illa animo revolvere, et pro viribus nostris gratias agere, poterimus multo majorem illius gratiam nobis conciliare, et ad virtutem magis idonei fieri. Memoria enim beneficiorum Dei sufficiens est, quæ ad virtutum labores nos adhortetur, et præparet ut præsentia omnia despiciamus, et ut ei, qui tanta in nos beneficia contulit, adhæreamus, amorem in illum singulis diebus auctum exhibentes. Hinc etenim Beatus iste tantam Dei gratiam et honorem sibi conciliavit, quia de prioribus gratias reddidit. Sed ut manifestior nobis ille sermo fiat, operæ-pretium est ut initium eorum, quæ hodie lecta sunt, charitati vestræ proponam. Nam postquam ex arca exivit secundum mandatum Domini cum filiis, et sua uxore, et uxoribus filiorum suorum, et omnibus feris et volatilibus, et post egressum accepit a Deo benedictionem illam tantum sibi afferentem solatii, his verbis : « Crescite et multiplicamini, » docens nos Scriptura Justi gratum animum, dicit : « Et ædificavit Noë altare Domino, et accepit de omnibus pecoribus mundis, et de omnibus volatilibus mundis, et obtulit » holocaustum super altare [2]. » Diligenter considera, charissime, ex præsentibus verbis, quomodo in natura nostra omnium Conditor insevit certam virtutis scientiam. Unde enim, dic, oro, Justo illi hoc in mentem venisset? Nullus

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Gen. VIII, 20.

erat alius quem videret. Sed sicut in principio, Abel ille primi hominis filius a seipso commonitus, magna diligentia oblationem perfecit [1] : sic utique nunc et Justus ille, sua voluntate et arbitrio sano, quantum humanis viribus potuit, utque faciendum putavit, Domino per sacrificia gratiarum actionem retulit. Et vide quanta sapientia exequitur omnia. Neque enim splendido opus habebat ædificio, neque templo, neque domo quapiam admirabili, neque alio quovis. Sciebat enim, sciebat utique Dominum mentem solam requirere ; et extructo tumultuaria opera altari, cum accepisset quædam ex animalibus mundis, et ex avibus mundis, holocaustum obtulit, gratamque suam voluntatem, quanta potuit facultate, ostendit; quam approbans misericors Deus, et voluntatem coronavit, et iterum suam liberalitatem erga illum declaravit. Dicit enim Scriptura : « Et odoratus est Dominus odorem fragrantiæ [2]. » Vide quomodo animus offerentis fumum, et nidorem, et omnem, quæ inde nascitur, insuavitatem multa fragrantia implevit. Idcirco et Paulus scribens dicebat : « Bonus odor Christi » sumus in iis, qui salvantur, et in iis, qui pereunt : et iis » quidem odor mortis in mortem, illis autem odor vitæ in » vitam [3]. Odorem fragrantiæ : » ne offendaris verbo crassiore : sed hujus verbi attemperatam rationem tuæ infirmitati ascribens, intellige hinc acceptam fuisse Deo oblationem Justi. Ut enim per res ipsas sciatur Dominum nullius indigere, et propter nihil aliud hæc fieri permisisse, quam ut homines ad gratum animum adduceret ; propterea concessit ut igni consumerentur, ut ex iis quæ fiunt, discant ii, qui offerunt, omnia propter eorum utilitatem fieri. Quare autem, dic, quæso, hæc fieri omnino permittit ? et in hoc nostræ infirmitatis habetur ratio. Quia enim homines paulatim a vero Dei cultu defecturi erant, et sibi deos

[1] Hebr. xi, 4. — [2] Gen. viii, 21. — [3] 2 Cor. ii, 15, 16.

cooptaturi, quibus sacrificia immolarent, prius voluit ut sibi dona offerrentur : quo vel sic depelleret a pernicioso errore eos, quibus inde periculum imminebat. Et ut intelligas hæc omnia concessa fuisse ob nostram infirmitatem, attende quomodo postea, tempore procedente, voluerit circumcisionem pro lege statui, non quod ad animæ salutem perficere hæc possit aliquid, sed ut hoc grati animi indicium, quasi signum et sigillum circumferrent Judæi, et ne liceret eis commisceri gentium congressibus.

III. Hinc beatus Paulus signum hoc vocat, dicens : « Et » signum dedit circumcisionis, sigillum [1]. » Nam quod ad justitiam nihil conducat, ecce et hic Justus, nondum statuta circumcisione, ad eamdem pervenit virtutem. Et quid dico ? Ipse patriarcha Abraham, priusquam circumcisionem acciperet, fide sola justificatus est. Nam ante circumcisionem, inquit : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est » illi ad justitiam [2]. » Quid igitur superbis, Judæe, in circumcisione ? Disce ante hanc fuisse justos multos. Etenim Abel fide oblationem fecit, quemadmodum et Paulus dicit : « Fide » uberiorem hostiam obtulit Abel Deo, quam Caïn [3], » et « Enoch translatus est [4], » et Noë ob multam justitiam tempestatem illam gravissimam effugit. Et Abraham ante hanc ob suam in Deum fidem celebratus fuit. Sic ab initio per fidem humanum genus salutem assecutum est. Sane propterea permisit benignus Dominus sacrificia sibi offerri, ut quoniam natura nostra imperfectius se habebat, simul et suam gratam voluntatem declarare, et idolorum perniciosum cultum effugere possit. Nam si cum tantum nobis indulserit Deus, multi tamen a ruina sibi non caverunt : si hoc non fuisset factum, quo pacto quis damnum hoc effugisset ? « Et odoratus est Dominus Deus odorem fragan- » tiæ. » At non ita est de ingratis Judæis : sed quomodo ?

[1] Rom. IV, 11. — [2] Ibid. 3. — [3] Hebr. XI, 4. — [4] Ibid. 3.

audi Prophetam dicentem : « Thymiama in abominationem »mihi est [1] : » quasi ostendat voluntatis offerentium malitiam. Quemadmodum enim hic Justi virtus fumum et nidorem fecit odorem fragrantiæ : sic apud illos offerentium nequitia, bene olens thymiama in abominabilem odorem convertit. Igitur ubique studeamus, quæso, mentem afferre incorruptam. Hæc enim causa est omnium bonorum. Bonus enim Dominus non consuevit attendere ad ea, quæ a nobis fiunt, sed ad internam mentem, a qua ut hæc faciamus impellimur, et ad hanc spectans vel approbat ea, quæ a nobis fiunt, vel aversatur. Itaque sive precemur, sive jejunemus, sive eleemosynam faciamus ; ipsæ enim sunt spirituales nostræ hostiæ; sive aliud spirituale quoddam opus faciamus, hoc faciamus bona mente incitati, ut et laboribus dignam referamus coronam. Esset enim perabsurdum laborem nos sustinere, et mercede fraudari, siquidem non secundum leges ab illo nobis datas virtutem exercemus. Fieri autem potest, ob magnam Dei benignitatem, ut opere nondum completo, coronam quis accipiat a sola pia mente. Et ut hoc discas, adverte, obsecro, hoc in eleemosyna. Nam si quando vides jacentem in foro, et extrema inopia detentum, et condoles, ac mente in cœlum sublata gratias agis Domino, tum propter ea, quæ tibi concessa sunt, tum propter inopis patientiam : etiamsi non possis explere et sedare illius famem, propter bonum propositum, consummatam recipies mercedem. Et ea de causa Dominus quoque dicebat : « Si quis potum dederit calicem »aquæ frigidæ tantum in nomine Discipuli, amen dico vo»bis, non perdet mercedem suam [2]. » Numquid poculo aquæ frigidæ tenuius ? sed animus pius mercedem inde sibi conciliat : hoc et in opposito inveniemus. Operæ-pretium enim est ut de iis loquamur charitati vestræ, quo vobis hæc

[1] Isaï. i, 13. — [2] Matth. x, 42.

accurate scientibus probitatis tutamen comparetis. Audi enim quid dicat Christus : « Qui respicit mulierem ad con-» cupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo[1].» Vides et hic iterum malam mentem sequi condemnationem, et ob inconsideratum intuitum, quasi completum esset adulterii opus, pœnam inferri? Itaque cum hæc sciamus, undique mentem nostram bene muniamus, ut per eam fiant accepta quæ facimus. Nam si fumum et nidorem vertit in odorem fragrantiæ, quid non e spirituali nostro faceret cultu, et quantam non gratiam cœlitus nobis procuraret? « Et odoratus est, inquit. Dominus Deus odorem » fragrantiæ. » Vidisti quæ fecerit Justus, quomodo, quantum ad externum spectaculum pertinet, rem parvam : quantum autem ad animum, permagnam? Attende autem deinceps immensam clementis Domini bonitatem. « Et dixit » Dominus Deus in mente sua : Non adjiciam ultra ut » maledicam terræ propter opera hominum, quia incumbit » mens hominis intente in mala opera a juventute. Non igi-» tur adjiciam, ut percutiam omnem carnem viventem, si-» cut feci, omnibus diebus terræ[2]. »

IV. Magnum beneficentiæ pondus, ingens clementiæ magnitudo, ineffabilis tolerantiæ exuperantia. « Et dixit » Dominus Deus in mente sua.» Illud « In mente sua, » iterum humano more dicit, et quasi naturam nostram respiciens : « Non adjiciam ultra ut maledicam terræ propter opera » hominum. » Et homini, qui primus formatus est, dicebat, cum illi malediceret : « Spinas et tribulos germinabit tibi[3]: » Et Caïno similiter. Quia autem nunc communem omnium invexerat interitum, ut consolationem det Justo et fiduciam ei addat, ne forte cogitet apud se : « Quæ utilitas datæ benedictionis? » et quod dixerit : « Crescite et multiplica-» mini; » si iterum ubi multiplicati fuerimus, pereundum

[1] Matth. v, 28. — [2] Gen. VIII, 21. — [3] Id. III, 18, et IV, 12.

sit nobis? Nam olim et Adamo dixerat : « Crescite et » multiplicamini [1] : » et supervenit tamen diluvium. Ut ergo ne cogitando secum talia in perpetuo angore esset, vide benignitatem Domini. « Non adjiciam, inquit, ultra male- » dicere terræ propter opera hominum. » Vide quomodo declaravit se propter horum malitiam maledictionem terræ invexisse. Deinde ut ne putemus ipsum ideo hanc promissionem fecisse, quia ipsi jam in melius se converterant, inquit : « Quia incumbit mens hominis intente » in mala opera a juventute. » Rara benignitatis species. « Quia, inquit, incumbit mens hominis diligenter in mala » opera a juventute : » propter hoc; « Non ultra adjiciam » ut maledicam terræ. » Ego enim, inquit, quæ ad me pertinent, semel atque iterum exhibui. Quia autem video malitiam ita increscere, promitto me non ultra maledicturum terræ. Deinde ostendens suæ benignitatis magnitudinem, subjunxit : « Non adjiciam igitur ultra ut percutiam » omnem carnem viventem, sicut feci, omnibus diebus. » Vide, obsecro, quantam consolationem affert Justo : imo non Justo tantum, sed et propter suam bonitatem etiam universo hominum generi post illum futuro. Nam quod dicit : « Non adjiciam igitur ut percutiam omnem carnem » viventem : » et quod addit : « Sicut feci ; » item illud : « Om- » nibus diebus ; » declarat nobis non ultra tale diluvium venturum esse, neque tantam perniciem unquam totum orbem invasuram esse. Deinde etiam indicat beneficentiæ suæ perpetuitatem. « Omnibus, inquit, diebus, » hoc est; in omne sæculum promitto me non inducturum hujusmodi indignationem, neque facturum tantam confusionem nec in tempestatum ratione, nec in elementorum situ. Ideo subdit : « Sementis et messis, frigus et æstus, æstas et » ver die ac nocte non requiescent [2]. » Immobilis, inquit,

[1] Gen. I, 28. — [2] Id. VIII, 22.

erit hæc ordinatio · terra nunquam desinet suppeditare quæ hominum generi necessaria, neque cessabit proferre laborum et agriculturæ præmia, neque anni partes aliis conversionibus mutabuntur : sed et frigus et calor, et æstas et ver in unoquoque anni circulo erunt. Nam quia per diluvii tempus fuit confusio quædam totius istius ordinis, et Justus ille in arca erat toto illo tempore quasi continua nocte, ideo nunc inquit : « Neque nox, neque dies suum relinquent cursum, sed ad usque sæculi consummationem immotum illorum permanebit ministerium. » Vidisti dignam consolationem, quæ potuit Justi animum erigere ? vidisti qualem retributionem acceperit Justi probitas ? Sed et ex sequentibus iterum audi ineffabilem liberalitatem. « Et benedixit, inquit, Deus Noë, et filios illius. Et dixit eis : » Crescite et multiplicamini. Et implete terram, et dominemini ei. Et tremor timorque vestri erit super omnes » bestias terræ, et super omnes volucres cœli, et super » omnia quæ moventur super terram, et super omnes pisces maris : in manus vestras omnia dedi. Et omne reptile quod est vivens, vobis erit in cibum. Quasi olera herbarum dedi vobis omnia. Verumtamen carnem in sanguine » animæ ne comedatis [1]. » Dignum est ut hic admiremur excellentem Domini bonitatem. Vide enim hic quomodo Justus ille iterum eamdem benedictionem consequitur, quam olim Adam, et ereptum recuperat principatum virtute sua, imo ineffabili Domini clementia. Nam sicut de illo dicebat : « Crescite et multiplicamini, et dominamini » terræ, et imperate piscibus maris, et reptilibus, et volatilibus, et feris [2] : » sic nunc inquit : « Et tremor et timor » vestri erit super omnes bestias terræ, et super omnes volucres. Et omne reptile quod est vivens, vobis erit in cibum : quasi olera herbarum dedi vobis omnia. Verumta

[1] Gen. IX, 1-4. — [2] Id. I, 28.

» men carnem in sanguine animæ ne comedatis. » Attende eamdem regulam, aliter servandam tamen eam, quæ primo homini data fuit : sicut enim tunc, postquam ei traditum est dominium in omnia, ut frui posset omnibus, quæ erant in paradiso, abstinere tantum ab unico ligno jussus est : ita et hic post benedictionem, et postquam terribilis factus est bestiis, et sub manu ejus positæ sunt aves et volatilia, inquit : « Omne reptile vivens vobis erit in cibum : ut olera » herbarum vobis dedi omnia. » Hinc initium ductum est edendarum carnium : non ut ipsos ad ventris ingluviem paret et instruat, sed quia ex ipsis homines erant sacrificaturi, et Deo gratias acturi, ut ne viderentur quasi a consecratis abstinere ; idcirco edendi facultatem concedit et multam dat utendi licentiam. « Quasi olera herbarum vo- » bis dedi omnia. » Dein sicut Adam cæteris fruens lignis, jussus est ab uno abstinere : ita hic dictum est cum illi omnia ad esum libere sumenda permissa essent : « Verum- » tamen carnem in sanguine animæ ne comedatis. » Quid est caro in sanguine animæ ? hoc est, suffocatum. Bruti enim anima sanguis est.

V. Quia igitur sacrificia perfecturi erant ex brutis, hoc fere modo docet illos dicens : « Quia sanguis mihi segregatus est, vobis caro. » Hoc autem ideo facit, ut primis illis temporibus comprimat illorum impetum et propensionem ad homicidia. Et quod hoc sit verum, nempe quod hinc eos magis pios reddere voluerit, audi quæ sequuntur. « Etenim vestrum sanguinem, inquit, animarum vestra- » rum, exquiram eum de manu omnium bestiarum. Et de » manu hominis fratris exquiram animam hominis [1]. » Quid ergo ? Anima-ne hominis sanguis est ? Non hoc dicit ; absit : sed humana consuetudine usus est, ac si quis dicat alicui : Sanguinem tuum porto in manibus meis : hoc est, potes-

[1] Gen. IX, 5.

tatem habeo interficiendi te. Nam quod anima hominis non sit sanguis, audi Christum dicentem : « Ne timueritis » ab eis, qui occidunt corpus, animam autem occidere non » possunt [1]. » Et vide quantam distinctionem fecerit. « Qui » effuderit, inquit, sanguinem hominis, pro sanguine ejus » sanguis ipsius effundetur : quia in imagine Dei feci ho- » minem [2]. » Cogita, obsecro, quantum terrorem hoc verbo incussit. Etsi quod ejusdem naturæ sit, inquit, non te avocat, neque a tam perverso conatu repellit naturæ communio : sed si, commiseratione fraterna depulsa, totus in hoc facinus prorumpis, cogita eum ad imaginem Dei formatum esse, et quantis eum Deus dignatus sit prærogativis, et quod omni creatura præfectus sit, ac quiesce a mala voluntate. Quid ergo si innumeras quis patraverit cædes, et tantum sanguinis effuderit, quomodo dignam dabit pœnam effuso solo suo sanguine ? Non hoc considera homo, sed intellige eum tale non multo post accepturum corpus incorruptibile, quod poterit continuam et æternam pœnam ferre. Illud item perpende, quam diligenter præceptum sit : nam de homine inquit : « Ne effundas sanguinem : » de brutis autem non dixit : « Ne effundas, » sed, « Verumta- » men carnem in sanguine animæ ne comedatis. » Illic dicit : « Ne effundas ; » hic, « Ne comedas. » Vides quam nihil molestum habeant ejus leges ? quomodo levia et facilia mandata ? quomodo nihil grave neque onerosum requirit a nostra natura ? Dicunt enim aliqui brutorum sanguinem, gravem, terrestrem, et multarum ægritudinum causam : at nos non propter prædictum sermonem magis ad philosophiam accommodatum, sed propter Domini mandatum id observare debemus. Deinde ut discamus quare tam diligenter hoc præceptum statuit, nempe ut cohiberet hominum sanguinarium animum, dicit : « Vos autem crescite,

[1] Matth. x, 28. — [2] Gen. ix, 6.

» et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ei[1].» Non temere, et absque causa dixit : « Vos autem, » sed quasi diceret : « Vos qui pauci, et parvo numero estis, omnem terram implete, et dominamini ei : hoc est, dominium habete, et potestatem, et fructum.» Vide, obsecro, Dei benignitatem, quomodo prius magna beneficia donat, et tunc unicum et leve mandatum dat. Et sicut Adamo, postquam concessit ut habitaret in paradiso, et tot ac tantis frueretur, tandem præcepit ut ab unico ligno abstineret : ita et hic postquam promisit non ultra talem se illaturum generalem stragem, neque ita se indignaturum, sed usque ad consummationem mundi immota permansura omnia elementa, ita ut quæque suum cursum et ordinem impleant ; et postquam ipsi benedictionem sunt consecuti, donatique pristina super bruta omnia potestate, ac carnium esu secure permisso, tunc inquit : « Verumtamen carnem in » sanguine animæ ne comedatis. » Vidisti quomodo prius benignitate ac ineffabili liberalitate utitur, et tunc demum præcipit ? tametsi nunquam istud inter homines fieri soleat. Homines enim primum volunt ea, quæ præcipiunt, opere compleri, eosque, qui mandata excipiunt et exequuntur, magnam exhibere benevolentiam, ac tunc utique cogitant de remunerandis iis, qui multam obedientiam præ se tulerint. Contra vero communis omnium Dominus : prius enim benefacit, et multitudine beneficiorum nostram naturam ad se allicit, et postea imperat facilia atque levia, ut facilitate mandatorum et beneficiis prioribus excitati, ad ea implenda inducamur. Ne igitur negligentes simus, dilecti, neque pigri ad mandata implenda, beneficia priora cogitantes, et mandatorum facilitatem, præmiorumque post impleta mandata promissam magnitudinem : sed vigilemus, et festinemus ad exequenda mandata a Deo ne-

[1] Gen. IX, 7.

bis tradita, et ne dimittamus vias, quas ad perficiendam animarum nostrarum salutem præscripsit, sed tempore vitæ nostræ, quod reliquum est, bene utamur, et peccata abluamus, et magnam nobis fiduciam prius acquiramus, maximeque nunc cum adhuc residua est quadragesimæ pars.

VI. Neque enim parvus est dierum numerus qui restat, si voluerimus parumper resipiscere. Hoc autem dixi, non quod solum tanto tempore opus habeat peccatorum nostrorum correctio, sed quia Dominum habemus clementem et benignum, qui non indiget multo tempore; si modo cum magno fervore et vigilantia ad ipsum accedamus, rejectis sæcularibus curis omnibus, et superno auxilio nixi. Nam et Ninivitæ tanta peccatorum multitudine aggravati, quia magnam et veram pœnitentiam egerunt [1], non opus habuerunt ampliore quam trium dierum tempore ad provocandam Dei bonitatem, et irritam reddendam, quæ adversum se lata erat, sententiam. Et quid dico, Ninivitæ? latro in cruce neque uno die opus habit [2]. Et quid dico, die uno? neque brevi hora; tanta est Dei erga nos benignitas! Nam ubi viderit voluntatis nostræ firmum propositum, et ferventi nos desiderio ad se accedere, non tardat, neque differt; sed accelerat, suamque solitam liberalitatem exhibens, dicit: « Adhuc loquente te dicam: Ecce adsum [3]. » Itaque exauditurus est et nos, si voluerimus in paucis diebus istis studii specimen quoddam afferre, et jejunii subsidio non abuti, atque excussa socordia continuis precibus placare Dominum, fervidas profundere lacrymas, delicta nostra sedulo confiteri, quasi medico proponere nostra vulnera, et animarum ulcera declarare, nec abjicere quam ille dat medicinam, nec non et alia, quæ a nobis exiguntur, afferre; contritionem cordis, compunctionem veram, largam eleemosynam; affectiones, quæ mentem nostram in-

[1] Jon. III, 10. — [2] Luc. XXIII, 43. — [3] Isaï LVIII, 9.

terturbant, refrenare, et ex anima eliminare : ita ut neque divitiarum cupiditate expugnemur, neque injurias illatas vindicare cupiamus, neque hostiliter in proximum affecti simus. Nihil enim, nihil utique omnium Deus ita odit et aversatur, ut hominem ultionis avidum, et in animo suo perpetuas adversus proximum servantem inimicitias. Tantum enim ejus peccati damnum est, ut misericordiam Dei revocet, nec locum habere sinat. Quod ut sciatis, evangelicam vobis parabolam refero, quomodo ille decem millium talentorum debitor, remissionem omnium a domino consecutus sit, procidit et oravit. « Misericordia enim » motus, inquit, dominus ejus, etiam debitum ei remisit [1]. » Vidisti misericordiam domini ? Ille procidit, et rogavit ut longius sibi tempus præfiniretur. « Patientiam habe in » me, inquit, et omnia tibi reddam [2]. » Sed bonus Dominus, misericors, nostrique curam agens, supplici propitius, non solum quantum petiit, sed quantum, ne cogitare quidem ausus fuit, dedit. Is enim ejus mos est, ut vincat, et præveniat petitiones nostras. Illo itaque orante ut severitatem dominus remitteret, et promittente soluturum se omnia, Dominus bonitate sua vincens nostra delicta, misericordia motus, dimisit eum, debitumque totum ei remisit. Vidisti quid servus oraverit, et quantum ei dominus dimiserit ? vide e diverso et servi insolentiam : cum deberet enim, secundum tantam benignitatem et ineffabilem beneficentiam sibi exhibitam, et ipse erga proximum bene affectus esse, contrario prorsus modo se gessit. Egressus enim, inquit, ille qui decem millium talentorum remissionem assecutus erat. Audite, obsecro, diligenter ; quæ illi acciderunt, sufficiunt ad corripiendas animas nostras, et ad persuadendum ut tollatur gravis ille morbus e mente nostra. » Hic igitur, inquit, egressus invenit unum e con-

[1] Matth. XVIII, 27. — [2] Ibid. 26.

» servis suis, qui debebat sibi centum denarios [1]. » Vide quantum interest. Hic conservus debebat centum denarios, illic dominus erat qui repetebat decem millia talentorum : nihilominus, quia vidit supplicantem et orantem, dimisit. « At iste apprehensum servum suffocabat, dicens : Redde » mihi si quid debes [2]. » Quid igitur ? « Procidens, inquit, con- » servus ejus [3]. » Vide quomodo subinde Evangelista verbum, « Conservus, » versat, non temere, sed ut discamus illos pares omnino fuisse. Verumtamen conservus ei supplicabat eodem modo, quo ille antea domino, dicens : « Patien- » tiam habe in me, et omnia tibi reddam [4]. » Ille autem, in- » quit, egressus, conjecit illum in carcerem, donec omne debitum sibi numeraret [5]. » O animum summe ingratum ! adhuc recenti memoria tenebat quanta dominus liberalitate secum egerat, neque sic aliqua commiseratione motus est : sed prius quidem suffocabat, nunc vero in carcerem conjecit.

VII. Cæterum vide quid sequatur. « Ut viderunt, inquit, » conservi illius, contristati sunt [6]: » et ut venerunt ad dominum suum, rem omnem declararunt. Non ille quidem qui ita male affectus erat; quomodo enim potuisset, in carcerem conjectus ? sed alii conservi, et qui nulla injuria affecti, quasi injuria affecti, ita mœsti erant, dominumque adeuntes, rem narraverunt. Jam vide domini indignationem. Tunc accersito eo, inquit, dicit : « Serve nequam. » Vere hic videre licet quam perniciosum sit injuriarum reminisci. Quoniam cum decem millia talenta exigebat, non ocavit eum malum : sed nunc cum conservo crudelis fuit : « Serve nequam, inquit, omne debitum remisi tibi, » quia rogasti me [7]. » Vide quomodo declarat ingentem ejus malitiam. Num aliquid amplius fecisti ? inquit. Nonne pau-

[1] Matth. xviii, 28. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 30. — [6] Ibid. 31. — [7] Ibid. 32.

cula tantum verba dixisti, et suscepta petitione tua totum illud grande et immensum debitum remisi? « Nonne et te » misereri oportebat conservi tui, sicut ego tui misertus » sum [1]? » Qua dignus eris venia, si ego dominus tuus tantum pondus debitorum propter illa nuda verba dimisi : tu autem conservi tui, qui est ejusdem naturæ, non est misertus, neque inflecti potuisti, neque recordatus eorum, quæ a me concessa sunt, ullam commiserationem præ te tulisti, sed inhumanus fuisti et crudelis, conservique misereri noluisti? idcirco hic tandem reipsa disces quantorum tibi ipsi malorum auctor fueris. « Et iratus dominus ejus » tradidit illum tortoribus. » Vide et nunc ipsum irasci ob inhumanitatem erga servum, et tortoribus illum tradere : id quod prius non fecit, cum tot debitorum reus esset, nunc fieri jubet. « Tradidit enim illum tortoribus, donec » omne debitum redderet [2]: » donec, inquit, decem millia talenta, quæ jam remissa erant, dinumeraret. Magna et ineffabilis Dei clementia : cum ipse quidem debitum repeteret, ad nudas tantum preces totum remittit : cum autem in conservum videt crudelem et inhumanum, suam revocat liberalitatem, monstrans illi ex re ipsa quo pacto non tam illum, quam seipsum offendisset. Et sicut ille conservum in carcerem conjecit, donec debitum redderet : ita et ipse tortoribus traditur, donec quod debebat numeraret. Hæc autem non de talentis et denariis simpliciter dixit, sed de peccatis erat sermo et delictorum magnitudine, ut discamus nos quidem infinitorum peccatorum pœnas Domino debentes, propter ineffabilem illius misericordiam, remissionem ab ipso accipere. Si vero erga conservos et proximos, et eos, qui eamdem quam nos naturam sortiti sunt, crudeles et inhumani fuerimus, et quæ in nos commissa sunt non dimiserimus, sed pro re frivola molesti

[1] Matth. xviii, 33. — [2] Ibid. 34.

fuerimus; quantum enim interest inter centum denarios, et decem millia talenta; tantum et inter ea, quæ nos in Dominum, et ea, quæ congeneres in nos deliquerunt; tunc et nos in indignationem Domini incidemus, et ea, quæ jam antea dimissa erant, solvere iterum in tormentis cogemur. Porro ut diligenter discamus parabolam hanc, ob animarum nostrarum salutem a Domino adductam, audi quæ inferuntur : « Sic et Pater vester cœlestis faciet vobis, inquit, » si non unusquisque fratri suo remiseritis e cordibus ves- » tris delicta illorum [1]. » Magnum parabolæ lucrum, modo attendere voluerimus. Quid enim tantum poterimus dimittere, quantum nobis a Domino dimittitur? Et nos quidem si hoc voluerimus, conservis remittimus; ipsi vero a Domino remissionem accipimus. Et vide ut diligenter singula sunt dicta. Non enim dixit simpliciter : « Si non dimiseritis hominibus peccata, » sed : « Si non unusquisque fratri suo » remiseritis e cordibus vestris delicta illorum. » Adverte quomodo vult cor nostrum in quiete et tranquillitate esse, et mentem nostram a perturbationibus alienam, affectionibusque omnibus liberam, plurimumque nos erga proximum dilectionis studium declarare. Et alio quoque loco iterum dicentem audire licet. « Si dimiseritis hominibus » delicta illorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis [2]. » Ne igitur putemus, dum hoc facimus, nos alteri gratificari, aut magnum quoddam beneficium apud illum deponere. Nam ipsi sumus qui beneficio fruimur, et multum lucri inde nobis conciliamus : sicut etiam si hoc non fecerimus, omnino nihil eos lædere poterimus, nobis ipsis autem intolerabilem gehennæ pœnam paramus. Idcirco, obsecro ut cogitantes hæc, nunquam admittamus, ut eorum qui nos contristarunt, vel alias offenderunt, injuriæ reminiscamur, vel inimico animo erga illos afficiamur : sed considerantes

[1] Matth. xviii, 34. — [2] Id. vi, 14.

quanta hoc nobis afferat beneficia, et quantam apud Dominum fiduciam, et ante omnia, quod reconciliari cum iis, qui nos injuria affecere, peccatorum nostrorum absumptio quædam sit, festinemus et anhelemus ut paratum inde lucrum reputantes, tam officiosi in eos simus, qui nos offenderunt, quam sumus in eos, qui vere nobis benefaciunt. Nam si sapimus, non ita nobis prodesse poterunt, qui benevoli in nos sunt, et demereri cupiunt, ut istorum cultus et observatio divinum favorem nobis conciliabit, nosque sarcina peccatorum levabit.

VIII. Cogita, obsecro, dilecte, quanta sit hujus virtutis magnitudo, et disce vel ex præmiis, quæ propter illam universi Dominus promisit. Nam cum dixisset : « Diligite inimicos vestros, benedicite eis, qui persequuntur vos, orate pro calumniantibus vos [1] : » quia sublimia sunt præcepta, summumque verticem tangentia, inquit : « Ut efficiamini similes Patri vestro, qui in cœlis est : quia solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos [2]. » Vidisti quantum facultas fert humana, cui similis fiat, qui non solum non ulciscitur eum qui offendit, sed et pro eo orare studet? Ne igitur negligentia nostra talibus nos fraudemus bonis, et præmiis, quæ omnem sermonem transcendunt ; sed modis omnibus boni hujus operis nobis cura sit, cogaturque et erudiatur mens ut pareat Dei præceptis. Nam propterea hanc admonitionem et ego nunc feci, et parabolam in medium attuli; et quanta sit hujus boni operis magnitudo, et quantum inde lucrum nobis accrescat, ostendi, ut cum adhuc tempus est, si quis ex vobis est, qui alium habeat sibi infensum, operam det ut officiose reconcilietur. At ne quis mihi dicat : Semel atque iterum oravi, et non assensit ; si hoc sincere faciamus, non prius quiescamus, donec multa sedulitate victoriam

[1] Matth. v, 44. — [2] Ibid. 45.

adepti, illum nobis conciliemus, et a suis in nos inimicitiis abducamus. Numquid illi aliquid largimur? in nos transeunt beneficia : Dei favorem hinc assequimur, peccatorum nostrorum veniam consequimur, magnam apud Dominum fiduciam accipimus. Si hæc fecerimus, poterimus pura conscientia ad sanctam terribilemque hanc mensam accedere, et verba illa, quæ precationi inserta sunt, fideliter dicere. Sciunt initiati quid dicatur. Proinde uniuscujusque conscientiæ relinquo quomodo, mandato illo impleto, per illud terribile tempus hæc fidenter dicere possimus. Quod si negligentes fuerimus, quanta hinc nobis condemnationis causa, qui cum ea, quæ sunt dictis nostris contraria, faciamus, audemus temere verba precum pronuntiare, et majorem nobis ipsis ignem extruere, iramque Dei in nos provocare? Gaudeo et lætor, quia video vos tanta voluptate quæ dicimus audire, et plausu ostendere vos studere promptos esse, et ad dominici moniti adimpletionem paratos. Hæc enim animarum nostrarum medicina est, hoc vulnerum nostrorum pharmacum, hæc optima Deo placens via, hoc certissimum animæ Dei amantis indicium, suscipere omnia propter legem Domini, et a cogitationum infirmitate non retrahi, sed affectionibus imperare, animo versare beneficia nobis a Deo quotidie exhibita, et quantumvis conemur, vix minimam partem exponere poterimus eorum, vel quæ olim in nos collata sunt, vel quæ quotidie accipimus, vel quæ in futurum reposita sunt bona, si voluerimus mandata Domini opere complere. Igitur hinc exeuntes, istud imprimis agendum quique proponant, et quasi ad thesaurum maximum festinent, neque vel minimum differant. Etiamsi labore, vel inquisitione, vel longo itinere opus sit, etiamsi molestiæ multæ sint, omnia hæc auferamus impedimenta. Unica nobis cura sit, quomodo mandatum Domini adimpleamus, et obedientiæ nobis af-

feratur merces. Num ignoro grave et molestum videri ad eum, qui hostiliter in te affectus sit, abire, cumque eo stare et loqui ? At si mandati cogitaveris dignitatem et mercedis magnitudinem, et quo pacto non in illum, sed in te recurrant beneficia, omnia tibi levia facilia videbuntur. Hæc igitur in mentibus nostris versantes, consuetudinem nostram vincamus, piaque mente dominica mandata adimpleamus; quo et a Christo remunerari mereamur, gratia et misericordia bonitatis ejus, cum quo Patri, et sancto Spiritui sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXVIII.

Et dixit Dominus Deus ad Noë, et ad filios ejus cum eo, dicens : Ecce ego statuo testamentum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos, et omni animæ viventi vobiscum, tam in volucribus, quam in pecudibus, et omnibus bestiis terræ [1].

I. Heri proposita benedictione, quam consecutus est Noë a Domino; qui post egressum ex arca altare ædificavit, et oblatis in gratiarum actionem hostiis, gratum exhibuit animum, ulterius neque progredi, neque lectionem totam enarrare, neque quantam benignus Deus erga justum virum indulgentiam et sollicitudinem exhibuerit, ostendere potuimus : nam sermonem nostrum, quia longius excurrebat, celeriter succidimus, ut ne multitudine jam dictorum vestra memoria obrueretur, non sine jactura eorum, quæ dicenda erant. Non enim hoc solum nobis curæ fuit, ut multa diceremus, sed ut tanta, quæ

[1] Gen. IX, 8-10.

vobis facile sit mente capere, quo cum lucro hinc abire liceat. Nam si nos plura quam par sit dixerimus, et vos nihil inde lucri percipiatis, quæ utilitas? Scientes igitur nos propter vestram utilitatem hunc laborem suscipere, et sufficientem nos mercedem accepisse credere, si vestrum videamus profectum; et vos diligenter quæ dicuntur tenere in sinibus animi vestri reposita, continuo ea memorantes et ruminantes. Memoria enim olim dictorum faciet ut majori facilitate dicenda capere possitis, atque ita progressu temporis cæteros etiam docere. In hoc enim plane invigilamus et incumbimus, ut omnes vos perfecti et consummati sitis, et nihil eorum, quæ in divinis Scripturis continentur, vos lateat. Etenim eorum notitia, si vigiles sobriique esse volumus, et ad melioris vitæ frugem plurimum nobis conferet, alacrioresque ad virtutis labores efficiet. Nam cum doceamur omnibus Justis magnam apud Deum esse fiduciam, qui afflicti et tentati per totam vitam suam, patientiam et gratum animum declararunt, et sic præmia sunt adepti : quomodo non et nobis curæ erit, ut eamdem incedamus viam, quo et eadem præmia obtineamus? Ideo obsecro ut quotidie aliquid accedat boni operis, et crescat vestrum ædificium spirituale, ac bona opera, quæ olim fecistis, caute diligenterque custodiatis, et si qua adhuc desiderantur adjiciatis; ut sic in summum virtutis perveniatis fastigium, in nostram gloriam, in ædificationem Ecclesiæ, in honorem Christi. Sane ego videns inexplebile vestrum erga spiritualem doctrinam studium, etiamsi conscius sim magnæ meæ tenuitatis, non intermitto quotidie convivium ex divinis Scripturis apparare, et quæcumque Dei gratia propter suam benignitatem et vestram utilitatem suppeditaverit, vestris auribus proponere. Age igitur et hodie indicemus charitati vestræ eminentem Dei benignitatem, quam hu-

mano generi contulit, et ob id verba, quæ Deus ad Noë dixit, afferamus. « Et dixit Deus ad Noë, et filios illius. » Postquam benedixit illum et filios illius, et dixit : « Cres- » cite et multiplicamini, » et tradidit illis dominium super bruta omnia, potestatemque dedit hisce quasi oleribus herbarum vesci, nec non et mandavit ut carnes in sanguine non comedant : adhuc gerens curam Justi et posteritatis, beneficiisque nostrum genus ubertim afficiens, denuo majora adjicit beneficia et inquit : « Dixitque Do- » minus Deus Noë et filiis illius cum ipso, dicens : Ecce » statuo testamentum meum vobiscum, et semini vestro » post vos, et omni animæ viventi vobiscum a volucribus » et pecoribus, et omnibus bestiis terræ quæcumque sunt » vobiscum; et omnibus quæ egressa sunt ex arca, et sta- » tuam testamentum meum vobiscum. Et non morietur » ultra omnis caro ex aquis diluvii; nec erit ultra diluvium » aquæ, quod omnem terram corrumpat [1]. » Quia verisimile erat Justum illum adhuc in angore esse, et mentem illius formidine teneri, et siquando ingrueret parvus aliquis imber, futurum tristem et attonitum, quasi denuo talis tempestas mundum involutura esset, ideo ut et ipse fidere posset posteritasque omnis, optimus Deus probe sciens illum vel minimam rem turbare posse; nam præteritorum experientia ad formidinem inculiendam multum habet momenti. Itaque quia verisimile erat Beatum hunc parvam ob pluviam formidaturum, idcirco benignus Deus, quasi fiduciam illi adhibiturus, et ab omni formidine solutum, in magnam securitatem et jucunditatem inducturus, promittit ipsi se ejusmodi pœnam ultra non esse illaturum.

II. Et quidem pridem et ante benedictionem hoc promiserat dicens, quemadmodum audivistis : « Non adjiciam » ultra ut maledicam terram [2] » : etiamsi hominum malitia

[1] Gen. IX, 8-11. — [2] Id. VIII, 21.

increscat, non tamen ego humanum genus tali subjiciam pœnæ. Nam monstrando ineffabilem suam benignitatem, idipsum nunc denuo promittit, ut bene confidat Justus, nec cogitet apud se, ac dicat : « Cum olim benedictionem generi nostro dedisset, et ut valde multiplicaretur effecit, communem tamen illam omnium internecionem invexit.» Ut igitur omnem e cogitationibus illius tumultum expelleret, et certo constaret ipsi non fore ultra rem similem : « Quemadmodum, inquit, diluvium ex misericordia induxi, ut et malitia impediatur, neque ulterius progredi possit : ita et nunc eadem misericordia polliceor me id non ultra facturum, ut seposito omni mœrore, præsentem vitam transigatis. » Ideo dixit : « Ecce statuo testamentum meum,» hoc est, pactum ineo. Sicut in humanis negotiis, si quis promittit aliquid, pactum facit, magnam præbens securitatem : ita et bonus Dominus inquit : « Ecce statuo testa» mentum meum. » Et bene dixit : « Statuo, » pro eo, quod est : « Ecce ego instauro ea quæ ex peccatorum pernicie acciderant, et « Statuo testamentum meum vobiscum et cum » semine vestro post vos. » Vide clementiam Domini, quasi diceret : « Non tantum vobiscum statuo pactum ; sed et iis qui vos sequentur, stabilem et firmum fore pronuntio. » Postea ut suam declaret liberalitatem, inquit : « Et omni » animæ viventi vobiscum, a volatilibus et a pecoribus, » et omnibus bestiis terræ, quæcumque sunt vobiscum ex » omnibus, quæ egressa sunt ex arca : et statuam testamen» tum meum vobiscum, et non morietur omnis caro ultra » ab aqua diluvii, et non ultra erit diluvium aquæ, ut » corrumpat omnem terram. » Vidisti pactorum magnitudinem ? vidisti promissionum ineffabilem liberalitatem ? Considera quomodo benignitatem suam denuo usque ad bruta et feras extendat, et merito quidem. Quod enim sæpe dixi, hoc et nunc dico. Nam quia propter hominem

hæc producta sunt, ideo et illorum beneficiorum partem habent, quæ homini concessa sunt. Et videtur quidem commune esse pactum ipsi et brutis, sed non ita est. Nam et hoc ad hominis solatium factum est, ut scire possit in quanto sit honore, quod non solum in se collocentur beneficia, sed propter se in alia quoque animalia extendatur liberalitas Domini. « Et non morietur, inquit, » omnis caro ultra ab aqua diluvii, et non erit ultra dilu- »vium, ut corrumpat omnem terram. » Vidisti quomodo et semel et iterum et sæpius polliceatur se non ultra immissurum communem omnium internecionem, ut ex mente Justi hanc sollicitudinem adimat, et de futuris bonam spem ille habeat? Dein non suam naturam spectans, sed nostram infirmitatem, non contentus est promissione sua quam verbis dedit : sed iterum ostendit quomodo se nostræ infirmitati attemperet, et signum dat, quo perpetuo durante, tali metu humanum genus liberari possit; ut etiamsi sæpe pluviæ deferantur, et violentæ tempestates fiant, etsi aquarum magna sit inundatio, neque sic mutuendum sit, sed confidendum nobis ad datum signum respicientibus. « Et dixit Dominus Deus ad Noë : Hoc est signum testa- »menti, quod ego do inter me et te [1]. » Vide quanto honore Justum dignatur : ita enim cum eo paciscitur quasi homo homini loquens et dicit : «Hoc est signum testamenti, quod »ego do inter me et te, et omnem animam viventem, quæ »vobiscum est in generationes æternas [2]. » Vidisti quomodo signum dandum omni viventi duraturum sit in generationes æternas? non solum communiter omnibus viventibus dat signum, sed et perpetuum et æternum illud facit, quandiu mundus subsistet. Quodnam ergo signum est? « Arcum meum pono in nube, et erit in signum fœderis »inter me et terram [3]. » Ecce post pollicitationem verbo

[1] Gen. IX, 12, — [2] Ibid. — [3] Ibid. 13.

factam, et hoc signum do, Iridem dicens, quam aliqui fieri dicunt sole radios suos contra nubes mittente. Si sermo meus, inquit, non sufficit, ecce et signum do nunquam ulterius talem me pœnam inducturum. Hoc ergo signum videntes a formidine liberemini. « Et erit, cum nubilavero, inquit, nubes super terram, et apparebit arcus »meus in nube, et recordabor testamenti mei, quod est »inter me et vos, et inter omnem animam viventem in »omni carne [1]. » Quid dicis, o beate Propheta? Recordabor, inquit, testamenti mei, hoc est, pacti mei, promissionis, pollicitationis; non quia ipse opus habeat recordatione, sed ut nos ad illum signum respicientes, nihil durum suspicemur, sed statim recordemur divinæ promissionis, et confidamus nihil nos tale passuros.

III. Vidisti quantum Deus se propter nostram infirmitatem demittat, quantam curam gerat nostri generis, quantam misericordiæ magnitudinem declaret, non quia hominum conversionem vidit, sed ut per omnia nos doceat ingentem suam bonitatem? Et non erit ultra aqua in diluvium, ita ut deleat omnem carnem; non amplius erit ejusmodi pluvia. Quia scivit hoc timere humanam naturam, vide quomodo continuo hoc pollicetur, quasi dicens: « Etiamsi videritis multos imbres demitti, ne quid inde durum suspicemini aut metuatis. Non enim erit aqua in diluvium, ita ut deleat omnem carnem: talis imber non erit ultra, tantam indignationem non ultra experietur humanum genus. Et erit, inquit, arcus meus in nube, et videbo ut recorder testamenti æterni inter Deum, et inter animam viventem in omni carne. » Considera quomodo volens humanam naturam ad fidem et firmam persuasionem inducere, tanta verborum usus sit attemperatione. « Et videbo, inquit, ut recorder testamenti mei. »

[1] Gen. IX, 14, 15.

Ergo-ne visus ipsum in memoriam ducit? Non ut hoc suspicemur, absit; sed ut, quando videmus signum hoc, Dei promissioni confidamus, certi non esse possibile Dei promissiones intercidere. « Et dixit Deus, inquit, ad Noë : » Hoc signum testamenti mei, quod posui inter me, et inter » omnem carnem, quæ est super terram. » Accepisti, inquit, signum id, quod dedi inter me et omnem carnem, quæ est super terram. Ne ultra confundaris mente, ne turberis animo : sed ad hoc respice, et ipse bonam spem habeto, et omnes, qui post te futuri sunt, hinc consolationem accipiant, et aspectus signi fiduciam eis præstet quod nunquam talis tempestas terram invasura sit. Nam quamvis peccata hominum crescant, ego tamen quæ promisi adimplebo, et nunquam talem indignationem in omnes exhibebo. Vidistis quam ingens sit Domini bonitas? vidistis quantum ad nostram vilitatem verbis se demittat? vidistis ejus erga nos providentiæ magnitudinem? vidistis promittentis liberalitatem? Non enim beneficium suum usque ad duas, vel tres, vel decem generationes extendit, sed promisit quandiu subsistet mundus extendendum : ut ex utroque emendatiores reddamur, et ex eo quod illi propter multitudinem peccatorum tali pœna puniti sunt, et ex eo quod ille per ineffabilem misericordiam suam, nos tanta promissione dignatus est. Nam cordatos beneficia magis quam pœnæ alliciunt ad mandata servanda. Igitur ne simus ingrati. Nam si nos, antequam ullum bonitatis specimen exhibuerimus, imo etiam cum pœnis digna fecerimus, tanta dignatus est beneficentia : si grati fuerimus, et de prioribus gratias retulerimus, converterimusque nos ad meliora, quanta tum denique nos dignabitur liberalitate et gratia? Si enim indignis ita benefacit, et tam benignus est peccatoribus; si a peccatis destiterimus, et virtutem sectemur, quæ non consecu-

turi sumus? Enimvero hac de causa prior ipse multa in nos beneficia confert, et cum peccaverimus, iterum nobis veniam impartit, et supplicia non e vestigio infert : ut per omnia nos alliciat, et dum benefacit, et dum tolerat. Sæpe etiam dum aliquos punit, alios per hoc inducere vult, ut illorum metu castigati, supplicii periculum effugiant. Vidisti sapientissimi Dei benignitatem, quomodo omnia, quæ per ipsum fiunt, propter unum solum, nempe salutis nostræ causa fiant? Hæc itaque cogitantes, ne simus desides, ne virtutem negligamus, ne prætereamus leges ab illo statutas. Nam si viderit nos converti, et quiescere, et principium aliquod ponere, ipse quoque sua simul afferet, facietque nobis omnia levia et facilia, et non permittet ut virtutis labores sentiamus. Nam quando anima ad Deum cogitationem suam intendit, non jam decipi potest a visibilium aspectu : sed præteriens omnia, ea quæ non videntur corporalibus oculis, quæ nullam sciunt vicissitudinem, sed perpetuo manent, fixaque sunt ac immota, diligentius speculatur, quam ea quæ in conspectu sunt posita. Tales enim mentis sunt oculi, qui ad illorum spectaculum continuo intendunt, et supernis radiis illustrati, omnia quæ in hac vita sunt, quasi umbram et somnium transeunt : non ulli ultra deceptioni obnoxii sunt, neque circumveniri possunt, sed etiamsi opes viderint, statim derident : scientes quod fugitivo quovis infideliores ab uno ad alium transeant, et nunquam apud eumdem subsistant, et infinita mala possidentibus afferant, quos et in ipsum malitiæ, ut ita dicam, præcipitium impulsos deturbant. Et si corporis formositatem rursus intuiti fuerint, non illa subvertuntur, cogitantes tam fluxam et instabilem illam esse, ut superveniens morbus repente omnem illam formam obscuret, et ut nonnunquam ante morbum, si invaserit senectus, facies, quæ antea for-

mosa erat, fiat deformis, et injucunda : mors autem superveniens, omnem corporis pulchritudinem perdat. Et si quem viderint gloria et potentia instructum, et qui in summum dignitatum verticem pervenerit, omnique felicitate fruatur, etiam illum prætereunt, quasi nihil stabile et solidum habentem, sed de illis gloriantem, quæ fluminibus ipsis ocyus prælerlabuntur. Quid enim omni hujus vitæ gloria vilius, quæ flori herbæ confertur? « Omnis » enim gloria hominis, inquit, sicut flos fœni [1]. »

IV. Vidistis, dilecti, quam acute videant oculi fidei, si quando in Deum mens intenta fuerit? vidistis quomodo a nulla re visibili decipi possunt, sed rectum habent rerum judicium, neque in ullo falluntur? Sed si gratum est, iterum ad contextum sermonis revertamur, et paucis propositis finem loquendi faciamus, ut dictorum memoria menti vestræ infigatur. Nam postquam Scriptura sermonem de divino signo finivit, nos iterum docere vult alia, quæ ad Justum illum et filios illius pertinent, et dicit : « Erant au- » tem filii Noë, qui de arca egressi sunt, Sem, Cham, Ja- » pheth. Cham autem erat pater Chanaan. Tres sunt hi fi- » lii Noë; ab istis dispersi sunt super omnem terram [2]. » Dignum hic fuerit ut inquiramus quare divina Scriptura, hos tres filios commemorando, subdit : « Cham autem erat » pater Chanaan. » Ne putetis, obsecro, hoc absque causa fuisse adjectum, nihil enim in divina Scriptura continetur, quod non aliqua ratione dictum sit, quæ non et latentem in se habeat utilitatem. Quare ergo significavit : « Cham » autem erat pater Chanaan? » Voluit per hoc nobis illius intemperantiam ingentem subindicare, ac neque calamitatis magnitudinem illum coërcere potuisse, neque tantam in arca angustiam irrefrenatam illius concupiscentiam sedavisse : sed quamvis frater ejus major nondum filios pro-

[1] Isaï. XL, 6. 1 Pet. I, 24. — [2] Gen. IX, 18, 19.

creavisset, hunc incontinentiæ deditum, in tempore tantæ indignationis, et generalis interitus, quo orbis comprehensus est, rei venereæ deditum fuisse, et cupiditatis intemperantiam non refrenavisse, sed jam statim ab initio animi sui pravitatem demonstrasse. Itaque cum non multo post propter contumeliam in parentem, maledictionem suscepturus esset ejus filius Chanaan, ideo Scriptura divina id prius assignavit, filiique nomen declaravit, ac simul patris intemperantiam, ut cum postea videris illum magna ingrati erga patrem animi signa dare, scire possis ipsum jam olim talem fuisse, utpote neque a tanta calamitate emendatum. Sufficere enim debebat ad extinguendam libidinem tantus mœror; nihilque flammam et insaniam hanc ita comprimere potest, ut tristitiæ vehementia, et calamitatis magnitudo. Igitur qui in tanta malorum vi tantæ rabiei et insaniæ in procreandis liberis fuit, qua venia dignus fuerit? At hic nobis alia quæstio nascitur, celebris illa et quæ ubique circumfertur: « Quare, patre peccante, filius maledictum accipit? » Sed ne longum sermonem nunc faciamus, in aliud tempus illam reponemus, ut cum ad eum locum pervenerimus, tunc et solutionem afferamus, quam Deus donaverit. Nihil enim in sacra Scriptura, sicut dixi, invenire licet, quod absque ratione aliqua sit scriptum. Hoc igitur interim exploratum est nomen filii non absque causa fuisse a Mose commemoratum, cum dixit: « Cham autem erat pater Chanaan. Tres, inquit, » sunt hi filii Noë, et ab iis dispersi sunt super omnem » terram. » Neque hoc dictum obiter prætereamus, dilecti, sed cogitemus ex illo ipso virtutis Dei magnitudinem. « Tres, » inquit, erant hi filii Noë, et ex illis dispersi sunt super om- » nem terram. » Quomodo ex tribus tanta multitudo succrevit? quomodo potuerunt sufficere? quomodo ex paucis illis totus mundus constitutus? quomodo eorum perman-

serunt corpora? Non medicus erat, qui medicinam adhiberet, neque alia cura. Nondum enim erant civitates conditæ, sed post tantam miseriam, et vitam illam in arca, e qua macerati et confecti ob compressionem exierunt, et in tanta solitudine existentes, et ineffabili vastitate, quomodo non enecati sunt? quomodo non perierunt? Timorem enim et metum, dic, oro, non putas commovisse eorum mentem, et concussisse animum? Ne admireris, dilecte: Deus enim erat qui omnia faciebat, et Deus naturæ opifex erat qui omnia impedimenta auferebat mandato suo, quo dixit: « Crescite et multiplicamini, et implete ter-» ram [1]. » Hoc enim incrementum dedit. Quia et Israëlitæ cum in Ægypto in luto et latere conficiendo onerati essent, in tanto majorem multitudinem excrescebant, quo magis opprimebantur [2], et neque immisericors et crudele præceptum Pharaonis, quo præcipiebatur masculos in flumina projici; neque vexatio illa, quam a præfectis operarum patiebantur, valuit imminuere illorum multitudinem, sed magis magisque numero augebantur. Erat enim divina dispensatio, quæ omnia ex adversis operabatur.

V. Quando igitur Dominus præcipit, ne quæras ut humano more opera perficiantur. Potentior enim quam natura, non eget naturæ serie ac ministerio; sed et per ea, quæ alioquin impediunt, res adauget. Eo modo et nunc per tres illos totum orbem implevit. « A tribus enim illis, in-» quit, dispersi sunt in universam terram. » Vidisti Dei potentiam? vidisti quomodo, etsi sint multa obstacula, nihil tamen illius moratur voluntatem? Idipsum et in fide licebit videre. Cum enim tales essent qui oppugnarent, tot qui insidiarentur, et reges, et tyranni, et populi insurgentes, et omnia facientes ut extinguerent scintillam fidei, per insidiatores, pere os, qui vetare volebant, tanta pietatis flam-

[1] Gen. 1, 22. — [2] Exod. 1, 12 et seqq.

ma erupit, ut totum orbem habitatum et inhabitatum invaserit. Etiamsi ad Indos abieris, et ad Scythas, et ad fines orbis terræ, etiamsi ad ipsum Oceanum, ubique invenies Christi doctrinam illustrantem omnium animos. Quod enim admirabile et stupore plenum, piæ religionis doctrina ipsas barbaras nationes convertit, ita ut philosophari didicerint, et abjecta pristina consuetudine ad pietatem translatæ sint. Et sicut per tres illos hominum genus multiplicavit universi Conditor: ita quoque et in fide per undecim piscatores illitteratos et idiotas, qui neque os aperire audebant, omnem sibi orbem attraxit, atque illitterati isti, et idiotæ, et piscatores, Philosophorum obturaverunt ora, et transcurrerunt orbem quasi alati, seminantes veritatis sermonem, et spinas exsecantes, et pristinas affectiones revellentes, Christique leges ubique plantantes; ac neque quod pauci essent, neque quod privati et illitterati, neque quod austera et insolita juberent, neque quod veteri consuetudine humanum genus præventum esset, obstaculo eis esse potuit: sed prævia gratia sustulit hæc omnia, magnaque facilitate operati sunt omnia, per ipsa obstacula majorem accipientes alacritatem. Enimvero interdum flagellati decedebant gaudentes, non propter flagella simpliciter, sed, » Quia pro nomine Christi digni habiti sunt ignominiam » pati[1]: » interdum autem in carcerem conjecti, postea-quam ab Angelo educti fuerunt[2], iterum eadem continuaverunt; et in templum abeuntes, doctrinæ sermonem seminaverunt, populos quasi piscando ad pietatem inducentes; et iterum detenti, non solum non segniores inde facti sunt, sed et majorem libertatem præ se tulerunt, in medio insanientis populi et dentibus frementis stantes, ac dicentes: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus[3]. » Vidisti libertatis magnitudinem? vidisti illitteratos piscatores

[1] Act. v, 41. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 29.

contemnere tot furentes populos, et ad cædes ac mactationes paratos? At tu, dilecte, audiens hæc omnia, ne tribue illis, sed divinæ gratiæ, quæ confirmabat et instruebat illorum alacritatem. Quia et ille beatus Petrus, cum ex utero matris claudum rectum faceret, omnibus obstupescentibus et admirantibus, gratum ipse animum declarans, inquit: « Viri, quid nos intuemini, quasi nostra potentia vel pie» tate fecerimus illum ambulare[1]. » Quare, inquit, sic obstupescitis, et stupefacti estis in hac re? Num nos sumus hoc operati, vel propria virtute incolumitati illum restituimus, et ambulare fecimus? « Quid nos intuemini?» Nihil amplius nos attulimus, quam quod linguam nostram commodavimus. Qui autem omnia fecit, Dominus est, et ille naturæ Conditor, Deus Abraham, Isaac, et Jacob, quos Patriarchas censetis. « Ille, quem vos tradidistis, et » negastis coram facie Pilati judicantis illum dimittendum, » ille est qui omnia operatus est, quem vos sanctum et jus» tum negastis, et petiistis virum homicidam vobis tradi: » Principem autem vitæ condemnastis, quem Deus excitavit » a mortuis, cujus nos testes sumus, et in fide nominis illius, » hunc quem videtis et nostis, solidavit nomen illius, et fi» des quæ per ipsum, dedit huic incolumitatem coram om» nibus vobis[2]. »

VI. Magna liberi hujus sermonis excellentia; ingens et ineffabilis vis gratiæ superne illis collatæ; manifestissima resurrectionis demonstratio Beati illius in dicendo libertas fuerit. Quod enim majus miraculum illo quis quæreret, cum is, qui ante crucem etiam abjectæ puellæ minas ferre non potuit, nunc ad eum modum adversus Judæorum populum insurgit, tantaque fiducia, solus cum esset, contra tantam, tamque furentem multitudinem stat adversus, et loquitur quæ insaniam illorum magis exasperare queant?

[1] Act. III, 12. — [2] Ibid. 13 et seqq.

Vidisti, dilecte, id quod in proœmio dicebam, etiam nunc declaratum? Quod si quis amore in Deum accendatur, non postea feret ea, quæ sub corporeorum oculorum aspectum cadunt; sed aliis instructus oculis, oculis inquam fidei, illa semper speculatur, et ad illa mentem habet intentam, ambulansque in terra, tanquam municipatum habens in cœlis, ita omnia agit, nullis humanis præpeditus a virtutis cursu. Nam qui talis est, non posthac respicit ad splendida hujus vitæ, neque ad dura et aspera, sed omnia illa prætercurrit, ad patriam suam festinans. Et sicut qui corporalem hunc cursum magna contentione peragit, nullum occurrentium videt, etiamsi sæpius in illum incidat; sed animo ad cursum intento, facile omnia transit, festinans ad destinatum scopum: eodem modo, qui cursum virtutis peragere festinat, et a terra in cœlum ascendere concupiscit, omnia quæ videntur deorsum relinquit, et totum se cursui dedit, neque prius subsistit, neque a visibili quapiam re detinetur, donec in verticem ascendere potuerit. Ei enim, qui sic affectus est, etiam quæ videntur esse terribilia in præsenti vita, contemptibilia fiunt: et qui talis est, neque gladium timet, neque præcipitium, neque ferarum dentes, neque tormenta, neque lictorum manus, neque aliquid triste in hac vita, sed etsi carbones videat substratos, quasi prata et paradisos videns transilit; et si aliam quamdam tormentorum speciem intentari videat, non deficit ad aspectum, neque aversatur. Desiderium enim futurorum mentem ipsius transtulit, et quasi frustra corpore amictus, ita affectiones suas moderatur, et superna gratia munitus, corporis dolores ne sentit quidem. Quocirca, obsecro ut, quo facile virtutis labores ferre possimus, magnum habeamus in Deum amorem et desiderium, et illuc mente nostra intenta, a nulla re hujus vitæ supplantemur in cursu illo, sed futurorum bonorum fruitio-

nem continuo cogitantes, omnes hujus vitæ molestias mansuete feramus, et neque ignominia nos contristet, neque inopia gravet, neque morbus corporis mentis sensum emolliat, neque quod contemnamur despiciamurque ab hominum turba, id segniores nos faciat in virtutis studio : sed omnibus iis, quasi pulvis essent, excussis, assumptoque generoso et sublimi spiritu, magnum per omnia fortitudinis specimen exhibeamus; et sicut heri vestram charitatem obsecravi, cum inimicis magna alacritate conciliemur, et ex animabus nostris affectionum eliminemus reliquias, et si qua concupiscentia prava interturbet, eam effugemus : et si furor ad iram extimulet, comprimamus hunc æstum cantu spiritualium admonitionum, ostendentes quam perniciosæ sint affectiones. « Vir enim, inquit, iracundus, non honestus » est [1]. » Et iterum : « Qui irascitur fratri suo sine causa, » reus erit gehennæ ignis [2]. » Et si pecuniarum cupiditas incessat, demus operam ut mens vitet tantam perniciem, et sicut radicem malorum omnium excindamus. Sic studeamus singulas affectiones malas corrigere, quo et abstinendo a malis, et sectando opera bona, possimus in die illo tremendo a Deo misericordiam assequi, gratia et miserationibus unigeniti ejus Filii, cui cum Patre, et Spiritu sancto sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Prov. xxvi, 21. — [2] Matth. v, 22,

HOMILIA XXIX.

Et cœpit Noë homo agricola terræ, et plantavit vineam, et bibit de vino, et inebriatus est [1].

I. Ad finem tandem argumenti ad Justum hunc spectantis, venimus : ideo obsecro, mente intenta adeste, et diligenter quæ dicuntur auscultate. Nam ex iis, quæ hodie lecta sunt, non parvum, neque vulgarem percipere licet fructum ; quandoquidem quæ priscis evenerunt, si sapere voluerimus, maximæ nobis doctrinæ sunt occasio. Ideo enim non solum opera Sanctorum bona scripta sunt, sed etiam peccata, ut hæc quidem fugiamus, illa vero imitemur. Neque hoc solum, sed monstrat insuper divina Scriptura et Justos sæpe lapsos, et peccatores magnam exhibentes vitæ conversionem, quo utrinque sufficiens nobis esset cautela ; et neque qui stat confidentior sit, videns et Justos cecidisse; neque qui in peccatis est, desperet, multos conspiciens, qui resipuerunt, et ad summum virtutis apicem pervenire potuerunt. Itaque nullus, quæso, tametsi multorum bonorum operum sibi conscius, confidentior sit, sed anxius sit, et sollicitus, et audiat beatum Paulum admonentem et dicentem : « Qui stare sibi videtur, videat » ne cadat [2]. » Nullus item, qui in profundum ipsum malitiæ descenderit, salutis suæ spem abjiciat ; sed ineffabilem Dei misericordiam cogitans, audiat iterum Deum per Prophetam dicentem : « Num qui cadit, non resurgit : et

[1] Gen. IX, 20, 21. — [2] 1 Cor. X, 12.

» qui avertit se, non revertitur [1] ? » Et iterum : « Nolo mortem » peccatoris, sicut converti eum, et vivere [2]. » Vidisti, dilecte, omnia in divinis Scripturis scripta non alia de causa memoriæ fuisse tradita, quam propter nostram utilitatem, et humani generis salutem ? Hæc secum quisque nostrum expendat, suisque congrua vulneribus pharmaca imponat. Ideo enim hæc ad libitum omnibus sunt proposita, et licet volenti conveniens suis affectionibus remedium apponere, et sanitatem accipere celerrimam, tantum medicinæ curam ne quis rejiciat, sed gratum suum exhibeat animum. Nulla enim est in humana natura vel corporis, vel animæ ægritudo, quæ medicinam hinc accipere nequeat. Quomodo ? dic, obsecro. Ingreditur quis huc tristitia et negotiorum sollicitudine oneratus, et ingressus huc, ita mœrore obrutus, statim ut audivit Prophetam dicentem : « Quare tristis es anima mea, et quare contur- » bas me ? Spera in Deum, quoniam confitebor ei, Salu- » tare vultus mei, et Deus meus [3]; » sufficienti consolatione suscepta abit, et omnem illam mentis tristitiam excutit. Alius item qui extrema premitur inopia gravatim fert et mœret, videns alios divitiis affluere, et valde inflari, magnoque apparatu et pompa stipari ; audit et hic eumdem Prophetam dicentem : « Jacta in Dominum curam tuam, et ipse » te enutriet [4]. » Et iterum : « Ne timeas cum ditatus fuerit » homo, vel cum multiplicata fuerit gloria domus ejus : » quoniam cum interierit, non sumet omnia [5]. » Est et alius quoque, qui insidias et calumnias sustinens dolet, et insuavem putat vitam, nusquam humanum invenire valens auxilium : docetur et hic ab eodem beato Propheta in talibus angustiis non ad humanum præsidium confugiendum : audit enim ipsum dicentem : « Ipsi detrahebant mihi, ego

[1] Jer. VIII, 4. — [2] Ezech. XVIII, 23, — [3] Psal. XLI, 6. — [4] Id. LIV, 23. — [5] Id. XLVIII, 7, 18.

» autem orabam [1]. » Vidisti unde quærat auxilium? Alii, inquit, dolos consuunt et calumnias, insidiasque : ego autem ad inexpugnabilem murum confugio, ad tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem, ad preces, inquam, per quas omnia difficilia levia et facilia mihi fiunt. Insuper alius ab iis, qui prius ipsi ministrabant, despicitur et contemnitur, atque ab amicis relinquitur, et hoc est quod mentem ejus maxime conturbat et confundit : sed et hic si voluerit, huc accedens audiet Beatum illum dicentem : « Amici mei et proximi mei adversum me appro» pinquaverunt et steterunt. Et qui juxta me erant a longe » steterunt, et vim faciebant, qui quærebant animam meam : » et qui quærebant mala mihi, locuti sunt vanitates, et do» los tota die meditabantur [2]. » Vidisti struentes insidias usque ad mortem ipsam, et perpetuum bellum gerentes? Nam hoc indicat, cum dicit : « Tota die meditabantur, » quia per totam vitam. Quid ergo ille interim, dum insidiarentur et molirentur, agebat ? « Ego autem, inquit, » quasi surdus non audiens, et sicut mutus non aperiens » os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, et non » habens in ore suo redargutiones [3]. » Vidisti excellentem philosophiam, quomodo diversa via vicit ? Illi dolos struebant; ipse aures obturabat, ne audiret. Illi omni tempore non cessabant linguam acuere, et vanitates et fraudulentias meditari ; hic autem silentio illorum insaniam comprimebat. Et quare sic se gerit, et licet illis hæc apparantibus, ipse sic agit quasi surdus et mutus, et quasi neque aures, neque linguam habeat ? Audi ipsum tantæ philosophiæ causam dicentem : « Quia in te speravi, Domine [4], » quia a te pendet spes mea, inquit, et in te me projeci, nulla mihi cura est, quid illi agant. Tuum enim auxilium

[1] Psal. CVIII, 4. — [2] Id. XXXVII, 12, 13. — [3] Ibid. 14, 15. — [4] Id. CXLI, 8.

satis potens est ad dissipanda hæc omnia, irritasque reddendas illorum machinationes et insidias, ut nihil eorum impleantur quod apparant.

II. Vidisti quomodo, quacumque calamitate humanam naturam premente, congruens ex Scripturis antidotum accipere liceat, et omnem vitæ hujus mœrorem repellere, neque ab ullo, quod accidit, gravari? Propterea obsecro ut frequenter huc veniatis, et divinæ Scripturæ lectionem diligenter auscultetis: non solum cum huc venitis, sed et domi divinos libros in manus sumite, et utilitatem in illis positam magno studio suscipite. Inde enim multum lucri nascitur; primum quidem lectione lingua reformatur: deinde anima excitatur et sublimis efficitur, jubarque Solis justitiæ illustratur, perque tempus illud ab immundarum cogitationum illecebris liberatur, multa quiete ac tranquillitate fruens. Insuper quod ad augendas vires corporis sensibilis ille cibus facit, id animæ lectio præstat. Spirituale enim alimentum est, et fortem reddit animam, et constantiorem, et magis philosophicam, non permittens ut ab affectionibus absurdis capiatur: sed levem et alatam faciens, in cœlum ipsum propemodum transfert. Tantum igitur lucrum, oro, ne per negligentiam amittamus, sed etiam domi vacemus divinarum Scripturarum lectioni, et hic præsentes non in nugis et inutilibus colloquiis tempus insumamus: sed propter quod convenimus, attendamus quæ legantur, ut majori inde fructu percepto discedere liceat. Quod si huc ingressi, ad intempestivas et inutiles confabulationes vos confertis, et absque ampliori fructu hinc abitis, quæ utilitas? Annon enim absurdum est eos, qui ad sæculares nundinas veniunt, sollicitos esse ut, antequam redeant, omnia quæ ex nundinis oportet capiant, licet pecuniæ impendendæ sint: eos autem, qui huc ad spirituales has nundinas veniunt, non omne studium

impendere, ut acceptis utilibus, et in anima depositis, recedant; maxime cum nullo pecuniarum sumptu hic opus sit, sed alacritate sola et attenta mente? Ut igitur ne deteriores simus iis, qui ad sæculares mercatus vadunt, operam demus, ut perquam vigilantes simus, ne desint hinc migraturis viatica, quæ non solum nobis sufficiant, sed et quæ suppeditare possimus et aliis, et uxorem corrigendo, et famulos, et vicinum, et amicum, imo etiam inimicum. Talia enim sunt spiritualia dogmata, ut communia omnibus proponantur, nullaque sit in eis diversitas, nisi quando quis magis intentam affert mentem, et ferventiori desiderio alium transcendit. Itaque quia tantum est ex hac doctrina lucrum, age hodie lecta in medium proponamus, et fructu quopiam inde collecto, domum redeamus. « Et cœ»pit, inquit, Noë homo agricola terræ, et plantavit vi»neam, et bibit de vino, et inebriatus est [1]. » Vide quantæ nobis utilitatis occasio est hujus lectionis prœmium. Quando enim audimus Justum illum et perfectum, qui tantum superne accepit testimonium, bibisse et inebriatum esse: quomodo nos posthac, qui tantis et tam variis peccatis immersi sumus, non magna contentione damnum ebrietatis effugere studebimus? quamvis non idem ipsum sit, Justum illum hoc vitio captum fuisse, et nos in idem incidere. Multa enim sunt quæ Justum illum venia dignum declarant: quæ non dico quasi ebrietatem excusans, sed demonstrans Justum non ex intemperantia, sed potius ex ignorantia supplantatum fuisse. Et quod non ita simpliciter vini potationem invenerit, audi Scripturam ejus apologiam afferentem, cum dicit: « Et cœpit Noë homo agri»cola terræ, et plantavit vineam, et bibit de vino, et ine»briatus est. » Istuc ipsum quod inquit, « Cœpit, » ostendit ipsum vini bibendi primum inventorem fuisse, et per igno-

[1] Gen. IX, 20, 21.

rantiam, nescientem justam sumere mensuram, in ebrietatem incidisse. Neque hoc solum in causa est, sed quia magna tenebatur tristitia, et sibi ipsi consolationem inde excogitare volebat, sicut et Sapiens quidam dicit : « Date » vinum iis qui in tristitia, et merum iis qui in dolore [1] : » monstrans nullum esse tam præsens tristitiæ remedium, quam vini usum, tantum utilitatem ejus ni perdat intemperantia. Quod autem in tristitia et mœrore fuerit Justus ille, videns seipsum in tanta solitudine, et illorum hominum corpora ante oculos projecta, et communem omnium sepulcrum hominibus et brutis factum, quis negaverit? Mos enim Prophetarum et Justorum omnium est, non pro iis duntaxat dolere, qui sibi proximi sunt, sed et pro reliquis hominibus. Et si quis recensere velit, inveniet omnes hunc commiserationis affectum præ se ferre, et audiet Esaïam quidem dicentem : « Nolite contendere, ut me consolemini » in contritione filiæ generis mei [2] : » Jeremiam autem : « Quis » dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacryma» rum [3]? » Ezechielem vero : « Heu mihi, Domine, delebis » tu reliquias Israël [4]? » et Danielem lamentantem, et dicentem : « Pauculos nos fecisti ultra omnes gentes [5] : » et Amos : » Pœniteat te, Domine, super hoc [6] : » et Habacuc : « Quare » ostendisti mihi labores et molestias [7]? » et iterum : « Et » facturus es homines quasi pisces maris [8]. » Et beatum istum Mosem quoque dicentem audiet : « Si quidem dimit» tis eis peccatum, dimitte; sin minus, me quoque dele [9]. » Et iterum, cum promisisset illi Deus majoris populi præfecturam se traditurum, et dixisset : « Dimitte me, et de» lebo homines istos, et faciam te in gentem magnam [10] : » neque hoc voluit, sed præesse istis maluit. Item orbis doctor

[1] Prov. xxxi, 6. — [2] Isaï. xxii, 4. — [3] Jer. ix, 1. — [4] Ezech. ix, 8. — [5] Dan. ix. — [6] Amos vii, 3. — [7] Habac. i, 3. — [8] Ibid. 14. — [9] Exod. xxxii, 31, 32. — [10] Ibid. 10.

beatus Paulus : « Optabam ipse ego anathema esse a Christo » pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem [1]. »

III. Vidistis quomodo Justi omnes magnam commiserationem erga proximos præ se ferebant. Considerate nunc quomodo et Justus ille se habuerit, quomodo verisimile est eum fuisse affectum ; et quomodo a tristitia deprimeretur, cum videret tam immensam solitudinem, et terram illam, quæ antea tam variis luxuriabat plantis, et floribus ornabatur, repente quasi spoliatam comis et nudam et solitariam. Cum ergo tam invaluerat mœror, parvam quamdam sibi consolationem excogitans, terræ colendæ sese dedidit ; et idcirco ait : « Et cœpit Noë homo agricola ter- » ræ, et plantavit vineam. » Sed jure hic quæritur an ipse nunc plantam invenerit, vel antea et ab initio fuerit producta. Verisimile est eam antea et ab initio fuisse in sex illis diebus creatam, quando « Vidit Deus omnia quæ fecit, » et erant valde bona : quievit enim, dicente Scriptura, » Deus die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit [2] : » nec tamen usum fructus ex illa manifestum fuisse. Nam si fuisset ab initio notus, omnino Abel inter oblatas hostias etiam vinum libasset. Verum quia ignorabant adhuc fructus usum, planta hac usi non sunt. Hic autem agriculturæ studiosus, et magnæ diligentiæ vir, forte etiam fructum degustavit, et contritis botris vinum fecit, eoque usus est. Et quia neque ipse gustaverat prius, neque alium sciebat qui gustavisset, ignarus qua mensura et qua ratione uti debebat, per ignorantiam in ebrietatem incidit. Præterea, quoniam carnis esus in vitam hanc introductus fuit, postea et vini potus accessit. Vide autem, dilecte, quomodo paulatim mundi constitutio dispensetur, et quilibet secundum sapientiam a Deo naturæ inditam, initio artis alicujus inventor sit : sic in hanc vitam artium studia sunt intro-

[1] Rom. IX, 3. — [2] Gen. II, 2.

ducta. Primus enim agriculturam invenit, secundus artem pastoralem, alius armentariam, alius musicam, alius fabrilem [1] : hic autem Justus vineæ colendæ artem naturali solertia excogitavit. « Et cœpit, inquit, Noë homo agricola terræ, et plantavit vineam, et bibit e vino, et inebriatus est. » Cogita quomodo hoc tristitiæ medicamentum, sanitati parandæ aptum, ei qui modum per ignorantiam transcendit, non solum nihil profuit, sed et statum ejus offendit. Jam forte quærat aliquis : « Quare planta tot malis plena in hanc vitam producta? » Ne ita temere loquaris, homo, omnia quæ in buccam veniunt. Non est planta hæc mala, neque vinum malum, sed illius abusus; quia non ex vino, sed ex perversa voluntate nefaria scelera patrantur : et cum in eo sit utilitas, si noceat, in causa est intemperantia. Quocirca nunc post diluvium ostendit tibi vini usum, ut ostendat etiam ante vini usum in immodicam luxuriam humanum genus incidisse, multisque peccatis se contaminavisse, cum adhuc vini usus nesciretur : ut et quando videris usum vini, non vino totum tribuas, sed corruptæ voluntati sua sponte ad malum ruenti. Alia quoque ratione considera, ubi vinum fuerit utile, et contremisce, mi homo. Nam per hoc materia bonorum salutis nostræ perficitur. Sciunt, qui mysteriis initiati sunt, quid dicatur. « Et cœpit, inquit, Noë agricola terræ, et plantavit vineam, » et bibit de vino, et inebriatus est, et nudatus est in domo » sua [2]. » Gravissimum quiddam est ebrietas, dilectissime, quod possit excæcare sensus, et submergere mentem. Hominem quippe rationalem, qui super omnia dominium suscepit, injectis vinculis insolubilibus, quasi mortuum et operatione carentem prosternit : imo deterius habentem, quam mortuum. Nam mortuus neque bona, neque mala operari potest : ebrius autem nihil boni valet operari, ad

[1] Gen. IV, 2, 20-22. — [2] Id. IX, 21.

malum tamen faciendum plus potest, jacetque ridiculus omnibus, et uxori et filiis et famulis. Amici enim suam ignominiam cogitantes, rubore et pudore suffunduntur : inimici autem oblectantur, et irrident, et execrantur, hæc propemodum loquentes : « Hunccine oportebat vivere ? et hunccine oportebat spirare aërem ? o pecus ! o porcum ! » et adhuc graviora loquuntur. Deteriore enim in statu sunt quam ii, qui ex prœliis redeunt cæde coinquinatis manibus, et tumultuose reportantur. Illos enim fortassis multi laudibus extollunt propter tropæa, propter victorias, propter vulnera et cædes : ebrios autem miseros proclamant, ærumnosos vocant, et innumera eis mala imprecantur. Quid enim eo miserius fuerit, qui ebrietati deditus est, et quotidie vinum effundit, ac mentis suæ judicium corrumpit ? Eapropter et Sapiens quidam admonebat dicens : » Principium vitæ hominis panis et aqua et vestis, et do» mus tegens turpitudinem [1] : » ut si quis ebrietate vincitur, ne in vulgus traducatur, sed a suis contegatur, ei non sit omnibus risus et turpitudinis argumentum. « Et » cœpit, inquit, Noë homo agricola terræ, et plantavit vi» neam, et bibit de vino, et inebriatus est. »

IV. Ebrietatis nomen, charissime, in sacra Scriptura non ubique de temulentia dictum est, sed et satietatem significat. Hoc itaque forte quis de Justo hoc dicet, quod non ut intemperans inebriatus fuerit, sed ob satietatem hoc ei contigerit. Audi enim David dicentem : « Inebriabuntur ab » ubertate domus tuæ [2] : » hoc est, implebuntur. Alioquin ji qui ebrietati vacant nunquam satiantur, sed quanto magis sese vino ingurgitant, tanto magis siti flagrant, et inflammatio quædam est eis vini usus : ac voluptates quidem evanescunt, sitis autem inexplebilis in præcipitium ebrietatis eos, qui sub illa captivi sunt,

[1] Eccli. xxix, 28. — [2] Psal. xxxv, 9.

deducit. « Et plantavit, inquit, vineam et bibit ex vino, et »inebriatus est, et nudatus est in domo sua. » Considera hoc non foris illi accidisse, sed in domo sua. Idcirco enim hoc designavit divina Scriptura, « In domo sua, » ut ex iis, quæ sequuntur, malitiæ vehemens studium videas ejus, qui nuditatem evulgare fuerit ausus. « Et vidit, inquit, Cham »pater Chanaan nuditatem patris sui, et egressus annun»tiavit duobus fratribus suis foris [1]. » Fortassis si et alii quidam affuissent, et illis nuntiasset patris sui turpitudinem ; tanta erat pueri nequitia. Propterea enim, ut discas jampridem et ab initio eum corruptæ mentis fuisse, non simpliciter dicit Scriptura : « Vidit Cham nuditatem patris »sui : » sed quid ? « Et vidit Cham pater Chanaan. » Quare, dic mihi, et hoc loco filii vocabulum assignat ? ut discas illum fuisse intemperantem et incontinentem, et eadem mente qua in tanta turbatione procreandæ proli vacavit, eadem etiam nunc in contumeliam patris prorupit. « Et »egressus, inquit, annuntiavit duobus fratribus suis foris.» Vide, obsecro, hic, dilectissime, non in natura sita esse vitia, sed in arbitrio et voluntate. Ecce enim utrique fratres fuerunt, et ejusdem naturæ, eumdem habuerunt patrem, eodem utero fuerunt editi, eadem diligentia fuerunt educati, sed non eumdem animum declaraverunt : sed ille quidem in malitiam incidit, ii vero parenti debitum impenderunt honorem. Fortassis autem et irrisit ac subsannavit patrem, turpitudinem illius nuntiando, et non audivit Sapientem quemdam dicentem : « Ne glorieris in »ignominia patris tui [2]. » Verum fratres non sic egerunt. Et quomodo ? « Cum hæc audivissent Sem et Japheth, acceptis, »inquit, vestibus super humeros suos, incesserunt retror»sum, et operuerunt nuditatem patris sui ; et facies eorum »retrorsum, et nuditatem patris sui non viderunt [3]. » Vidisti

[1] Gen. IX, 22. — [2] Eccli. III, 12. — [3] Gen. IX, 23.

probitatem filiorum ? ille evulgavit et traduxit, isti neque videre sustinuerunt ; sed retrorsum ibant, ut recta adirent patris contecturi nuditatem. Et vide illorum cum magna probitate mansuetudinem. Neque increpant, neque verberant fratrem , sed ut audierunt, mox id unum curarunt ut factum quamprimum emendaretur, et honore genitor afficeretur. « Faciesque illorum aversæ erant, et nuditatem » patris sui non viderunt. » Magna filiorum reverentia, quam nobis Scriptura monstrat, quod non solum tegant, sed et videre non sustineant. Erudiamur hinc, atque ex utrisque lucrifaciamus aliquid : et hos quidem imitemur, illius autem mores fugiamus. Nam si is, qui sensibilem nuditatem evulgavit, maledicto se fecit obnoxium, et excidens ab honore, quem parem habuit cum fratribus, condemnatus est ut illis serviret : licet autem non ipse, omnes tamen qui ex ipso, servi facti sunt : quid patientur qui peccata fratrum evulgant, et non solum non contegunt et excusant, sed magis ea palam faciunt, multaque ex hoc operantur peccata ? Quando enim fratris peccatum evulgas, non illum tantum ignominiosiorem facis, et segniorem forte ad virtutis viam repetendam, sed et eos qui audiunt, negligentiores reddis, et ad socordiam inducis ; neque hoc solum, sed etiam id efficis ut Deus blasphemetur. Istud autem quantum afferat supplicium iis, qui causam præbent, nemo est qui ignoret. Fugiamus igitur, obsecro, mores Cham, imitemur autem proborum illorum filiorum pudorem, quem in contegenda parentis nuditate declararunt : et ita obtegamus fratrum peccata, non ut ipsos negligentiores per hoc reddamus, sed ut hac ratione majorem illis occasionem præbeamus, ut cito ab hac pernicie liberentur, et in virtutis viam redeant. Nam sicut non multos habere delictorum testes, resipiscenti faciliorem reditum præbet : sic si frontem perfricuerit animus, et viderit neminem

ignorare quæ mala admiserit, non facile desistere volet : sed quasi in profundum lutum incidisset, et deorsum ab innumeris raperetur fluctibus, difficile emergere poterit : in desperationem enim cadit, et nullum sibi reditum promittit.

V. Idcirco precor, ne detegamus proximorum lapsus, et si ab aliis eos didicerimus, ne satagamus ut nuditas videatur; sed sicut probi illi filii obtegamus, adumbremus, admonitione et consiliis lapsam animam erigere studeamus, misericordiæ Dei magnitudinem docentes, et bonitatis ejus excellentiam et misericordiæ immensitatem, ut majorem quam illi benedictionem ab omnium Domino consequamur, « Qui vult omnes homines salvos fieri, et ad » agnitionem veritatis venire [1] : Qui non vult mortem » peccatoris, sed ut convertatur et vivat [2]. Et nuditatem, » inquit, patris sui non viderunt. » Vide quomodo per legem naturæ inditam prius et ab initio impleverunt ea, quæ post ad erudiendum humanum genus in lege scripta fuerunt, et id quod lex dicebat : « Honora patrem tuum et » matrem tuam, ut bene sit tibi [3] : » et, « Qui maledicit patri » vel matri, morte moriatur [4] » : hoc jam operibus impleverunt. Vidisti quomodo natura prius sufficientem habuit doctrinam? « Evigilavit autem, inquit, Noë a vino, et » cognovit quæ fecerat sibi filius junior [5]. Evigilavit autem, » inquit. Audiant, qui totis diebus in conviviis versantur, lapsus gravitatem, fugiantque quod ex ebrietate est damnum. Sui autem factus compos, inquit; Quid est : Sui factus compos? Id quod nos dicere solemus de furiosis, si quando ad se redeant; hic a dæmone correptus sui compos factus, et ab illius tyrannide liberatus est : id sibi vult hoc loco Scriptura. Vere enim ebrietas voluntarius est dæmon, et gravius quam dæmon mentem obtenebrat, et

[1] 1 Tim. II, 4. — [2] Ezech. XVIII, 23. — [3] Exod. XX, 12. — [4] Id. XXI, 17. — [5] Gen. IX, 24.

captum omnium benevolentia destituit. Sæpe enim dæmoniacum videntes, misericordia movemur, et condolemus, magnamque erga illum commiserationem declaramus. Contra autem facimus circa ebrios : indignamur enim, ægre ferimus, innumera imprecamur. Quare et qua de causa ? quia ille, qui a malo dæmone agitatur, involuntarius operatur ea, quæ operatur, ac licet recalcitret, licet rumpat vestem, et obscœna quæpiam loquatur, venia dignus censetur : at qui ebrius est, quidquid fecerit, non est venia dignus : sed et valde incusant illum familiares, amici, et vicini, et in summa omnes; quia sponte et voluntarie in hanc nequitiam transit, et ebrietatis tyrannidi seipsum dedidit. Et hæc dico non ut Justum incusem : multa enim erant, propter quæ illi venia debebatur, et cum primis, quod non in id vitii postea relapsus est, id quod maximum fuerit indicium eum ex ignorantia, non ex negligentia prius deliquisse. Nam si hoc fuisset negligentiæ, oportebat eum iterum eodem morbo capi : id quod non evenit. Nam si denuo id accidisset, Scriptura utique non obticuisset, sed significasset nobis. Unus enim scopus et terminus Scripturæ divinæ est, ne quid factorum intermittat, sed veritatem nos doceat. Neque enim propter invidiam Justorum virtutes præterit, neque propter gratiam peccata adumbrat; sed omnia in medium nobis proponit, ut regulam et doctrinam quamdam habeamus, et ut si quando etiam nos per socordiam in quid vitii inciderimus, cautiores simus postea ne denuo incidamus. Neque enim tam grave est peccare, quam in peccatis perseverare. Itaque non attende solum quod inebriatus sit Justus, sed quod postea non iterum hoc ei acciderit. Illud vero considera eos, qui in tabernis vinariis quotidie consumuntur, et ferme dixerim, quotidie moriuntur : etiamsi quando sui compotes fuerint facti, neque sic sibi cavent ab eodem peri-

culo, sed quasi ad opus quoddam strenuum redeunt. Insuper et hoc quis jure cogitabit Justum illum, etsi quod non expertus esset, nec sciret qua mensura esset utendum, inebriatus sit; attamen cum justus esset, et multis bonis polleret operibus, peccatum quod casu evenit, obtegere potuisse : nos autem, cum ab innumeris aliis affectionibus infestemur, et hoc addamus, ut et ab ebrietate submergamur, quid excusabit? vel quis, dic, oro, nos dignabitur venia, quos nulla experientia facit castigatiores? « Evigilavit autem Noë, inquit, a vino, et cognovit » quæ fecit sibi filius suus junior. » Unde cognovit? Forte fratres significaverunt, non ut fratrem accusarent, sed rem ut facta erat docentes, ut conveniens ille suo vulneri remedium acciperet. « Et cognovit, inquit, Noë quæcum- » que fecerat sibi filius suus junior. » Quid est : « Quæcumque » fecerat? » magnam et intolerabilem rem dicere vult. Animadverte enim quomodo, intus in domo visa patris turpitudine, cum debuisset obtegere, egressus exulgavit, et risui, atque subsannationi patrem, quantum in ipso erat, exposuit, fratresque pravæ suæ voluntatis socios esse voluit; cum oportuisset, si omnino nuntiaturus erat, illos intra domum vocare, et sic nuditatem effari : sed ipse foras exiit, nuditatem declaravit, quasi etiam alia adesset turba hominum, quos etiam facturus esset paternæ turpitudinis testes; propter hoc inquit : « Quæ fecerat; » id est, contumeliosus patri fuit, oblitus est honoris quem debent parentibus filii, prodidit peccata, fratres voluit allicere, et socios facere suæ contumeliæ. « Quæ fecerat sibi, in- » quit, filius suus junior. » Atqui non hic erat junior; secundus enim erat, et major natu quam Japheth : at licet ætate illo prior erat, voluntate tamen minor, et temeritas illum dejecit. Nam quia noluit intra suos limites manere, amisit honorem sibi a natura traditum; et sicut ille id,

quod natura habuit, nequitia voluntatis amisit : ita Japheth, quod natura non habuit, saniorem ob mentem accepit.

VI. Vidisti quomodo nihil temere et fortuito in divina Scriptura reperitur ? « Quæ fecerat sibi, inquit, filius suus » junior, et dixit : Maledictus Chanaan filius, servus erit » fratribus suis [1]. » Ecce pervenimus ad quæstionem illam ubique motam ; multos enim audimus dicentes : « Quare, cum peccaverit pater, et prodiderit nuditatem, filius maledictum suscipit ? Obsecro, attendite diligenter, et solutionem accipite. Illa enim dicemus, quæ suppeditaverit divina gratia propter vestram utilitatem. Et dixit : « Ma- » ledictus Chanaan filius, servus erit fratribus suis. » Non simpliciter, neque in vanum commemoravit filium, sed ob latentem rationem. Volebat enim simul et ipsum corripere propter peccatum, et contumeliam, qua se affecerat ; et simul nolebat labefactare benedictionem, quæ illi pridem a Deo facta fuerat. « Benedixit enim, inquit, Deus » Noë quando exivit ex arca, et filios illius [2]. » Ut igitur ne videatur maledicere quem Deus semel benedixerat, præterito illo qui se contumelia affecerat, filio maledictum intulit. Esto, dixeris, hoc quidem ostendit propterea Cham maledictum non fuisse, quia prius a Deo benedictionem acceperat : quare autem cum ille peccaverit, hic pœnam luit ? neque hoc absque ratione factum est. Nam pater non minorem pœnam habuit, quam filius, et cruciatum sensit. Scitis enim, scitis quomodo sæpenumero patres precati sunt ut filiorum pœnas ipsi ferrent, et gravius illis esse videre filios supplicio affici, quam si iis forent obnoxii. Factum est hoc igitur, ut ille, ob naturalem in filium amorem, majorem sentiret dolorem, et benedictio Dei servaretur inviolata, et filius, accepta maledictione, suorum propriorum pœnas peccatorum lueret. Nam licet

[1] Gen. IX, 25. — [2] Ibid. 1.

propter patris peccatum nunc maledictioni sit obnoxius, attamen verisimile est eum etiam propter sua delicta dedisse pœnam. Non enim solum propter peccatum patris maledictionem accepit, sed fortassis etiam ut per ipsum ille majorem pœnam penderet. Nam quod neque patres pro filiis, neque filii pro patribus pœnam luant, sed unusquisque pro suis peccatis pœnæ sit obnoxius, multis in locis a Prophetis dictum invenimus, ut cum dicunt : « Comedentis uvas acerbas, dentes obstupescunt [1]. » Et : « Anima quæ peccaverit, ipsa et morietur [2]. » Et iterum : « Non morientur patres pro filiis, neque filii pro patribus [3]. » Nullus igitur vestrum, quæso, quasi ignorans divinæ Scripturæ scopum, audeat hæc scripta reprehendere, sed grato animo quæ dicuntur accipiat, admireturque divinæ Scripturæ miram diligentiam, et expendat quantum malum sit peccatum. Ecce enim fratrem eadem natum puerpera, eodem egressum utero, subingressum peccatum servum fecit, et ablata libertate, in subjectionem illum induxit : unde postea servitus sumpsit originem. Neque enim antea solebant ita molliter agere, deliciari et aliorum ministeriis indigere. Sed sibi ipsis quique ministrabant, eratque par omnium honor, et ablata e medio erat omnis inæqualitas; ubi autem peccatum intravit, libertatem perdidit, et dignitatem a natura datam labefactavit, servitutemque introduxit, ut continua sit doctrina et admonitio humanæ naturæ, ut fugiamus servitutem peccati, et ad virtutis libertatem redeamus. Quod enim servus et dominus hic continuam, si velint, habeant utilitatem; cogitent, servus quidem ideo in servitutem se redactum, quia Cham in tantam pervenerat temeritatem : et dominus quoque cogitet non aliunde subjectionem et servitutem

[1] Jerem. XXXI, 29. Ezech. XVIII, 2. — [2] Ibid. 20. — [3] Deut. XXIV, 16.

cœpisse, quam quod ille perversam exhibuerit voluntatem, et a pari fratrum dignitate exciderit.

VII. Verum si sobrii sumus, et prudentes, nihil nos offendent hæc propter peccata parentum nostrorum introducta in hanc vitam, cum res in nominibus solis versetur. Quia et primus parens, propter transgressionem, mortis pœnam, vitamque in laboribus mœroribusque consumendam intulit, et hic servitutem; verum superveniens Dominus Christus hæc omnia esse permisit ad nomina usque tantum, si volumus. Neque enim mors, mors ultra est, sed nomen tantum habet mortis, imo et ipsum nomen sublatum est. Nam neque mortem ipsam ultra dicimus, sed soporem et somnum, proinde et Christus ipse dicebat : « Lazarus amicus noster dormit [1], » et Paulus Thessalonicensibus scribens, inquit : « De dormientibus autem nolo » vos ignorare, fratres [2]. » Et servitus quoque similiter nomen est : ille enim est servus, qui peccatum operatur. Et quod etiam hanc abstulerit adventu suo Christus, nec nisi nomen esse permiserit, imo et vocabulum ipsum deleverit, audi Paulum dicentem : « Qui autem fideles habent do» minos, non contemnant eos, quia fratres sunt [3]. » Vides quomodo ubi virtus subintravit, eos in fraternitatis nomen congregavit, qui prius servitutis nomine erant obnoxii? « Et erit, inquit, Chanaan filius servus fratribus suis. » Abusus es, inquit, honore, non bene te gessisti, cum par esses dignitate, propterea subjectione emendari te volo. Hoc ab initio et mulieri contigit. Quoniam enim par erat viro dignitate, et honore abusa est, propterea ablata est ab illa potestas, et audivit : « Ad virum tuum conversio » tua, et ipse tui dominabitur [4]. » Quia nescivisti, inquit, imperio recte uti, disce potius recte imperio subjici, quam

[1] Joan. XI, 11. — [2] 1 Thess. IV, 12. — [3] 1 Tim. VI, 2. — [4] Gen. III, 16.

male imperare. Proinde etiam hic nunc ad emendationem pœnam accipit, et per filium ipse cruciatur : ut discas, etsi senex tunc esset, attamen, quia pœna in filium transiit, id ipsi luctuosam et insuavem vitam fecisse, cogitanti etiam post suam mortem filium pœnam luiturum esse. Nam quod filius per se malus, et omnes qui ab illo nati fuerint abominabiles, et ad malum propense declinarint, audi Scripturam dicentem per modum maledicti : « Pater » tuus Amorrhæus, et mater tua Chettæa [1]. » Et alius contumeliose dicit : « Semen Chanaan, et non Juda [2]. » Porro operæ-pretium fuerit audire nunc post pœnam, quam accepit is, qui nuditatem evulgavit, quæ præmia assecuti sint ii, qui tantam reverentiam et honorem patri exhibuerunt. « Et dixit, inquit, Benedictus Dominus Deus Sem, » et erit Chanaan servus illius [3]. » Hoc forte quis dixerit, non est benedicere Sem : imo valde benedixit illum. Quando enim Deus benedicitur, et aguntur illi gratiæ ab hominibus, tunc uberior ab illo solet istis benedictio dari, propter quos ipse benedicitur. Itaque benedicens Deum debitorem ipsum fecit majoris benedictionis, auctorque fuit Sem majoris retributionis, quam si eum ipse per se benedixisset. Sicut enim quando benedicitur propter nos, multum id nobis conciliat favoris : ita et contra quando propter nos alii illum blasphemant, major hinc nostra fit condemnatio, qui causam dedimus. Quocirca, obsecro, demus operam ut ita vivamus, et tantæ virtutis specimen exhibeamus, ut omnes qui nos viderint, benedictiones laudis offerant Domino Deo. Nam quia bonus et benignus est, per nos vult gloria affici : non quod ipsi aliquid ad suam gloriam accedat ; nullius enim indigus est, sed ut occasiones ipsi præbeamus, ut majori nos benevolentia prosequatur. « Benedictus Dominus Sem, et erit Chanaan ser-

[1] Ezech. XVI, 3. — [2] Dan. XIII, 56. — [3] Gen. IX, 26.

» vus illius. » Vides quomodo paternam pœnam profert, quæ tamen emendatio potius erat, quam pœna? Pater enim erat, et amantissimus pater, neque justam pœnam volebat inducere, sed ita ut ulteriorem malitiam reprimeret. Ideo, ait, ad servitutem te condemno, ut jugem et indelebilem habeas facti memoriam. Postea dicit : « Di- » latet Deus Japheth, et habitet in tabernaculis Sem, et » fiat Chanaan servus illius [1]. » Iterum hæc quoque maxima benedictio est, forte latentem aliquem habens thesaurum : « Dilatet, inquit, Deus Japheth. » Non aberrabit quis, si dixerit benedictiones Justi prophetias esse. Nam si pater Noë, non simpliciter, neque frustra vocabulum indidit Noë, sed vaticinatus est per nomen futurum diluvium : multo magis Justus ille non simpliciter, neque frustra benedictiones protulit. Opinor enim eum hos duos benedicendo, duorum populorum vocationem significare voluisse, et per Sem quidem Judæos, ex illo enim et Abraham, et Judæorum genus multiplicatum est : per Japheth autem, gentium vocationem. Vide autem benedictionem hæc pronuntiare. « Dilatet enim, inquit, Deus Japheth, » et habitet in tabernaculis Sem. » Hoc in gentibus adimpletum videmus. Cum dicit enim : « Dilatet, » omnes gentes subindicavit. Sed dicendo : « Habitet in tabernaculis Sem, » significat gentes frui cœpisse iis, quæ Judæis parata et adornata erant : « Et erit Chanaan servus ejus. »

VIII. Vidistis qualem et ii grati animi acceperunt mercedem, et quanta ille propter temeritatem et imprudentiam ignominia affectus est? Sint hæc perpetuo in nostra mente scripta, ut horum æmulatores et imitatores fieri possimus; hujus autem improbam mentem, et ingentem petulantiam fugiamus. « Et vixit, inquit, Noë post diluvium annos tre- » centos quinquaginta, et fuerunt omnes dies Noë, nongenti

[1] Gen. IX, 27.

» quinquaginta anni, et mortuus est [1]. » Ne hoc putes absque causa assignasse Scripturam, sed vide et hoc loco Justi continentiam. Quia cum tanta frueretur ubertate et prosperitate, superviveretque tanto annorum numero post egressum ab arca, noluit ultra indulgere liberorum procreationi. Non enim commemorat Scriptura illum alios præter tres istos habuisse liberos. Hic iterum cogita magnam salacitatem Chami, quia neque patrem videns tantæ continentiæ, castior ipse factus est, sed omnia diverso modo quam pater agebat. Proinde merito omne ipsius genus in servitutem condemnatum est, ut improbæ voluntatis frenum haberet. Deinde hic narrat Scriptura eos, qui ex filiis nati sunt, et inquit: « Cham autem genuit Chus [2], » Et rursus: «Chus genuit Nemrod, qui cœpit esse gigas su» per terram. Hic fuit gigas venator coram Domino [3]. » Quidam dicunt hic, «Coram Domino,» idem esse quod « Con» tra Deum: » ego autem non puto Scripturam hoc insinuare, sed ipsum fortem robustumque fuisse. Quod autem dicit: « Coram Domino Deo, » hoc est, ab eo constitutus, eo quod acceperat benedictionem ab illo: vel quod Deus per hunc esset in admiratione habendus, quod talem produxisset, et super terram monstrasset. Sed hic iterum proavum suum imitatus, et abusus naturæ prærogativis, alium servitutis modum adinvenit, atque principatum regnumque affectavit. Rex enim nunquam fuerit, si non sint subditi: tunc autem vere videtur esse libertas: servitus porro gravissima est in ordine libertatis, præsertim si liberis imperetur. Ac vide quanta faciat ambitio: vide corporis robur non manens intra suos limites, sed plura expetens, et gloriæ appetentem naturam. Non enim ut defenderet illos, imperabat, sed et civitates ædificabat, ut hostibus imperaret. « Inde enim, inquit, ex terra illa exivit Assur, et æ-

[1] Gen. IX, 28, 29. — [2] Id. X, 6. — [3] Ibid. 8.

» dificavit Niniven [1]. » Animadverte hic quoque nihil lædere naturam nostram progenitorum malitiam. Hi enim, Ninivitas dico, misericordiam Dei pœnitentia sibi conciliarunt, revocata illius sententia; hi, inquam, progenitorem habuerunt Cham parricidam, deinde Nemrod hominem tyrannum, et arrogantem, ex quo ortus Assur. Dicuntur autem forte et alii fuisse inter illos molles et delicati, et dissolutam ac corruptam agentes vitam, ebrietati, et risui, et subsannationibus, et scommatis dediti. Sed quia sinceram præ se ferre voluere pœnitentiam, nihil ipsis obfuit progenitorum malitia, sed tantum sibi cœlestis favoris conciliarunt, ut usque nunc celebretur præclara eorum pœnitentia. Proinde illos et nos imitemur, et cum sciamus neque parentum nequitiam nos lædere, si voluerimus resipiscere; neque parentum virtutem nobis prodesse, si fuerimus negligentes; magnum sit nobis studium virtutis, et gratam voluntatem ostendamus, ut eamdem quam Sem et Japheth consequamur benedictionem, et ut a maledictione et servitute, quam Chanaan accepit, liberemur, et ne simus servi peccati, sed veram possidentes libertatem, ineffabilia bona adipiscamur gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæculorum sæcula. Amen.

[1] Gen. x, 11.

HOMILIA XXX.

Et erat omnis terra labium unum, vox una omnibus [1].

I. Ecce tandem ad finem sanctæ quadragesimæ venimus, et jejunii navigationem perfecimus, appulimusque, Dei gratia, in portum. Verum non ideo negligentes simus, sed hac de causa iterum majus studium, majorem diligentiam, majoremque vigilantiam exhibeamus. Nam et naucleri cum per multa maria transierint, et plenis velis, eductisque mercibus in portum ingressuri fuerint, tunc maximam curam et sollicitudinem gerunt, ne in scopulum vel in petram quamdam impingant, quæ omnes priores labores simul disperdat. Ita quoque faciunt cursores; cum enim ad finem stadiorum perveniunt, vehementiorem servant cursum, ut metam attingant, et præmia mereantur. Athletæ quoque post plurima certamina et victorias, cum pro corona certandum est, majori nisu omnia faciunt, ut accepta corona abeant. Itaque quemadmodum naucleri, et cursores, et athletæ, ubi ad finem veniunt, magis enituntur et vigilant: eodem modo et nos faciamus oportet, quia in magnam hanc hebdomadam Dei gratia pervenimus, nunc maxime jejunii cursus intendendus, et ferventiores fundendæ preces, faciendaque diligens et pura peccatorum confessio, et in bonis operibus sedulitas exhibenda, eleemosyna larga, æquitas, mansuetudo, aliæque virtutes, ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem dominicam Paschæ venerimus, Domini liberalitate fruamur. Magnam autem vocamus heb-

[1] Gen. xi, 1.

domadam, non quod longiores in ea sint horæ, sunt enim aliæ, quæ multo majores horas habent; neque quod plures dies habeat, est enim idem numerus in hac aliisque omnibus. Quare ergo illam vocamus Magnam? quia in illa magna quædam et ineffabilia bona contigerunt nobis. In illa enim solutum est bellum diutinum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis dissoluta, vasa ejus direpta, Deus hominibus reconciliatus est, cœlum penetrabile factum est, homines cum Angelis commixti sunt, quæ distabant conjuncta sunt, sepes sublata, septum remotum, Deus pacis pacifica fecit omnia, quæ in cœlis et quæ in terris. Hac itaque de causa Magnam hebdomadam vocamus, quia tantam nobis donorum multitudinem in illa largitus est Dominus. Et idcirco multi et jejunium intendunt, et vigilias, et pernoctationes sacras, et eleemosynas, hinc exhibentes eum, quem hebdomadæ huic præstant, honorem. Nam si Dominus talia bona in illa nobis donavit, quomodo non et nos debemus, quantum possumus, reverentiam et honorem ostendere? Enimvero imperatores ipsi gestis suis declarant quam venerabiles illos dies habeant, mandantes ut omnibus sint induciæ et feriæ iis, qui civilibus funguntur negotiis, utque claudantur fores judiciorum, et eliminentur omnes litium et contentionum species, quo magna tranquillitate ac quiete liceat ad spiritualia recte perficienda festinare. Et non hoc solum, sed et aliam liberalitatem ostendunt; eos enim, qui in carceribus sunt, a vinculis solvunt, et pro humana facultate dominum suum imitantur; sicut enim ipse a gravi nos peccatorum carcere liberat, et innumeris bonis afficit: eodem modo et nobis pro virili faciendum est, ut simus imitatores misericordiæ Domini Dei nostri. Vidistis quomodo singuli in omnibus specimen edamus ejus honoris ac reverentiæ, quam exhibemus diebus iis, qui nobis tot bonorum causæ sunt? Proinde rogo

nunc, si unquam alias, ut repulsis sæcularibus cogitationibus, et mente purgata ac vigili huc conveniamus. Nullus Ecclesiam ingressus sæculares curas secum ducat, ut digna laborum mercede recepta, iterum domum proficisci liceat. Age igitur consuetam vobis mensam iterum proponamus, et de iis, quæ lecta sunt ex beato Mose, charitati vestræ convivium paremus, eadem ipsa in medium adducentes et indicantes divinæ Scripturæ diligentiam. Nam postquam historiæ de beato Noë finem imposuit, genealogiam consequenter a Sem exorditur, et dicit: «Et Sem nati sunt, »et ipsi patri omnium filiorum Heber, fratri Japheth ma»joris filii [1]. » Deinde confecto nominum catalogo, ait: «Et »Heber nati sunt duo filii, nomen uni Phalec: quia in die»bus illius divisa est terra [2]. » Considera quomodo signi non multo post futuri præscientiam vocabulo nati pueri indidit, ut cum videris rem opere adimpletam, non ultra mireris, videns divinitus hoc pueri nomine prædictum. Nam postquam catalogum eorum fecit, qui postea nati sunt, inquit: »Et erat omnis terra labium unum, et vox una omnibus [3].» Non de terra loquens, sed de hominum genere, ut nos doceat unam linguam omni hominum fuisse naturæ. « Et »erat omnis terra labium unum, et vox una omnibus.» Labium unum, sermonem dicit, et idipsum iterum per vocem indicat, significans omnes usos eadem voce et lingua. Et quod de loquela dicatur: « Et erat omnis terra labium »unum,» audi Scripturam alio loco dicentem: «Venenum »aspidum sub labiis eorum [4]. » Ita solet Scriptura labiorum nomine loquelam appellare. « Et factum est cum moverent »illi aB Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, et »habitaverunt illic [5]. »

II. Vide quomodo humana natura non potest subsistere

[1] Gen. x, 21. — [2] Ibid. 25. — [3] Id. xi, 1. — [4] Psal. cxxxix, 4. — [5] Gen. xi, 2.

intra suos limites, sed amplius concupiscens, majora supra se appetit. Atque hoc est quod humanum genus potissimum perdit, quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere, sed semper majora appetit, et quæ supra suam sunt dignitatem votis concipit. Hinc et qui mundana suspiciunt, si quando multo abundaverint auro, et potentes fuerint, quasi obliti suæ naturæ, in tantum se fastigium efferri volunt, donec in profundum ipsum dejiciantur. Et hoc videmus quotidie contigere, quamvis nec hac ratione emendatiores evadant alii. Sed etsi ad parvum tempus reprimantur, subito tamen omnium obliti, iterum eadem incedunt viam et in eadem præcipitia deferuntur: id quod et nunc videre licet apud istos factum. «Et factum est cum moverent illi ab Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, »et habitaverunt illic.» Vide quomodo paulatim docet nos instabile illorum propositum. Quoniam viderunt, inquit, campum, migrantes, et relicto priori loco, illic habitaverunt. Deinde dicit: «Dixit unusquisque proximo suo: Venite, conficiamus lateres, et coquamus eos igni. Et facti »sunt illis lateres in lapidem, et bitumen erat illis lutum. »Et dixerunt: Venite, ædificemus nobis civitatem, et turrim, cujus caput erit usque in cœlum. Et faciamus nobis »ipsis nomen, priusquam dispergamur super omnem terram [1].» Vide quomodo abutuntur communi voce, et quomodo vanum vitæ propositum sit multorum malorum occasio. «Venite, inquit, faciamus lateres, et coquamus »eos igni. Et facti sunt illis lateres in lapidem, et bitumen »in cœnum.» Vide quanta securitate volunt ædificare, nescientes illud: «Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam [2]. Et ædificemus, in»quiunt, nobis civitatem,» non Deo, sed nobis ipsis. Vide, oro, quam invaluit malitia; habentes adhuc recen-

[1] Gen. xi, 3, 4.. — [2] Psal. cxxvi, 1.

tem memoriam generalis in diluvio interitus, in tantam inciderunt insaniam. «Et ædificemus, inquit, nobis civita-»tem, et turrim, cujus caput erit usque in cœlum.» Nomine cœli, summam illorum audaciam Scriptura divina declarat. «Et faciamus, inquit, nobis ipsis nomen.» Vidistis radicem mali? Ut, inquit, perpetuam memoriam consequamur, ut nostri perpetuo memores sint posteri: tale erit nostrum opus, ut nunquam oblivioni tradatur. «Et hoc fa-»ciamus priusquam dispergamur super faciem omnis terræ.» Adhuc, inquit, congregati quod nobis visum est efficiamus, ut posteris perpetuum nomen relinquamus. Sunt multi etiam hodie, qui illos imitantur, et talibus operibus celebrari volunt, qui splendidas domus ædificant, et lavacra, et porticus, et deambulacra, quorum si aliquem rogaveris, quare ita laboret et fatigetur, tantosque pecuniarum sumptus faciat, eosque inutiles, nihil aliud audies, quam hæc verba: ut immortalis servetur memoria, et dicatur illius esse hanc domum, illius hunc agrum. At hoc non est laudem et memoriam, sed crimen sibi parare. Nam statim ad hæc subjungentur plurimarum contumeliarum verba; nempe hujus est avari, hujus rapacis, hujus viduarum et orphanorum spoliatoris. Igitur hoc non est memoriam assequi, sed perpetuis objici criminibus, et etiam post mortem infamari, ac spectatorum linguas acuere in blasphemiam, et accusationem ejus, qui illa possidet. Quod si omnino æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, qua poteris semper celebrari, et quæ dabit tibi fiduciam in futuro sæculo. Quonam pacto igitur poteris et commemorari, et celebrari quotidie, encomiisque evehi etiam post hanc vitam? si has pecunias in manus inopum dispenses, relictis lapidibus, magnis ædificiis, villis, et balneis. Hæc memoria innumeros tibi thesauros conciliat, hæc memoria sarcinam peccatorum alleviat, hæc multam

tibi fiduciam apud Dominum conciliat. Cogita, obsecro, et hæc verba, quæ singuli dicturi sunt, vocantes misericordem, benignum, mansuetum, suavem, tam largum dispensatorem. «Dispersit enim, inquit, dedit pauperibus, justitia »ejus manet in sæculum [1]. » Hujusmodi enim sunt pecuniarum divitiæ; dispersæ manent; si retineantur et concludantur, etiam se servantem secum perdunt. «Disper»sit enim, inquit, dedit pauperibus.» Sed audi quæ sequntur: «Justitia ejus manet in sæculum.» Uno die divitias dispersit, et justitia ejus manet in sæculum, et memoriam facit immortalem.

III. Vidisti memoriam, quæ se in omne sæculum extendit : vidisti memoriam magnis et ineffabilibus plenam bonis : talibus ædificiis nostri memoriam relinquere studeamus. Nam lapidibus ædificasse, non solum nihil nobis prodesse poterit, sed nos continuo tanquam columna, clara voce infamabit. Et nos hinc abimus deferentes peccata inde parta, et ædificia hic relinquimus ; quin nec frigidam illam et inutilem memoriam consequimur, sed potius probris deturpamur, nomenque statim transit ad alterum. Etenim sic se res habent, ut ab hoc ad alium transeant, et ab illo iterum in alium. Et hodie quidem domus dicebatur hujus, cras illius, postridie dicetur alterius. Interim sponte nos ipsos decipimus, putantes nos dominium quoddam possidere, nescientes non solum usu potiri, et velimus, nolimus, aliis hæc concedere ; nam quod quibus nolumus, id jam prætereo. Omnino tamen si memoriam concupiscis, et hujus tibi tantum studium est ; audi quomodo viduæ memores erant Tabithæ, et quomodo « Circumstabant Pe»trum flentes, et demonstrantes tunicas et vestes, quas fa»ciebat illis Dorcas [2], » cum adhuc superesset. Vidisti domus animatas vocem emittentes, et tantæ virtutis, ut a

[1] Psal. cxi, 9. — [2] Act. ix, 39.

morte ad vitam revocare queant? Nam postquam circumsteterunt Petrum, calidas lacrymas profundentes, cibumque et quibus opus habebant quærentes, « Petrus, ejectis » omnibus, et positis genibus, oravit; et cum excitasset il- » lam, vocavit sanctos et viduas, et reddidit eam vivam[1]. » Si memoriam quæris, si veram gloriam amas, hanc imitare, tales domus extrue, noli sumptus tuos inanimatis impendere, sed cum illis, qui ejusdem sunt generis, misericordiam facito. Hæc laude digna est memoria, hæc magnum lucrum affert. Cæterum ad institutum redeamus, et videamus illorum virorum, qui tunc erant, audaciam. Illorum enim affectiones nostræ, si sapere voluerimus, emendationi serviunt. « Et ædificemus, inquit, nobis civitatem et » turrim, cujus caput erit usque in cœlum, et faciamus » nobis ipsis nomen priusquam dispergamur super terram. » Vides quomodo corruptionem animæ suæ ubique exhibent. « Et ædificemus, inquit, nobis civitatem : » et iterum : « Faciamus nobis ipsis nomen. » Vide quomodo etiam post generalem omnium interitum non minora mala aggrediantur. Quid ergo fiet? quomodo ab insania sua reprimentur? Pollicitus est Deus se non ultra facturum diluvium, nimirum misericordiæ suæ consuetudinem servans. Illi autem neque pœnis emendatiores facti sunt, neque beneficiis meliores. Audi quæ sequuntur, ut discas ineffabilis misericordiæ Dei magnitudinem. « Et descendit, inquit, Domi- » nus Deus, ut videret civitatem et turrim, quam ædifica- » bant filii hominum.[2] » Vide quomodo humano more Scriptura loquitur. « Et descendit, inquit, Dominus Deus; » non ut humano modo intelligamus, sed ut per hoc erudiamur nunquam temere fratres condemnandos, neque auditu solo judicandum esse, nisi pluribus argumentis prius certi reddamur. Omnia enim a Deo ideo fiunt, et ob hoc tanta ad

[1] Act. IX, 41. — [2] Gen. XI, 5.

erudiendum humanum genus utitur sermonis attemperatione. « Et descendit, inquit, Dominus Deus, ut videret civitatem et turrim. » Vide quomodo non statim ab initio illorum reprimit insaniam, sed diuturna lenitate utitur, et expectat donec omnem malitiam suam opere declarent, et tunc conatus eorum impedit. Ne enim quis dicere possit deliberasse quidem illos, sed quæ decreverant, in opus non deduxisse, præstolatur donec animo destinatum opus aggrediantur, ut tunc monstret eis quam inutilia attentarint. « Et descendit, inquit, Dominus Deus, ut videret civitatem ac turrim, quam ædificabant filii hominum. » Vide misericordiæ excellentiam : permisit illos laboribus sese affligere, ut rerum experientia præceptoris loco illis esset. Et quoniam vidit malitiam invalescere, et morbum intendi, non usque ad finem permittit, sed suam declarat bonitatem : quemadmodum medicus bonus videns morbum augeri, et ulcus incurabile fieri, statim sectione utitur, ut omnem morbi causam tollat. « Et dixit, inquit, Dominus » Deus : Ecce genus unum et labium unum omnium : » hoc est, vox una et lingua una. « Et hoc cœperunt facere, et » nunc non cessabunt ab iis, quæ decreverunt facere[1]. »

IV. Attende Domini misericordiam ; quoniam conatus impediturus erat, primum purgationem sibi parat, et quasi ostendit peccati eorum magnitudinem, et improbitatis excessum, ipsosque abusos esse linguæ et vocis consonantia. « Ecce enim, inquit, genus unum et labium unum omnium. » Et hoc cœperunt facere, et nunc non cessabunt ab iis, » quæ decreverunt facere. » Hic enim Dei mos est, ut puniturus prius indicet quam magna sint peccata, et veluti defensionem aliquam sibi paret, ac tunc tandem corripiat. Nam tempore diluvii, cum terribiles illas minas intentaret, dicit Scriptura : « Ut autem vidit Deus quod multiplicatæ

[1] Gen. xi, 6.

» sunt malitiæ hominum, et unusquisque cogitat in corde » suo diligenter in mala a juventute[1]. Vidisti quomodo prius monstravit malitiæ eorum magnitudinem, et postea dicit : « Delebo hominem[2] ? » ita et nunc : « Ecce genus unum et » labium unum omnium, et hoc cœperunt facere. » Si cum tanta concordia, et linguæ unitate in tantam inciderunt insaniam, ubi tempus processerit, quomodo non deteriora attentabunt? « Non cessabunt enim ab iis, quæ decreverunt » facere : » nihil eorum impetum et ardorem morari poterit, sed omnia, quæ statuerunt secum, studebunt perficere, ni statim pro attentatis pœnam luant. Id quoque inveniet aliquis et de protoplasto factum esse. Ejecturus enim illum Deus a paradisi incolatu, ait : « Quis annuntiavit tibi quod » nudus esses [3] ? » Et iterum : « Ecce Adam factus est quasi » unus ex nobis : ut sciat bonum et malum. Et nunc ne » forte extendat manum suam, et accipiat de ligno vitæ, » et comedat, et vivat in sæculum. Et emisit illum Dominus » de paradiso[4]. » Etiam nunc inquit : « Ecce genus unum et » labium unum omnium, et hoc cœperunt facere : et nunc » non cessabunt ab iis, quæ decreverunt facere. Venite, et » descendentes confundamus illorum linguas, ut ne audiat » unusquisque vocem proximi[5]. » Vide iterum verborum attemperatam rationem. « Venite, inquit, et descenden- » tes : » quid volunt sibi verba hæc? Opus-ne habet cooperatione Dominus ad correctionem? an subsidio ad illorum destructionem? Absit. Sed sicut jam dixit Scriptura : « Des- » cendit Dominus, » docens nos per hoc se evidenter malitiæ illorum magnitudinem vidisse ; ita et hic dicit : « Ve- » nite, et descendentes. » Dictum haud dubie est ceu ad honore pares. « Venite, inquit, et descendentes confundamus » illorum linguas, ut ne audiat unusquisque vocem proximi. »

[1] Gen. VI, 5. — [2] Ibid. 7. — [3] Id. III, 11. — [4] Ibid. 22, 23. — [5] Id. XI, 7.

Quemadmodum, inquit, cippum quemdam perpetuum; talem illis statuo pœnam omni sæculo duraturam, ut nullo tempore hæc obliviscantur. Nam quia abusi sunt vocis concordia, ideo vocis diversitate castigari eos volo. Sic enim ubique facere consuevit Dominus. Hoc ab initio circa mulierem factum est; abutebatur illa honore concesso, unde subjecit eam viro. Et similiter Adæ contigit; quia enim ex multa prosperitate, paradisique incolatu nihil lucri fecit, sed prævaricando pœnæ obnoxius est factus, ejecit eum ex paradiso, et pœnam ei perpetuam injunxit, dicens: « Spinas et tribulos germinabit tibi terra[1]. » Horum quoque malitiæ cursum, quia unitate linguæ honorati, honore concesso in malum abutebantur, Deus per linguarum varietatem cohibuit. « Et confundamus, inquit, illorum linguam, »ut ne audiat unusquisque vocem proximi.» Ut sicut linguæ unitas contubernium fecit, ita linguæ diversitas dispergat. Nam quibus non est idem sermo et lingua, quomodo simul habitare possunt? « Et dispersit illos, inquit, Domi»nus Deus ab illo loco super faciem universæ terræ, et ces»saverunt ædificantes civitatem et turrim[2]. » Considera Domini misericordiam, in quantam animi hæsitationem ipsos impulit. Amentibus enim postea similes fuerunt. Et ille quidem imperabat hoc, et alius suppeditabat aliud; inutilisque fuit omnis illorum conatus: ideo « Cessaverunt ædi»ficare civitatem et turrim. Et idcirco vocatum est nomen »illius, confusio, quia illic confudit Dominus Deus labia »omnis terræ: et hinc dispersit ipsos Dominus Deus in »omnem terram[3]. » Vide quanta fiant, ut memoria hujus facti in omnia sæcula pervadat. Primum linguarum fit divisio, imo ante hoc nominis appellatio: Phalec enim nomen, quod Heber filio imposuit, partitionem significat: deinde loci appellatio: « Confusio » enim vocatus est, id

[1] Gen. III, 18. — [2] Id. XI, 8. — [3] Ibid. 9.

quod Babylon sonat. Postremum Heber ipse mansit idem servans idioma, quod et antea habebat, ut manifestum divisionis hujus signum foret. Vidisti per quot res immortalem nullaque oblivione delendam hujus facti memoriam servari voluerit ? Hinc enim pater filio postea cogebatur dicere causam tam diversæ vocis. Et puer a patre quærebat quare sic locus ille appellaretur : ideo namque Babylon dictus est locus, quod est confusio ; quod illic Dominus Deus confuderit labia universæ terræ, et ab illo loco disperserit illos. Nam utrumque loci appellatio mihi significare videtur, et quod linguas confuderit, et quod inde dispersio orta sit.

V. Audivistis, dilecti, unde ipsis dispersionis varietatisque linguarum orta sit causa. Fugiamus, obsecro, ne hos imitemur, et iis, quæ nobis Deus concessit, ne abutamur: ac naturam humanam considerantes, ea consultemus, quæ mortales homines deceant : et cogitantes præsentis vitæ fragilitatem, ac quam breve sit tempus vitæ nostræ, multam per bonorum operum exercitium fiduciam recondamus. Et non solum per hos dies servemus jejunii fervorem, sed etiam eleemosynæ largitatem, et precum assiduitatem. Etenim jejunio preces semper conjunctas esse oportet. Et quod hoc verum sit, audi Christum dicentem : « Hoc genus dæmoniorum non egreditur nisi in precatione » et jejunio [1]. » Et iterum de Apostolis dicitur : « Nam cum » orassent, inquit, et jejunassent, commendaverunt eos » Domino, in quem crediderant [2].» Et iterum inquit Apostolus : « Ne fraudetis invicem, nisi in precatione et jeju» nio [3]. » Vidisti quomodo jejunium hoc subsidio indigeat? Tunc enim potissimum preces cum attentione fiunt, cum expeditior est mens nostra, neque gravata, neque malo deliciarum onere pressa fuerit. Magna arma sunt preces,

[1] Matth. xvii, 20. — [2] Act. xiv, 22. — [3] 1 Cor. vii, 5.

magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, tutissimus locus : modo sobrii et vigiles Dominum adeamus, mente nostra undique collecta, inimicoque nostræ salutis nullo aditu permisso. Cum sciat enim inimicus noster nos per tempus illud posse de iis, quæ ad nostram salutem attinent, loqui, et peccata confiteri, et vulnera medico ostendere, et sanitatem consequi : ideo maxime tunc obsistit, omniaque facit et tractat, ut nos supplantet, negligentesque reddat. Proinde vigilemus, obsecro, et scientes illius insidias, maxime tempore illo operam demus, ut quasi præsentem illum ante oculos stantem videntes oppugnemus, et cogitationem omnem, quæ nos interturbare possit, repellamus : totique nitamur Deum ut decet alloqui, ut non solum verba, sed et mens verborum comes ad Deum accedant. Nam si lingua quidem proferat verba, mens autem foris evagetur, quæ domi sunt lustrans, et imaginans quæ in foro aguntur, nulla nobis utilitas est, fortassis autem et major condemnatio. Enimvero si cum homines adimus, tam studiose id agimus, ut prope stantes sæpenumero non videamus, sed colligimus mentem, et ad eum solum spectamus, ad quem accedimus : quanto magis apud Deum idem facere oportet, et jugiter precibus insistere? Propter hoc et Paulus scribens dicebat : « Oran» tes in omni tempore, orate et in spiritu[1] : » non lingua tantum, et cum perpetua, inquit, vigilantia, sed « Et in » spiritu. » Spirituales enim, inquit, sint vestræ petitiones, sobria sit ratio, et iis quæ dicuntur mens attendat. Talia petite, qualia a Deo petere convenit, ut et petita obtineatis. Et in illud incumbentes, et toti expergefacti, sobrii et mente vigiles, non oscitantes, nec vos fricantes, et hinc inde mentem vertentes : sed cum timore et tremore salutem vestram operemini. « Beatus enim, inquit, qui

[1] Ephes. VI, 18.

» propter pietatem metuit omnia[1]. » Magnum bonum precatio. Nam si homini quis loquens virtute prædito, non parvum inde fructum percipit; quantis non bonis fruetur is, cui cum Deo colloquium fuerit? Oratio enim colloquium est cum Deo. Quod ut scias, audi Prophetam dicentem : « Jucundum sit Deo eloquium meum[2] : » hoc est, sermo meus jucundus appareat Deo. Annon enim præstare potest priusquam petamus? Verum propter hoc differt et expectat, ut occasionem accipiat, qua juste nos sua providentia dignos faciat. Sive autem consequamur quod petimus, sive non consequamur, perseveremus semper in oratione : et non solum gratias agamus si consequamur, sed etiamsi repulsam passi fuerimus. Nam denegare, cum Deus vult, non minus est quam si concessisset. Nescimus enim nos quæ nobis conducant, sicut ipse novit. Itaque sive voti compotes, sive impotes simus, gratias agere debemus. Et quid miraris, si nos nescimus quid nobis prosit? Paulus talis et tantus vir, arcana audire dignus habitus, ignorabat se ea, quæ non expediebant, precari; nam quia videbat se tot molestiis cingi, ac circumdari crebris tentationibus, orabat ut ab eis liberaretur; idque non semel neque iterum, sed et sæpius. « Ter enim, inquit, Domi» num rogavi[3]. » Ter, id est, vocavit sæpe et non impetravit. Videamus ergo quomodo affectus fuerit. Num gravatim tulit? num segnior fuit? num obtorpuit? Minime. Sed quid inquit? dixit : « Sufficit tibi gratia mea. Virtus » enim mea in infirmitate perficitur[4]. » Non solum non liberavit illum præsentibus malis, sed in ipsis perseverare permisit. Esto : sed unde discimus eum non graviter tulisse? Audi Paulum dicentem, postquam didicit ea, quæ Domino placita erant : « Libenter igitur gloriabor in infir-

[1] Prov. xxviii, 14. — [2] Psal. ciii, 34. — [3] 2 Cor. xii, 8. — [4] Ibid. 9.

» mitatibus meis [1]. » Non solum, inquit, deinceps liberari non requiro, sed et majori voluptate gloriabor in illis. Vidisti gratam animam? vidisti ejus in Deum amorem? Audi etiam dicentem : « Quid enim precemur ut oportet, » nescimus [2]. » Impossibile, inquit, est, cum nos homines simus, omnia certo scire. Relinquendum ergo hoc est omnium Conditori; sumendaque sunt cum gaudio et voluptate quæcumque ipse voluerit, nec spectandum ad speciem eorum, quæ eveniunt, sed quid acceptum sit Domino. Qui enim magis scit quid nobis prosit, quam ipsi nos, ipse novit quomodo salus nostra paranda.

VI. Nostrum ergo unum sit opus, continuis insistere precibus, et non ægre ferre si differatur quod petimus, sed multam patientiam exhibere. Neque enim abnuens preces nostras differt ; sed hac arte sedulos nos efficiens, ad semetipsum perpetuo attrahere vult. Nam et pater prolis amans cum a puero rogatur, abnuit, non quod dare nolit, se ut ad diutius astandum pertrahat. Hæc itaque scientes ne desperemus, nec cessemus eum adire, et preces fundere. Etenim si crudelem et inhumanum illum judicem, qui neque Deum timebat, mulieris sedulitas coëgit, et provocavit ut sibi succurreret : quanto magis nos, si voluerimus illam imitari mulierem, ad opitulandum nobis provocabimus mansuetum et misericordem nostrum Dominum, compatientem, et ad salutem nostram occurrentem? Nos ergo instituamus, ut difficile avellamur, et perpetuo precibus incumbamus, tam die, quam noctu; imo magis noctu, quando nullus interturbat, quando magna cogitationum tranquillitas, quando nullus domi tumultus, quando nullus est qui ab accessu prohibeat et abducat, quando erecta mens omnia diligenter referre potest animarum Medico. Si enim beatus David, rex simul ac Propheta, tantis implicitus ne-

[1] 2 Cor. XII, 9. — [2] Rom. VIII, 26.

gotiis, purpura et diademate amictus dicat : « Media nocte » surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ [1] : » quid nos dicemus, qui privatam et otiosam vitam agimus, neque eadem quæ ille facimus? Nam cum in die multis circumdaretur curis, negotiis et tumultibus, nec tempus inveniret aptum suo ad Deum accessui, tranquillitatis tempus, quod alii somno impendunt, in mollibus stratis recumbentes, et hinc et inde se versantes, rex tantis districtus curis, accedendi ad Deum tempus faciebat, seorsim Deo loquens, et sinceræ intentæque precationi deditus, perficiebat quæcumque volebat; et orationibus suis bella conficiebat, tropæaque statuens, victoriam victoriæ copulabat. Habuit enim invicta arma, superna scilicet præsidia, quæ non solum ad humana bella conficienda sufficiunt, sed etiam ad dæmonum cohortes fugandas. Igitur et nos hunc imitemur privati et idiotæ regem, qui otiosam et quietam vitam agimus, cum qui in purpura et diademate monachorum vitam transcendebat. Audi enim eum iterum alibi dicentem : « Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte [2]. » Vidisti animam in continua compunctione? Alimonia mea, inquit, panis meus, convivium meum nihil aliud erant quam lacrymæ tam die quam nocte. Et iterum : « Laboravi in » gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum [3]. » Quid dicemus, vel quid respondebimus, qui neque eam compunctionem exhibere volumus, quam rex tot obseptus negotiis exhibuit? Quidnam, dic, oro, oculis illis formosius perpetuo lacrymarum imbre, et quasi margaritarum decore ornatis? Vidisti regem, qui noctibus atque diebus lacrymis precibusque deditus fuit : specta et Doctorem orbis in carcere competitum una cum Sila, et orantem tota nocte, neque dolore, neque vinculis prohiberi, sed eo magis ingentem fervidumque amorem declarare erga Do-

[1] Psal. CXVIII, 62. — [2] Id. XLI, 4. — [3] Id. VI, 6.

minum ; « Paulus enim, inquit, et Silas media nocte oran-» tes, laudabant Deum [1]. » David in regno et diademate lacrymis et precibus totam vitam insumebat; Apostolus, qui in tertium cœlum raptus, cui arcana sunt revelata mysteria, media nocte in vinculis preces et laudes offerebat Domino. Et rex media nocte expergefactus confitebatur : et Apostoli media nocte continuas preces et laudes reddebant. Illos imitemur et nos, et precum assiduitate vitam nostram muniamus, et nullum nobis unquam erit obstaculum. Nihil enim est quod obesse nobis possit, modo sobrii simus. Num loco et tempore nobis opus est? Omnis locus, omne tempus huic accessui convenit. Nam iterum audi Magistrum orbis dicentem : « In omni loco levantes sanctas » manus absque ira et disceptatione [2]. » Si mentem habueris purgatam ab illicitis affectionibus, sive in foro, sive domi, sive in via, vel in carcere, vel in mari, vel in diversorio, vel in officina, et ubicumque fueris constitutus, poteris, invocato Deo, voti fieri compos. Quod cum sciamus, obsecro ut cum jejunio precibus diligentiam adhibeamus, subsidium nobis inde parantes : quo supernam assecuti gratiam, et præsentem vitam ita agamus ut Deo probetur, et in futuro misericordiam aliquam adipiscamur, gratia et miserationibus Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Act. xvi, 25. — [2] 1 Tim. ii, 8.

HOMILIA XXXI.

Et accepit Tharra Abram et Nachor filios suos, et Lot filium Aram filii sui, et Saram nurum suam, uxorem autem Abram filii sui; et eduxit eos ex terra Chaldæorum, ut proficiscerentur in terram Chananæorum : et venit usque Charran, et habitavit illic [1].

I. Ingentes vobis habeo gratias, quod hesternum de oratione sermonem cum voluptate susceperitis, et tanto studio ad audiendum confluatis. Illud enim nos reddit alacriores, et hoc spirituale convivium largius vobis proponamus. Quia et agricola, si quando videt agrum et jacta semina virescere et germinare, segetemque vernare, nihil quod ad se attinet, intermittit, quotidie congruentem illius curam agens, et nocte dieque considerans, ne forte quid labores suos lædat: simili modo et ego spiritualem hunc agrum vestrum florere, et semen hoc spirituale in sinibus vestræ mentis recondi videns, gaudeo et lætor, multumque sum anxius, non ignorans quam malignus sit hostis, qui vestræ saluti insidiatur. Nam quemadmodum piratæ, quando vident navem multis mercibus oneratam, et plurimas advehentem divitias, tunc potissimum varias moliuntur insidias, ut possint merces omnes demergere, ac vectores illos spoliare : ita sane et diabolus, cum viderit spirituales multas divitias coacervatas, alacritatem fervidam, mentem vigilem, et quotidie divitias augeri, cruciatur ac dentibus frendet, et quasi pirata circumit, innumerasque excogitat artes, ut si qua vel parvum

[1] Gen. xi, 31.

inveniat aditum, nos denudet ac spoliet, et quidquid nobis est spiritualium divitiarum deprædetur. Igitur sobrii simus, quæso, et quanto magis spirituales nostræ facultates crescunt, tanto magis et vigiliæ nostræ augeantur, ut undique excludamus insidias, et benevolentiam Dei vita optima nobis conciliantes, superiori loco stemus, quam ut illius jacula nocere queant. Mala enim bestia est, et multiplices machinationes struit, et quando non potest recta nos ad vitia allicere, et suis dolis inescare; non enim cogit, vel vim facit, absit: sed decipit tantum, et quos negligentes videt, supplantat; quando igitur salutem nostram nequitia sua manifeste lædere nequit, sæpe per ipsa opera virtutis, quæ agimus, clanculum esca illata, divitias nostras perdit omnes. Quid igitur est hoc, quod dico? operæ-pretium enim fuerit manifestius explicare, ut illius cognitis insidiis, damnum quod inde nascitur, vitare possimus. Quando videt nos nuda vitia vix admittere, et fugere intemperantiam, continentiam vero amplexari, ad hæc aversari avaritiam, odio habere injustitiam, ridere et contemnere delicias, jejuniis autem et precibus vacare, ac eleemosynis dare operam, tunc alium comminiscitur dolum, quo pessumdet omnes nostras opes, totque bona opera nostra reddat inutilia. Nam qui magna constantia machinationes ipsius vicerunt, facit ut bonis operibus inflentur, et ad humanam spectent gloriam, quo scilicet a vera eos gloria deturbet. Etenim qui spirituale quid faciens humanam respicit gloriam, mercedem suam hic accipit, et jam ultra Deum non habet debitorem. A quibus enim gloriam quærit, ab iis laudes nactus est, et se privat illis, quas Dominus promisit, utpote majoris faciens momentaneam hominum laudem, quam Dei omnium conditoris: id quod Christus de precibus, eleemosynis, et jejuniis antea docuit, sic dicens: « Quando jejunas, unge caput tuum, et lava faciem tuam,

» ut ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est » in occulto : et Pater tuus, qui videt in occulto, reddet tibi [1].» Et iterum : « Quando facies eleemosynam, ne tuba canas, » inquit, ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis » et plateis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico vo- » bis, acceperunt mercedem suam [2]. » Vidistis quomodo, qui hanc gloriam inquirit, illam amittit? Qui autem virtutem ita operatur, ut latere velit homines, in die illo terribili palam accipiet a Domino retributionem. « Nam Pater » tuus, qui videt in occulto, reddet tibi in manifesto. » Ne cogites, inquit, nullum hominem te laudare, et te virtutem clam exercere : sed hoc cogita tantam fore paulo post Domini liberalitatem, ut non sinat hoc clam vel in occulto esse, sed præsente omni hominum genere, ab Adam usque ad consummationem sæculi te prædicet, et coronet, susceptorumque in exercenda virtute laborum præmia tribuat. Qua igitur excusatione digni fuerint ii, qui laborem virtutis sustinent, et propter momentaneam et vilem futilemque hominum gloriam, æterna illa semetipsos privant?

II. Obsecro igitur ut nos bene muniamus, et quodcumque spirituale opus aggrediemur, hoc studeamus in promptuariis animi nostri recondere, ut laudet nos oculus ille, qui nunquam dormitat, ne propter hominum laudes, sæpe ad gratiam captandam datas, indigni efficiamur Domini laudibus. Hæc enim ambo perniciosa sunt, et saluti nostræ noxia; spirituale aliquid operando ad humanam spectare gloriam, et bene agendo sublime de se sapere. Idcirco sobrios esse nos oportet ac vigiles, et apponere nobis quotidiana e sacris Litteris pharmaca, ita ut perniciosis affectionibus istis non irretiamur. Nam etsi quis innumera bona opera fecerit, virtutemque omnem absolverit, si tamen magnum quid de se sentiat, omnium miserrimus

[1] Matth. vi, 17, 18. — [2] Ibid. 2.

fuerit. Quod nobis manifestum est ex iis quæ Pharisæo acciderunt [1], qui dum magna de se sensit, et Publicanum contempsit, subito deterior factus est Publicano, et omnes virtutum divitias lingua sua effudit, ac se nudans vacuumque constituens, stupendum et novum naufragium pertulit : cum enim ad portum pervenisset, omnes merces suas submersit. Nam si id infortunii propter preces indigne emissas accidat, perinde est ac si quis in medio portu naufragium faciat. Propterea et Christus Discipulis suis præcipiens, dicebat : « Cum omnia feceritis, dicite : » Servi inutiles sumus [2]. » Quo dicto munire eos vult, et quam longissime a pernicioso illo morbo alienare. Vidistis, charissimi, quomodo is, qui humanam gloriam ambit, ejusque gratia virtutis exercitia adit, utilitatem nullam percipit, et post exantlatos omnes virtutis labores, si de iis videatur altum sapere, omnium vacuus nudusque evadat? Fugiamus igitur, obsecro, perniciosas illas affectiones, et ad illum semper vigilem oculum spectemus tantum, ac nihil commune habeamus cum nostri generis hominibus, neque ab eis laudari quæramus, sed contenti simus dominica laude. « Cujus laus, inquit, non ex homi- » nibus, sed ex Deo [3]. » Et quo magis virtutibus locupletamur et crescimus, hoc magis modesti simus et humiliemur. Nam etsi ad summum virtutis apicem pertigerimus, si id grato animo cum Dei beneficiis comparemus, facile videbimus ne minimam quidem partem nos eorum, quæ in nos contulit, adæquasse. Hinc enim omnes Sancti probati fuerunt, et Deo accepti. Hoc ut discas, audi Doctorem orbis, animam illam, quæ in cœlum usque pertingit, quomodo post tot præclara opera, post tantum de cœlo testimonium: « Vas enim, inquit, electionis est mihi hic [4] ; » non oblivisciturs uorum delictorum, sed ambabus manibus, ut aiunt,

[1] Luc. XVIII, 14. — [2] Id. XVII, 10. — [3] Rom. II, 29. — [4] Act. IX, 15.

ea versat, et neque eorum memoriam obliterari patitur, de quibus certissimus erat ipsa per baptismum fuisse dimissa : sed clamat et dicit : « Minimus sum Apostolorum, » et non sum dignus vocari Apostolus [1]. » Et postea, ut ingentem ejus discamus humilitatem, addit : « Eo quod per- » secutus sum Ecclesiam Dei [2]. » Quid agis, o Paule ? Dominus per misericordiam suam delevit et dimisit omnia peccata tua, et tu ea adhuc subinde versas, et memoras ? Etiam : scio enim, inquit, et non ignoro Dominum meum ille dimisisse ; sed dum mecum considero quæ fecerim, et video divinæ misericordiæ pelagus, tunc probe disco me gratia et misericordia Dei esse id quod sum. Nam cum dixisset : « Non sum dignus vocari Apostolus, eo quod Ec- » clesiam Dei sum persecutus, » subdit : « Gratia autem » Dei sum id quod sum [3]. » Ego quidem, inquit, tanta ferebar insania, ineffabilis autem ejus bonitas et gratia remissionem dedit. Vidistis animam contritam, et memoriam peccatorum, quæ ante baptismum commiserat perpetuo circumferentem ? Illum et nos imitemur, et eorum, quæ post baptismum admisimus, quotidie memores, continuoque ea in mente versantes, nunquam permittamus ut ipsorum obliviscamur. Hoc enim frenum sufficiet ad humiliandum nos, et ad modestiam ingenerandam. Et quid dico Paulum tantum et talem virum ? Vis videre etiam eos, qui in veteri lege hinc maxime claruerunt, quod post innumera bona opera, et ineffabilem apud Deum fiduciam, modesti fuerint ? Audi quid dicat Patriarcha, postquam consuetudinem cum Deo habuit, et facta est ei promissio : « Ego autem, inquit, terra sum et cinis [4]. »

III. Cæterum quia in Patriarchæ mentionem incidimus, si placet, ea quæ hodie lecta sunt proponamus charitati vestræ, quo illis explicatis videamus excellentem Justi virtu-

[1] 1 Cor. xv, 9. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 10. — [4] Gen. xviii, 27.

tem. « Et accepit, inquit, Tharra Abram et Nachor filios »suos, et Lot filium filii sui : et Saram nurum suam, »uxorem autem Abræ filii sui, et eduxit eos ex terra »Chaldæorum, ut proficiscerentur in terram Chananæo»rum, et venit usque ad Charran, et habitavit illic. Et fue»runt omnes dies Tharræ in Charran, anni ducenti quin»que, et mortuus est in Charran[1]. » Animum diligenter, obsecro, iis quæ lecta sunt, adhibeamus, ut mentem eorum, quæ in scriptis latent, deprehendamus. Ecce enim mox in principio videtur esse quæstio. Nam cum ille beatus Propheta, Moses inquam, dixerit : « Accepit Tharra »Abram et Nachor, et eduxit ex terra Chaldæorum, ut »proficiscerentur in terram Chananæorum : et venit usque »ad Charran, et habitavit illic : » beatus Stephanus Judæos laudans, inquit : « Deus gloriæ visus est Patri nostro Abra»ham, cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret »in Charran[2], » et illinc, postquam mortuus est pater ejus, proficisci jussit[3]. Quid igitur? dissident-ne a seipsis divinæ Scripturæ? absit ; sed ex hoc animadvertere licet, quod cum filius religiosus esset, visus ei Deus imperavit ut inde migraret. Quod ut agnovit Tharra pater ejus, licet infidelis esset, attamen ob amorem in filium, socius illi peregrinationis esse voluit. Et ut venit in Charran, ac illic habitavit aliquandiu, vita hac excessit. Patriarcha autem tunc, jubente Deo, in Chananæam concessit. Denique non antea cum Deus inde evocavit, donec mortuus est Tharra. Tunc enim illo defuncto, inquit : « Et dixit Dominus Abræ : »Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo »patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi. Et »faciam te in gentem magnam : et benedicam tibi, et ma»gnificabo nomen tuum, et eris benedictus, et benedicam »benedicentibus te, et maledicentes te maledicam, et BE-

[1] Gen. xi, 31, 32. — [2] Act. vii, 2. — [3] Ibid. 4.

» BENEDICENTUR IN TE omnes tribus terræ [1]. » Singula dicta diligenter perscrutemur, ut religiosam et piam Patriarchæ mentem videamus. « Et dixit, inquit, Dominus Abræ : » Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo » patris tui, et veni in terram quam monstravero tibi. » Ne prætereamus obiter dicta, sed animadvertamus quantum imperii pondus. « Egredere, inquit, de terra tua, et de » cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram » quam monstravero tibi. » Quasi diceret : Relinque certa, et omnibus aperta, et elige magis incerta et non apparentia. Considera quomodo ab initio exerceatur Justus, ut præeligat non apparentia præ apparentibus, et futura præ iis, quæ in manibus sunt. Neque enim vulgare et parvum aliquid erat id, quod ei ut faceret præcipiebat Deus : nempe ut terram relinqueret, quam inhabitarat tanto tempore, et omnem cognationem, et totam patris domum, iretque nesciens et ignorans quorsum. Non enim dixit ei in quam regionem transferre eum vellet, sed mandato indefinito pium Patriarcham exercuit : « Veni enim, inquit, in terram » quam monstravero tibi. » Cogita, quæso, dilecte, quam sublimem animum requirebat hoc mandatum : qui plane nulla vel affectione, vel consuetudine impediri potuerit. Si enim nunc post tanta religionis incrementa, multi adeo sunt consuetudini suæ alligati, ut potius multa, etsi necessitas urgeat, omniaque ferre velint, quam loca mutare, in quibus prius habebant domicilium : id quod non solum a vulgaribus hominibus fieri videmus, sed etiam ab iis, qui e medio tumultu fugere, et monasticam vitam delegerunt : quanto magis verisimile erat Justum illum ad hoc mandatum tardiorem fore ? « Egredere, inquit, et relinque cog- » natos, et domum paternam, et veni in terram quam » monstravero tibi. » Quem non turbarent verba ista ? ne-

[1] Gen. XII, 1-3.

que locum, neque regionem certam ei designat, sed indefinito præcepto mentem explorat Justi. Nam si quis alius, et e vulgo fuisset, is qui mandatum accepit, dixisset utique : « Esto, præcipis ut relinquam terram, quam inhabito, cognationem, domum paternam : quare non etiam locum declaras, in quem me proficisci jubes, ut certiorem me reddas quantum sit iter agendum ? Unde enim nosse valeam hac, quam relinquo, uberiorem et præstantiorem illam esse ? » At Justus nihil horum vel dixit, vel cogitavit; sed respiciens ad magnitudinem eorum, quæ imperata erant, iis quæ in manibus habebat, incerta præferebat. Atqui si non tam generosum spiritum, nec tam philosophicam mentem habuisset, nec didicisset per omnia Deo parendum esse; fuisset tamen ei et aliud etiam ipsum non parvum impedimentum, nempe mors patris. Scitis enim multos sæpenumero propter sepulcra cognatorum in illis locis mori deligere, ubi parentes eorum mortui et sepulti sunt.

IV. Verisimile igitur erat et Justum hunc, nisi Deum plurimum amasset, talia potuisse cogitare. Ecce pater propter suum in me amorem, e domo sua profectus, pristinas consuetudines despexit, et contemptis omnibus huc usque venit ; quasi diceret : « Propter me in aliena terra vita defunctus est : ego autem non daturus sum operam, ut post mortem par ei reddam, sed, relicto cum cognatione patris sepulcro, hinc abeam ? » Atqui nihil horum alacritatem ejus remorari potuit : sed omnia levia et facilia ei repræsentabat suus in Deum amor. Fortassis et illud mente tractasset, siquidem humanis rationibus res suas moderari voluisset. « In hac ætate, qua nunc ad postremam senectam tendo, quorsum abiturus sum ? Non fratrem mecum ducens, neque cognatos mecum habens, sed ab omnibus consanguineis sequestratus, quomodo solitarius et peregrinus, in terram alienam pergam, nescius ubi errandi finis

futurus sit? Quod si medio in itinere contingat me vita defungi, quæ tantæ miseriæ fuerit utilitas? quis me mortuum curabit senem, peregrinum, carentem civitate, carentem domo? Fortassis uxor vicinos exorabit ut commiserationem quamdam in me exhibeant, et justa ex collatitia stipe faciet. Quanto satius fuerit, ut ipse brevi quod superest tempore hic residens, vitam terminem, quam si senex hinc et inde vager et omnium scommatis incessar, qui neque in ætate illa quietus vivam, sed loca locis mutans, nullibi subsistam? » Cæterum Justus iste nihil horum cogitavit, sed præcipienti obedire festinavit. Sed forte dixerit quispiam : « Ad incitamentum satis fuit ei : « Veni in terram quam tibi monstravero, et faciam » te in gentem magnam, et benedicam te. » Verum istuc ipsum, nisi pius fuisset, satis erat ad reddendum eum segniorem, et ad obedientiam magis cunctabundum. Nam si unus aliquis e vulgo fuisset, dicere potuisset : « Quare me peregre proficissi jubes, et in alienam terram abducis? quare si me magnum facere vis, non hic magnum facis? quare in domo paterna versantem, tua benedictione non dignaris? Quod si contingat, priusquam perveniam in locum quem jubes, defatigatum me itineris laboribus perire, et vitam finire, quæ mihi ex promissis utilitas? » At nihil horum vel in mente suscipiendum censuit, sed sicut fidelis servus ad solum imperium obedivit, nihil curiose quærens, nullumque aliud negotium prætexens; sed obtemperavit, certum habens neutiquam mendacia esse Dei promissa. « Et faciam te in gentem magnam, inquit, » et benedicam te, et magnificabo nomen tuum, et eris » benedictus. » Magnum promissionis pondus. « Faciam » te, inquit, in gentem magnam et benedicam te et » magnificabo nomen tuum : » Non solum genti magnæ te præficiam, et nomen tuum extollam : sed et « Bene-

» dicam te, et eris benedictus. » Ne putes, dilecte, meram repetitionem esse, et idem bis proferri, cum dicitur : « Be » nedicam te, et eris benedictus. » Tanta enim te, inquit, benedictione dignabor, ut illa in omne sæculum sit duratura. Eris enim benedictus, ita ut omnes summi honoris loco habituri sint, si eis tecum familiaritas contingat. Vides quomodo antea et ab initio ei prædicit claritatem, quam illi daturus erat. « Faciam te, inquit, in gentem magnam, » et magnificabo nomen tuum, et benedicam te, et eris » benedictus. » Idcirco et Judæi de Patriarcha superbientes volebant se in ejus familiam intrudere, et dicebant : « Filii Abraham sumus [1]. » Sed ut discant se propter malos mores indignos esse illa familia et genere, dicit eis Christus : « Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis » utique [2]. » Joannes quoque, Zachariæ filius, cum ad Jordanem confluerent baptizari cupientes, dicebat eis : « Pro- » genies viperarum, quis monstravit vobis fugere a futura » ira ? Facite igitur fructum dignum pœnitentiæ. Et ne » præsumatis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico » enim vobis quod potest Deus ex lapidibus istis excitare » filios Abrahæ [3]. » Vidistis quomodo magnum apud omnes ejus nomen fuerit ? sed ante eventum Justi pietas monstratur, quomodo dictis Dei crediderit, et omnia quæ videbantur esse gravia, magna facilitate susceperit. « Et bene- » dicam, inquit, benedicentes te, et maledicentes te male- » dicam, et BENEDICENTUR IN TE omnes tribus terræ. » Vide quomodo attemperat sermonem Deus, et quantum amicitiæ monstrat argumentum. Illos, inquit, amicos habebo, qui benevole erga te erunt affecti, et illos inimicos habebo, qui erga te contrario modo erunt affecti : id quod vix filii erga patres faciendum putarent, ut eosdem quos illi haberent amicos et inimicos. Maxima, dilecti, in Patriar-

[1] Joan. VIII, 39. — [2] Ibid. — [3] Matth. III, 7-9.

cham Dei hæc est benevolentia. Illos enim, inquit, benedicam, qui benedicent tibi, et illos maledicam, qui maledicent tibi : « Et BENEDICENTUR IN TE omnes tribus » terræ. » Ecce et alterius liberalitatis additamentum. Omnes enim tribus terræ enitentur, ut in tuo nomine benedicantur, et res suas tua appellatione honestiores faciant.

V. Audistis, dilecti, qualia imperavit Dominus Chaldæo seni, qui neque legem noverat, neque Prophetarum legerat vaticinia, neque ullam aliam doctrinam acceperat? Vidistis quanta præceptorum moles? quomodo ad ea perficienda, sublimi et juvenili animo habebat opus? Videte posthac et Patriarchæ probitatem, quomodo nobis eam Scriptura manifestet. « Et profectus est, inquit, Abram, sicut locutus » est ei Dominus Deus, et ivit cum eo Lot [1]. » Non simpliciter dixit : « Et profectus est Abram, » sed : « Sicut lo» cutus est ei Dominus Deus. » Omnia, inquit, fecit quæ ad præceptum hoc pertinebant. Dixit ut relinqueret omnia, et cognationem et domum; et reliquit. Dixit ut iret in terram quam nesciret : obtemperavit. Promisit Deus se facturum eum in gentem magnam, et benedicturum : credidit Abram etiam hoc eventurum. Sicut locutus est ei Dominus, ita profectus est, id est, credidit iis, quæ sibi a Deo sunt dicta, nihil fluctuans, nihil dubitans, sed firmato animo ita profectus est : idcirco et a Domino magnam obtinuit gratiam. « Et ivit, inquit, et Lot cum eo. » Quare cum Dominus dixerit : « Egredere de terra tua, et de cognatione tua, » et de domo patris tui, » hunc assumpsit? Non fuit inobediens Domino ; sed forte quia juveni erat patris loco præfectus : et ille ob singularem amorem, morumque suavitatem a Justo divelli noluit, hac de causa, Abram eum relinquere noluit : insuper eum filii loco postea habuit; præsertim quod tam grandævus nullum adhuc ha-

[1] Gen. XII, 4.

beret filium propter Saræ sterilitatem. Alioquin etiam mores adolescentis non multum a Justi probitate aberant. Nam hoc ipsum quod propositis ei duobus fratribus, ipse Justo adhæreret, quantæ prudentiæ fuit ; dijudicare nempe et discernere cui patruorum sui curam permittere deberet ? Insuper et peregrinationem eligere, honestatis morum erat indicium. Nam licet tandem in quibusdam errasse videatur, quando potiores sibi partes usurpavit, attamen vestigium Justi subsequi proxime studebat. Atque ideo Justus illum in socium itineris accepit, et ipse magna alacritate peregrinam vitam domesticæ prætulit. Porro ut sciamus hæc a Deo fuisse imperata Patriarchæ, non cum juvenis esset, sed jam ad senectam vergenti, quando plerique hominum ad peregrinandum segniores sunt, inquit : « Abram » autem erat annorum septuaginta quinque, quando ex» ivit ex Charran [1] . » Vidistis quomodo nec ætas ei fuit obstaculo, neque aliud quiddam potuit eum detinere ut domi resideret : sed vicit omnia ipsius in Deum amor. Anima enim vigilans et sobria, cuncta abrumpit impedimenta, totaque fit ejus quem amat, et a nullo quod in medio difficile appareat, retardari se patitur : sed omnia præterit, nec subsistit priusquam re desiderata potiatur. Propterea et Justus iste neque senectute, neque aliis pluribus causis prohiberi potuit quin, omnibus disruptis vinculis, quasi juvenis et ætate florens, quasi a nullo prohibitus, festinaret et anhelaret Domini præceptum perficere. Neque enim possibile est ut rem fortem et egregiam quis unquam aliter faciat, nisi antea adversus omnia, quæ ejusmodi conatui obsistere possunt, se armet et instruat. Hoc utique clare sciens Justus ille, omnibus præteritis, non curabat vel consuetudinem, vel domum paternam, vel sepulcrum, vel senectutem ipsam : sed in hoc duntaxat figebat men-

[1] Gen. xii, 4.

tem, quomodo implere posset quod a Domino fuerat imperatum. Et videre erat rem magno periculo plenam, hominem in provectissima senecta, cum uxore etiam ipsa ætatis provectæ, et multis famulis se alio transferre, nescium ubinam errandi futurus finis esset. Quod si quis et illud prudenter expendat, quantæ per illud tempus viarum difficultates erant : neque enim, sicut nunc, licebat impavide cum aliis versari, et tam facile profectiones suscipere; cum singula loca propriis principatibus distincta essent, necesseque esset iter agentibus ab aliis ad alios principes transire, et fere quotidie de regno in regnum progredi. Erat igitur et hoc obstaculum Justo, nisi tantum habuisset amoris et mandata perficiendi desiderium. Verum omnibus illis impedimentis, quasi araneæ telæ essent, disruptis, menteque fide roborata, probe fidens dignitati promittentis, iter aggressus est. « Et accepit, inquit, Abram Sa» ram uxorem suam, et Lot filium fratris sui, universam» que substantiam, quam possederant in Charran, et exivit » ut proficisceretur in terram Chanaan[1]. »

VI. Vide Scripturæ diligentiam, quomodo nobis omnia narrat, ut per omnia discamus Justi pietatem ac religionem. « Accepit, inquit, Saram uxorem suam, et Lot, univer» samque substantiam, quam possederant in Charran. » Non simpliciter dixit : « Omnia quæcumque possederant in » Charran : » sed ut discamus nihil ex bonis chaldaïcis accepisse Patriarcham, sed paternis illis omnibus fratri relictis, exiisse, ea solum secum ferentem quæ et in Charran possidebat. Et hoc faciebat vir admirandus, non quod illa magni faceret, vel quod avarus esset, sed ut ex facultatibus illis posset omnibus testari, quanta Dei erga se fuisset providentia. Qui enim ex terra Chaldæorum eum eduxit, et iterum inde migrare jussit, ipse et substantiam illius quo-

[1] Gen. xii, 5.

tidie augebat, et omnem molestiam auferebat. Itaque quod hæc secum ferret, et per totam viam sic procederet, specimen erat piæ religiosæque mentis. Quicumque enim eum videbat, merito causam inquirebat, quare Justus ille peregrinaretur. Deinde intelligens eum jussu Dei in alienam terram, relictis propriis, transire, per opera ipsa docebatur et discebat quam pia esset Justi obedientia, et quam ingens Dei erga illum providentia. « Et exivit, inquit, ut proficis» ceretur in terram Chanaan. » Unde sciebat in terra Chananæorum futurum esse suæ peregrinationis terminum ; quamvis præceptum ita se haberet : « Veni in terram, quam » monstravero tibi ? » Fortasse Deus ei et hoc significavit, indicans menti ejus terram, in qua ipsum constituere volebat. Propterea enim cum præciperet ei, indefinite dicebat : « Veni in terram, quam monstravero tibi, » ut nobis Justi virtutem detegeret. Deinde postquam ille quod suum erat abunde attulit, mox Deus ei significavit in qua terra vellet eum domicilium habere. Quia enim eximias Justi virtutes prævidebat, idcirco eum ex eo loco evocavit, et neque fratrem ut acciperet jussit : quoniam volebat hunc doctorem fieri, nunc quidem omnibus Palæstinam incolentibus, paulo post autem etiam Ægyptiis. Vidistis quomodo non in natura, sed in voluntate et animo nostro sita sunt tam quæ ad virtutem, quam quæ ad vitia pertinent ? Ecce natura quidem fratres erant, ipse Patriarcha et Nachor, voluntate autem non item. Sed ille, licet frater ad tantam virtutem pervenisset, adhuc errore præoccupatus erat : hic autem omnibus quotidie per opera ipsa monstrabat virtutis suæ secundum Deum incrementa. « Et venit, » inquit, in terram Chanaan, et pertransivit Abram ter» ram in longitudinem ejus, usque ad locum Sychem, ad » quercum excelsam [1]. » Docet nos Scriptura locum regio-

[1] Gen. XII, 6.

nis, in quo nunc Justus domicilium collocat. Deinde, ut sciamus quomodo se illic res habebant, inquit : « Chana-» næi autem tunc inhabitabant terram[1]. » Neque hoc simpliciter et absque causa beatus Moses assignavit, sed ut discamus etiam illinc mentem Patriarchæ philosophicam. Quia cum loca illa præoccupata essent a Chananæis, cogebatur quasi vagus et peregrinus, et quasi abjectus et vilis homo diversari, sine ullo forte hospitio. Attamen neque illud moleste ferebat, neque dicebat : «Quid hoc est? Egone, qui tanto cum honore, et tanta cum familia agebam in Charran, nunc cogor sicut civitate carens, et peregrinus, et advena obambulare, idque gratiæ loco ducere, et quietem in vili quærere diversorio, et neque hoc invenire possum, sed in tabernaculis et tuguriolis versari, aliasque miserias ferre cogit me necessitas. Hoccine est, quod dicebat : « Veni, et faciam te in gentem magnam ? » Pulchra scilicet præludia, quid suave posthac expectandum ?» At nihil tale dicebat Justus, neque fluctuabat, sed integra mente et perfecta fide, bene fidens Dei promissis, immoto perstitit animo, unde statim et supernam consolationem accipere meruit.

VII. Verum ne sermonem producamus longius, hic ei finem imponamus, illud unum orantes charitatem vestram, ut mentem Justi illius imitemini. Etenim absurdissimum esset, si cum Justus ille de terra in terram vocatus, tantam præ se tulerit obedientiam, et neque senectus, neque alia quæ enumeravimus præpedimenta, neque temporum difficultas, neque ulla alia, quæ remorari ipsum posse videbantur, ad obediendum tardiorem eum facere potuerint; sed omnibus vinculis ruptis, cucurrerit et festinaverit senex, quasi juvenis resumptis viribus, cum uxore, et fratris filio, et famulis, ut perficiens opere quod sibi a Deo de-

[1] Gen. xii, 6.

mandatum erat; nos autem, qui non de terra in terram vocamur, sed de terra in cœlum, non eamdem quam ille Justus alacritatem obediendo exhibeamus, sed frigidas plerumque et inutiles prætexamus causas, et neque nos promissorum magnitudo, neque visibilium rerum vilitas, neque quod terrenæ illæ sint et momentaneæ, neque vocantis dignitas adeo attrahat : sed adeo simus negligentes, ut præferamus momentanea semper manentibus, terram cœlo, ea quæ avolant antequam habeantur, iis quæ nunquam finem accipere possunt. Quousque enim, dic, quæso, ita insaniemus in colligendis pecuniis? quæ rabies cogit quotidie a tam molesta concupiscentia infestari, et nunquam satiari, sed deterius habere quam qui sunt ebrii ? Nam sicut illi quanto magis mero se distendunt, tanto magis flagrant siti, et caminum succendunt graviorem; ita nimirum et isti, qui sese tyrannidi avaritiæ subjecerunt, nullum concupiscendi finem faciunt : sed quanto plura affluunt, tanto magis flamma crescit, et caminus ardet validius. Non videmus quod ii, qui ante nos fuere, quamvis propemodum totius orbis domini essent, nudi et solitarii ex hac vita abrepti sunt, hoc solum inde consecuti quod rationes et pœnæ pro omnibus illic ab eis exigendæ sint ? Et quidem sæpenumero diversi facultates eorum inter se distribuerunt : peccata autem ex illis contracta, ipse solum secum auferens, abscedit, et pro iis magnæ indignationis supplicia sustinens, consolatione undique destituitur. Quare igitur, dic, oro, tam negligentes salutis nostræ, ita segniter animæ nostræ consulimus, quasi aliena esset, et non nostra ? Non audis Christum dicentem : « Quam dabit homo commuta» tionem pro anima sua [1] ? » Et iterum : « Quid prodest ho» mini si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detri» mentum patiatur [2] ? » Num quidpiam habes huic æquipa-

[1] Matth. XVI, 26. — [2] Ibid.

randum? Etiamsi totum orbem dixeris, nihil dices. Quæ enim utilitas, sicut dixit Christus, totum mundum lucrifacere, animæ autem detrimentum pati, qua nihil nobis magis proprium? Verum eam, quæ tam pretiosa est, cujus tantam curam agere debemus, ut nihil illi præferri debeat, sic despicimus, ut quotidie discerpatur, et interdum ab avaritia obsideatur, aliquando a luxuria laceretur, interdum ab ira confundatur, et a singulis affectibus multifariam vexetur, et nullam vel sero tandem illius geramus sollicitudinem. Quis nos posthac dignabitur venia, et ab imminente supplicio eripiet? Idcirco obsecro ut, dum tempus habemus, detergamus ejus sordes largis elcemosynis, et illis peccatorum nostrorum flammam extinguamus. « Ignem » enim, inquit, ardentem extinguet aqua, peccatum vero » elcemosynis purgatur [1]. » Nihil enim prorsus perinde nos eximere potest a gehenna ignis, atque largitas eleemosynæ. Istam si præstiterimus secundum leges a Domino traditas, nempe nihil ad ostentationem facientes, sed ob amorem in Deum, poterimus et peccatorum nostrorum maculas abluere, et divinam misericordiam assequi, gratia et miserationibus unigeniti Filii ejus, cui cum Patre et sancto Spiritu, sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Eccli. III, 33.

HOMILIA XXXII.

Et visus est Dominus Abræ, et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc, et extruxit ibi altare Domino, qui visus est ei [1].

I. Multus et immensus in iis, quæ paulo ante sunt lecta, thesaurus latet, dilectissimi, et opus est intenta mente, sobriaque et vigilanti ratione, ita ut nihil eorum, quæ in brevibus verbis latent, nos prætereat. Nam propter hoc et misericors Deus non facili et perfunctoria lectione voluit nobis omnia, quæ in Scripturis continentur, manifesta et perspicua esse, ut, excussa somnolentia nostra, vigilantia multa utentes, decerpamus utilitatem. Solent enim ea, quæ labore et inquisitione aliqua inveniuntur, magis infigi nostræ menti : ea vero, quæ facile inveniuntur, citius e corde nostro avolare. Obsecro igitur ne simus negligentes, sed excitemus mentem nostram, et penitus in ipsam Scripturarum profunditatem intueamur, ut majori inde lucro accepto, domum redire liceat. Est enim Ecclesia Dei mercatus quidam spiritualis medicorumque officina animabus : et par est, ut sicut qui ad nundinas veniunt, inde multis mercibus collectis redeamus : vel quasi e medici domo, receptis quæ morbis nostris congruunt medicamentis, exeamus. Non enim ideo quotidie confluimus, ut duntaxat conventus fiant simpliciter, sed propterea congregamur, ut unusquisque pharmaco suis affectibus congruenti sus-

[1] Gen. XII, 7.

cepto, domum concedat. Quomodo enim non fuerit absurdissimum nos a puerulis nostris ad ludum litterarium missis quotidie petere, quid discendo profecerint, et adjecerint; neque enim sineremus eos frustra, et absque utilitate in ludum ire, nisi fructum ampliorem inde consecutos videremus, nos autem qui justam ætatem habemus, et in spirituales scholas ventitamus, non par illis studium exhibere, maxime cum hæc in lucrum et salutem animarum spectent? Igitur obsecro ut se ipsum quotidie scrutetur unusquisque, quid ex hodierna, quid ex proxima lectione utilitatis retulerit, ut ne videamur et nos temere atque frustra adesse. Quod autem hoc nos culpa immunes reddat; offerimus enim quidquid nostri est officii, et nihil prorsus quod nostræ sit facultatis prætermus; quod vero iis, qui nobis succensent, nec occurrunt, nec dicta diligenter auscultant, majoris condemnationis sit occasio; audi Christum dicentem ei, qui talentum defoderat: « Serve » nequam, oportebat te pecuniam meam apud numularios » deposuisse, et veniens ego repetiissem eam cum usura [1]; » de Judæis autem: « Si non venissem, et locutus fuissem » eis, peccatum non habuissent, nunc autem excusationem » non habent [2]. » Cæterum nos nunc non hoc curamus, ut prorsus crimine careamus, et in nullo arguamur, sed vestrum profectum videre cupimus, et nostram lætitiam imminui arbitramur, etiam quantumvis innoxii ipsi simus, nisi et vos studium laboribus nostris dignum exhibueritis. Hæc enim nostræ lætitiæ materia est, si vestra in spiritualibus incrementa videamus. Et scio quidem vos per gratiam Dei tantum pollere intellectu, ut et alios valeatis exhortari, sed secundum beatum Paulum, memoriam vestram refrico [3], et provoco vestrum zelum animique studium, subinde hæc admonens, et cupiens vos perfectos et

[1] Matth. xxv, 26, 27. — [2] Joan. xv, 22. — [3] Rom. xv, 15.

absolutos esse. Non enim mediocre argumentum mihi est hoc vestri in divinis profectus, quod tanta alacritate quotidie huc conveniatis, et spirituali doctrina expleri non possitis. Nam quemadmodum corporalis cibi appetitus, indicium est optimæ valetudinis: ita desiderium spiritualis doctrinæ, manifestissimum argumentum est animæ bene valentis. Quapropter et ego bene conscius vestri desiderii, quod scilicet quantumvis producam sermonem, non possim vel sic explere desiderium, et alimento spirituali vos satiare, non desisto pro mea virili, ea quæ Dei gratia suppeditat, in vestram utilitatem quotidie vobis proponere, et divinæ Scripturæ doctrinam mentibus vestris inserere.

II. Age igitur et hodie misericordem Deum obsecremus, ut linguam nostram dirigat ad inveniendum quod quærimus, et pro more nostro vobis afferamus doctrinam, propositis primum his, quæ lecta sunt, charitati vestræ. « Et » visus est, inquit, Dominus Abræ [1]. Et dixit ei. » Nonne bene dicebam ab initio latere in paucis illis verbis magnum thesaurum? Ecce enim statim rarum et admirabile proœmium: « Et visus est, inquit, Dominus Deus Abræ. » Hoc primum invenimus in Scriptura nunc dictum, quod visus sit. Neque enim Scriptura divina verbo hoc usa est, cum de Adam, vel de Abel, vel de Noë, vel de alio quopiam locuta est. Quid igitur est quod dicitur: « Et visus » est? » Et quomodo alibi dicit: « Nullus videbit Deum, » et vivet [2]? » Quid igitur dicemus nunc Scriptura dicente: « Et visus est? » Quomodo visus est Justo? Num ipsam substantiam vidit? Non; absit. Sed quid? Sic visus est, ut ipse solus scit, et ut illi possibile erat videre. Solers enim cum sit sapiens et misericors Dominus noster, se humanæ attemperat naturæ, et semetipsum iis, qui se antea digne præparaverunt, ostendit. Idque demonstrat per Prophe-

[1] Gen. XII, 7. — [2] Exod. XXXIII, 20.

tam, dicens : « Ego visiones multiplicavi, et in manibus » Prophetarum assimilatus fui [1]. » Quoniam et Isaïas vidit eum sedentem [2] : hoc autem Deo indignum : Deus enim non sedet. Quî enim potest, cum sit incorporea, et interitui non obnoxia natura ? Et Daniel quoque vidit eum, ut « Antiquum dierum [3] : » Zacharias autem aliter eum contuitus est [4]. Sed et Ezechiel aliter, unde dicebat : « Ego visiones multiplicavi [5] : » hoc est, unicuique apparui pro sua dignitate. Et nunc quoque, quia Justum a domo ejus evocarat, et jusserat in alienam ire terram, in quam cum venisset, tanquam vagus agebat et peregrinus ; utpote Chananæis illic adhuc habitantibus ; inquirens ubi domicilium collocare ipsum conveniret, bonus Dominus consolari eum, et ejus firmare alacritatem volens, ut ne torpesceret, neque dubitaret de promissione jam sibi facta, qua dixit : « Veni huc, et faciam te in gentem mag- » nam : » quandoquidem diversa a promissione videbat fieri, et se obambulare uti abjectum et vilem, et omni præsidio destitutum, neque habentem ubi diverteret : ut igitur mentem ejus excitet, inquit : « Et visus est Domi- » nus Abræ, et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc [6]. » Est et hæc pollicitatio magna, et similis illi, per quam eum a domo evocarat. Dixerat enim : « Magnificabo nomen » tuum : » propterea nunc iterum dicit : « Semini tuo dabo » terram hanc. » Nam cum jam senex esset Justus, filioque careret, ob Saræ sterilitatem, promittit se ei, qui ex ipso nasciturus sit, terram daturum. Misericordiam Dei hic, oro, considera, quomodo cum præsciret Justi virtutem, vult eum omnibus manifestum facere, et in lucem efferre quasi margaritam aliquam ante occultam. Unde cum promissiones promissionibus adjunxisset, iterum parvam mo-

[1] Ose. XII, 10. — [2] Isaï. VI, 1. — [3] Dan. VII, 22. — [4] Zach. I, 8. — [5] Ezech. I, 1. — [6] Gen. XII, 7.

ram trahit et differt, ut hac potissimum ratione Patriarchæ pietas monstretur, quia res secus quam promittebantur evenire videns Beatus ille, non inquietus erat, nec impatiens, nec turbabatur, sed immotum habebat animum, certus ea, quæ semel a Deo sibi promissa fuerant, rata et firma fore. Paulatim vero perscrutemur singula, ut sic solertem optimi Dei sapientiam, simulque curam, quam erga Justum hanc declaravit, et Patriarchæ in Dominum amorem addiscamus. « Et visus est, inquit, Dominus Abræ. » Quomodo visus est? Sicut ipse Deus solus scit, et ille videre potuit. Non enim hoc dicere desinam, quandoquidem modum ignoro : audio enim solum Scripturam dicentem : « Et visus est Dominus Deus Abræ, et dixit ei : Semini » tuo dabo terram hanc. » Memores estote promissionum, quæ a Deo factæ sunt, ut cum audieritis Justum variis casibus jactari, discatis quanta fuerit philosophia instructus, quam solida fortitudine, quam firmo et immoto in Deum amore, et ex iis, quæ Justo illi contigerunt, erudiamini, ut ne existimetis eum derelictum esse a Deo, si quando videritis probum aliquem tentationibus vel aliis hujus vitæ afflictionibus vexari; sed cogitantes multiplicem dispensationum Dei varietatem, omnia incomprehensibili ejus providentiæ relinquatis. Nam si Justum illum tam pium, tantamque præ se ferentem obedientiam permittit tali modo tentari, quo statim bene scietis : non despiciens famulum suum, sed aliis omnibus volens illius detegere virtutem : solet enim ita cum Justis omnibus agere, et quotquot divinarum lectionum estis studiosi, poteritis ex superioribus discere et invenire eum ita famulorum suorum vitam dispensare; quomodo igitur non extremæ fuerit improbitatis existimare, Deo hæc concedente, Justum derelictum fuisse, et non potius inde magnæ providentiæ ingentisque clementiæ signum sumere? Ostendens

igitur eminentem ipsius virtutem, hæc duo præstat, servorum suorum patientiam fortitudinemque palam facit omnibus, et providentiæ suæ sapientiam etiam in mediis periculis difficultatibusque summis ostendit : nam cum prope deploratæ sint res, tunc quorsum vult, dirigit omnia, neque aliquid difficultatis in medio est quod impedire queat. « Et visus est, inquit, Dominus Deus Abræ, et » dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc. » Magna et desiderabilis promissio, præsertim Justo. Scitis enim quomodo qui jam provectæ senectutis sunt, et omnem vitam absque liberis transegerunt, optant liberos. Itaque Dominus obedientiæ mercedem ipsi præbens, quia mox ut audivit : « Egredere de terra tua, » non moras traxit, non distulit ; sed obedivit imperanti, et quod imperatum erat mox fecit ; inquit : « Semini tuo dabo terram hanc. »

III. Vide quomodo per hoc verbum mentem ejus erigit, et sufficientem ei tribuit laborum mercedem. Proinde et Justus gratum exhibens animum, statim ad gratiarum actionem convertitur. « Et extruxit illic, inquit, altare Domi- » no, quem viderat [r]. » Vide piæ mentis specimen. Et locum ipsum, ubi colloquio cum Deo dignatus fuerat, consecravit et gratiarum actionem pro viribus declaravit. Hoc enim quod dicit : « Extruxit altare, » idem est, quod gratias de promissis egit. Et sicut homines nonnunquam amicitia movet ut ibi domos ædificent, ubi cum germanis et sinceris amicis versantur et colloquuntur, et multi quoque sæpe civitates etiam condiderunt, quibus ex occasione congressus cum amicis nomina indidere : ita et Justus ille, ubi visionem Dei assecutus est : « Extruxit altare Domino quem » viderat, et discessit inde. » Quid est, « Et discessit inde ?» Quia Deo locus ille consecratus et Deo sanctificatus erat, « Discessit inde, et transiit in montem versus Orientem

[r] Gen. XII, 8.

» Bethel, et erexit ibi tabernaculum suum. [1] » Tumultuarium, inquit, domicilium fecit. Vide quomodo erat frugalis, et luxum fugiebat, quomodo tam expeditus, ut cum uxore et famulis tam facile migraret. Audiant viri, audiant mulieres. Nam sæpe in villam tantum exire volentes, multa molimur, valdeque occupati sumus, eo quod plurima nobiscum trahamus, quæ non solum non sunt nobis usui, sed et supervacanea, et inutilia, et pompæ gratia apparata, quæ nobiscum ducimus et circumferimus. Verum Justus ille non sic egit; sed quia Dominus dignatus est cum ipso colloquium habere, locum consecravit, altare extruxit, ac magna facilitate alio migravit. « Et erexit illic tabernacu» lum suum in Bethel juxta mare et Aggæ, versus Orien» tem. Et ædificavit, inquit, ibi altare Domino, et invocavit » in nomine Domini [2]. » Vide quomodo per omnia religiosam mentem præ se fert. Illic enim ob promissionem sibi a Deo factam aram extruxit, et loco consecrato discessit: hic autem quia tabernaculum fixerat, iterum « Ædificavit, » inquit, altare Domino, et invocavit in nomine Domini. » Vidisti mentem bene institutam, et sapientiæ deditam? vidisti quomodo quod scribens admonuit admirabilis orbis doctor beatus Paulus dicens : « In omni loco levantes » sanctas manus [3]; » id Patriarcha prius opere complevit, in singulis locis altaria erigens, et Domino gratias agens? Sciebat enim, sciebat manifeste nihil aliud requirere ab humano genere Deum universi, post innumera et ineffabilia beneficia sua, quam animum gratiarum actioni studentem, et accepta beneficia confitentem. Cæterum videamus quomodo et hinc Justus migrat. « Et discessit, inquit, » Abram, et profectus castrametatus est in solitudine [4]. » Vide iterum religiosam ejus mentem et sapientiæ studiosam. Iterum, inquit, discessit, castrametatusque est in so-

[1] Gen. XII, 8. — [2] Ibid. — [3] 1 Tim. II, 8. — [4] Gen. XII, 9.

litudine. Quare illinc discessit? Forte videbat quibusdam incolis non placere suum adventum ; proinde eximiam suam mansuetudinem declarans, et quomodo tranquillitatem magni faceret, ac ne cum ullo aliquid haberet negotii, in solitudinem se transfert. « Profectus, inquit, castrame» tatus est in solitudine. » Aliena dictione usa est divina Scriptura. Nam quemadmodum in bellis solemus dicere , ita et de Justo hic dicit quod castrametatus sit, ut ostendat expeditum fuisse Patriarcham, sicut milites, qui facile nunc huc, nunc illuc castra movent : ita et Justus ille, quamvis secum duceret uxorem, et fratris filium, et tantum domesticorum numerum, majori tamen facilitate migrare solebat. Vidisti frugalem et expeditam senis cum uxore et tot servis vitam? Mihi vero mirabilior videtur mulieris fortitudo. Cum enim cogito muliebris sexus infirmitatem, et animadverto quomodo tam facile et tanta alacritate cum Justo peregre vadit, et subinde migrat, neque ipsa moleste fert, neque Justo impedimentum affert, obstupesco, et censeo non minori quam Abram animo et fortitudine ipsam quoque præditam fuisse. Et hoc maxime sciemus, cum ea, quæ consequenter lecta sunt, pertractaverimus. Vidisti postquam audivit : « Semini tuo dabo ter» ram hanc, » quomodo non quieverit Justus ille, et nunc huc, nunc illuc transierit? sed vide quomodo iterum a solitudine exigitur, non ab hominibus, sed necessitate famis : « Et facta est, inquit, fames super terram [1]. » Audiant qui temere et incaute loquuntur et divinant dicentes : « Quoniam ille talis advenit, fames invaluit; quoniam ille affuit, hæc contigerunt. » Ecce etiam in adventu Justi fames, et fames valida, et non turbatur Justus, neque aliquid humanum patitur, neque suo adventui tribuit famis causam. Sed quia vidit naturam coarctari, et invalescere famem : « Descen-

[1] Gen. XII, 10.

» dit, inquit, in Ægyptum Abram, ut habitaret illic, quia » invaluit fames super terram[1].»

IV. Attende quomodo longiora fiunt Justo stadia. Illud enim providebat Dominus, ut non solum Palæstinam incolentibus esset doctor, sed et iis, qui in Ægypto erant, et virtutis ejus splendor omnibus pateret : quasi enim luminare quoddam latens et absconditum in Chaldæorum terra, illinc evocavit, ut eos, qui in tenebris errorum sedebant, ad veritatis viam introduceret. Sed forte dicet aliquis : « Et quare non potius ut ii, qui in Chaldæa erant, ad veram religionem venirent, per ipsum effecit ? » Verisimile quidem est illorum salutem per aliorum providentiam procuratam fuisse : attamen audi Christum dicentem : « Non est Pro- » pheta sine honore, nisi in patria sua[2]. » Ut igitur opere impleret promissionem, quam illi fecerat, dicens : « Et magni- » ficabo nomen tuum ; » propterea et famem oriri permittit, et cogente necessitate in Ægyptum eum ire compellit, ut discerent et incolæ quanta viri virtus esset. Nam fames quasi lictor, ceu vinculis injectis, ita vi e deserto in Ægyptum eos abstraxit. Sed videamus quæ hinc sequantur, et in quantas difficultates Justus inciderit, ut et ejus fortitudinem discamus, et uxoris illius sapientiæ studiosam mentem. Postquam igitur multo itinere processerant, et proxime Ægyptum erant, Justus angore mentis afflictus est, et, ut ita dicam, de vita sua timens et tremens, alloquitur uxorem suam. « Factum est, inquit, quando Abram appro- » pinquabat, ut intraret in Ægyptum, dixit Saræ uxori » suæ : Scio quod formosa sis mulier. Futurum itaque est » ut, cum te viderint Ægyptii, dicant : Ista est uxor ejus : » et occident me, te autem servabunt. Dic igitur : Soror » ejus sum, ut mihi propter te bene sit, et vivat anima mea » propter te[3]. » Vidisti ex verbis, in quanto angore et metu

[1] Gen. xii, 10. — [2] Matth. xiii, 57. — [3] Gen. xii, 11-13.

constitutus fuerit Justus : neque tamen turbatur animo, neque cogitans intra se, dicebat : « Quid hoc est? num derelicti sumus? num decepti sumus? num nos providentia sua destituit Dominus? num ille qui dixit : « Magnificabo te, » et semini tuo dabo terram hanc, » nos ita relinquit nunc ut de extremis timeamus, et in manifestum incidamus periculum? » Nihil horum vel in mentem admittendum existimavit Justus, sed unum hoc curabat, quomodo arte aliqua excogitata posset famis remedium ac consolationem invenire, et Ægyptiorum manùs effugere. « Scio, inquit, quod » formosa mulier sis. » Vide quanta mulieris erat formositas : nam et cum in senectam jam vergeret, et post tot annorum numerum adhuc vis pulchritudinis in facie emicabat, etiam post tot labores et ærumnas, quas in via de locis in loca transeundo experta est, a Chaldæorum nempe regione in Charran, et a Charran in Chanaan, et rursus in Chananæa huc atque illuc, et nunc iterum in Ægyptum. Quem non fortium virorum defatigarent tot continuæ peregrinationes? Verum egregia hæc mulier etiam post tot exantlatas ærumnas, luculenta adhuc erat facie, unde et vehementem formidinem afferebat Justo : ideo et dicebat : « Scio quod mulier formosa sis : futurum itaque est ut, » cum te viderint Ægyptii, dicant : Ista est uxor ejus : et » occident me, te autem servabunt. » Considera quantum confidebat moribus mulieris, non metuens ne laudibus emolliretur, quin et tale inducit consilium, dicens : « Ut ne » me quidem occidant, te autem servent : Dic igitur : Soror » ejus sum, ut mihi bene sit, et vivat anima mea propter » te. » Quoniam non vulgare erat quod imperabat, propterea verbis quæ subdidit, allicere eam et ad misericordiam flectere, persuadereque ei volebat ut prompte in hac fabula partes suas ageret. « Futurum est itaque ut cum te viderint » Ægyptii, dicant : Ista est uxor ejus : et occident me, te

» autem servabunt. » Non dixit : « Contumeliis te afficient : » non vult enim eam nunc verbis terrere, præcipue vero metuebat super Dei promissione; propterea dicit : « Te au- » tem servabunt. Dic igitur : Soror ejus sum. » Cogita, quæ- so, quo fuisse tum in statu Justi mentem verisimile sit, cum ista uxori consuleret. Scitis enim, scitis nihil gravius ma- ritis esse, quam ut vel in ejusmodi suspicionem uxor ve- niat. Verumtamen hic Justus et contendit et omnem lapi- dem movet, ut adulterium opere compleatur. Noli tamen Justum hunc temere condemnare, dilectissime, sed ex hoc potius multam ejus prudentiam ac fortitudinem cognosce; fortitudinem quidem, quod ita generose motibus cogitatio- num restiterit, eosque superarit, ut etiam ista consuleret. Hac enim re nihil esse intolerabilius audi ex Salomone, qui dicit : « Plenus enim zeli furor viri ejus, non parcet in die » judicii, neque commutabit odium multis donis[1] : » et rur- sus : « Durus ut infernus zelus[2]. »

V. Multos autem videmus in tantam insaniam prorum- pisse, ut nec uxoribus ipsis parcerent, sed et adulterum ipsum sæpenumero et semetipsos interimerent. Tanta rei hujus est insania, tam impotens et indomita est zelotypia, ut eum, qui semel hac ægritudine correptus sit, efficiat etiam propriam salutem contemnere. Ac fortitudinem qui- dem Justi licet inde cognoscere : prudentiam vero non mediocrem ex eo, quod in tantas redactus angustias et tanquam laqueis irretitus, hanc viam potuerit adinvenire, qua malum imminueretur. Nam siquidem dixisset uxorem se illius esse, neque fabulam illam egisset, ac sororis no- men usurpasset : et ipsa Justo erepta esset, cum ejus for- mæ pulchritudo lascivum Ægyptiorum animum pellexisset, interfectus Justus fuisset, ut sceleris accusator e medio tolleretur. Quando igitur hæ duæ molestæ res omnino,

[1] Prov. VI, 34, 35. — [2] Cant. VIII, 6.

propter hominum illorum intemperantiam, regisque tyrannidem eventuræ erant, ut in tantis difficultatibus exiguum aliquod solatium nancisci possent : « Dic, inquit : » Soror ejus sum ; » hoc enim fortasse me a periculis liberabit. Nam quod ad te quidem attinet, sive sororem teipsam dixeris, sive conjugem, nemo negabit quin omnino futurum sit, ut te propter corporis pulchritudinem confestim eripiant : me vero probabile est insidias evasurum, si nomen sororis usurpaveris. Vides prudentiam Justi; quo pacto interceptus viam potuerit invenire, ac modum excogitaverit, quo Ægyptiorum insidias posset evadere? Rursus hoc loco mihi patientiam quoque Justi perpende, ac mulieris probitatem : Justi quidem, quod non indignatus sit neque dixerit : «Cur autem hanc mulierem mecum duco, cujus gratia tanta in me tempestas excitatur? Quid enim ejus mihi prodest consuetudo, cum ejus causa in summum capitis discrimen adducar? quid mihi proficit, cum non modo nullo me solatio juvet, sed etiam sua pulchritudine mortis mihi periculum creet?» Nihil horum dixit aut cogitavit, sed omni ejusmodi rejecta cogitatione, de Dei promisso minime dubitavit; sed in id unum incubuit, ut prævisum discrimen posset evadere. Hic enim ineffabilem Dei patientiam animadverte, dilectissime, quo pacto non assistat neque consoletur Justum, sed ingravescere mala sinat et augeri, atque in extremas angustias redigi, tumque suam providentiam ostendat. « Dic igitur, inquit : » Soror ejus sum, ut bene sit mihi propter te, et vivet » anima mea propter te : » non quasi moritura esset ipsius anima, hæc dixit Justus : « Nolite enim timere, inquit, eos » qui occidunt corpus, animam autem non possunt occi» dere[1] ; » sed simpliciter ex consuetudine his verbis uxorem affatus est : « Ut bene mihi sit, inquit, propter te,

[1] Matth. x, 28.

» et vivet anima mea propter te : » quasi diceret illi : « Dic : »Soror ejus sum : » ne effícias ut cum propter famam e Chananæa fugerim, manibus enecer Ægyptiorum. Fias potius mihi salutis causa : « Ut bene sit mihi propter te. » Miserabilia sunt hæc verba, sed et multus erat timor propter insaniam ægyptiacam. Et quia nondum mortis erat soluta tyrannis, propterea in adulterium uxoris consentit Justus, et quasi servit adulterio in mulieris contumeliam, ut mortem effugiat. Erat enim adhuc terribilis facies mortis, nondum erant æreæ portæ confractæ, nondum erat aculeus ejus hebetatus. Vidisti vinculum charitatis viri et mulieris? vidisti virum, qualia mulieri suggerere sit ausus, et quale consilium acceperit mulier? Non renuit, neque gravatim fert : sed omnia facit, ita ut fabula et fictio illa lateat. Audiant viri et mulieres, et imitentur horum concordiam, vinculum charitatis, pietatem insignem, et Saræ continentiam æmulentur, quæ vetula in tanta venustate permanens, certabat cum Justo virtutibus : ideo et tantam ejus curam habuit Deus, tantumque superne illi retributum est. Nullus igitur accuset pulchritudinem, nullus hæc inutilia verba dicat : «Hanc perdidit forma, huic pulchritudo causa fuit interitus.» Non pulchritudo in causa est : absit; opus enim Dei est et ipsa : sed perversa voluntas malorum omnium causa est. Vidisti admirabilem hanc mulierem utrinque relucentem, et ob pulchritudinem animæ, et ob formositatem faciei vestigia Justi proxime sequentem? Hanc imitentur mulieres. Etenim nec venustatis decor, nec sterilitas, nec tantum tempus, nec facultatum abundantia, neque tot migrationes, neque peregrinationes, et continuæ crebræque tentationes, vel quidquid tale, mentem ejus movere potuerunt : immobilis enim mansit. Unde ob patientiam, dignam mercedem reportavit : in extrema enim senectute, ex vulva sterili et

utero emortuo parere potuit. « Ut mihi, inquit, bene sit » propter te, et vivet anima mea propter te. » Quasi diceret : « Nihil aliud relictum mihi est ad salutem, quam ut dicas : « Soror ejus sum. » Fortassis enim effugiam periculum quod reformido, et posthac propter te vivam, et tibi quod reliquum vitæ fuerit acceptum referam. » Sufficiebant hæc verba ad commiserationem uxoris movendam, et ad persuadendum.

VI. Hoc vere est conjugium, quando non solum in prosperitate, sed et in periculis simul ambulant : hoc germanæ charitatis indicium est; hoc signo certissime internoscitur amicitia. Non sic diadema in capite positum regem illustrat, atque obedientia illa, qua consilio Justi paruit, hanc beatam fœminam illustrem et claram demonstravit. Quem igitur non obstupefaceret hæc parendi facilitas? quis hanc satis laudaverit, quod post tantam continentiam, et in tali ætate ad hoc ut Justum servet, quantum ex ipsius voluntate pendebat, etiam adulterio se exposuit et barbarorum congressui? Sed paulisper expecta, et videbis sapientem solertemque Dei providentiam. Nam propter hoc Deus tantam præ se tulit patientiam, et opitulari distulit, ut Justum clariorem faceret, et per ea, quæ illic gesta sunt, non solum Ægyptii, sed et Palæstini erudirentur quantam benevolentiam Domini universorum experiretur Patriarcha. « Factum est, inquit, quando intravit Abram » in Ægyptum, ut viderunt Ægyptii uxorem, quod esset » valde pulchra : Et viderunt eam principes Pharaonis, et » laudaverunt eam apud Pharaonem, et introduxerunt eam » in domum Pharaonis, et Abram bene usi sunt propter » illam. Et fuerunt ei oves, et vituli, et asini, et servi, et » ancillæ, et muli, et cameli [1]. » Vide quomodo ea, quæ prius Justus suspicabatur, reipsa evenerunt. Nam ut in

[1] Gen. XII, 14-16.

Ægyptum intravit, « Ut viderunt Ægyptii mulierem, quod » pulchra esset valde; » non simpliciter inquit, pulchra, sed excellenter, ita ut omnes qui eam videbant, allicerentur; « Et ut viderunt eam principes Pharaonis, lau- » daverunt eam coram Pharaone. » Oro, dilecte, ne temere prætereas quod dictum est, sed admirare quomodo nullus Ægyptiorum mulieri utpote peregrinæ, et a terra aliena adventanti manus injecerit, neque contempserint virum : sed ingressi regi omnia nuntiarint. Cæterum hoc factum est, ut res fieret manifestior, et ultio non in privatum et plebeium aliquem, sed in regem sæviret, ut ubique divulgaretur hoc factum. « Et introduxerunt eam in » domum Pharaonis. » Protinus ab uxore Justus abducitur, et ipsa ad Pharaonem introducitur. Considera quanta Dei patientia fuerit, quomodo non ab initio, neque a proœmiis suam declaraverit providentiam, sed permiserit omnia fieri, et quasi in fauces bestiæ mulierem incidere; et tunc tandem manifestam omnibus suam virtutem fecerit. « Et introduxerunt eam in domum Pharaonis. » In quo statu per illud tempus erat mulieris mens? quomodo turbata erat ratio? quomodo fluctus erigebantur? quomodo naufragium non fecit, sed mansit quasi immobilis petra ad cœlestem gratiam semper spectans? Quid autem dicam mulierem? qualem animum verisimile est fuisse Justo, illa in domum Pharaonis introducta? « Et ipso Abram, » inquit, bene usi sunt propter illam, » tanquam fratre videlicet. « Et fuerunt ei oves, et vituli, et asini, et servi, » et ancillæ, et cameli, et muli. » Hæc autem ipsa, quæ honoris et ministerii gratia data sunt ei, quantum non rogum in eo succenderunt? Quomodo autem non ejus exussit mentem, nec inflammavit cogitationem donorum hujusmodi argumentum? Vidisti quomodo prope ad finem pervenerint pericula? vidisti quomodo nulla secundum rerum

humanarum seriem spes correctionis relicta? vidisti quomodo secundum humanam opinionem res deploratæ fuere? vidisti quomodo quasi in gulam feræ mulier inciderit? vide deinceps ineffabilem Dei misericordiam, et obstupesce potentiæ ejus magnitudinem. « Et afflixit, inquit, Deus » Pharaonem afflictionibus magnis et gravibus et domum » ejus propter Saram uxorem Abram[1]. » Quid est, « affli- » xit? » pœnam, inquit, exegit flagitii et mali conatus: « Afflictionibus magnis. » Non simpliciter punivit regem, sed « Pœnis magnis. » Quia flagitium non erat vulgare, sed valde magnum, ideo et pœna magna. « Et domum » ejus,» inquit, non ipsum solum, sed « Et domum ejus. » Et qua de causa, cum rex peccet, omnes de domo ejus pœnæ sunt participes? Non absque ratione hoc quoque fit, sed ut per hoc regis insania compescatur. Graviori plaga indigebat, ita ut ipse a facinore deterreretur. Et quî, aies, hoc justum sit propter illum alios puniri? Non propter illum solum pœnam sustinuerunt, sed verisimile est eos cooperatos fuisse, ut postea committeretur iniquitas. Audisti enim supra Scripturam dicentem: « Ut vide- » runt eam principes Pharaonis, laudaverunt, et intro- » duxerunt eam in domum ejus. » Vidistis eos lenonum agere officium in regis gratiam, auferendo Justi uxorem? Quapropter non ipse solus, sed et omnes domestici ejus pœnæ fuerunt participes; ut discerent se non in peregrinum simpliciter furorem suum exercuisse, neque in hominem e medio vulgo, sed in virum charissimum Deo, qui tanta illum cura dignaretur. Et idcirco acerbissima pœna concutiens ejus mentem, abduxit a nefario flagitio, coërcuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligavit concupiscentiam indomitam, refrenavit furoris insaniam.

[1] Gen. XII, 17.

VII. Propterea vide quanta postea lenitate loquitur rex, tyrannus ille hospiti, quasi vago obambulanti, cui et uxorem auferre ausus fuit. Et bene dixit Scriptura: «Afflixit »Pharaonem et domum ejus ob Saram uxorem Abræ.» Sensum ei pœna præstat, quod sit uxor Justi. Etenim et in domum Pharaonis introducta, mansit uxor Justi. « Cum »vocasset autem Abram Pharao, dixit ei: Quare hoc fecisti »mihi[1]?» Vide qualia verba rex profatur: «Cur hoc fe»cisti mihi, inquit? »Ego-ne tibi feci, qui peregrinus, qui nulli notus, qui propter famem adsum, tibi regi, tyranno, et imperanti super Ægyptum? Quid feci tibi? Tu mihi abstulisti uxorem, sicut peregrinum me despexisti, contempsisti, nullius momenti me habuisti, omnino intemperanti concupiscentiæ tuæ obsecutus es, et quæ tibi placebant, opere volebas complere. Quidnam ergo feci tibi? magna, inquit, mihi fecisti, et gravia in me commisisti. Vide quanta rerum vicissitudo. Rex privato dicit: Quid fecisti mihi? Deum, inquit, inimicum mihi reddidisti, iram ejus super me induxisti, pœnæ obnoxium me reddidisti, fecisti ut pœnam lueret tota mea domus eorum, quæ in te admissa sunt. «Cur hoc mihi fecisti? Quare non annuntiasti mihi quod »uxor tua esset? Quare dixisti: Soror mea est? et accepi »eam mihi uxorem[2].» Ego, inquit, quasi sororem tuam volebam ducere. At unde didicisti uxorem esse Justi? Ultor tantæ iniquitatis, ille mihi rem indicavit. «Cur fecisti »mihi hoc, et non indicasti mihi quod uxor tua esset? et »accepi eam mihi ipsi uxorem» peccaturus. Quasi sororem tuam habiturus hoc feci. Attende quomodo supplicii gravitas concussit ejus mentem, ita ut et Justo rationem redderet, et omne erga eum declararet officium. Atqui nisi Dei fuisset gratia, quæ mentem ejus emolliebat, et metum illi incutiebat, consequens erat eum in majorem furorem in-

[1] Gen. XII, 18. — [2] Ibid. 19.

ductum quasi deceptorem Justum puniturum fuisse, et extremis affecturum suppliciis. At nihil horum fecit; timor enim supplicii inflammatam ejus iram repressit et restrinxit, unde unum hoc curabat, ut erga Justum officiosus esset. Rescivit enim tandem non esse possibile eum vulgarem quempiam esse, qui tanta superna benevolentia frueretur. «Et nunc ecce uxor tua coram te, accepta ea »ocius vade[1].» Nunc, inquit, quia cognovi non esse sororem tuam, sed uxorem, ecce habes eam. Neque enim ulla in re deturpavi conjugium vestrum, neque privavi te uxore tua. «Sed ecce uxor tua coram te, accepta ea ocius vade.» Quæ mens poterit digne quæ facta sunt admirari, aut quæ lingua miraculum valebit enarrare? Mulier splendida forma simul cum viro Ægyptio, et rege, et tyranno, et sic insano, et incontinenter affecto concumbens, intacta egreditur, servata castitate sua. Talia enim, sicut prius dixi, sunt quæ a Deo dispensantur, rara semper et admirabilia; et quando apud homines desperatum est, tunc invictam in omnibus potentiam suam Deus declarat. Enimvero sicut admirabile et rarum erat videre Virum desideriorum stare in medio ferarum[2], et nihil pati, sed quasi oves eum circumstetissent, ita illæsum egredi e lacu; et tres pueros in camino quasi in prato et in horto versari[3], et nihil ab igne lædi, sed egredi inde tanquam statuas: perinde ita admiratione dignum est et hoc facinus, quod Justi uxor nullam contumeliam experta a rege Ægyptio, tyranno, intemperante, exierit salva. Deus enim erat qui faciebat omnia, et in inviis viam dabat, qui spem bonam semper in rebus deploratis afferre valet. «Et nunc, inquit, ecce uxor tua co»ram te, accepta ea ocius vade.» Ne existimes, inquit, te a nobis injuria affectum esse. Nam licet per ignorantiam attentaverimus quæ facta sunt, nunc tamen ecce cognovi-

[1] Gen. xii, 19. — [2] Dan. xiv, 39. — [3] Id. iii, 24 et 50.

mus quem habeas defensorem; indignatio enim, quæ in nos desævit, docuit nos quantum gratiæ tibi sit apud Deum omnium. «Accepta igitur uxore tua ocius vade.» Terribilis postea erat eis Justus; propterea magnis officiis eum prosequi contendunt, placantes ipsius Dominum propter ea, quæ in illum commiserant.

VIII. Vidisti, dilecte, quantum bonum sit patientia et perseverantia? Hic, quæso, memor esto verborum illorum, quæ Patriarcha dicebat Ægyptum ingressurus: «Scio quod mu»lier pulchra sis: futurum est itaque, ut cum te viderint Æ»gyptii, me quidem occidant, te autem servent.» Illis igitur in mente resumptis, considera etiam quæ nunc fiunt, et admirare simul Justi tolerantiam et misericordis Dei virtutem, quanta cum gloria redire curet Justum, qui cum tanto timore et metu venerat. « Et præcepit, inquit, Pharao viris »super Abram, ut inde deducant eum, et uxorem ejus, et »omnia, quæ ejus erant, et Lot cum eo[1].» Magna cum claritate et gloria, locupletatusque divitiis redit Justus, et fit doctor per ea, quæ contigerunt, non solum Ægyptiis, sed etiam omnibus, qui in itinere erant, et iis qui in Palæstina habitabant. Nam quotquot viderant eum, quando descendit fame coactus, timore et tremore correptus, nunc vero redeuntem cum tanta claritate et facultatibus et divitiis, discebant virtutem providentiæ Dei erga illum. Quis vidit unquam? quis audivit? abiit ut famen suam mitigaret, et divitiis abundans ineffabilique cum gloria redit. Ne admireris, dilecte, ne factum hoc ita stupendum tibi videatur; imo admirare et obstupesce, et celebra communis omnium nostrum Domini virtutem. Et vide etiam illius nepotes ob eamdem famis necessitatem in Ægyptum descendisse, et cum ibi in gravi servitute vixissent, multasque pertulissent ærumnas, facultatibus auctos tandem rediise. Ta-

[1] Gen. XII, 20.

lis enim est sapientissimus Deus noster, quando permittit augeri et coacervari molestias, tunc iterum discussa tempestate, serenitatem rerumque miram vicissitudinem facit, docens nos suæ potentiæ magnitudinem. « Ascendit autem » Abram ex Ægypto, ipse, et omnia quæ ejus erant, et Lot » cum eo, in solitudinem[1]. » Opportune hic quis accommodarit verba illa, quæ beatus David iis, qui babylonica redibant captivitate, dicebat: « Qui seminant in lacrymis, in » exultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes » semina sua. Venientes autem venient in exultatione, ges- » tantes manipulos suos[2]. » Vidisti descensum anxietate atque timore plenum, habentem secum et mortis formidinem? vide nunc reditum claritate et dignitate multa conspicuum. Omnibus enim posthac venerabilis erat Justus ille, tam iis qui in Ægypto, quam iis qui in Palæstina. Quis enim non reveritus fuisset eum, qui sic a Deo custoditus sit et tantam benevolentiam assecutus? Neminem enim forte latebant ea, quæ regi et domui ejus acciderant. Omnia enim Deus propterea permisit, et eo usque duraverunt tentationes Justi, ut ejus patientia clarior fieret, et facta ejus in totum orbem divulgarentur, ita ut nullus esset qui Justi virtutem ignoraret?

IX. Vidistis, dilecti, quantum ex tentationibus lucrum? vidistis quantum patientiæ præmium? vidistis et virum, et mulierem, et senem, et vetulam, quantum philosophiæ præ se tulerunt? quantum fortitudinis, quantum mutuæ dilectionis, quantum charitatis vinculum demonstrarunt? Illum omnes imitemur, et nunquam tristemur. Ne existimemus esse signum quod nos dereliquerit et despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur; sed hoc maximum sit nobis indicium quod Deus nostri curam gerat. Nam etsi habeamus peccatorum sarcinas quæ nos præmant, po-

[1] Gen. XIII, 1. — [2] Psal. CXXV, 5, 6.

terimus, magnam patientiam et gratiarum actionem declarando, leviores eas facere: et si non multa habeamus peccata, iterum majori fruemur gratia, si grato animo tulerimus. Quia enim Deus noster liberalis est, et nostræ salutis curam gerit, ea de causa quasi luctam et exercendi materiam nobis proponit, pro stadio et arena tentationes inferens, ut si quod nostrum est præstemus, largiore dignetur nos sua providentia. Quod cum sciamus, ne tristes simus in tentationibus, neque afflictiones gravatim feramus, sed et gaudeamus, secundum beatum Paulum: « Nunc enim, » inquit, gaudeo in afflictionibus meis [1]. » Vidisti animam gratam? Nam si in afflictionibus gaudebat, quomodo potuit unquam in tristitia esse? si quæ alios afficiunt tristitia, ipsi pariant lætitiæ occasionem, cogita, oro, in quo statu illius erat anima. Et ut discas non posse aliter nos promissa bona assequi, et regno cœlorum dignos fieri, nisi per afflictionem vitam præsentem transeamus, audi Apostolos dicentes eis, qui nuper ad fidem conversi erant: « Et » cum docuissent, inquit, multos, reversi sunt Lystram, et » Iconium, et Antiochiam, denuo confirmantes animas dis» cipulorum, exhortantesque ut perseverarent in fide, et » quod per multas afflictiones oportet nos intrare in regnum » cœlorum [2]. » Qualis igitur posthac erit nobis excusatio, si noluerimus generose ac fortiter omnia ferre quæ inferuntur, præsertim scientes non posse aliter nos salutem assequi, nisi hac incesserimus via? Quod enim nihil insolens aut novum sit passus Justorum ullus, qui per afflictiones transegit hanc vitam, audi Christum dicentem: « In » mundo afflictionem habebitis, sed confidite [3]. » Nam ne audita tristitia, spe excidant, statim fiduciam eis affert, et suam pollicetur gratiam: « Sed confidite, inquit, ego » vici mundum [4]. » Habes, inquit, eum qui gratia alleviet,

[1] Col. I, 24. — [2] Act. XIV, 20, 21. — [3] Joan. XVI, 33. — [4] Ibid.

qui non permittet te submergi ab illatis tentationibus, qui cum tentatione et exitum præbebit, et non permittet supra nostras vires inferri gravia[1]. Quid tristaris? quid mœres? quid impatiens es? quare tam abjecto animo es? Num si quæ nostra sunt attulerimus, patientiam dico, et fortitudinem, et gratum animum, nos sinet despici? num etsi desperatæ sunt res, vincere possunt sapientiam Domini nostri? Nos quæ nostra sunt exhibeamus, et sinceram habeamus fidem, scientes solertiam tutoris animarum nostrarum. Et ipse prorsus melius novit quam nos quid conducat, qui ita res dispensabit, ut ipsi fuerit honorificum, et nobis utile; quo et patientiæ mercedem accipiamus, et ejus benignitatem obtineamus, gratia et miserationibus Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIII.

Abram autem erat dives valde pecoribus, et argento, et auro, et profectus est unde venerat, in solitudinem usque Bethel, usque ad locum in quo prius fuit tabernaculum ejus inter Bethel et Aggæ, ad locum altaris, quod ibi principio fecerat[2].

I. Cum alacrem vestrum conventum, et ingens audiendi desiderium hodie videam, volo debitum solvere, quo erga charitatem vestram obstrictus sum. Et scio ejus fortasse vos

[1] 1 Cor. x, 13. — [2] Gen. xiii, 2-4.

oblitos esse, eo quod multi dies intercesserint, sermoque noster ad alia interim sit deductus. Nam sanctæ festivatis adventus seriem nobis interpellavit. Neque enim par erat ut, dum crucem Domini celebraremus, de aliis sermonem afferremus. Mensa autem vobis proponenda erat suis congrua temporibus. Et idcirco quando venit dies traditionis, continua doctrinæ serie resecta, præsentibus quæ urgebant nos accommodantes, in proditorem linguam laxavimus: deinde de cruce aliqua in medium protulimus. Postea, illucescente resurrectionis die, necessarium erat ut de resurrectione Domini charitatem vestram doceremus, et sequentibus diebus, per ea miracula, quæ tunc facta sunt, resurrectionis demonstratio iterum afferenda erat : quando etiam Apostolorum acta explanare cœpimus, inde vobis continua proponentes convivia, et crebris quotidianisque admonitionibus eos, qui nuper baptismi gratiam acceperant, exhortantes. Nunc igitur necessarium est ut debiti memor sim, et vobis satisfaciam : tametsi enim vos debiti genus ignoretis, utpote curis multis impliciti, et solliciti pro uxoribus, et liberis, et quotidiana alimonia, multisque aliis sæcularibus negotiis; verum nos, qui nullis id genus curis turbamur, et vobis debiti memoriam suggerimus, et ad restituendum nos paramus. Neque admiremini si tam grato animo id præstamus. Hujus enim debiti genus a sensibilibus pecuniis diversum est. In illis enim nunquam debitor tam gratum præ se fert animum. Scit enim se, debita solvendo, suam imminuere substantiam, et accipientis augere facultates. Non ita autem est in spirituali hoc debito; sed in eo debitor dum solvit, magis abundat divitiis, et accipientibus majores accrescunt opes. Et idcirco illic ingrata admodum voluntate agi solet, hic autem utrisque lucrum est, et dinumeranti, et accipientibus. Et hoc est quod de charitate admonuit beatus Paulus di-

cens : « Nemini quidquam debeatis, nisi ut diligatis invi-» cem [1]. » Quo indicat hoc debitum semper solvi, et nihilominus durare semper. Neque negligere vos oportet, ad recipiendum paratos : hoc enim et nos debitores locupletiores facit, et vobis majoris utilitatis erit materia. Igitur quoniam talis est hujus debiti natura, ut quanto magis dependitur, tanto auctiores nostræ reddantur opes : age doceamus nunc et debiti materiam, ut et ipsi alacriores dicenda suscipiatis, et gratam nostram voluntatem acceptam habentes, nos diligenti auscultandi studio remuneretis. Quænam igitur debiti materia ? Scitis, et memores estis, quando de Patriarcha quædam in medium attulimus, quomodo demonstraverimus descensum ejus in Ægyptum propter famem, et raptam Saram a Pharaone, et indignationem Dei, quam in Pharaonem et domum ejus, ob suam erga Justum curam immisit et reditum Patriarchæ ab Ægypto magna cum gloria. « Mandavit enim, inquit, Pharao » viris super Abram, ut deducant eum, et uxorem ejus, et » omnia quæ habebat, et Lot cum eo. Ascendit autem Abram » ex Ægypto, ipse et uxor ejus, et omnia quæ erant illius, » et Lot cum ipso in solitudinem [2]. » Hic sermonem missum fecimus, mediisque diebus doctrinam transtulimus in argumenta tunc temporis occurrentia. Ideo hodie operæpretium fuerit ut seriem repetamus, et dicenda cum dictis quasi in unum corpus coaptemus ; sic enim sermo doctrinæ quasi unum sub aspectum cadet. Sed quo manifestia sint ea, quæ dicuntur, operæ-pretium fuerit ut charitati vestræ proponatur principium eorum, quæ hodie sunt lecta. « Abram autem, inquit, erat dives valde pecoribus, et » argento, et auro : et profectus est unde venerat in solitu-» dinem usque ad Bethel, usque ad locum, in quo prius fuit » tabernaculum ejus, inter Bethel et inter Aggæ ; ad locum

[1] Rom. XIII, 8. — [2] Gen. XII, 20, et XIII, 1.

» altaris, quod illic principio fecerat : et invocavit ibi Abram » nomen Domini Dei .[1] » Ne prætercamus obiter ea, quæ lecta sunt, sed discamus clare divinarum Litterarum diligentiam , quomodo nihil nobis supervacuum narrent. « Abram autem, inquit, erat dives valde. » Considera primum istud ipsum non frustra, neque temere indicari ; nec in vanum divitem nunc vocat , id quod nusquam alias meminit , sed nunc primum dicit divitem fuisse. Quare hoc et quam ob causam ? ut discas divinæ sapientiæ solertiam, et suæ in Justum providentiæ immensam ingentemque potentiam. Nam qui famis necessitate in Ægyptum peregrinari coactus fuit, eo quod angustias, quas in Chananæa experiebatur, ferre non posset, is subito dives factus est : nec simpliciter dives, sed valde, non tantum pecoribus, sed et argento, et auro.

II. Vidistis quanta sit Dei providentia ? abiit, ut aliquam famis consolationem inveniret, et rediit, non solum fame mitigata, sed et divitiis, et immensa gloria conspicuus ; omnibusque manifestum fuit qualisnam esset : deindeque Chananææ incolæ Justi virtutem clarius didicerunt, videntes rerum mutationem tam repentinam, et tantis divitiis affluentem eum, qui ut peregrinus, et quasi fugitivus, et vagus in Ægyptum descenderat. At tu vide quomodo hic neque prosperitate, neque divitiarum affluentia remissior vel negligentior factus est ; sed iterum contendit ad eum locum, ubi prius fuerat, priusquam in Ægyptum concederet. « Venit enim, inquit, in solitudinem, usque ad locum » ubi prius fuit tabernaculum ejus, ad locum altaris, quod » fecit ibi principio, et invocavit nomen Domini Dei. » Cogita, obsecro, quantum erat quietis et tranquillitatis amator, et in divino cultu quam sedulus. Ad eum enim locum, inquit, accessit, in quo prius altare ædificaverat, et in quo

[1] Gen. XIII, 2-4.

nomen Domini invocaverat. Ecce jam multis antea sæculis implevit hoc quod postea a David dictum est: « Elegi » abjectus esse in domo Dei mei magis quam habitare » in tabernaculis peccatorum [1]. » Solitudo enim propter invocationem nominis Dei gratior ei erat, quam civitates. Sciebat enim, sciebat utique civitatis magnitudinem non ex ædificiorum pulchritudine, neque ex civium multitudine constare, sed ex inhabitantium virtute, propter quam ipsa solitudo civitatibus dignior fuit, quæ virtute Justi ornabatur, et orbe toto fulgidior erat. « Et » Lot, inquit, qui cum Abram ibat, erant et oves, et » boves, et pecora; neque capiebat eos terra, ut simul habitarent. Erat quippe substantia eorum multa, et non » poterant habitare simul [2]. » Non solum Patriarchæ facultates auctæ sunt, sed « Et Lot, inquit, erant oves, et bo» ves, et pecora. » Forte partim Abram, utpote liberalis, illa Lot fratris filio donaverat, partim alii dederant in Patriarchæ gratiam. « Et non capiebat, inquit, eos terra, erat » quippe substantia eorum multa. » Vide quomodo facultatum copia statim causa fuit separationis; divisionem enim operatur, concordiam impedit, et cognationis vinculum dirimit. « Et facta est pugna inter pastores pecorum Abræ, » et inter pastores Lot. Chananæi autem et Pherezæi tunc » inhabitabant terram [3]. » Attende quomodo genere cognati discessionis initium faciunt. Hinc enim semper omnia mala pullulant a famulorum nequitia. « Facta est enim, » inquit, pugna inter pastores. » Hi dissensionis occasionem præbuerunt, ii concordiam dirimebant, ii multam morum improbitatem præ se ferebant. « Chananæi autem et Phe» rezæi tunc inhabitabant terram. » Quare nobis hoc significavit ? quoniam dixerat: « Non capiebat eos terra ut » habitarent simul: » causam quoque docere voluit divina

[1] Psal. LXXXIII, 11. — [2] Gen. XIII, 5, 6. — [3] Ibid. 7.

Scriptura ideo eos capere non potuisse, quoniam adhuc a gentibus illis præoccupata erat. Verum nos religiosam Patriarchæ mentem videamus, quomodo sua lenitate exarsurum incendium restinguat. « Dixit autem, inquit, Abram » ad Lot : Ne sit rixa inter me et te, et inter pastores meos » et tuos, quia fratres sumus nos [1]. » Vide insignem modestiam, vide sublimem philosophiam; ætate et dignitate senior juvenem, fratris filium fratrem appellat, et in eamdem, in qua ipse erat, dignitatem evehit, nihilque minus illi quam sibi tribuit, sed dicit : « Ne sit rixa inter me et » te, inter pastores meos et tuos. » Indigne enim hoc fieret, inquit : « Quoniam fratres sumus. » Vidisti quomodo Apostoli legem implet, quæ dicit : « Jam quidem omnino delictum » in vobis est, quod judicia habetis inter vos invicem. Cur » non potius injuriam patimini? cur non potius damnum » accipitis ? imo vos injuriam facitis, et fraudatis, idque » fratres [2]. » Hæc omnia operibus implens Patriarcha, dixit : « Ne sit rixa inter me et te, et inter pastores meos et tuos, » quoniam homines fratres nos sumus. » Quid hac anima pacatius ? Proinde non frustra nec sine causa principio dicebam eum amore quietis et tranquillitatis solitudinem locis frequentibus prætulisse. Attende enim quomodo et nunc videns pastores confligere, statim in initio tentat restinguere incendium, quod erupturum erat, et contentionem sedat. Debebat enim ipse, ut pote omnibus Palæstinæ incolis sapientiæ doctor missus, nullam offendiculi dare occasionem, vel ansam concedere : sed morum lenitate tuba clarius omnes erudire, et suæ virtutis facere imitatores. « Ne sit, inquit, rixa inter me et te, inter pastores » meos et tuos, quoniam homines fratres sumus. » Multa verborum lenitas : « Inter me et te. »

III. Considera quomodo ei loquitur ceu honore pari,

[1] Gen. XIII, 8. — [2] 1 Cor. VI, 7, 8.

quamvis opinor non aliunde rixas fuisse exortas, quam quod pastores Patriarchæ non permiserint illis eadem licentia frui, qua ipsi. Sed Justus æquabiliter omnia facit, specimen præbens eminentis suæ patientiæ, ac docens non tantum præsentes, sed posteros etiam omnes nunquam esse admittendum, ut nostri familiares cum proximis contendant. Nam eorum contentio magnam nobis affert ignominiam, et non illis imputantur quæ fiunt, sed in nos transfertur reprehensio. Quomodo enim rationi consentaneum sit homines, qui fratres sunt, qui eamdem naturam sortiti, qui ejusdem sunt familiæ, qui tanquam peregrini et advenæ hic versaturi sunt, quos mansuetudinis, lenitatis, et omnis philosophiæ doctores esse oportebat, inter se contendere et digladiari ? Audiant hæc qui se extra reprehensionem putant esse, quando propter familiaritatem propinquis suis connivent rapientibus, decipientibus, multa mala machinantibus, et in civitatibus, et in agris auferentibus a vicinis nunc agrum , nunc domum , eaque de causa majori tales homines benevolentia prosequuntur. Nam licet iniquum opus ab alio patratum sit , tamen et ipse negotii particeps fuisti : non solum quod oblecteris facto, et credas inde facultatibus tuis incrementum accedere, sed quod non prohibeas ne facinus committatur. Nam qui prohibere potest eum, qui injuriam infert, et non prohibet, is non minorem luet pœnam, quam qui injuriam infert. Obsecro igitur, ne seducamus nosmetipsos : sed et ipsi fugiamus rapinas, et fraudes, et ex istiusmodi artibus emolumenta et lucra ; et familiares nostros erudiamus ne quid tale operentur. Non enim hoc nos insontes præstat, sed potius majori condemnationi obnoxios : quia in nostri gratiam illi suam amittentes salutem, injustitiam audent, et ipsi in perniciem euntes nos secum rapiunt. Quod si vigiles esse voluerimus, et ipsi ab eo damno liberabimur,

et illos a malis conatibus arcebimus. Porro ne mihi dicas frivola illa verba : « Nihil mihi curæ est : numquid ego rapui ? nihil mihi ea de re constat : alius fecit, non fui particeps injustitiæ. » Prætextus illa sunt, et inane commentum. Si vis declarare te non consortem fuisse injustitiæ, neque avaritiæ studuisse, emenda factum, solare eum, qui injuria affectus est, redde ablata. Sic enim et teipsum a criminibus liberabis, et eum, qui injuriam fecit, corriges : si declaraveris hæc non fuisse facta secundum voluntatem tuam, et consolans pauperem, non siveris eum a tristitia absorberi, quam ablatis bonis suis passurus erat. « Ne sit, » inquit, rixa inter me et te, inter pastores meos et tuos : » quia homines fratres nos sumus. » Vidisti mansuetudinem? vidisti lenitatem ? audi et sequentia, ut discas excellentem ejus philosophiam. Quomodo igitur rixa dirimitur, et contentio restinguitur ? « Ecce omnis terra, inquit, coram te est? » Discede a me : si tu ad sinistram, ego ad dexteram ; si tu ad » dexteram, ego ad sinistram[1]. » Tecum reputa philosophiam, et insignem modestiam hujus Justi. Sed ante hæc, obsecro, cogita quantum ex divitiis damnum, et quanta ex multis opibus contentio. Aucta sunt armenta, multiplicati greges, affluxerunt divitiæ multæ, et statim discinditur concordia ; et ubi erat pax et charitatis vinculum, nunc rixa, et contentio. Ubi enim meum et tuum, illic omne litium genus et contentionis occasio : ubi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax et concordia. Et hæc ut discas, audi quid dicat beatus Lucas de iis, qui ab initio ad fidem conversi sunt. « Erat, inquit, omnium cor unum » et anima una[2] : » non quod unam animam habuerint omnes : quomodo enim hoc, cum in diversis corporibus fuerint ? sed concordiam illorum arctissimam nobis demonstrat. Jam nisi plurimæ patientiæ fuisset Justus ille,

[1] Gen. XIII, 9. — [2] Act. IV, 32.

et insignem præ se tulisset philosophiam, succensuisset forsitan, et ita ei dixisset : « Qui furor ille? Ausi-ne sunt famuli tui os aperire adversus operas meas? non cogitarunt quantum inter nos sit discrimen? Unde enim tibi illa abundantia? nonne ex mea cura? Quis te in hominum conspectum protulit? nonne ego, qui pro omnibus tibi fui, et patris tibi vices egi per omnia, atque has mihi pro tot ministeriis mercedes reddis? Haccine spe ubique te comitem itineris habui? Esto nihil eorum, quæ a me habes, in mentem tibi veniat, nonne saltem vel senectam meam et canos revereri oportebat? Sed connivendo permisisti pastores tuos in meos debacchari, nescius quod sicut contumelia, qua illi affecti sunt, in me transit, ita et tuorum temeritas tibi ascribitur.»

IV. Sed nihil horum Justus vel in mentem admisit; sed omnibus illis ab animo repulsis, unum hoc agebat, quomodo quod erupturum erat contentionis incendium extingueret, et suavi separatione excogitata, absque turbis habitaret ; dicit enim : « Ecce annon omnis terra coram te » est? Discede a me : si tu ad sinistram, ego ad dextram : » si tu ad dextram, ego ad sinistram. » Vide mansuetudinem Justi ; operibus enim ostendit se non sua sponte facere hoc, neque separari velle: sed ob contentionis necessitatem, ut ne in domo sit perpetuum bellum. Vide quomodo verbis illius bilem mansuefacit, et omnem ei electionis potestatem dat, proponitque omnem terram, ac dicit : « Ecce annon omnis terra coram te? » quamvis elige : et ego, quam tu reliqueris, magna cum voluptate accipiam. Magna est Justi hujus philosophia ; non vult omnino onerosus esse fratris filio ; quasi diceret : « Quoniam id quod nolebam accidit, quo cessent contentiones, necessarium est ut separemur : propterea te dominum electionis et arbitrum constituo, et omnem tibi potestatem do,

ut terram, quam meliorem censes, tu eligas, et reliquam sinas esse meam. » Num hoc quis unquam æqualis ætatis fratri faciendum censuit, id quod fratris filio Patriarcha? Nam si ipse, facta prius electione, primum locum sibi servasset, concessissetque illi reliqua, nonne et hoc pacto magnum quiddam fecisset? At ingentis virtutis suæ specimen exhibere, et desiderium juvenis explere volebat, ita ut nulla ex separatione nasceretur mœroris occasio, unde ei proposita potestate omni, dicit : « Ecce omnis terra coram te : » separare a me, et qualem volueris terram elige. Oportebat igitur fratris filium, cum tantam experiretur æquitatem Patriarchæ, parem rependere honorem, et ei potius liberam electionem concedere. Solemus enim ferme cuncti homines, si obluctantes videamus adversarios, ac contendentes in primum locum ascendere, non ferre nos inferiores esse, neque eis cedere : quos si cedere viderimus, et humilibus verbis potestatem omnem nobis permittere, quasi reverentes magnam mansuetudinem, et a contentione desistimus, et vice versa omnem potestatem eis concedimus, etiamsi minor esse videatur is, qui nobiscum litigat. Cum deberet igitur et Lot cum Patriarcha hoc facere, ille tamen utpote juvenis, et majori concupiscentia tractus, potiores tum sibi visas partes arripit, et electionem facit. « Et sub» latis, inquit, Lot oculis suis, vidit omnem regionem » circa Jordanem, quod tota esset irrigua, antequam Domi» nus subverteret Sodoma et Gomorrha, quasi hortus Dei, » et sicut terra Ægypti, usque dum venitur in Zogora. Et » elegit sibi Lot omnem circa Jordanem regionem, et re» cessit Lot ab Oriente, divisique sunt uterque a fratre » suo [1]. » Vidisti Justi virtutem ingentem, quomodo radicem malitiæ ne germinare quidem permisit, sed statim,

[1] Gen. XIII, 10, 11.

cum jam oriretur, funditus exsecuit et abolevit, multa usus lenitate, et virtutis causa cæterarum rerum summum contemptum præ se ferens, declaransque omnibus, quomodo pacem habere, et a contentione liberari, id pluris faceret quam omnes facultates? Nam ut ne quis condemnet Justum quasi ingratum circa Lot, et quod quem e domo sua eduxerat in terram alienam, nunc a cohabitatione ejiceret, neve putet ipsum inimicitiarum gratia hæc facere; sed ut discamus omnes se pacis studio hæc facere, ideo et electionem ei concessit, neque moleste tulit quod prima ferret, ut omnibus notum foret, quomodo mens sua ad pacis charitatisque scopum spectaret potissimum. Præterea et aliud quoddam mysterium jam antea dispensabatur, ut multa hoc exemplo fierent, et ut Lot rebus ipsis erudiretur se non ut par erat elegisse, et ut discerent Sodomitæ virtutem Lot, et separatione facta, promissio Patriarchæ data eventu compleretur, qua dictum est ei: « Tibi et semini tuo dabo terram hanc [1]: » id quod paulatim procedendo videbimus, divina Scriptura nobis ea declarante. « Et Abram, inquit, habitavit in terra Cha» naan; Lot autem habitavit in civitate, quæ erat circa Jor» danem, et tabernaculum habuit in Sodomis. Qui autem » homines Sodomis agebant, mali erant et peccatores co» ram Deo valde [2]. » Vides Lot tantum spectare terræ naturam, et non advertere incolarum nequitiam? Quæ enim utilitas, dic, oro, si terra sit fructuosa et ferax, homines autem adeo scelesti? Quid damni e solitudine et infrugifera terra, si homines sint humaniores? Caput enim et summa bonorum est inhabitantium probitas. Cæterum Lot ad unum tantum respexit, nempe ad fertilitatem terræ. Et idcirco Scriptura declarare nobis volens habitantium illic malitiam, dicit: « Qui autem homines in Sodo-

[1] Gen. XII, 7. — [2] Id. XIII, 12, 13.

» mis agebant, mali erant et peccatores coram Deo valde. » Non solum, inquit, mali, sed peccatores, et non simpliciter peccatores, sed et coram Deo; hoc est in immensum excreverant eorum peccata, et prodigiosa erat eorum iniquitas; ideo et subdidit : « Coram Deo valde. » Vidisti malitiæ magnitudinem? vidisti quantum est malum primas partes capere, et non quod utile est considerare? vidisti quantum bonum sit humanitas, et primo loco cedere, et inferiorem partem habere? Ecce enim in processu doctrinæ videbimus nihil profuisse primum locum ei qui elegerat; et eum, qui inferiora petiit, clariorem quotidie factum, opesque illius per omnia auctas, omnibusque factum spectabilem.

V. Cæterum ut ne longiores simus docendo, hoc loco finem loquendi facientes, quod reliquum est, in sequentem servemus concionem. Illud autem vos rogaverim ut imitatores sitis Patriarchæ, et primas partes nunquam concupiscatis, sed obtemperetis beato Paulo dicenti : « Honore » invicem prævenientes [1] » superiores se ipsis : et detis operam, ut in omnibus minora teneatis. Hoc est enim primatum habere, sicut et Christus dicit : « Qui se humiliat, » exaltabitur [2]. » Quid igitur huic æquale fuerit, quando per ea, in quibus aliis primas cedimus, ipsi majori fruimur honore; et per quæ alios præferimus, ipsi in summum honorem evehimur? Itaque obsecro ut studeamus imitari Patriarchæ humilitatem, et sequi vestigia ejus, qui ante legem tantam philosophiam præ se tulit, nos qui in gratia versamur. Ista enim vera est humilitas, quam eximius ille vir declaravit erga eum, qui multo se fuit inferior, non solum ob virtutis rationem, sed et propter ætatem et alia omnia. Cogita enim senem juveni cessisse, et patruum fratris filio, et qui tantam a Deo sortitus erat gratiam, ei

[1] Rom. XII, 10. — [2] Luc. XIV, 11, et XVIII, 14.

qui in nulla re magnum aliquod specimen præbuerat : et ea quæ oportebat illum dicere, ut juvenem ad senem ætate et dignitate, et patruum, illa Patriarcham juveni dixisse. Igitur nos quoque non eis tantum, qui ætate nobis sunt majores vel etiam æquales, honorem exhibeamus. Non est enim humilitas, facere quod necessitate debes vel cogeris : hoc, inquam, non est humilitatis, sed debiti. Vera autem humilitas est, quando cedimus iis, qui nobis videntur esse minores, et eos veneramur, qui nobis inferiores esse videntur. Quod si recte sapimus, nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur, sed nos superari ab omnibus hominibus dicemus. Et hoc dico non de nobis, qui innumeris immersi sumus peccatis ; sed etiamsi quis sibi plurimorum bene gestorum conscius sit, nisi apud se sentiat se omnium esse postremum, nulla ei futura utilitas ex omnibus bonis suis operibus. Hæc est enim humilitas, quando quis occasiones habens ut extollatur, seipsum humiliat et deprimit, ac modeste se gerit : tunc enim ad verum subvehetur fastigium secundum promissionem Domini, quæ dicit : « Qui se humiliat, exaltabitur. » Satagamus igitur, obsecro, verticem illum omnes apprehendere per humilitatem, ut eamdem illam quam Justus ille a Domino gratiam consequamur, et ineffabilia illa bona mereamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patri, et sancto Spiritui sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIV.

Et dixit Deus Abræ postquam separatus est ab eo Lot : Elevatis oculis tuis vide a loco, in quo tu nunc es, ad aquilonem et africum, et orientem et mare : quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo eam [1].

I. Didicistis heri, charissimi, eximiam Patriarchæ humilitatem, vidistis lenitatem egregiam. Neque enim erat res vulgaris, quod senex qui tot beneficia contulerat, quem tanta benevolentia Dominus omnium prosequebatur, pari honore dignaretur juvenem, et fratris filium, et primatu illi cederet, inferioraque ipse deligeret, nihilque non faceret quo bellum impediret, et contentionis materiam e medio tolleret. Hunc omnes imitari studeamus, et nunquam super proximum extollamur, nunquam de nobis sublimia sentiamus : sed modestia conspicui cedamus aliis, et inferiores haberi conemur, tam verbis quam operibus, nec unquam eis, qui nobis injuriam intulerunt, adversemur, etiamsi multis nostris affecti fuerint beneficiis ; hæc enim optima est philosophia : neque contumelia affecti feroces simus, etiamsi inferiores nobis sint ii, qui nobiscum contendunt ; sed mansuetudine et lenitate iracundiam comprimamus. Nihil enim illa potentius, nihil illa fortius. Illa animam nostram in perpetua tranquillitate, et quasi in portu constituit, et omnis recreationis ac quietis occasio nobis est. Eapropter et Christus divina illa docens dicebat : « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde : » et invenietis requiem animabus vestris [2]. » Nihil enim ani-

[1] Gen. XIII, 14, 15. — [2] Matth. XI, 29.

mam ita in tranquillitate et quiete constituit, ut mansuetudo et modestia. Hæc omni diademate se possidenti est honoratior; hæc omni claritudine et gloria conducibilior. Quid enim beatius, quam intestino liberari bello? Nam quamvis plurima pace et famulatu externo fruamur, si intra nos cogitationum nascatur tempestas, tumultus et seditio, nihil externa pax nobis proderit; sicut neque miserabilius est aliud civitate, quæ licet aggeribus et muris bene sit munita, intus tamen cives foveat proditores. Hoc igitur obsecro, ut ante omnia nobis sit curæ, quomodo animam a turbulentia vindicemus, et in tranquillum statum educamus, atque ab omni liberemus amaritudine, quo et ipsi multa fruamur quiete, et iis, qui familiaritatem nobiscum habent, simus blandi. Hoc enim certissimum signum, quo internoscitur vir ratione præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus et quietus, si non quasi servus ducatur et trahatur aut ab ira, aut ab aliis affectionibus: sed ratione vincat internos illos incompositos motus, nobilitatemque suam servet, ne in brutorum ferociam negligentia degeneret. Et ut discas quantum mansuetudinis et lenitatis sit robur, et quod sola hæc virtus possit se colentem diligenter ineffabilibus illis laudibus dignum reddere, audi beatum Mosem hinc potissimum prædicari, et ex hac ei coronam plecti. « Et Moses, inquit, » erat mitissimus omnium hominum, qui super terram [1]. » Vidisti encomii magnitudinem, quod omni eum humano generi parem pronuntiet, imo omni hominum generi præferat? Et iterum de David dicit Scriptura: « Memento Do- » mine David, et omnis mansuetudinis ejus [2]. » Hinc Patriarcha sibi majorem cœlitus conciliavit benevolentiam, et afferens quæ sua erant, a misericorde Deo majora assecutus est. Hoc scietis et vos, ubi attulerimus in medium

[1] Num. XII, 3. — [2] Psal. CXXXI, 1.

ea, quæ hesterna dicta sequuntur, et quæ prius sunt lecta, charitati vestræ declaraverimus. Nam quia Abram multam præ se ferens mansuetudinem Loto potiorem partem cessit, et omnem ei eligendi facultatem permittens, cum gaudio elegit minorem portionem, modo auferretur omnis contentio, vide quantam statim mercedem a Deo consequitur, et quomodo adhuc majori retributione, etsi multum divitiis abundet, Patriarcham dignatur Deus. Talis enim est Dominus noster, ut si quando vel parvum quid attulisse nos viderit, largissimas suas nobis remunerationes suppeditet, tantamque præ se ferat liberalitatem, ut ea, quæ a nobis sunt facta, multis numeris a novis ejus beneficiis vincantur.

II. Et hoc in omnibus nostris factis inveniet quis ab eo fieri. Quid enim, dic mihi, vilius duobus obolis? Attamen quia vidua illa duos obolos in corbonam misit, inde celebris universo mundo facta est ab eo tempore usque in præsens[1]. Et quid dico duos obolos? Etiamsi quis calicem aquæ frigidæ præbeat, pro eo etiam magnæ decernuntur retributiones : semper enim coronat eos, qui virtutem operantur, secundum operantium voluntatem. Similiter in precum assiduitate istuc ipsum ab eo fieri videre licet. Nam si quem videat alacriter se adeuntem, statim ei dicit : « Adhuc » loquente te, ecce adsum. » Quod si ampliorem sedulitatem teneat, et magno desiderio, ferventique mentis alacritate petitiones emittat, etiam ante petitionem prædicat et coronat : id quod et in Chananæa muliere declaravit. Quoniam enim vidit indefatigabilem ejus constantiam et perseverantiam, ubi primum eam prædicavit, et, ut ita dicam, coronavit, totique mundo celebravit, postea liberalitate magna preces ejus etiam superavit. Nam, ut dixit : « O » mulier, magna est fides tua, » tunc subdidit : « Fiat tibi

[1] Luc. xxi, 3. — [2] Isaï. lxv, 24,

» sicut vis [1]. » Et si voluerimus singula Scripturæ divinæ exempla afferre, ubique magnam Domini munificentiam videbimus. Hoc probe sciebat Patriarcha ille, cedentem minoribus assecuturum majora, sicut heri audivistis : cessit Loto, regionemque deteriorem elegit, ut contentionis resecaret occasiones, et ostensa virtute sua peculiari totam domum pacatam redderet. Cæterum videamus, ex recens lectis, quænam pro tanta mansuetudine accipiat a Deo præmia. « Et dixit, inquit, Deus Abræ, postquam separatus est » ab eo Lot : Elevatis oculis tuis cerne a loco, in quo tu » nunc es, ad aquilonem et meridiem, et orientem et mare : » quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo eam, et se» mini tuo usque in sæculum [2]. » Vide quomodo divina Scriptura acceleratam Dei providentiam et retributionem Justo factam demonstrat. Volens enim nos docere quantum approbata fuerit a misericorde Deo Patriarchæ humilitas, postquam dixit separatum fuisse Lot, et abiisse in terram quam elegit ut præstantiorem, statim subdidit : « Et dixit » Deus Abræ. » Deinde ut diligenter discamus hæc dixisse Deum in mercedem eorum, quæ circa Lotum fecerat, hæc addidit : « Et dixit Deus Abræ, postquam separatus est ab » eo Lot, » quasi manifeste hæc ei verba dicens : « Ob tuam mansuetudinem regione meliore et amœniore fratris filio cessisti, et eximiam præ te tulisti humilitatem, tantamque pacis habuisti curam, ut nihil non potius delegeris, quam esse inter vos contentiones ; eapropter largas illas a me remunerationes accipe. « Elevatis, inquit, oculis tuis, vide a » loco, in quo tu nunc es, ad aquilonem et meridiem, et » orientem et mare : quia omnem terram, quam tu vides, » tibi dabo eam et semini tuo usque in sæculum. » Vidisti retributionem gesta ejus multis modis superantem ? Iisdem verbis utitur misericors Dominus, quibus et Patriarcha

[1] Matth. xv, 28. — [2] Gen. xiii, 14, 15.

cessionem fecerat. Nam sicut Patriarcha dicebat : « Ecce » annon omnis terra coram te ? Separare a me : si tu ad » dextram, ego ad sinistram : si tu ad sinistram, ego ad » dextram. » Ita et Dominus dicit : « Elevatis oculis tuis vide » a loco,in quo tu nunc es : quia omnem terram, quam tu » vides, tibi dabo eam, et semini tuo usque in sæculum. » Hic, quæso, animadverte ingentem munificentiam. Tu quidem, inquit, dato illi electionis arbitrio, ea, quam ille voluit eligere, terra cessisti, relictam autem ipse accepisti : ego vero tanta te liberalitate prosequar, ut omnem quam ante oculos tuos terram vides sitam, ex utroque latere dextro et sinistro, a septentrione et meridie, ab oriente et occidente, et in summa, omnem terram quam cernis, tibi sum concessurus, neque tibi solum, sed et semini tuo usque in sæculum. Vidisti dignam divina bonitate munificentiam ? vidisti quantis cessit, et quanta est assecutus ? Hinc erudiamur, ut magna in dandis eleemosynis largitate utamur, quo datis parvis adipiscamur magna. Quomodo enim paria sunt, dic,obsecro, dare parum argenti, et obtinere peccatorum remissionem ? pascere esurientem, et in die illa horribili fiduciam assequi, et audire verba cum regno conferenda : « Esurivi, et dedistis mihi manducare [1] ? » Num qui tibi tantam rerum dedit ubertatem, potuit et illius inopiam levare et solari ? Sed hac de causa relinquit illum inopia vexari, ut et ipse patientia multum mercedis acquireret, et tu per eleemosynam tibi fiduciæ materiam illuc præmitteres.

III. Vidisti misericordiam Domini, quomodo propter nostram salutem dispenset omnia ? Itaque dum cogitas, propter te et propter tuam utilitatem, illum cum inopia conflictantem fame perire, ne absque misericordia transeas, sed esto fidelis eorum, quæ tibi a Domino concessa sunt,

[1] Matth. xxv, 35.

bonorum dispensator, ut illius sublevando penuriam, multam tibi supernam concilies gratiam. Et glorifica Dominum tuum, quod propter te et salutem tuam permiserit illum in paupertate versari, ut tibi via pateat, per quam peccata possis abluere, et dispensatis bene iis, quæ a Domino tibi sunt concessa, laudes illas mereare, quæ omnem sermonem et rationem transcendunt. Audies enim : « Euge » serve bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa » te constituam : intra in gaudium Domini tui[1]. » Hæc animadvertentes, ita respiciamus pauperes, quasi beneficos, qui occasiones salutis dare nobis possunt, et eis largiter hilarique animo erogemus, nunquam renuentes dare, sed magna lenitate cum eis colloquentes, et multam mansuetudinem declarantes. « Inclina, inquit, pauperi aurem tuam, » et responde ei pacifice in mansuetudine[2], » ut et antequam des, verborum clementia multa inopia dejectum ejus animum erigas ; « Melior enim est, inquit, sermo, quam dona- » tio[3]. » Adeo etiam verbum animam roborare, consolationemque multam afferre solet. Igitur non tantum attendentes eum, qui accipit, in dandis eleemosynis simus liberales : sed ratiocinantes potius quis ille sit, qui ea, quæ in pauperem collocata sunt, ut sibi facta vindicat, et pro datis solutionem pollicetur : atque ita animo illum intuentes, magna alacritate dare studeamus, et largam, dum adhuc tempus est, sementem jaciamus, ut et ubertim metamus. Nam « Qui parce seminat, inquit, parce et metet[4]. » Manu igitur minime parca semina illa bona spargamus, ut suo tempore ubertim metamus. Nunc enim seminandi tempus est, quod ne prætereamus obsecro, ut in die retributionis pro iis, quæ hic seminavimus, fructus percipiamus, et Domini misericordiam assequamur. Nullum enim omnino aliud opus

[1] Matth. xxv, 23. — [2] Eccli. iv, 8. — [3] Id. xviii, 16. — [4] 2 Cor. ix, 6.

bonum sic poterit restinguere peccatorum nostrorum incendium, ut eleemosynæ largitas : ista et peccatorum nostrorum abolitionem operatur, et nobis fiduciam conciliat, et ineffabilium illorum bonorum fructum præparat. Verum de his quidem satis dictum est in cohortationem vestram, et demonstratum nos, si parva dederimus, a Domino nostro magna consecuturos esse. Hinc enim sermo in eleemosynæ admonitionem devolutus est : quia enim diximus Patriarcham, dum partem terræ meliorem Lot concessit, et viliorem ipse retinuit, tantam a Domino consecutum esse liberalitatem, ut omnem cogitationem transcendat promissio, quam ei Dominus fecit : « Elevatis enim oculis tuis, in» quit, vide a loco tuo, in quo tu nunc es, ad aquilonem, et » meridiem, et orientem et mare : quia omnem terram, » quam tu vides, eam tibi dabo et semini tuo usque in sæ» culum. » Parte terræ, inquit, cessisti fratris filio : ecce ego totam tibi terram polliceor; neque hoc solum, sed et semini tuo polliceor eam usque in sæculum, hoc est, perpetuo. Vidisti quomodo certat beneficiis ? Sciens enim Deus hoc maxime cupere Patriarcham, et nihil ejus alacritatem ita roboraturum esse, inquit : « Et hoc tibi concedam, ut qui ex te nascentur, succedant, et similiter terra fruantur, habeantque perpetuum illius dominium. » Deinde, ut ne respiciens ad naturam et senectutem suam, Saræque sterilitatem, promissionem minus curaret, sed bene fideret pollicentis virtuti, inquit : « Et faciam semen tuum sicut are» nam terræ. Si quis potest numerare arenam terræ, et » semen tuum numerabitur[1]. » Vere supra naturam humanam erat hæc promissio : non solum enim promisit se facturum eum patrem inter tot impedimenta, sed in tantum multiplicaturum filios, ut arenæ terræ comparari possent. Innumeram porro multitudinem fore tam hyperbolica si-

[1] Gen. XIII, 16.

militudine declarare voluit. Attende quomodo misericors Deus paulatim virtutem Justi hujus exerceat. Nam cum superius dixerit : « Semini tuo dabo terram hanc, » nunc iterum dicit : « Et semini tuo usque in sæcu- »lum dabo, et faciam illud quasi arenam terræ. » Hactenus sermonibus tantum facta est promissio, interceditque inter rem et promissionem multum temporis, ut religiosam Patriarchæ mentem, et ineffabilem Dei virtutem discamus. Data enim opera differt ac moratur, ut cum ii, quibus promissio facta, in extremam pervenerint senectam, et secundum humanam rationem, ut ita dicam, omnino desperaverint, tunc suam infirmitatem, et inenarrabilis potentiæ Dei eminentiam agnoscant.

IV. Hoc loco expendas, quæso, a temporis tanta intercapedine, quam solida fuerit Patriarchæ mens, quomodo humanis omnibus præteritis, ad potentiam ejus, qui pollicitus erat, respiciens, non impatiens, non turbatus fuerit. Scitis enim quomodo plerumque, quando quis semel atque iterum pollicetur, et promissa implere tardat, segniores sumus ad credendum iis, quæ iterum promittit : id quod in homine non injuria locum habet. In Deo autem, qui res nostras maxima dispensat sapientia, si qua semel promissa fuerint, etiamsi innumera intercedant obstacula, confidendum est ad magnitudinem potentiæ ejus respicientibus, confirmandaque est ratio, et sciendum omnia, quæ ab illo sunt dicta, evenire modis omnibus necesse esse. Nihil enim est quod morari queat ejus promissiones, quoniam Deus est, cui omnia sunt possibilia : et idcirco quocumque vult, res transfert, et ubi non sunt viæ, invenire scit vias, ac nos desperatos in bonam spem adducit, quo excellentia potentissimæ suæ sapientiæ nobis manifestior fiat. Dicit enim : « Surge, et perambula terram in longitudinem ejus et lati-

» tudinem, quia tibi dabo eam[1]. » Vide quomodo in rebus omnibus multam securitatem justo viro ingerere satagit. Dicit enim : « Surge, et circumi, et addisce tam latitudinem quam longitudinem, ut scire possis et magnitudinem terræ, qua fruiturus es, et antequam fruaris, spe pastus, magnam inde animi voluptatem haurias. Nam quantumcunque terræ circumieris, tibi dabo, ut scias te non tantum dimisisse, quantum accepturus es. Ne igitur putes te minorem terram sortitum esse, quoniam ille arripuit, quæ prima sibi visa est et potior. Scies enim non multo post, ex rebus ipsis, quam nihil profuerit ei potioris terræ electio ; et ipse discet quantum malum est primas amare partes. Tu autem nunc accipe modestiæ et clementiæ, quam erga fratris filium declarasti, mercedem ; promissa sume, et jam cognosce terram omnem, cujus dominus es, et quam non multo post et tu ipse, et semen tuum in æternum possidebitis. « Et semini tuo, inquit, usque in sæculum. » Magna divinæ promissionis magnitudo, magna nostri omnium Domini, atque immensa liberalitas, magna mercedis præstantia, quam dat misericors et clementissimus Dominus Beato illi, et ex illo nascituro semini. Ut hæc audivit Patriarcha, de ineffabili bonitate Dei obstupefactus ; « Motis tabernaculis, » inquit, venit, et habitavit juxta quercum Mambre, quæ » est in Chebron[2]. » Postquam, inquit, accepit promissionem, et separavit se Lot, tunc transtulit tabernaculum suum ad quercum Mambre. Vide philosophicam mentem ; vide spiritus sublimitatem, quomodo facile inde migrat, nec gravatur de locis in loca transire. Invenies enim eum nulla consuetudine præventum et alligatum : id quod multis evenit, etiam iis, qui se philosophos, et e mediis liberatos tumultibus jactant : et si quando tempus vocet, spiritualis sæpe negotii gratia, ut in alium locum concedant, sæ-

[1] Gen. XIII, 17. — [2] Ibid. 18.

penumero morosi sunt, tristes, et migrationem ægre ferentes, eo quod consuetudine præoccupati sint. Verum non ita Justus, sed jam tum philosophum agebat, et quasi peregrinus et hospes, ita nunc hinc illuc, nunc illinc huc transmigrabat, et per omnia religiosam suam mentem operibus ipsis declarare studebat. Nam postquam tabernaculum fixit apud quercum Mambre, statim ibi extruxit altare Domino. Vidisti mentem gratam? quia mox ut tabernaculum fixit, statim pro facta sibi promissione gratiarum actiones obtulit Domino. Et in singulis locis ubi tabernaculum fixit, invenies hoc præ omnibus ei fuisse curæ, ut extructo altari preces offerret, et Apostoli præceptum impleret jubentis ut «In omni loco oretur, et eleventur sanctæ manus[1].» Vidisti animam divino amore succensam, et ad Deum volantem, proque omnibus gratias agentem? Non enim expectavit donec promissa complerentur, sed et de promissione gratias agit, nihilque non facit, ut de præviis dignas gratias præ se ferens, Dominum suum provocet ad promissiones suas implendas.

V. Illum sane et nos imitemur, et promissionibus divinis fidamus; neque alacritas tempore obsolescat, neque mens remissior fiat ex obicibus qui interveniunt; sed virtuti divinæ fidentes, quasi jam ante oculos videremus promissiones impleri, ita puram et sinceram fidem exhibeamus. Magna enim et immensa promisit nobis Dominus, et quæ nostram transcendunt rationem, nempe nos participes regni fore, et ineffabilium bonorum consortes, cum Angelis versaturos, et liberandos a gehenna. Cæterum neque diffidamus ideo quod ea non videntur corporalibus oculis; sed cogitantes mentiri non posse eum, qui promisit, et ipsius potentiæ magnitudinem considerantes, hæc oculis fidei contueamur, et ex iis, quæ jam concessa sunt, etiam

[1] 1 Tim. II, 8.

de futuris bonam spem habeamus; ea enim de causa et hic multa nobis donata sunt, ut ex iis adjuvemur, manuque ducamur, ut de illis quoque bene speremus. Nam qui Filium suum tradidit propter suam in nos charitatem, quomodo non omnia nobis reliqua largiturus est? sicut et Paulus inquit; «Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis »omnibus tradidit illum, quomodo non et omnia nobis »cum illo donabit[1]?» Si Filium suum tradidit pro nobis peccatoribus, si baptismatis donum largitus est, si priorum peccatorum remissionem tribuit, si pœnitentiæ viam nobis aperuit, si innumera alia ad salutem nostram operatus est, manifestum est eum et futura bona nobis reposita præbiturum. Nam qui propter suam bonitatem, antequam esse inciperemus, hæc præparavit, quomodo non et frui concedet? Quod autem prius hæc bona nobis præparaverit, audi quid dicat stantibus a dextris: «Venite benedicti Pa»tris mei, hæreditate accipite regnum paratum vobis ante »constitutionem mundi[2].» Vidisti bonitatis excellentiam, quanta erga nostrum genus benignitate usus sit, ut et ante jacta fundamenta mundi nobis regni cœlorum fruitionem præparare dignatus sit? Igitur ne simus ingrati, obsecro, neque indignos talibus nos donis constituamus; sed diligamus, ut decet, Dominum nostrum, nihilque faciamus, quod ejus erga nos benevolentiam impediat. Num enim nos priores rem illam cœpimus? Imo ipse prior magnam et inenarrabilem charitatem erga nos declaravit: quomodo igitur non absurdum fuerit, si cum, qui nos sic dilexit, non diligamus totis viribus nostris? Ipse propter suam erga nos charitatem omnia cum voluptate sustinuit: et ex ipso paterno sinu exiliens, ut ita dicam, servi formam assumere voluit, per humana omnia transire, et ferre a Judæis contumelias et opprobria, denique et crucem, ac mortem

[1] Rom. VIII, 32. — [2] Matth. XXV, 34.

ignominiosissimam, ut nos qui humi trahebamur, et infinitis peccatorum sarcinis oppressi eramus, nostra in se fide liberos faceret. Hæc enim omnia mente recogitans beatus Paulus, fervidus Christi amator, et quasi alatus universum orbem peragrans, qui in corpore quæ incorporearum propria sunt, facere studebat, clamabat dicens: «Charitas enim Christi detinet nos [1]. » Vide probitatem, vide virtutis excellentiam, vide ferventem amorem. «Charitas Christi detinet nos, » hoc est, compellit, cogit, concitat. Deinde volens interpretari quod a se dictum erat, inquit: «Judicantes hoc, quoniam si unus pro » omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro » omnibus mortuus est, ut et viventes posthac non sibi » ipsis vivant, sed illi qui pro eis mortuus est et resurrexit [2]. » Vidisti quomodo jure dixit: «Detinet nos charitas Christi. » Si enim pro nobis, inquit, omnibus mortuus est, propter » hoc mortuus est, ut nos viventes posthac non nobis ipsis » vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit. » Accipiamus igitur apostolicam admonitionem, et non nobis ipsis vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit. Et quomodo, dicet quispiam, poterimus non nobis ipsis vivere? Audi beatum virum iterum dicentem: « Vivo autem non jam ego: vivit autem in me Christus [3]. » Vide quomodo super terram ambulans et carne circumdatus, quasi cœlum inhabitans et inter incorporeas virtutes versans afficiatur? Proinde alibi iterum dicebat: « Qui » autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum af» fectionibus et concupiscentiis [4]. » Hoc igitur est non sibi ipsis vivere, sed ei qui pro nobis mortuus est et resurrexit, quando quasi mortui sumus præsenti vitæ, et nihil eorum, quæ videntur, suspicimus. Nam idcirco Dominus noster crucifixus est, ut hanc vitam pro illa commutemus; imo

[1] 2 Cor. v, 14. — [2] Ibid. 14, 15. — [3] Galat. II, 20. — [4] Id. v, 24.

per hanc illam nobis negotiemur. Præsens enim vita, si volumus esse sobrii et vigiles, ducit nos ad fruitionem vitæ æternæ; atque poterimus, si parumper voluerimus vigilare et aperire mentis oculum, quietis illius semper apud nos meminisse; et ita præsentia præterire ac prætervolare, ad futura autem et semper durantia mentem intendere, sicut Beatus ille nos erudivit, dicens: « Quod autem nunc vivo » in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit » semetipsum pro me [1]. »

VI. Vide animam igne succensam, vide mentem alatam, vide rationem incensam Dei amore. « Quod, inquit, nunc » vivo, in fide vivo. » Non enim, inquit, putetis me facere aliquid rerum hujus vitæ causa. Nam licet carne circumdatus sim, necessitatibusque naturæ alligatus, in fide tamen vivo, quæ est in Christum, despiciens omnia præsentia, et spe quæ in illum est omnia prætercurrens, intentam in illum mentem habeo. Denique ut discas excellentiam amoris ejus, dicit: « In fide vivo Filii Dei, qui me di- » lexit, et tradidit semetipsum pro me. » Considera quam insignis grati animi significatio. Quid dicis, o beate Paule? paulo ante dicebas: « Qui proprio Filio suo non pepercit, » sed pro nobis omnibus tradidit eum, » et nunc dicis: « Qui » dilexit me [2], » atque ut proprium appellas commune beneficium? Etiam, inquit. Nam licet pro omni hominum genere sacrificium ab eo sit oblatum, tamen propter amorem in eum, id quod factum est proprium mihi facio. Ita et Prophetis mos est facere et dicere: « Deus, Deus meus [3], » quamvis totius orbis sit Deus. Sed peculiare hoc est amori, ut ex communibus propria faciat. « Filii Dei, inquit, qui » dilexit me. » Quid dicis? te solum dilexit? Omnem, inquit, hominum naturam dilexit, sed ego ei gratias debeo, quasi me solum dilexisset. « Et tradidit semetipsum pro

[1] Galat. II, 20. — [2] Rom. VIII, 32. — [3] Psal. XXI, CXVII, CXLII.

» me. » Quid igitur, pro te solo crucifixus est? annon ipse dicit: « Cum exaltatus fuero, omnes traham ad meip-» sum [1]? » Nonne tu ipse dixisti: « Pro nobis omnibus tra-» didit semetipsum? » Etiam, inquit: non loquor pugnantia, sed amorem meum ita consolor. Jam vide iterum et aliud quod dictis illis nos docet. Cum enim superius dixerit de Patre: « Pro nobis omnibus tradidit illum, » hic dicit: « Semetipsum tradidit: » et illic quidem, ut concordiam ostendat ac parem honorem Patris et Filii, et passionem subindicet, quoniam etiam alio loco dicit: « Factus obe-» diens usque ad mortem [2], » ubique passioni fidem faciens. Hic autem posuit: « Tradidit semetipsum, » ut indicet eum voluntarie passionem suscepisse, et non necessitate, neque vi, sed volentem cupientemque totius humani generis salutem operari, crucem sustinuisse. Qualem igitur vicissim amorem exhibere poterimus, tam divitem erga nos charitatem declaranti? Etiamsi animam ipsam impendamus pro ejus legibus, et pro observatione mandatorum, quæ ab ipso sunt data, neque sic ad charitatis modum pertingere poterimus, quam erga nostrum declaravit genus. Ipse enim Deus cum esset, pro hominibus hoc subiit, et dominus pro servis; ac non pro servis simpliciter, sed pro ingratis et perpetuis inimicis. Et ipse prior in indignos, et millies lapsos tantam contulit beneficentiam; nos autem, etiamsi faciamus quæcumque poterimus, nihil magnum faciemus, ut ei, qui nos tantis beneficiis prævenit, aliquid rependamus. Nostra enim, si qua sequuntur, retributio quidem sunt et debitum; illius autem sunt gratia et beneficia, largitionisque magnitudo. Hæc igitur omnia cogitantes, diligamus Christum, sicut Paulus ipsum dilexit, nullamque præsentium rationem habeamus, sed perpetuum ejus amorem in anima nostra firmum et stabilem

[1] Joan. XII, 32. — [2] Philip. II, 8.

servemus. Ita enim et omnia, quæ in hac vita sunt, deridebimus, et terram quasi cœlum inhabitabimus, neque ex prosperis rebus remissiores erimus, neque ex adversis contristabimur, sed omnibus præteritis ad amabilem Dominum nostrum hinc festinabimus, neque dilationem gravatim feremus, sed nunc et nos sicut Beatus ille dicemus: » Quod nunc vivimus in carne, in fide vivimus Filii Dei, » qui dilexit nos, et semetipsum tradidit pro nobis: » ut et præsentem vitam absque mœrore perficiamus, et futuris bonis frui mereamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXV.

Factum est autem in regno Amarphath regis Sennaar, Arioch rex Alasar, et Chodolagomor rex Ælam, et Tharthac rex gentium, gesserunt bellum cum rege Sodomorum [1].

I. Ingens bonum est, dilectissimi, divinarum Scripturarum lectio. Hæc enim animam vera philosophia instructam reddit; hæc in cœlum mentem transfert; hæc memorem beneficii reddit hominem; hæc facit ne quidquam ex rebus præsentibus admiremur: sed ut perpetuo in alia vita mente nostra versemur, et ad Domini mercedem respicientes omnia operemur, alacritateque magna virtutum labores aggrediamur. Ex ipsis discere licet Dei celeriter succurrentis providentiam, Justorum fortitudinem, Do-

[1] Gen. XIV, 9.

mini bonitatem, præmiorum magnitudinem. Hinc possumus ad æmulationem et imitationem philosophiæ generosorum virorum excitari, ut non torpescamus in virtutis certaminibus, sed confidamus divinis promissionibus, etiam antequam eveniant. Proinde magna diligentia, quæso, divinarum Scripturarum lectioni vacemus. Ita enim et scientiam assequemur, si ad ea, quæ ibi posita sunt, frequenter accedamus. Neque enim fieri potest, ut is, qui divinis Scripturis magno studio ferventique desiderio vacat, unquam negligatur : sed licet desit nobis hominis magisterium, ipse Dominus superne nostra in corda intrans illustrat mentem, rationi jubar suum infundit, detegit occulta, doctorque fit eorum, quæ ignoramus, tantum si nos quæ nostra sunt afferre velimus. « Ne vocetis enim, » inquit, magistrum super terram [1]. » Quando igitur in manus spiritualem librum capimus, intenta mente, collectis reductisque cogitationibus, omnique sæculari cura depulsa, lectioni incumbamus cum magna pietate et attentione, ut possimus a sancto Spiritu ad scriptorum intelligentiam duci, et multum inde fructum percipere. Nam barbarus ille reginæ Æthiopum eunuchus, qui in tanta erat gloria, et curru vehebatur, ne illo quidem tempore lectionem negligebat [2] : sed Prophetam in manibus habens, magnum lectioni adhibebat studium, idque nescius quid in libris contineretur : attamen quia afferebat quidquid in se erat, nempe studium, alacritatem, attentionem, doctorem nactus est. Cogita enim, obsecro, quantum erat neque in itinere lectionem negligere, et præsertim sedentem in curru. Audiant exemplum ii, qui neque domi ut hoc faciant persuaderi possunt, sed putantes supervacuam esse horum lectionem, quia vel cum muliere habitant, vel militiæ ascripti sunt, vel puerorum et servorum

[1] Matth. XXIII, 8. — [2] Act. VIII, 18.

aliorumque negotiorum agunt curam, non convenire sibi opinantur, ut divinæ Scripturæ lectioni incumbant. Ecce enim hic eunuchus et barbarus, quæ utraque ad reddendum negligentiorem sufficiebant, et ad hæc dignitatis amplitudo et opum abundantia: adde quod et in itinere erat et curru ferebatur; hoc enim modo iter facienti non est facile lectioni esse attentum, imo valde molestum: attamen desiderium et studium omnia impedimenta e medio auferebat, et lectioni ille incumbebat; nec dicebat ea, quæ nunc plerique dicunt: «Non intelligo ea, quæ scripta sunt, non possum intelligere profunditatem Scripturarum; quare frustra et incassum laborem sustinerem legendo, dum non habeo qui interpretetur?» Nihil horum cogitabat ille, lingua quidem barbarus, mente autem philosophus; sed cogitans potius se non contemptum iri, sed superna gratia adjuvandum, modo quod suum erat pro viribus afferret, lectioni incumbebat. Propterea benignus Dominus ipsius videns desiderium, eum minime neglexit, neque sua cura destituit, sed protinus ipsi doctorem misit. Tu autem expende quomodo expectaverit, ut ipse quæ ipsius erant prius afferret, et tunc suum patefecit auxilium. Cum igitur omnia perfecta et absoluta essent, quæ ab illo fuerant exhibenda, deinceps Angelus Domini Philippo apparuit, dicens: «Surge et vade ad viam, quæ descendit ad »Jerusalem in Gazam; hæc est deserta. Et ecce, inquit, »vir Æthiops præfectus eunuchus Candaces reginæ Æthio»pum, qui venerat adoraturus in Jerusalem. Et ipse re»vertebatur sedens super currum suum, legebatque He»saïam prophetam[1].» Vide quam accurate nobis narrarit qui librum scripsit, dicens: «Æthiops,» ut illum barbarum esse cognosceremus; deinde ait: «Præfectus,» quo nomine maximus dignitatis honor significatur; «Qui ve-

[1] Act. VIII. 26-28.

» nerat, inquit, adoraturus in Jerusalem. » Vide etiam peregrinationis causam idoneam, quæ animi ipsius pietatem declaret ; expende enim quantum itineris susceperit ut Dominum adoraret. Tunc enim adhuc divinum cultum arbitrabantur uno loco concludi, ideoque longo peracto itinere, illic suas preces fundebant : propterea et iste eo venerat ubi templum erat et cultus judaïcus, ut adorationem Domino persolveret. Et posteaquam quod cupiebat implevisset, revertens, inquit, et in curru suo sedens legebat.

II. Deinde cum accessisset Philippus, dixit ad illum : « Putas-ne, intelligis quæ legis[1] ? » Vides animum diligentem ac sollicitum, lectioni etiam illi, quam non intelligeret, incumbentem, et doctorem qui ipsum instrueret requirentem ? Etenim Apostolus statim per interrogationem illius excitat affectum ; quod enim dignus esset, qui doctoris opera in lectione reconditorum intelligentiam consequeretur, ipsa viri responsio declarat. Cum enim Apostolus dixisset : « Putas-ne intelligis ? » vesteque vili indutus accessisset ; non ægre tulit, nec indignatus est, neque se contumelia affici existimavit, quod plerisque insulsis accidit, qui sæpe malunt in perpetua versari ignorantia, quia pudet illos ignorantiam suam confiteri, et ab iis discere qui docere valeant. At huic nihil tale evenit; sed cum mansuetudine et pietate respondet, animi sui statum declarans, aitque : « Quomodo possim, nisi quis mihi ostenderit[2] ? » Nec tantum mansuete respondit, ac postea transiit; sed rursus morum suorum virtutem nobis demonstrans, ista locutus præfectus ille, barbarus, curru vectus, eum, qui vilis videbatur, et ex vestitu contemnendus, rogavit ut ascenderet, ac secum sederet. Vides animi fervens studium ? vides pium barbari animum, quomodo Sa-

[1] Act. VIII, 30. — [2] Ibid. 31.

pientis cujusdam dictum illud impleverit : « Si videris virum » prudentem, mane surge ad eum, et gradus ostiorum » illius deterat pes tuus[1] ? » Vides quî merito non sit neglectus ? vides quî merito supernam sit consecutus providentiam ? Vides ut nihil omiserit eorum, quæ ab ipso afferri conveniebat ? propterea deinceps doctorem nactus, eorum vim, quæ proposita erant, accurate discebat, et animo illuminabatur. Videtis quantum sit commodi attente et studiose divinas Scripturas legere ? Propterea enim et hanc de barbaro historiam in medium vobis produxi, ut ne quemquam nostrum pudeat imitatorem fieri Æthiopis eunuchi, ejus qui ne in itinere quidem lectionem neglexerit. Idoneus enim est barbarus iste, qui nobis omnibus doctor fiat, tum privatam vitam sectantibus, tum militiæ ascriptis, tum dignitate et honore præditis, et, ut in summa dicam, omnibus non viris solum, sed et mulieribus, ut quæ assidue domi versentur : quin etiam iis doctor fuerit, qui vitam monasticam delegerunt, ut discant omnes nullum esse tempus ad divinorum eloquiorum lectionem incommodum, sed fieri posse ut non solum domi, verum etiam in foro versantes, et iter facientes, et in multorum cœtu agentes, ac variis negotiis impliciti horum studio teneamur, ut quæ a nobis præstanda sunt conferentes, cito magistrum adipiscamur. Dominus enim videns nostrum ad res spirituales affectum, non negliget, sed supernam illustrationem præbebit, ac nostrum illuminabit animum. Ne igitur, obsecro, Scripturarum lectionem negligamus : verum sive eorum, quæ his continentur, vim intelligamus, sive ignoremus, illa frequenter adeamus. Assidua enim meditatio memoriam efficit indelebilem : et non raro evenit, ut quod hodie invenire non potuimus legentes, hoc rursum postero die aggredientes, repente

[1] Eccli. VI, 36.

inveniamus, Deo videlicet pro sua clementia occulte mentem nostram illustrante. Cæterum ista ad assiduam divinarum Scripturarum lectionem suscipiendam diximus : ut autem discatis in aliis etiam omnibus hoc Dominum facere consuevisse, ut cum quæ a nobis sunt contulerimus, ipse sua abunde suppeditet ; et quod in Scripturarum lectione fecit, multa cum celeritate misso ad barbarum doctore, hoc et in iis, qui virtutem exercere volunt efficiat ; audi quæ dicuntur. Verum ut manifestior nobis iste sermo reddatur, consentaneum fuerit rursum quæ ad Patriarcham attinent, in medium adducere, et quæ heri dicta subsequuntur, nunc assumere. Cognovistis enim, ex jam dictis, quomodo maximæ illius humilitatis erga Lot exhibitæ, qua illi potioribus partibus cessit, magnam a Deo mercedem sit consecutus, et promissionem acceperit longe ipsius facta superantem. Videamus autem deinceps etiam ex hodie lectis rursum ipsius Justi virtutem, ut ita procedentes discamus ineffabilem Dei erga illum providentiam. Nos enim omnes per Patriarchæ philosophiam docens, sinit ipsum per singula tempora prius demonstrari animi pietatem, et tunc suam affert remunerationem, ut et nos Patriarcham imitantes studiose annitamur prius virtutis labores capessere, atque ita ab ipso remunerationis vicem expectare.

III. Sed tempus est, ut quæ hodie lecta sunt, vobis proponam : ea enim vix interpretatione opus habent. Nam vel ipsa lectio excellentem Justi virtutem satis demonstrare potest. « Factum est autem, inquit, in regno Amarphath » regis Sennaar, Arioch rex Elasar, et Chodologomor rex » Ælam, et Tharthac rex gentium, fecerunt bellum cum » Balac rege Sodomorum, et cum Barsac rege Gomorrhæ, » et cum Sennaar rege Adama, et cum Symobor rege Se» boïm, et rege Balac, ipsa est Segor. Omnes ii qui con-

» spiraverunt in valle salsa, quæ nunc est mare salis [1]. » Vide Scripturæ diligentiam, quomodo nomina etiam regum et nationum commemoraverit, non sine causa, sed ut ex horum appellatione discas barbarum istorum animum. Isti enim, inquit, bellum gesserunt adversus Sodomorum regem et reliquos. Deinde belli causam etiam docet, unde principium habuerit, dicens : « Duodecim annis » servierant Chodologomor, tertio autem decimo anno des» civerunt. Quarto autem et decimo anno venit Chodologo» mor, et reges qui cum eo erant, et trucidarunt gigantes » in Astaroth, et Carnaïm, et gentes fortes una cum ipsis, » et Ommæos, qui erant in Save civitate, et Chorræos, » qui erant in montibus Seïr, usque ad Terebinthum Pha» ran, quæ est in eremo. Et reversi venerunt ad fontem » judicii, ipsa est Cades, et occiderunt omnes principes » Amalec, et Amorrhæos, et habitantes in Asasontha» mar [2]. » Ne prætereamus obiter, dilecti, quæ dicta sunt, neque putemus inutilem esse narrationem. Dedita enim opera divina Scriptura diligenter omnia nobis narravit, ut discamus quantum fuerit robur, et quanta potentia barbarorum, et quanto impetu in bellum venerint, ut etiam gigantes, hoc est, proceros et fortes corpore debellarint, omnesque regionis gentes in fugam verterint. Nam sicut torrens, qui valde excurrit et inundat, omnia secum rapit et perdit : ita et barbari illi invaserunt omnes gentes, et omnes prorsus perdiderunt, ita ut et principes Amalecitarum, et alios omnes in fugam verterint. Sed forte dixerit quispiam : « Et quæ mihi utilitas, scire barbarorum robur? » Non temere, neque frustra narrationi talia immiscuit Scriptura divina ; nec sine causa nos a principio auctores vobis sumus, ut eorum fortitudinem memoria teneatis, sed ut ex præcedenti discatis et ingentem Dei potentiam, et Pa-

[1] Gen. XIV, 1-3. — [2] Ibid. 4-7.

triarchæ virtutem. Contra illos igitur, qui tanto robore præditi erant, et tot gentes in fugam verterant. « Egressus » est, inquit, in prælium rex Sodomorum et Gomorrhæ, » et rex Adama, et rex Seboïm, et rex Balac, ipsa est » Segor : et direxerunt aciem in prælium in valle salsa, » contra Chodologomor et Tharthac, et Amarphath, et » Arioch. Quatuor reges contra quinque. Vallis autem salsa, » putei bituminis[1]. » Deinde ut discamus quomodo eorum robur, et potentiam obstupescentes, in fugam versi sunt, inquit : « Et fugit rex Sodomorum, et Gomorrhæ, et ceci- » derunt illic ubi fontes erant : qui autem reliqui, fuge- » runt in montana[1]. » Vidisti quanto robore bellabant isti viri? quomodo hostes suos etiam aspectu suo terruerunt, et in fugam verterunt? Vide deinceps quomodo, illis fugam ineuntibus, isti, ablatis omnibus, quæ illorum erant, re- dierunt. « Acceperunt autem, inquit, montana, et omnem » equitatum Sodomorum et Gomorrhæ, et omnes com- » meatus eorum, et abierunt. Acceperunt quoque et Lot » filium fratris Abræ, et supellectilem ejus, et abierunt. » Habitabat enim in Sodomis[3]. » Ecce id quod heri dice- bam, id nunc evenit : nihil enim profuit Loto, quod po- tiora elegerit, sed reipsa didicit priores partes non appe- tere. Nam ex hoc non solum nihil utilitatis ei accrevit, sed ecce captivus etiam abductus est, et didicit reipsa multo satius ei fuisse uti consuetudine Justi, quam sepa- ratum, et in libertate viventem in tam multas calamitates incidere. Ecce enim ut divisus est a Patriarcha, cum pu- taret se in majori esse libertate, et potiora se assecutum, et abundare, repente factus est servus, carens domo, ca- rens et foco : ut discas quantum malum dissensio, et quan- tum bonum concordia : et scias consentaneum esse non majora temere capessere, sed potius minoribus contentum

[1] Gen. xiv, 8-10. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 11, 12.

esse. « Acceperunt, inquit, Lot et supellectilem ejus. » Quanto melius erat eum cum Patriarcha vivere, et omnia ferre, ut ne concordia solveretur, quam separatum, et electis potioribus, in tanta repente pericula incidere, et in barbarorum venire potestatem ? « Adveniens autem qui» dam, inquit, ex iis qui servati erant, nuntiavit Abræ » transitori. Ipse autem habitabat juxta quercum Mambre » Omori fratris Eschol, et fratris Aunan, qui erant confœ» derati Abræ [1]. » Quomodo tantum bellum conflatum ignoravit Patriarcha? Fortassis magna distantia aberat, et ideo ignoravit : « Adveniens autem quidam annuntiavit Abræ » transitori. » Ut nobis commemoret ei annuntiatum esse, qui ex Chaldæa redierat. Nam quia trans Euphratem domicilium habuerat, dictus est transfluvialis, vel transitor. Et antea etiam ab initio parentes ei hoc nomen indiderant, jam antea significantes eum inde migraturum. Vocatus enim est Abram, quia migraturus erat trans Euphratem, et in Palæstinam venturus.

IV. Attende quomodo et parentes ejus, licet infideles essent, ductu potentissimæ sapientiæ Dei nomen puero imposuerunt, sicut et Lamech suo Noë. Est enim et hoc divinæ benignitatis, post multum tempus eventura per infideles prænuntiare. « Adveniens itaque quidam, inquit, » nuntiavit transitori quæ acciderant,» captivitatem videlicet filii fratris, et regum illorum magnam potentiam, Sodomorumque populationem, et fœdam fugam. « Ipse autem, in» quit, habitabat juxta quercum Mambre Omori fratris » Eschol, et Aunan, qui erant confœderati Abræ. » Jam forte hic aliquis interrogaverit: « Quare eorum, qui in Sodomis erant, solus justus Lot in captivitatem abducitur ?» Non sine causa hoc, neque frustra; sed ut discat his eventibus Lot Patriarchæ virtutem, et ut propter ipsum serven-

[1] Gen. XIV, 13.

tur et alii, utque doceatur primatum non appetere, sed majoribus cedere. Audiamus autem deinceps ea, quæ sequuntur, ut discamus et Justi virtutem, et immensum Dei subsidium. Verum diligenter dictis auscultate, mentemque recolligite. Multum enim lucri facere hic poterimus, et ex iis, quæ Lot evenerunt, discere nunquam ægre ferendum, si quando Justi incidant in tentationes, improbi vero et mali evadant; neque ullo modo prima quærenda esse, neque aliquid Justorum familiaritati et convictui præferendum; sed etsi serviendum sit habitando cum viris virtute præditis, id ipsa libertate utilius esse. Et insuper discamus Patriarchæ insignem tolerantiam, propensum in Lot amorem et benevolentiam, fortitudinis magnitudinem, opum contemptum, ineffabilem divini erga illum adjutorii virtutem. « Ut autem audivit, inquit, Abram quod captus » esset Lot fratris sui filius, numeravit proprios vernacu- » los suos trecentos decem et octo, et persecutus est illos » usque Dan, et irruit super eos nocte ipse et pueri ejus, » et percussit eos, et persecutus est eos usque Chobal, » quæ est in sinistra Damasci. Et reduxit omnem equitatum » Sodomorum. Et Lot filium fratris sui reduxit, et substan- » tiam ejus, et populum et mulieres[1]. » Considera hic, dilectissime, magnanimitatem et fortitudinem Justi, quomodo bene fisus misericordiæ Dei, non perculsus est animo, cum audisset virorum fortitudinem, et stragem, quam fecerant, primum in omnes gentes irruptione facta, debellatisque Amalecitis et cæteris omnibus, deindeque cum Sodomitis manus conserentes, et in fugam ipsos verterint, omnemque eorum diripuerint substantiam. Idcirco enim superius hæc omnia narravit nobis Scriptura, et quanta sua virtute strenue gesserunt, ut scias non corporali robore eos devicisse Patriarcham, sed sua in Deum fide, et

[1] Gen. XIV, 14-16.

superno præsidio adjutum omnia illa gessisse; non arma movit, nec tela, nec lanceas, nec arcus intendit, nec scuta objecit, sed solum cum vernaculis. Dixerit aliquis : « Et quare numeravit trecentos decem et octo vernaculos? » ut scias eum non universos assumpsisse, sed vernaculos, et qui cum Lot educati erant, ut ultionem sponte et benevole facerent, utpote servi pro suo domino certantes. Et vide, obsecro, miram Dei potentiam, quanta velocitate contigit victoria. « Irruit enim, inquit, super illos nocte, » ipse, et servi ejus, et percussit eos, et persecutus est » eos. » Erat enim manus superna, quæ adjuvabat et commilitabat. Et ideo neque armis, neque machinis opus habebant; sed tantum ut comparuit cum famulis, alios quidem percussit, alios autem in fugam vertit, et utrumque impavide, cum nullus esset qui obturbaret, et tam equos regis Sodomorum reduxit, quam Lot fratris sui filium, et omnem ejus substantiam et mulieres. Vides quare, aliis fuga elabentibus, permissus sit Lot in captivitatem venire? nempe ut et Patriarchæ virtus claresceret, et propter ipsum alii multi salutem assequerentur. Rediit autem magno et præclaro tropæo insignis, cum Lot equos et mulieres, et cæteras substantias reducens, et clara ac plena voce prædicans, tubaque vocalius clamans se non humana virtute, neque corporali robore et illos profligasse, et victorem evasisse, sed superna manu faciente omnia. Vidisti per omnia Justum clariorem fieri, et quotidie magis declarari Dei erga eum providentiam? Vide post hæc quomodo studet ut Sodomitis divini cultus doctor fiat. Ait enim Scriptura : « Egressus est rex Sodomorum in occursum ei, » postquam reversus est a strage Chodologomor, et regum » qui cum illo [1]. » Attende quanti sit virtus, et divini auxilii commilitium. Rex peregrino et seni in occursum egreditur,

[1] Gen. XIV, 17.

et omnem honorem impendit. Jam enim didicerat nihil prodesse regnum ei, qui superno auxilio est destitutus, et nihil potentius esse eo, qui manu Dei adjuvatur. « Et Mel- » chisedech, inquit, rex Salem protulit panes et vinum. Erat » autem sacerdos Dei altissimi [1]. »

V. Quid sibi vult hæc observatio : « Rex Salem, et sacer- » dos Dei altissimi ? » Rex quidem erat Salem. Illum enim nobis et beatus Paulus scribens ad eos, qui ex Hebræis crediderant, cum in medium adduxisset, et nomen ejus tractaret, atque civitatem, simul significationem nominis ejus interpretatur, et usus etymologia quadam ait : « Melchise- » dech, rex justitiæ [2]. » Nam secundum hebraïcam linguam, Melchi regnum significat, et Sedech, justitiam. Et cum ad nomen civitatis venit, « Rex pacis, » inquit : « Salem enim » idem quod pax est [3]. » Sacerdos autem erat, forte a semet-ipso ordinatus ; sic enim tunc erant sacerdotes ; vel quia ætate provectior erat, a suis hunc honorem accepit ; vel ipse sacrificare studuit, sicut et Noë, Abel, Abram, quando sacrificia obtulerunt. Alioquin et typus Christi futurus erat, unde Paulus sic eum accipit, dicens ; « Sine » patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, » neque vitæ finem habens, assimilatus autem Filio Dei, ma- » net sacerdos in perpetuum [4]. » Et quomodo, dices, possibile est hominem absque patre, et matre, et genealogia esse, et non habere vel initium, vel finem vitæ ? Audisti eum figuram fuisse ; ne ergo admirare, neque omnia require in typo. Neque enim typus esset, si omnia, quæ in veritate contingunt, haberet. Quid igitur est quod ibi dicitur ? Sicut ille, inquit, eo quod nulla sit memoria eorum qui genuerunt, dicitur sine patre et matre, et quia non recensetur ejus genealogia, dicitur sine genealogia : ita Christus, quia non habet vel in cœlo matrem, vel in terra patrem, absque genea-

[1] Gen. XIV, 18. — [2] Hebr. VII, 2. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 3.

logia dicitur et est. Vide quomodo per honorem in Patriarcham collatum, mysterium aliquod nobis insinuatur. Protulit enim panem et vinum. Videns typum, cogita et veritatem, et admirare divinæ Scripturæ vim, quomodo superioribus sæculis et ab initio futura præsignificavit. »Et benedixit, inquit, Abramum, et dixit : Benedictus »Abram Deo altissimo, qui creavit cœlum et terram. Et »benedictus Deus altissimus, qui tradidit inimicos tuos in »manus tuas[1]. » Non solum ipsum benedixit, sed et Deum glorificavit. Ut dixit enim : »Benedictus Abram Deo altis»simo, qui creavit cœlum et terram,» a creaturis virtutem Dei nobis declaravit. Si enim Deus est ille, qui produxit cœlum et terram, non sunt jam dii, qui ab hominibus coluntur : « Dii enim, inquit, qui cœlum et terram non fecerunt, »pereant[2]. Benedictus, inquit, Deus, qui tradidit inimi»cos tuos in manus tuas. » Vide, oro, quomodo non solum Justum prædicat, sed et Dei subsidium agnoscit. Neque enim absque illius gratia potuisset tanta potentia munitos vincere. « Qui tradidit, inquit, inimicos tuos : » ipse est, qui totum operatus est ; ipse est, qui fortes fecit infirmos ; ipse est, qui per inermes armatos dejecit ; ab eo est auxilium, quod tantam tibi virtutem concessit : « Qui tra»didit, inquit, inimicos tuos in manus tuas. » Vides quomodo ostendit ipsius concordiam, et propensum amorem in Lot, declaratque eum pro inimicis istos habuisse, propter ea quæ in fratris filium fecerant? « Et dedit ei, inquit, »decimas de omnibus[3]. » Hoc et Paulus dicit[4]. Considerate autem quantus ille, cui decimas Abram patriarcha dedit de primitiis, videlicet ex spoliis, quæ adduxit, remuneratus est Melchisedechem, et decimas ei segregavit de omnibus, quæ attulit. Per hoc doctor factus omnibus, ut gratum declarantes animum, primitias eorum, quæ sibi a Deo conce-

[1] Gen. XIV, 19, 20. — [2] Jer. X, 11. — [3] Gen. XIV, 20. — [4] Hebr. VII, 4.

duntur, offerant. Post hæc Sodomorum rex Patriarchæ magnanimitatem obstupescens, dicit ei: «Da mihi viros, »equitatum autem tolle tibi[1].» Honesta regis gratia, sed vide Justi philosophiam. «Dixit autem Abram regi Sodo»morum: Extendam manum meam ad Deum altissimum, »qui fecit cœlum et terram, si a funiculo usque ad sphæ»roterem calceamenti accipiam de omnibus tuis, ut ne »dicas: Ego ditavi Abram[2].» Magna Patriarchæ in contemnendis divitiis virtus. Et cujus gratia cum juramento recusat et dicit: «Extendam manum meam ad Deum al»tissimum, qui creavit cœlum et terram?»

VI. Duo simul docere vult Sodomorum regem, se minime capi donis, quæ ab ipso offerebantur, et magnam philosophiæ formam indicare velle, ac pietatis doctorem ei fieri studere ac si instituat illum his verbis: «Illum tibi testem adhibeo, me nihil tuarum rerum accepturum, illum, inquam, omnium Conditorem, ut nosse possis Deum omnium, et ne credas esse deos ea, quæ ab hominum manibus fabricantur. Ille enim cœli et terræ conditor, ille et nobis in hoc bello victoriæ et triumphi auctor. Ne igitur expectes me quidpiam ex donis tuis accepturum. Neque enim mercedis gratia vindictam feci, sed primum ob amoris affectum, quem erga fratris mei filium gero, deinde et propter ipsius justitiæ officium, ut e barbarorum manibus eriperem injuste abductos. «Si a funiculo, inquit, usque »ad sphæroterem calcei accipiam de tuis omnibus:» hoc est, nihil tam vile, nec tam nihili habitum est quod accepturus sim.» Nam sphæroterem solent vocare apicem calcei, qui in acumen desinit, quod calceorum genere barbari consuerunt uti. Exin et causam, quare accipere detrectet, dicit: «Ut ne dicas: Ego locupletavi Abram.» Habeo Deum, qui innumera mihi suppeditet bona; superno inni-

[1] Gen. XIV, 21. — [2] Ibid. 22, 23.

tor auxilio : non opus mihi divitiis tuis; non indigeo humanis facultatibus; contentus sum Dei in me beneficentia; scio illius largitatem. Paucis et vilibus cessi meo Lot, magnas et ineffabiles promissiones assecutus sum, et nunc majorum divitiarum negotiatio mihi est, et majorem ejus gratiam mihi concilio; quare opes tuas non accipio. Ideo autem opinor et juramentum adhibuit, et dixit : « Ex» tendam manum meam ad Deum altissimum; » ut ne putet eum ita simulare, ut probabile est sæpe contingere; sed ut sciat hoc ita plane decretum apud Abram, ut ne vel minimum quid inde sibi seligeret. Atque ita implebat mandatum illud, quod a Christo Discipulis est datum : « Gratis » accepistis, gratis date [1]. » Num ego, inquit, aliud quid ad belli rem attuli, præterquam voluntatem et alacritatem? Victoriam autem, et triumphum, ac cætera operatus est ille invisibili virtute. Deinde ut ne putaret rex ipsum ex superbia et contemptu, quæ ab eo dabantur, non accipere, declarans suam et in hoc humanitatem, et philosophicam mentem, inquit : « Non accipiam, exceptis iis, quæ come» derunt juvenes, et portione virorum, qui mecum vene» runt, Eschol, Aunan, Mambre, ii accipient portionem [2]; » hos, inquit, permittam accipere portionem aliquam, quoniam ingentis amicitiæ specimen declararunt. « Ili enim » erant, inquit, confœderati Abræ, » hoc est, amicitia conjuncti; quod hinc ostenditur, quia in partem periculorum cum eo venerunt. Unde remunerare volens eos, facit ut partem aliquam accipiant, apostolicam legem etiam in hoc implens, quæ dicit : « Dignus est operarius alimento suo [3]. » Nihil enim eos ultra usum suum accipere permittit; dicit enim : « Exceptis iis, quæ comederunt juvenes, et por» tione eorum, qui mecum venerunt, Eschol, Aunan, Mam» bre, ii accipient portionem. » Vidistis exquisitam Patriar-

[1] Matth. x, 8. — [2] Gen. xiv, 24. — [3] Matth. x, 10. Luc. x, 7.

chæ virtutem, quomodo eam philosophiam exhibeat, quæ opum contemptum et modestiam respicit, nihilque non agat, ut ne per arrogantiam et contemptum id facere videatur, neque e victoria superbiat?

VII. Talem virum imitemur et nos, obsecro, et operam demus ut invictos nos custodiamus, et neque virtutis obtentu superbiæ famam acquiramus, neque modestiæ obtentu virtutem negligamus; sed ubique modum servemus, et bonis operibus nostris humilitatem, quasi fundamentum et basim subjiciamus, ut secure quæ ad virtutem spectant construere valeamus. Hæc enim vere virtus est, quæ conjunctam habet humilitatem. Qui hoc fundamentum tuto jecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem structuram excitare. Hæc maxima est munitio, hæc murus inconcussus, hæc inexpugnabilis turris, hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum vel a ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel a ventorum vi dejici : sed omnibus insidiis inaccessum facit, et invictum, quasi ex adamante constructum esset, magnasque nobis divinæ largitatis mercedes affert. Per hanc et Patriarcha tantarum Dei promissionum accepit magnitudinem. Scietis enim, permittente Deo, ex iis, quæ in sequentibus dicentur, quomodo nunc, ut contempsit ea, quæ daturus erat Sodomorum rex, magna et ineffabilia Dei dona consecutus est. Per hanc non ille solum, sed et Justi omnes celebres et clari fuerunt: id quotquot estis, divinarum Scripturarum lectionis studiosi, addiscere poteritis. Benignus enim Dominus, quando nos videt despicere præsentia, etiam ipsa largius suppeditat, nobisque futurorum bonorum fructum recondit. Videre hoc potes in divitiis, in gloria hujus vitæ, et in omnibus aliis temporalibus rebus. Despiciamus igitur præsentes divitias, ut veras divitias invenire valeamus ; despiciamus vanam hanc gloriam, ut vera illa et so-

lida fruamur ; derideamus præsentem prosperitatem, ut arcana illa bona consequamur ; nihili faciamus præsentia, ut ad futura præmia excitari valeamus. Neque enim possibile est, ut qui præsentibus est addictus, ineffabilium bonorum desiderium concipiat unquam ; sicut lippitudine quadam oculos obtegente, ita præsentium cupiditate intellectum obscurante, nec permittente videre quid facto opus sit. Neque rursum fieri potest, ut qui solidorum, et immobilium bonorum amore tenetur, fluxa ista, et quæ antequam appareant avolant et marcescunt, concupiscat. Nam qui saucius est amore divino, et qui futurorum desiderio tenetur, aliis oculis videt præsentium statum, scitque totam vitam præsentem figuram esse atque fallaciam, et a somniis nihil differre. Idcirco beatus Paulus hoc scripto tradidit : « Præterit figura mundi hujus [1] : » ostendens humana omnia in figura tantum esse, ac sicut umbra et somnium transire, nihil solidum, nihil verum habentia. Annon igitur animi puerilis hoc est umbras suspicere, de somniis superbire, et iis quæ paulo post præteribunt adhærere ? « Præterit enim, inquit, figura hujus mundi. » Itaque cum audieris : « Præterit, » quid posthac amplius quæris ? Quando audis figuram solum esse humana omnia veritateque destituta : quare te decipi sponte pateris ? Cur cogitans quam sint mutabilia et fluxa, non ea præteris, ut ad illa, quæ semper durant, ac semper stabilia, nulliusque vicissitudinis capacia sunt, desiderium transferas ?

VIII. Nam ut scias prudentiam Doctoris orbis, vide illum alio loco omnia præclara hujus vitæ nullius esse momenti demonstrare volentem, quali utatur loquendi modo : « Quæ enim videntur, momentanea sunt [2], » etiamsi divitiarum abundantiam dicas, etiamsi gloriam, etiamsi claritatem, etiamsi principatum, etiamsi potentiam, etiamsi

[1] 1 Cor. VII, 31. — [2] 2 Cor. IV, 18.

regnum, etiamsi diademate redimitum illum, etiamsi solium supremum : hæc omnia, quæ videntur brevi tempore manentia, non admodum diuturnum sui fructum nobis præbent. Quæ igitur nos inquirere vis, si omnia temporanea sunt? Illa, inquit, quæ non videntur, non hæc quæ videntur, sed illa ipsa, quæ hisce oculis corporalibus non spectantur. Et quis hoc consuleret, ut quæ videntur prætereantur, et quæ non videntur, inquirantur? ipsa rerum, inquit, natura doceat vos. Nam hæc quidem licet videantur, statim tamen præterfluunt : illa autem, licet nunc ea videre non possimus, sunt tamen perpetua, semper durant, terminum nesciunt, finem non accipiunt, vicissitudinem ignorant, stabilia et immobilia sunt. Fortassis tandem molestus esse videar, quotidie frustra consulens : sed quid faciam? magnum malitiæ damnum est, magna pecuniarum tyrannis, magna virtutum raritas. Ideo cupio vel admonitionis assiduitate morbum vincere, et incolumitati integræ huc convenientes restituere. Eam enim ob rem Scripturas enarrandi tantum nobis est studium, et Justorum virtutes in medium afferimus : nec piget eadem sæpius repetere, ut per omnia vos inducere ad æmulationem Justorum valeamus. Vel sero tandem salutis nostræ curam faciamus, et bene utamur ad inducias nobis dato hujus vitæ decursu, et dum adhuc tempus est, ad pœnitentiam et lapsuum correctionem festinemus, pecuniarumque abundantiam in animarum nostrarum salutem expendamus, superfluaque indigentibus insumamus. Quare enim, dic mihi, permittis a rubigine aurum et argentum consumi, quæ oportebat in pauperum ventres effundere, ut in tuto promptuario deposita, tempore quo maxime opus eorum adjutorio habebis, hinc consolationem invenias : et qui a te hic pasti sunt, illo die fiduciæ fores tibi aperiant, et accipiant te in æterna sua ta-

bernacula? Vestes quoque non sinamus a vermibus rodi, et absque usu in arculis putrescere, cum tot sint qui indigeant, et abambulent nudi: sed pluris faciamus nudum Christum, quam tineas, et induamus eum, qui propter nostram salutem nudus obambulat, ut cum ipsum induerimus, audiamus in die illo: « Nudus eram, et me induistis [1]. » Num onerosa sunt præcepta? num molesta? Ea quæ pereunt, inquit, quæ a vermibus arroduntur, quæ absque usu et frustra consumuntur, hæc utiliter dispensare satage, ut et detrimenti damnum effugias, et ex ipsis lucrum maximum tibi pares. Ingentis enim et magnæ inhumanitatis est post tot bonorum et facultatum usum, arculis et muris includere superflua, et non illis sublevare proximorum inopiam, sed sinere a rubigine et tinea potius corrumpi, ac prædonum manibus exposita relinquere, et propter illa suppliciis potius plecti, quam ubi recte dispensaveris, pro eis præmium accipere. Obsecro ne usque adeo salutem nostram negligamus, sed expensis in pauperes superfluis, magnam nobis fiduciam antea reponamus, ut ineffabilibus bonis frui mereamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xxv, 36.

HOMILIA XXXVI.

Post hæc autem verba factus est sermo Domini ad Abram per visionem noctis, dicens : Ne timeas, Abram, ego protector tuus sum; merces tua multa erit valde[1].

I. Thesauro cuipiam similis est Justorum virtus, in quo plurimæ et ineffabiles divitiæ reconduntur. Nam sicut qui ex illo vel parvam quamdam partem capere potest, multas sibi inde parat opes : ita evenire in virtutibus Patriarchæ deprehendere quis potest. Ecce fere quotidie ex historia ejus vobis doctrinam proponentes, magna largitate convivium præbemus, et huc usque nondum parvam bonorum illius operum partem enarrare potuimus; tantis scilicet abundat virtutibus. Et sicut a fonte largis fluente rivis, etiamsi omnes hauriant, non solum non imminuuntur fluenta e fonte manantia, sed quanto plures sunt, qui inde hauriant, tanto major aquarum vis scaturit : ita etiam in admirando Patriarcha fieri videmus. Quot enim ex illius ævo ad hoc usque tempus ex fonte bonorum illius operum hauriunt, et non solum fluenta non evacuarunt, sed multo abundantior bonorum operum copia manat? Sicut enim catenam quamdam auream, sic ejus historiam in Scriptura divina recensitam inveniemus; ac singulis temporibus primo illum observamus veræ philosophiæ specimina exhibentem, statimque sequentem Dei remunerationem. Et ut discatis ita se rem habere, operæ-pretium fuerit paulo altius breviter vobis res ejus recensere, ut sciatis eximiam Justi fidem, quam circa promissiones divinas ostendit, et benigni Dei retributiones largiter ipsi con-

[1] Gen. xv, 1.

cessas. Sufficit enim unus ille Justus, ut omnes nos erudiat, quo alacriter aggrediamur virtutis certamina, confidentes supernis remunerationibus, et scientes misericordis Domini nostri liberalitatem, omnia, quæ dura et ardua in hac vita videntur, spe remunerationum libenter suscipiamus. Attendite itaque, obsecro, quomodo ab initio, postquam indole sua et insita naturæ nostræ scientia bene usus est, nullum externum sortitus doctorem, sed et ab infidelibus parentibus educatus, divina apparitione potitus est. Nam quia prima ætate non secutus est errorem paternum, sed pietatem erga Numen exhibuit, ideo supernam visitationem statim obtinuit, cum adhuc in Chaldæa esset; et hoc nobis beatus Stephanus exponit manifestius, sic dicens : « Deus » gloriæ visus est patri nostro Abraham, cum adhuc esset » in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charran[1]. » Vidisti quomodo eum inde visio amoverit? Verisimile enim est eum cum sedula in Deum pietate, parentibus quoque reverentiam exhibuisse, tantoque amore patrem sibi conciliavisse, ut inde ad relinquendam amore filii patriam suam, et ad habitandum alienam motus sit. At diligenter vide, obsecro, quomodo et hæc, quæ a Deo fuit ob priorem virtutem ejus visitatio, iterum clariorem ejus virtutem reddiderit. Elegit enim paternam regionem relinquere et alienam inhabitare, ut præceptum Dei perficeret, et paratus erat etiam absque cognatis, ut mihi videtur, peregrinationem suscipere : sed, ut dixi, viri virtus et insignis erga parentes pietas effecit ut pater comes fieret itineris. Deinde cum pervenissent in Charran, illic tabernaculum fixerunt. Et postquam morte functus est Tharra; hoc enim patri ejus nomen erat; iterum præceptum est ei a Deo ut exiret inde. « Egredere enim, inquit, de terra tua et de cognatione tua, » et veni in terram, quam monstravero tibi[2]. » Nam quia cum

[1] Act. VII, 2. — [2] Ibid. 3.

universa familia et domo in Charran migraverant, propterea illinc imperans ei ut egrederetur, addidit : « De terra tua et » de cognatione tua , » declarans se velle ipsum solum peregrinationem suscipere , neque fratrem , Nachor dico, neque alium quemquam secum trahere. « De terra tua » dicebat , quia non parvo tempore ibi habitarant , et quasi in propria patria illic habebant domicilium. Licet in lugendis parentibus adhuc esset occupatus, essentque difficultates itineris multæ , tamen præceptum Domini magna perfecit alacritate, idque ignorans ubinam futurus errandi finis. « Veni enim, inquit, non in hanc vel illam terram, sed in eam, quam monstravero tibi. » Nihilominus licet indefinitum esset mandatum, omissacuriosiore percontatione, imperatum faciebat. Fratris autem filio assumpto, suam hinc demonstravit virtutem : quia enim juvenem illum acceperat, paulatimque suæ virtutis imitatorem effecerat, cum relinquere noluit, sed peregrinationis socium accepit. Quasi diceret : « Si pater, qui infidelis fuit, ob suum in me amorem , domum paternam , in qua nati sumus et adolevimus , relinquere et me comitari voluit, vitaque in aliena terra functus est : multo magis ego fratris filium, juvenem indole sua pollicentem se paulatim in virtute profecturum, non permiserim hic relinqui. »

II. Quia igitur modis omnibus suam ostendens religionem , etiam istam peregrinationem suscepit, postquam in Palæstinam venit et Chananæorum fines intravit, apparuit ei Deus, volens ejus alacritatem confirmare et ipsi manum porrigere, dicit ei : « Semini tuo dabo terram hanc ; » id quod ille admodum optabat, ac desiderabat, filiorum nempe successionem, istud etiam ipsi statim promittit, retribuens tantis laboribus mercedem. Quoniam enim ex natura prolis expers erat, et ætas quoque provectior, ne sibi quid polliceri posset vetabat, promissione Deus excitat et

erigit athletam, atque alacrem juvenilemque parat adversus sequentia certamina. Proinde vide quomodo post hanc promissionem Justus aliud certamen aggreditur. Invalescente enim fame, et Chananæa sterilitate et angustiis oppressa, in Ægyptum contendit; illic famis mitigationem quærens, majoribus sese periculis involvit. Uxoris enim venustas et pulchritudo Saræ mortem ei quasi ante oculos ponit. Ideo cum jam in confiniis esset Ægypti, ingressurus in eam, dixit uxori: « Scio quod formosa sis[1]; » scio tuæ pulchritudinis speciem, et timeo Ægyptiorum intemperantiam. Si ergo te viderint, et cognoverint quod uti uxorem te mecum ducam, te quidem in vita servabunt, ut sui furoris impetum opere compleant; me autem occident, quo liceat eis sine obice suam libidinem explere, ut nemo sit qui adulterium eorum prodat. « Dic igitur me fratrem tuum » esse[2]. » Vide adamantinam, vide mentem ferro solidiorem: non turbavit ejus mentem calamitas, quam expectabat. Non cogitabat neque dicebat intra semetipsum: « Ideone propria relicta patria tantam præ me tuli obedientiam, inque alienam veni terram, ut hisce malis implicarer? Nonne paulo antea promisit mihi: « Semini tuo dabo terram hanc? » En et adulterii et mortis timor mentem nostram concutit. » Sed nihil horum vel in mentem accipere dignatus est. Unum ei duntaxat curæ erat, quomodo miseram hanc fabulam ita ageret, duobus hinc inde periculis urgentibus, ut vel unum saltem effugere posset. Igitur postquam ipse quæ sua erant attulit, consilio videlicet utens et animi fortitudine, mulier quoque singularem erga virum affectionem et obedientiam declarans, cooperata est, et iis quæ decreta fuerant ministravit. Ubi igitur quod suum erat perfecerunt, cumque jam secundum humanum morem desperaretur, et fere opere completa fuisset Ægyptiorum malitia,

[1] Gen. xii, 11. — [2] Ibid. 13.

tunc magna Dei in eum providentia declarata est. Mulierem enim Deus non solum a contumelia eripuit, indignatione sua in regem et in domum ejus immissa, sed et Patriarcham cum magna gloria in Palæstinam ex Ægypto redire curavit. Considera quomodo benignus Dominus in mediis auxilium afferens tentationibus, athletam suum ad ferenda sequentia certamina fortiorem reddit : nec unquam eum suo destituit adjumento, sed in omnibus rem ita temperat, ut plane videat ille se parva proferendo, magnis et mirum in modum magnis, humanamque naturam transcendentibus remunerari. Vidisti patientiam? vide item post reditum ex Ægypto humilitatis magnitudinem et insignem mansuetudinem. Nam cum rediisset ab Ægypto, multamque possideret substantiam, nec ipse solus, sed fratris filius sequebatur : « Non » capiebat, inquit, eos terra ut habitarent simul [1], » quia multas facultates habebant : unde et rixa orta est inter pastores Lot et Abram. Tunc Justus animæ suæ mansuetudinem et præclaram patientiam monstrans, vocato Lot dixit : » Ne sit rixa inter me et te, et inter pastores meos et pas- » tores tuos, quia homines fratres sumus nos [2]; » quasi diceret : « Nihil pace præstantius, nihil contentione damnosius et gravius. Ut igitur e medio tollamus omnem rixandi materiam, elige quam volueris regionem, et reliquam mihi relinque, ut a litium et contentionum molestia simus alieni. » Vidisti viri virtutem? cessit juniori potiorum electione, ipse contentus viliore terra. Sed vide hic etiam quantam mercedem nactus sit pro iis suis officiis. Statim enim separatione a Lot facta, ait illi Deus : « Elevatis oculis tuis, » vide omnem terram ab omni parte : quia omnem terram, » quam tu vides, tibi dabo et semini tuo usque in sæculum [3]. » Considera quantis beneficis merito afficitur ob modestiam, quam erga fratris filium declaravit, et ipse quidem ut parvis

[1] Gen. XIII, 6. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 10.

cessit, multo majora consecutus est; ille autem, qui potiorem partem delegerat, non multo post in pericula incidit, et non solum nihil commodi ab electione accepit, sed et captivus et domo atque loco repente simul privatus est, rebusque ipsis didicit quam eximia virtus Justi, et ipse edoctus est ne postea quid unquam tale attentaret. Nam postquam Sodomis habitare cœpit, statim excitatum est grave bellum, et vicinarum gentium reges insurrexerunt, et omnem regionem simul depopulati sunt, gigantibusque occisis, et Amalecitis expulsis, etiam Sodomorum regem et Gomorrhæ in fugam verterunt, montanis omnibus occupatis, et equitatu regis Sodomorum avecto una cum Lot captivo, mulieribus, omnibusque sarcinis, abierunt.

III. Sed vide iterum ingentem Dei providentiam. Volens enim simul et Lot a captivitate liberum reddere, et Patriarchæ gloriam magis illustrare, excitat Justum ut fratris filio succurrat. Nam ut didicit quæ facta erant, cum vernaculis suis impetu facto in reges illos, illos facile profligavit, et Lot atque mulieres, et omnem equitatum regis reduxit : quibus tam claris triumphis, omnibus patefacta est ingens Dei erga illum benevolentia, et ipsum non sua virtute tantam stragem fecisse, sed superna virtute munitum. Et ipse quoque Patriarcha ipsis rebus enitebatur, ut Sodomitis omnibus doctor divini cultus fieret, necnon verbis illis quibus regem alloquebatur. Nam quia cum occurrisset rex, et pro rebus gestis gratias egisset, ac omnem equitatum ei se donaturum diceret, hominesque duntaxat accepturum, vide iterum Justi magnanimitatem, quomodo philosophiæ suæ specimen exhibet, ostendens se donis hujusmodi superiorem esse, eumque ad veræ religionis notitiam inducit. Non enim simpliciter dicit : Non patiar ut aliquid tuorum munerum ad me redeat, non mihi tali mercede opus est : sed quid? « Extendam manum

» meam ad Deum altissimum [1] : » quasi docens eum : « Non sunt dii qui a te coluntur, sed ligna et lapides : sed unus est Deus super omnia, qui creavit cœlum et terram; « Quod non accipiam a te de funiculo usque ad sphæro- » terem [2] : » ut ne existimes me illorum gratia ultionem sumpsisse, et ne dicere possis te mihi abundantiæ fuisse auctorem. Nam qui me triumphare et vincere curavit, idem et divitias abunde mihi suppeditat. Vide quomodo, siquidem lucrum facere voluisset rex, auctorem agnoscere victoriæ ex Patriarchæ verbis potuisset. Docebatur enim posthac non fidendum propriæ suæ virtuti, sed agnoscendum Auctorem omnium, ridendosque manufactos deos, et colendum Deum, qui est super omnia, qui omnia condidit, qui et bonorum omnium fons est; et in summa discebat ex omnibus Patriarchæ virtutem. Nam ne existimaret ipsum per arrogantiam et fastum data contemnere, idcirco dicit : « Ego quidem nihil sumam. Neque enim opus habeo, neque indigeo ut meæ facultates augeantur ab aliis : eis autem, qui periculorum meorum fuerunt socii, permittam ut suas portiones accipiant, quo parvam aliquam laborum consolationem habeant. » Ita Sodomorum regi respondit Justus. Postquam autem et Melchisedech rex Salem, panes et vinum afferens, ea ipsi attulisset, ea obtulit : « Erat enim sacerdos, inquit, Dei altissimi [3]; » ab illo accepit oblata. Dein ut rependeret benedictionem, quam ab eo acceperat, et glorificationem in Deum; dixerat enim, « Benedictus Abram Deo altissimo, et benedictus Deus qui » tradidit inimicos tuos in manus tuas [4]; » decimas ei dedit de omnibus spoliis quæ attulerat. Vidisti quantam pietatem et religionem in omnibus præ se ferat Justus, et quomodo a rege Sodomorum a funiculo usque ad sphæroterem accipere nihil voluit, accepit autem ea, quæ a Melchi-

[1] Gen. XIV, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid. 19.

sedech sunt oblata, retribuens et sua ? Quibus nimirum nos docuit habendum aliquem delectum, et non passim ab omnibus dona accipienda. Nam quamvis Sodomita ille oblato dono grati animi signa daret, erat tamen alioquin incredulus, et institutione multa indigebat. Proinde Patriarcha dona quidem despexit, omnem autem curam adhibuit, et per ea quæ accipere recusavit, et per ea quæ dixit, ut illum ad pietatem induceret. A Melchisedech autem jure ac merito accepit : viri enim virtutem divina Scriptura indicavit, dicens : « Erat autem sacerdos Dei » altissimi. » Alias etiam quæ fiebant, Christi typus erant, et ipsa oblata mysterium quoddam præsignabant : ideoque non renuit, atque ut accepit, vicissim illum remunerando, docebat virtutis suæ magnitudinem. Decimas enim ei dedit, etiam hac ratione piam suam mentem significans. Fortasse longius excurrit oratio nostra ; atqui non sine causa neque frustra. Paucis enim didicimus ab initio usque ad hodiernam lectionem, quæ fuerit Justi hujus fortitudo, magnanimitas, excellens fides, mens optimis moribus prædita, insignis modestia, admirabilis divitiarum contemptus, divinæ erga eum benevolentiæ perpetua providentia ; et quo pacto divinum ipsi singulis temporibus præbitum patrocinium, quotidie clariorem eum et illustriorem reddidit. Nunc autem si volueritis, et non defatigemini, ad ea quæ recens lecta sunt accedamus, et paucis quibusdam propositis, absolvamus sermonem ; ut discatis quanta denuo ei rependatur merces, eo quod contempserit dona sibi a Sodomorum rege oblata. Quid enim inquit ? « Post hæc » autem verba factum est verbum Domini ad Abram. » Quare sic incipit : « Post hæc autem verba ? « Quæ verba, quæso ? num indicat verba quæ cum Sodomorum rege habuit ? Post contemptum illum, inquit, postquam ea, quæ ab illo oblata sunt, repulit, post doctrinam illam, quam re-

jectis donis pronuntiavit, ut pietati et agnitioni Conditoris omnium illum initiaret : « Post hæc autem verba ; » postquam decimas Melchisedech obtulit, quando, inquit, omnia quæ ex se erant implevit, tunc « Post hæc verba factum est verbum Domini ad Abram in visione noctis, » dicens : Ne timeas, Abram, ego protego te ; merces tua » multa valde erit [1]. »

IV. Vide benignitatem Domini, quomodo statim et e vestigio sequens, beneficiis suum athletam remuneratur, et ad ulteriora certamina iterum instruens, vigore novo roborat. « Factum est verbum Domini in visione noctis. » Quare in nocte ? ut in silentio et quiete melius quæ dicuntur accipiat. Et dicit ei : « Ne timeas, Abram. » Attende immensam Dei curam. Quare dixit : « Ne timeas ? » quia tantas opes contempserat, non curatis regiis donis, hoc est : « Ne timeas, » quod despexeris tanta dona, neque anxius sis quasi minores inde tibi sint facultates. « Ne timeas. » Deinde ut animum magis excitet, adjecit verbo et appellationem, et inquit : « Ne timeas, Abram. » Non enim parum ad expergefaciendum facit, cum quempiam proprio nomine compellamus ; deinde ait : « Ego protegam te. » Multam habet et hoc verbum emphasim. Ego qui a Chaldæis te evocavi, ego qui te huc duxi, ego qui te a periculis Ægypti liberavi, ego qui semel atque iterum promisi tibi atque semini tuo daturum me terram hanc, ego te protego : ego qui in dies magis et magis omnibus te clarum ostendo, ego protego te : hoc est, ego scuti vice tibi sum, ego pro te certo, ego propugnator sum, ego curam gero, ego omnia difficilia facilia tibi reddo, ego protego te. « Merces tua » multa erit valde. » Noluisti mercedem accipere pro laboribus quos sustinuisti, tantis periculis teipsum objiciendo, sed contempsisti et regem, et munera ejus. Ego tibi mer-

[1] Gen. xv, 1.

cedem dabo, non tantam quantam accepturus eras, sed multam et valde multam : « Merces enim tua, inquit, multa » erit valde. » Vidisti liberalitatem Domini? vidisti verborum pondus? vidisti quomodo excitaverit pietatis athletam? vidisti quomodo animam ejus confirmaverit? Ipse enim qui arcana cordium novit, sciebat Justo illi opus esse hujusmodi verborum consolatione : nam vide quid ex his verbis concepta fiducia Patriarcha dicit. « Dixit autem » Abram : Domine, quid mihi dabis? ego autem sine libe- » ris dimittor[1]. » Postquam merces ipsi valde copiosa promissa est, exponit animæ suæ dolorem et tristitiam propter prolis inopiam, qua diuturno tempore angebatur, dicitque: « Domine, quid tale mihi dabis? Ecce enim ego usque ad extremam senectam perveni, et prole carens dimittor. » Vide quomodo priscis illis sæculis Justus ille philosophabatur, dimissionem vocans ex hoc mundo discessum. Nam qui vitam honeste et in virtutibus egerunt, quando ex hac vita emigrant, vere liberantur, et quasi solvuntur a certaminibus et a vinculis. Est enim mors iis qui bene vivunt, translatio quædam a pejoribus ad meliora, a temporanea vita ad perpetuam et immortalem finemque non habentem. « Ego autem dimittor, inquit, sine liberis. » Et ut misericordem Dominum sibi conciliaret, non iis contentus fuit verbis; sed quid dicit? « Filius autem Masec vernaculæ meæ, » quoniam non dedisti mihi semen, ille hæres meus erit[2]. » Ingentem dolorem animæ ejus declarant hæc verba, quasi diceret Deo: « Neque ea sum assecutus quæ servus meus vernaculus, sed ego quidem abibo sine filio : hic autem vernaculus meus hæreditatem accipiet, quæ a te mihi data, idque cum semel atque iterum promissionem a te acceperim dicente : « Semini tuo dabo terram hanc. » Considera, obsecro, et hoc loco Justi virtutem, quomodo cogitationes

[1] Gen. xv, 2. — [2] Ibid. 3.

has in animo versans, nunquam indignatus, neque aliud durum locutus sit : sed et nunc instigatus verbis quæ locutus est ei Dominus, magna fiducia Dominum alloquitur, manifestamque facit internam cogitationum perturbationem, ostendens animæ suæ ulcus, unde et acceleratum accepit medicamentum. « Et statim vox Dei facta est ad eum[1]. » Vide Scripturæ accurationem. « Statim, » inquit, non permisit Justum vel minimo tempore angi, sed festinatam ei consolationem affert, et gravitatem mœroris emendat verbis quæ tunc ei locutus est. « Et statim, inquit, vox Dei » facta est ad eum, dicens : Non erit hic hæres tuus, sed » qui egredietur ex te, hic hæres tuus erit[2]. » Hoccine, inquit, timuisti ? hoccine mentem tuam turbavit ? hoccine tristitiam tuam auget ? Scias igitur hunc non fore hæredem tuum, « Sed qui egredietur ex te, hic hæres tuus erit. » Ne igitur ad humanam spectes naturam : ne tuam senectam, Saræve sterilitatem animo volvas : sed ejus qui tibi promisit potentiæ bene fide, et tristitiam ponens, sufficientem consolationem accipe, persuasumque habeas te hæredem habiturum, qui ex te nascatur. Deinde quia supra naturam erat promissio, et vincebat humanam rationem ; magnam enim in eo turbationem excitabant tot naturæ impedimenta, senectus ejus, et quod Sara sterilis ac utero emortuo esset; auget Dominus promissorum magnitudinem, ut Justus ad promittentis liberalitatem respiciens, bene speret, confidatque sic eventurum. « Eduxit autem » eum foras, et dixit ei : Suspice in cœlum, et numera » stellas, si poteris numerare eas. Et dixit ei : Sic erit semen » tuum. Et credidit Abram Deo, et reputatum est illi in » justitiam[3]. » Quare indicavit quod duxerit eum foras ? Quia enim superius dixit eum in visione noctis apparuisse illi, ac verba illa ei locutum fuisse : nunc autem vult ei os-

[1] Gen. xv, 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 5, 6.

tendere quam innumerabiles sint in cœlo stellæ, inquit : « Eduxit eum foras, et dixit : Suspice in cœlum, et numera »stellas, si poteris eas dinumerare. Et dixit ei : Sic erit »semen tuum. » Magnum promissum, ingens promissionis magnitudo : sed si ipsam promittentis virtutem cogitabimus, nihil nobis apparebit magnum. Qui enim de terra corpus formavit, et quod non erat, id ut esset fecit, et condidit omnia quæ videntur, ille etiam dare poterit quæ supra naturam sunt.

V. Vidisti Domini liberalitatem? Postquam enim dixit : « Absque prole dimitor, » quasi apud portas mortis existens, et nihil amplius operari valens ut procreentur liberi ; sic verba illa protulit, dicens : « Filius Masec vernaculæ meæ »hæres meus erit. » Ideo volens spiritum ejus erigere, et novum vigorem menti addere, ab imminente timore eum liberat, promissioneque ac doni magnitudine mentem ejus erigit, ostendendo stellarum multitudinem, et promittendo nascituros ex eo illis pares futuros, in bonam spem adducit. Videns enim Domini promissionem, rejecta omnia humana ratione, et neque ad seipsum, neque ad Saram minus procreationi aptam respiciens, sed prætermissis humanis omnibus, sciens Deum posse etiam ea, quæ supra naturam sunt, largiri, fidem habuit dictis, nullam dubitationem admittens, neque cum dicta hæc fuerunt, hæsitavit. Hoc enim veræ fidei est, quando promissiones non secundum solitum, et hominibus cognitum morem sunt, si nos promittentis virtuti fidamus. « Fides enim est, quemadmo- »dum beatus Paulus ait, sperandarum substantia rerum, »argumentum non apparentium [1]. » Et iterum : « Quod »enim videt quis, quid sperat [2]? » Hoc igitur est fides, quando illis credimus quæ non videntur, et mentem ad dignitatem ejus, qui promisit, intendimus, id quod profecto

[1] Heb. xi, 1. — [2] Rom. viii, 24.

et Justus ille fecit, sinceram et eximiam promissis fidem habens, idcirco et a Scriptura divina laudatur, mox enim addidit: «Credidit Abram Deo, et reputatum est ei in jus»titiam[1].» Vidisti quomodo et ante eventum et impletionem promissorum, eo ipso quod credidit, congruentem mercedem accipit? Nam in justitiam ei reputatum est, quod crediderit promissioni divinæ, et non humana ratiocinatione curiosius ea, quæ dicta sunt, exploraverit. Discamus igitur et nos, obsecro, a Patriarcha, Dei credere dictis, et ejus promissionibus fidere, neque ea cogitationibus nostris indagare, sed magnam animi æquitatem exhibere. Hoc enim nos et justos declarare poterit, et id efficiet ut promissa citius assequamur. Sed Abræ quidem promisit ex semine ejus maximam futuram esse multitudinem, erantque præter solitum naturæ modum quæ promissa erant; ideoque fides in Deum justitiam ei attulit. Nobis autem, si sapimus, multo majora promissa sunt, et multis modis humanas cogitationes transcendere possumus, modo promittentis potentiæ credamus, ut et eam, quæ ex fide est, justitiam reportemus, et adipiscamur bona promissa. Ea enim, quæ nobis maxime promissa, omnem humanam transcendunt rationem, et omnem cogitationem excedunt, tanta promissionum est magnitudo. Neque enim in præsenti vita solum nobis promisit hujus vitæ statum et visibilium fruitionem; sed et postquam hinc emigraverimus, et post corporis corruptionem, quando in cinerem et pulverem nostra dissoluta fuerint corpora, tunc resurrectura ea promisit, et in majori gloria futura. «Oportet enim, »inquit beatus Paulus, corruptibile hoc induere incor»ruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem[2].» Et post corporum resurrectionem regni possessionem daturum se nobis pollicitus est, et conversationem cum Sanc-

[1] Rom. IV, 3. [2] 1 Cor. XV, 53.

tis et in perpetuo sæculo quietem, et ineffabilia illa bona » Quæ oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor » hominis non ascenderunt[1]. » Vidisti quanta promissionum excellentia? vidisti donorum magnitudinem?

VI. Hæc cogitantes et scientes mentiri non posse eum, qui illa promisit, magna alacritate præparemus nos ad virtutis agones, ut et promissis bonis frui possimus, et ne saluti nostræ et tantis bonis temporanea præferamus, neque cogitemus labores virtutis, sed præmia in mente ponamus : neque pecuniarum sumptus tantum spectemus, si quando opus est eas pauperibus erogare, sed potius quantus inde nobis proventus nascatur. Ea enim de causa semini eleemosynam comparavit divina Scriptura, ut cum gaudio et multa alacritate eam operemur. Nam si ii, qui semina terræ concredunt, et collecta, et intus reposita spargentes, id cum gaudio præstant, et bona spe foventur, et jam manipulos imaginantur ac plenas areas; multo magis illis, quibus datum est semen hoc spirituale seminare, gaudere et exultare convenit, quod in terra serentes messuri sint in cœlo : et nummos expendentes, peccatorum remissionem accipiant, et fiduciæ materiam inveniant, conciliantes sibi per ea, quæ hic largiuntur, perpetuam quietem, et cum Sanctis conversationem. Etsi continentiam eligere placeat, non spectemus virtuti laborem inesse, ac virginitatem magnum habere certamen : sed eam sortem, quæ nos excipiet, cogitemus : hanc semper nobiscum reputantes, malæ concupiscentiæ refrenemus rabiem, vincamus carnis motus indecentes, et spe mercedis laborum molestiam sublevemus. Sufficit enim bonorum spes, ut etiam pericula audacter aggrediamur : quanto magis ut virtutis labores fortiter feramus? Quando enim animo versas, si ad breve tempus certaveris, et fulgidam servaveris virginitatis lam-

[1] 1 Cor. II, 9.

padem, te beatam vitam consecuturum esse, et cum sponso intrare posse, modo accensas habeas lampades, et sufficiens oleum, bonorum operum actionem inquam; quomodo non cum omni facilitate difficilia omnia transcurrere poteris, cogitans illud quod a beato Paulo dictum est : « Pa» cem sectemini cum omnibus, et sanctificationem, sine » qua nullus videbit Dominum [1] ? Vidisti quomodo sanctificationi pacem conjunxit ? Nam ut sciamus eum non solum corporis puritatem requirere, sed et pacem, hæc opportune commemorat, utrinque volens munire, ut et cogitationes sedemus, ita ut nulla sit in nobis turbatio, nullusque tumultus : sed in tranquillitate et quiete versemur, et cum omnibus pacifice agamus et mansueti simus, et mites, et humani, atque adeo ut omnes virtutis colores in facie nostra reluceant. Ita enim deinceps et gloriam præsentis vitæ poterimus despicere veram gloriam præferentes, et humilitatis majorem habere curam, ridereque omnem præsentis vitæ prosperitatem, ut vera et solida felicitate fruamur, et Christum videre mereamur. « Beati enim, inquit, » puri corde, quoniam ipsi Deum videbunt [2]. » Purificemus itaque nostram conscientiam, et magna cura vitam nostram gubernemus : ut cum præsentem vitam in omni virtutum genere transierimus, horum laborum præmia mereamur accipere in futuro sæculo, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amem.

[1] Hebr. xii, 14. — [2] Matth. v, 8.

HOMILIA XXXVII.

Dixit autem ei : Ego sum Deus, qui eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terram hanc, ut in hæreditatem possideas eam. Dixit autem : Domine, Domine, secundum quid cognoscam quod in hæreditatem accipiam eam [1] ?

I. Magna divinæ Scripturæ virtus est, et multæ in verbis latent sententiarum divitiæ. Ideo par est ut diligenter intendamus, et sollicite scrutemur, quo ampliorem utilitatem inde percipiamus. Nam propter hoc et Christus præcepit, dicens : « Scrutamini Scripturas [2] : » ut non tantum nudæ lectioni vacemus, sed profundius scrutantes, verum veritatis sensum percipere valeamus. Talis enim Scripturæ mos est, ut et in parvis verbis plurima sæpe multitudo sensuum inveniatur. Divina enim sunt dogmata, non humana, et propter hoc omnem illam videre licet secus se habere quam humanam sapientiam. Et quomodo hoc ? ego dicam. Illic enim, in humana sapientia dico, omne studium concinnandis verbis adhibitum est ; hic vero prorsus aliter. Nullam Scripturæ habent rationem pulchritudinis vel compositionis verborum : habent enim in se divinam gratiam effulgentem, et pulchritudinem in ipsa verborum ratione sitam. Et illic quidem post longam et ingentem nugacitatem, aliquid sensus percipere est : hic autem, ut scitis, etiam parva dictio sæpe totum nobis doctrinæ sermonem contexuit. Propterea et heri, proposita vobis Scripturæ lectione, sub ipso exordio, quia multum invenimus sen-

[1] Gen. xv, 7, 8. — [2] Joan. v, 39.

suum thesaurum, non potuimus ultra progredi, ut ne dictorum multitudine memoriam vestram obrueremus, et jam dicta oblitteraremus. Ideo eamdem seriem attingere, hesternisque dictis ea, quæ hodie dicenda sunt, volo copulare, ut, ita enarrata lectione tota, vos hinc dimittam. Sed oro, iis quæ dicuntur auscultate diligenter. Nam etsi labor noster, utilitas tamen vestra est, imo communis. Et quid dico labor noster? Minime certe; sed donum est gratiæ Dei. Cum attentione igitur suscipiamus ea, quæ a Deo donantur, ut hinc lucri facientes aliquid in animarum salutem, inde abeamus. Ideo enim quotidie spiritualem hanc vobis apponimus mensam, ut admonitione continua, et multa divinarum Scripturarum meditatione, omnes maligni dæmonis excludamus insidias. Cum enim nos viderit multum in spiritualibus occupari, non solum non invadet, sed neque obtueri audebit, sciens se in vanum moliri, et adversus caput suum ausus suos convertere. Age igitur, hesterni sermonis repetita serie, quod reliquum fuit enarremus. Quid autem heri dictum fuit? Promissionem, quam Deus fecit Abræ, descripsimus, ubi imperavit ei ut suspiceret in cœlum, et spectaret stellarum multitudinem. « Numera » enim, inquit, stellas, si poteris eas numerare. Et dixit ei: »Sic erit semen tuum. » Deinde cum demonstraret nobis divina Scriptura religiosam Patriarchæ mentem, et quomodo ad promittentem respiciens, et potentiam promittentis cogitans, crediderit dictis, dicit : « Et credidit Abram » Deo, et reputatum est ei in justitiam [1]. » Huc usque heri sermonem produximus, neque ulterius progredi potuimus: ideo operæ pretium est ut addamus sequentia. Quid ergo dicit? « Dixit autem Dominus ad Abram : Ego sum Deus, » qui eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terram » hanc, ut in hæreditatem possideres eam. » Vide quomodo

[1] Rom. IV, 3.

Deus se humanæ infirmitati attemperet, quomodo fidem illius corroborare velit, eique persuadere ut de iis, quæ promissa fuerant, minime dubitet, quasi diceret : Memor esto me a domo tua te evocavisse. Certe quæ a Domino Deo dicuntur, consona sunt beati Stephani dictis, qui et de domo, et de Chaldæa Domini præcepto evocatum eum dicit. Et ejus sententiæ obsecutus pater, et ut antea diximus, quamvis infidelis esset, magnam tamen societatis causam habens, nempe filii amorem, viæ comes fuit, et exiit. Itaque in mentem ei revocat hoc loco quantam ab initio ejus curam gesserit, declarans ei se, ut eum ad magna proveheret, et tot illi bona polliceretur et impleret, tantum itineris conficere jussisse. « Ego sum Deus, qui eduxi te de » regione Chaldæorum, ut darem tibi terram hanc, ut in » hæreditatem possideres eam. » Num te absque causa illinc evocavi? num frustra et in vanum te illinc eduxi? Propterea ego præcepi ut te in Palæstinam conferres, et, relicta paterna domo, venires in terram hanc, ut in hæreditatem eam possideres. Cogitans igitur quanta fruaris mea providentia, ex eo tempore quo Chaldæam reliquisti usque in præsens tempus, et quomodo clarus sis, ac per meum subsidium et curam quotidie clarior evadas, dictis meis confide. Vidisti ingentem benignitatem? vidisti quantum se attemperet Deus? quantum ejus animam corroborare, et fidem confirmare velit, ut ne posthac ad naturæ obstacula spectare possit : sed ejus cogitare potentiam, qui promisit, et ita credere et confidere, quasi jam impleta essent promissa?

II. Verum iterum attende et Patriarcham, quomodo post fiduciam ex dictis acceptam certiora inquirat argumenta. « Dixit enim : Domine, Domine, secundum quid » cognoscam quod in hæreditatem accepturus sim eam? » Tametsi Scriptura prius testata fuerit eum credidisse dictis

Dei, et ideo reputatum esse ei in justitiam, verumtamen quia audivit : « Propter hoc te eduxi de terra Chaldææ, ut » darem tibi terram hanc, ut in hæreditatem possideres » eam, » dicit : « His quidem, quæ a te dicuntur, impossibile est ut fidem non habeam : attamen vellem et modum discere quo eam in hæreditatem sum possessurus. Video enim me nunc propemodum ad extremam senectutem pervenisse, et usque in hunc diem obambulare quasi erronem, et non possum humana ratione deprehendere quomodo hoc sit futurum ; licet prius crediderim dictis tuis, tanquam videlicet a te prolatis, qui potes id, quod non est, ut sit efficere, et omnia facere et transformare. Non igitur ut incredulus hoc interrogo, sed quia iterum mihi hæreditatem nominas, volebam et crassius atque clarius signum accipere, quod possit infirmas meas cogitationes solidare. » Quid igitur bonus Dominus? Morem gerens famulo suo, et volens ejus corroborare animam, quoniam vidit confitentem suam imbecillitatem, et credentem quidem promissioni, cupientem autem certiora quædam argumenta accipere, dicit ei : « Sume mihi vaccam triennem, et capram » trimam, et arietem, et turturem, et columbam [1]. » Vide quomodo more humano init cum eo fœdera. Quemadmodum enim nos homines, quando aliquid promittimus, et volumus certum reddere eum, cui promissio fit, ita ut de promissis nihil ambigat, signum aliquod damus, et pignus, ut ad illud spectans, scire queat promissa omnino eventura : ita et benignus Dominus postquam dixit Abram : « Quomodo cognoscam? » inquit : « Ecce et hoc tibi præ» beo : Sume mihi vaccam triennem, et capram trimam, » et arietem, et turturem, et columbam. » Attende, obsecro in quantam crassitudinem descendendum sibi duxerit bonus Dominus, quo Patriarcham argumentis fide dignis certio-

[1] Gen. xv, 9.

rem reddat. Nam quia olim eis ita mos erat paciscendi, et pacta firmandi, ideo et ipse via hac ingreditur. « Et acce-» pit, inquit, et divisit ea in duas partes[1]. » Observandum non absque ratione, neque in vanum etiam tempus designari. Triennia enim accipere jussit, hoc est, perfecta et absoluta. « Et divisit ea in duas partes : et utrasque partes » inter se posuit obversas, aves autem non divisit[2]. » Et sedens observabat ut ne possent divisas partes lædere advolantes aves, et per totam diem hoc facere perseverabat. « Descenderunt autem aves aliæ in corpora quæ divisa erant : » et sedit cum eis Abram. Cumque sol jam occumberet, » irruit extasis in Abram, et ecce timor magnus et tenebro-» sus invasit eum[3]. » Quare tempore occasus solis, cum jam ad vesperam inclinaretur dies? Quia omnibus modis attentiorem eum facere vult, ideo extasis et timor magnus et tenebrosus invadit eum, ut per omnia quæ fiunt, sentiat se videre Deum. Eum enim morem Deus ubique habet. Nam et postea quando Mosi in monte Sinaï daturus erat legem et mandata : « Tenebræ, inquit, et caligo erat, et mons » fumigabat[4] » Propter hoc et Scriptura inquit : « Qui tan-» git montes, et fumigant[5]. » Enimvero quia incorporeum videre per sensibiles hosce oculos non est possibile, ideo suam nobis operationem significare vult. Igitur quoniam attonitus et perculsus erat animo Justus ille, et concusserat ejus mentem timor, et quæ contigerat extasis, dictum est, inquit, ad eum : « Dixisti : Quomodo cognoscam : et signum voluisti accipere, quo pacto terram hanc in hæreditatem possessurus sis. Ecce do tibi signum; magna enim tibi opus est fide, ut scias me posse ex desperatis rebus quoslibet in spem bonam adducere. « Et dictum est ad Abram : » Cognoscens scies quod peregrinum erit semen tuum in

[1] Gen. xv, 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 11, 12. — [4] Exod. xix, 18.— [5] Psal. cm, 32.

» terra non sua, et redigent eos in servitutem, et affligent, » et humiliabunt eos annis quadringentis. Gentem autem, » cui servient, judicabo ego : postea autem egredientur huc » cum apparatu multo[1]. » Magna sunt hæc dicta, et quæ animum virilem desiderent, qui transcendat, et infra se relinquat humana omnia. Nisi enim generosum, fortem, et philosophicum animum habuisset Patriarcha, tanta erant hæc, ut perturbare potuissent. « Cognoscens scies, inquit, » quod peregrinum erit semen tuum in terra non sua, et » redigent eos in servitutem, et affligent, et humiliabunt eos » annis quadringentis. Gentem autem, cui servient, judica- » bo ego : post hæc egredientur huc cum apparatu multo. »

III. « Ne admireris, inquit, teipsum respiciens, et senium tuum, et Saræ sterilitatem et uterum ejus emortuum : et ne putes magnum aliquid esse quod dixi : « Semini tuo » dabo terram hanc. » Non solum enim hoc tibi prædico, sed addo illud ipsum semen tuum in alienam terram abducendum esse. Non dixit, in Ægyptum, neque indicavit terræ nomen : sed dixit : « In terram non suam : » et servitutem ferent, et miseriam : idque non ad breve tempus, neque ad paucorum annorum numerum, sed usque ad quadringentos annos. Ultionem sane de iis ego sumam, et gentem illam servitute prementem ego judicabo, et sic eos magno cum apparatu huc redire curabo. » Simul prædicens ei quæ posthac certo eventura essent, servitutem declarat, et descensum in Ægyptum, atque indignationem quam propter eos Ægyptii experturi erant, et gloriosum eorum reditum. Ostenditque ei non in ipso duntaxat illa, quæ super naturam erant, eventura esse, et post tanta impedimenta, quæ a Deo promissa fuerant, implenda fore, sed et in toto semine ejus hoc eventurum. Hæc autem, inquit, jam dixi tibi, ut priusquam vitam finias, scire

[1] Gen. xv, 13, 14.

possis quæ et nepotibus et posteris evenient. « Tu autem, » inquit, abibis ad patres tuos, nutritus in senectute bona [1]. » Non dixit : Morieris : sed, « Abibis, » quasi peregrinaturo eo, et migraturo a patria in patriam. « Abibis, inquit, ad pa- » tres tuos. » Non carnales dicit : quî enim poterat? Incredulus enim erat pater ejus, et non erat possibile ut eumdem locum caperet, quem ille. « Hiatus enim, inquit, » magnus est inter nos et vos [2]. » Quare dixit : « Ad patres » tuos? » Justos insinuans ut Abel, et Noë, et Enoch. « Nu- » tritus, inquit, in senectute bona. » Et qualis hæc senectus bona, fortasse dicet aliquis, ad quam tantis molestiis per totam vitam transiit? Verum ne hoc attendas, homo, sed specta quæ illi omni tempore fuerit gloria, et quomodo gloriosus vixerit peregrinus, qui civitate focoque carebat, et quanto ipsi datum est omni tempore Dei subsidio frui. Non igitur secundum præsentem opinionem de rebus judicium feras, neque senectutem esse bonam censeas, versari in luxu, deliciis, et crapula, in possessione divitiarum, et magna famulorum multitudine, mancipiorumque gregibus. Hæc enim senectutem bonam non reddunt, sed et multam condemnationem afferunt ei, qui ne in senectute quidem continentiam exercet, neque ad extremos redactus spiritus, de iis quæ expediunt deliberat, sed quotidie indulget ventri, sectatur convivia et ebrietates, de quibus omnibus non multo post rationem redditurus est. Sane qui in via virtutis ambulavit, hic vere nutritus in senectute bona, vita fungitur, et laborum præsentium invenit retributiones. Et idcirco inquit : « Tuis quidem nepotibus talia evenient, tu autem abibis nutritus in senectute bona. » Hic animadverte quomodo, nisi ejus ingens fuisset fortitudo et philosophia eximia, hæc quoque conturbare ejus mentem potuissent. Dicere enim po-

[1] Gen. xv, 15. — [2] Luc. xvi, 26.

terat, si aliquis e vulgo fuisset : «Quare promittis mihi tantum semen ex me futurum et propagandum, si nepotes tantis erunt malis et calamitatibus obnoxii, servitutemque sunt tot annis toleraturi? quæ mihi hinc utilitas?» Verum nihil horum Justus cogitavit, sed quasi gratus famulus, omnia quæ a Deo fiebant boni consuluit, et quæ ipsi placebant, suæ præferebat sententiæ. Deinde et tempus ei significat, quo a servitute sunt redituri. Nam postquam annis quadringentis servituros dixisset, subdit : « Generatione autem quarta revertentur huc[1]. » Verum hic merito quis dubitet, quomodo quadringentis annis dicit servituros, quamvis neque dimidium eorum fuerint ipsi in Ægypto. Propterea non dixit eos in Ægypto futuros esse annis quadringentis, sed in terra non sua; ita ut possit connumerari cum annis in Ægypto exactis ipsum Patriarchæ tempus, ex quo ei imperatum est ut ex Charran egrederetur. Ab illo enim tempore numerum annorum nobis palam fecit Scriptura, quæ dixit septuaginta quinque annorum fuisse Abram, quando exiit ex Charran : ex eo igitur tempore usque ad exitum de Ægypto, si quis supputare velit, numerum integrum inveniet. Dici posset etiam Dominum utpote benignum, et imbecillitati nostræ congruentes pœnas semper inferentem, quia vidit eos ita labore pressos, et Ægyptios magnam in eos crudelitatem exercere, ante definitum tempus ultionem fecisse, et ad libertatem eos reduxisse. Dei enim mos est, quoniam in omnibus salutem nostram operatur, ut etiamsi minetur se puniturum, si nos voluerimus conversionis specimen exhibere, possimus ejus revocare sententias : et e diverso si polliceatur aliquid boni se nobis daturum, nos autem non attulerimus ea, quæ facultatis nostræ sunt, neque ipse promissum adimpleat, ne nos ea ratione deteriores

[1] Gen. xv, 16.

evadamus. Atque hæc invenire poteritis quotquot studiosi sacrarum Litterarum estis. « Quarta autem generatione re- » vertentur huc : nondum enim completæ sunt iniquitates » Amorrhæorum usque nunc[1]. » Tunc, inquit, erit tempus ut et illi reducantur in libertatem, et hi pœnam luentes pro multitudine peccatorum e terra expellantur. Ambo itaque fient tempore opportuno, et illorum instauratio, et horum excidium. Nondum enim impletæ sunt iniquitatès eorum : quasi dicat aliquis : « Nondum in tanto numero peccata admiserunt, ut talem ferant pœnam. » Deus enim benignus cum sit, non solum non inducit pœnas peccatis graviores, sed et valde minores. Ideoque tantam erga illos exhibet tolerantiam, ut cum sibi ipsis pœnarum sint auctores, nullam posthac excusationem habeant.

IV. Vidistis quomodo Patriarchæ omnia diligenter indicavit, ut ex omni parte ejus roboraret fidem, et ut ex iis, quæ ad eum dicta fuerant, confidere posset etiam posteritati ejus hæc omnino eventura esse : utque etiam ex prædictis vicissim firmam haberet fidem, necesse esse jam fieri quod de eo dictum fuerat. Postea ubi complevit prædictionem, accepit etiam ille signum idoneum eorum, quæ ipsi contigerunt. « Postquam fuit sol ad occasum, in- » quit, facta est flamma, et ecce clibanus fumigans, et » lampades ignis, quæ transierunt inter divisiones illas[2]. » Et flamma, et clibanus, et lampades conspiciebantur, ut signum haberet Justus firmiorum fœderum, et adventus divinæ operationis. Denique postquam completa et perfecta sunt omnia, postquam ignis proposita consumpserat : « Disposuit, inquit, Dominus in die illo Abræ testamen- » tum, dicens : Semini tuo dabo terram hanc, a fluvio » Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem ; Cinæos, » et Cenezæos, et Cedmonæos, et Chettæos, et Pherezæos,

[1] Gen. xv, 16. — [2] Ibid. 17

» et Raphaïm, et Amorrhæos, et Chananæos, et Evæos, » et Gergesæos, et Jebusæos [1]. » Vide quomodo adhuc perseverat, ut confirmet suam in illum promissionem. « Dis- » posuit enim, inquit, testamentum dicens : Semini tuo » dabo terram hanc. » Deinde ut ex latitudine terræ, et amplitudine terminorum scire possit Justus quantum extendetur ejus semen, inquit : « A flumine Ægypti usque » ad flumen Euphratem, » tantum erit semen tuum. Perpende quomodo ingentem semper multitudinem illi declarare velit. Superius enim dixit se sicut innumerabilem stellarum numerum illam facturum esse : hic et latitudine finium idipsum declarat, ut et hinc discat quam se dilatatura sit multitudo futura. Neque hoc solum, sed et specialiter gentium mentionem facit, quarum possessionem semini ejus sit daturus, ut ex his omnibus de rerum eventu securus redderetur Justus. Et cum tantæ promissiones essent factæ, adhuc mansit Sara sterilis, et senectus eorum augebatur; ut cum maximum fidei suæ signum edidissent, tunc scirent et humanæ naturæ infirmitatem, et divinæ virtutis magnitudinem. Verum ne iterum aliquanto longius sermonem extendamus, hic finem loquendi faciamus, vos obsecrantes ut imitatores sitis hujus Patriarchæ. Cogita enim, dilecte, quomodo propter verba illa, quæ ad regem Sodomorum faciebat, imo et propter virtutem aliam omnem, quam per omnem vitam suam declaravit, tanta mercede eum dignatus sit, et quanta humanitate se ad eum accommodaverit Deus, ostendens per ea, quæ in Patriarcham contulit, nobis omnibus suæ liberalitatis immensitatem, et se vel minimis operibus provocatum, nos absque mora magnis donis remunerari, si sinceram fidem, sicut ille Justus, exhibuerimus, et nunquam mente fluctuaverimus, sed constantem et firmam illam habuerimus.

[1] Gen. xv, 18-21.

Hinc enim et ille celebritatem laudemque consecutus est. Audi igitur beatum Paulum prædicantem ejus fidem, quam ab initio ostendit ; dicit enim : « Fide vocatus Abram, obe- » divit ut exiret in locum quem accepturus erat : et exivit » ignorans quo iret [1] ; » illud nobis insinuans, quod a Deo dictum est : « Egredere de terra tua, et veni in terram » quam monstravero tibi. » Vidisti fidem firmam ? vidisti mentem sinceram? Hunc et nos imitemur, et egrediamur mente et alacritate a præsentis vitæ negotiis, eamusque in cœlum. Possibile enim est, si voluerimus, et jam hic versantes, illa pergere via, quando digna cœlis operamur, quando non suspicimus ea, quæ sunt hujus mundi, quando non gloriam vanam hujus vitæ inquirimus ; sed hac contempta, illam desiderare studemus, veram illam dico et semper manentem : quando non in luxu vestium occupati sumus, neque corpus ornare studemus ; sed omnem illum externum cultum in animæ transferimus curam, et non dimittimus eam nudam et spoliatam indumentis virtutum : quando ridemus delicias, quando gulam et crapulam fugimus, quando non convivia et cœnas sectamur, sed frugalitatem servamus secundum apostolicam admonitionem : « Habentes victum et indumentum, his contenti » erimus [2]. » Quæ enim utilitas superfluorum, dic mihi, ut ventrem distendas præ nimia voracitate, et mentis judicium destruas præ immodica vini potatione ? Annon inde corporis et animæ mala nascuntur omnia ? Unde enim multiplices illæ ægritudines et membra distorta ? nonne hinc quod plus quam par sit, ventrem oneribus gravemus? Unde autem adulteria, stupra, rapinæ, avarorum fraudes, cædes, latrocinia, et omnis animæ corruptio ? nonne quia plus concupiscimus quam nobis congruit ? Sicut enim Paulus radicem omnium malorum avaritiam vocavit [3] : sic non

[1] Hebr. xi, 8. — [2] 1 Tim. vi, 8. — [3] Ibid. 10.

aberraverit quis, si fontem omnium malorum dicat immoderationem, et cupiditatem illam usum transgrediendi omnibus in rebus. Nam si vellemus in alimentis, et vestibus, et domiciliis, et aliis corporalibus cunctis usibus nihil immodice concupiscere, sed necessaria tantum quærere, multis damnis liberaretur humanum genus.

V. Verum nescio quî fiat ut omnes et singuli pro suis viribus avaritiæ morbo laboremus, nunquam enitentes ut intra necessitatis maneamus limites, sed plane contra apostolicum mandatum, quod dicit: « Habentes victum et » amictum, his contenti erimus; » omnia facimus, nescientes nos de omnibus, quæ ultra usum nostrum sunt, rationem daturos esse, quod abusi simus divinis muneribus. Non enim hæc nobis concessit, ut nos tantum eis utamur, sed et ut proximorum indigentiam sublevemus. Quali igitur venia dignandi sunt, qui et in vestimentis multam vanitatem ostentant, et ut vermium texturas gestent, solliciti sunt, quodque gravissimum, in his superbiunt: quos oportebat rubore, metu, ac tremore teneri, quod ipsi quidem ob nullam utilitatem, neque necessarii usus gratia; sed tantum ob vanitatem et inanem gloriam, et ut vulgo ac forensibus admirationi sint, talibus induantur: dum ejusdem naturæ consors obambulat nudus, qui neque crassissima veste amicire se potest: et neque natura ad commiserâtionem ducuntur; neque conscientia ad opitulandum proximo eos incitat, neque memoria horrendi illius diei, neque gehennæ timor, neque promissionum magnitudo; neque istuc ipsum, quod communis Dominus noster ut sibi facta usurpat quæ proximis fiunt: sed quasi lapideum cor haberent, et non ejusdem naturæ essent, ita se putant ob vestium cultum etiam aliis hominibus superiores esse, non perpendentes secum quantis malis seipsos obnoxios reddant, qui concredita sibi a Domino male dispensent, et

nolint conservis partem concedere, sed potius a vermibus consumi permittentes, graviorem gehennæ ignem jam sibi præparent? Nam si omnia, quæ intus reposita habent, indigentibus divites distribuerent, neque sic supplicium effugerent eorum peccatorum, quæ in deliciis vestium et conviviorum admittunt. Quo enim supplicio non sunt digni qui modis omnibus dant operam, ut sericis et auro, vel aliter pictis vestibus intertextis induantur, et post se pompam trahant in foro, Christum autem despiciunt nudum, et neque cibum necessarium impetrantem? Maxime autem sermo iste adversus mulieres congruerit. Majorem enim apud eas invenimus ornatus cupiditatem et intemperantiam, cum auratis vestibus et auro in capite, in collo et in aliis corporis partibus ornantur, et in his quoque superbiunt. Quot pauperum ventres poterant inde pasci, et quot corpora nude agentium poterant ex iis solis contegi, quæ ab ipsarum auribus pendent, nullius alterius usus gratia, quam in damnum et nocumentum animæ? Propter hoc Doctor orbis cum dixisset: « Habentes victum et amic» tum: » vertit rursum ad mulieres sermonem, et dicit: « Non in tortis crinibus, vel in auro, vel margaritis, vel veste » sumptuosa ornent se [1]. » Vides quomodo non vult eas talibus ornari, neque auro circumdari, neque margaritis, neque veste sumptuosa: sed verum ornatum in animam inducere, et per bonorum operum actionem, pulchritudinem animæ illustrare; et ne ea, quæ suspicit talia, contemnat illam sordidam, squalidam, pannosam, famelicam, geluque rigescentem? Hoc enim studium in ornando corpore animæ indicat deformitatem, et hujus deliciæ illam fame laborare clare significant: et hujus vestium sumptus illius declarat nuditatem: fieri enim non potest ut qui animæ curam habeat, ejusque pulchritudinem plurimi faciat, is

[1] 1 Tim. II, 9.

externo cultui inhiet : sicut impossibile est externo illi cultui, vestium splendori, aureo ornatui deditum, illius agere curam. Quando enim posset anima talis aliquid utile contemplari, vel in cogitationem spiritualium venire, quæ semel terrenis ita dedita cœpit esse, et humi, ut ita dicam, reptare, quæ nunquam caput attollere potest, sed prona innumeris peccatorum sarcinis seipsam gravat ? Nam quot inde nascantur mala, non possum nunc sermone complecti : sed satis est ut relinquam conscientiæ eorum, qui in iis occupati sunt, quantas inde quotidianas molestias experiuntur. Etenim vel aliquid decidit ex aureo illo cultu, et magna tempestas magnusque tumultus oboritur in tota domo ; vel famulus surripuit, et omnes flagellantur et verberantur, atque in carcerem conjiciuntur ; vel invidi quidam insidiati sunt et subito spoliarunt, ac multus hinc intolerabilisque mœror ; vel rerum adversitas ingruens in extremam inopiam redegit, et graviorem morte vitam eis attulit ; vel aliud quiddam incidens multam tristitiam peperit. Et in summa, nunquam invenies animam istius modi rebus addictam, perturbationibus expertem : sed sicut maris fluctus neque deficere, neque numerari queunt, semper novis succrescentibus : ita turbationes inde orientes nemo dinumerarit. Ideo, obsecro, fugiamus in omnibus rebus habendi cupiditatem et usus excessum. Veræ enim divitiæ sunt et inexhaustæ facultates, desiderare tantum quantum usui satis sint, et ea quæ usum excedunt, recte dispensare. Neque enim ille, qui hoc facit, inopiam timere poterit, neque molestiam sustinebit, neque turbationem sentiet : sed et extra calumniam erit, et liberabitur ab insidiantibus, atque ut summatim dicam, in perpetua tranquillitate erit, et quiete otioque fruetur, ac quod majus est omnibus, caputque bonorum, Deum habebit propitium, et superna fruetur gratia, utpote fidelis factus dispensator pecunia-

rum Domini. « Beatus enim, inquit, servus ille, quem, » cum venerit Dominus, invenerit sic facientem [1], » et sic dispensantem conservis, et non januis vectibusque includentem, et vermibus escam fieri permittentem : sed inopum miseriam sublevantem, bonumque et fidelem dispensatorem factum eorum, quæ a Domino suppeditata sunt; ut et pulchræ hujus dispensationis magnam mercedem assequi, et promissa bona obtinere mereatur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Luc. XII, 43.

FINIS TOMI SEPTUAGESIMI.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Homiliæ in Genesim, pag. 31 et seqq.	Earumdem varia fragmenta, t. XI, a pagina 373 ad 422.
Homilia VIII in Genesim, p. 110.	Ejusdem fragmenta, t. XII, p. 41-43.
— XVII, p. 217.	— t. XI, p. 439-457.
— XIX, p. 255.	— ibid., p. 466-472.

Multa alia fragmenta passim reperies in decem voluminibus, quæ magnam sancti Doctoris operum partem sub triplici titulo Fidei, Spei, et Charitatis complectuntur.

INDEX

TOMI SEPTUAGESIMI.

S. Joannis Chrysostomi vita et ejusdem operum series. Pag. 3

Homilia I. *In Genesim.* 31

Homilia II. *In creationis principium.* In principio fecit Deus cœlum et terram. 39

Homilia III. *De iis quæ sequuntur hæc verba* : In principio fecit Deus cœlum et terram *usque ad illud:* Et factum est vesperum, et factum est mane dies unus. 49

Homilia IV. Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquæ, et dividat inter aquam et aquam ; et factum est ita. 61

Homilia V. Et dixit Deus : Congregetur aqua, quæ sub cœlo est, in congregationem meam, et appareat arida. 74

Homilia VI. Et dixit Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli ad illuminationem super terram , ut dividant inter diem et inter noctem , et sint in signa , et in tempora , et in dies , et in annos. 84

Homilia VII. Et dixit Deus : Educant aquæ reptilia animarum viventium, et volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli, et factum est sic. Et fecit Deus cete magna , et omnem animam animalium reptilium , quæ produxerunt aquæ secundum genera sua. 97

Homilia VIII. Et dixit Deus : Faciamus hominem secundum imaginem nostram et secundum similitudinem : et dominetur piscibus maris, et volatilibus cœli, et pecoribus, et bestiis, et universæ terræ , et omnibus reptilibus repentibus super terram. 110

Homilia IX. *De iis quæ sequuntur hæc verba :* Faciamus hominem secundum imaginem nostram : *et adversus eos qui dicunt : Cur bestiæ facta sunt, et quis usus creationis earum ? Et quod vel sic maxime declaretur honor homini habitus , atque ineffabilis Dei erga ipsum benevolentia.* 120

Homilia X. *Exhortatio ad eos quos pudet post cibum sumptum accedere ad concionem vespertinam : et in reliquum textum post :* Faciamus hominem secundum imaginem nostram, et secundum similitudinem : *Et de his verbis:* Et fecit Deus hominem ; secundum imaginem Dei fecit illum : masculum et fœminam fecit illos. 130

Homilia XI. *Quod oporteat virtutem magnifacere Sanctosque imitari, qui cum ejusdem cujus nos naturæ essent, eam accurate sectati sunt. Et quod si segnes fuerimus, nullam excusationem habituri simus.* 143

Homilia XII. *De iis quæ sequuntur creationem :* Hic est liber generationis cœli et terræ, quando facta sunt : quo die fecit Deus cœlum et terram. 157

Homilia XIII. Et plantavit Dominus Deus paradisum in Edem ad orientem, et posuit illic hominem quem formavit. 168

Homilia XIV. Et accepit Dominus Deus hominem, quem formavit, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. 177

Homilia XV. Adæ vero non inventus est adjutor similis illi. Et immisit Deus excessum in Adam, et dormivit, et accepit unam costarum ejus, et implevit carnem pro illa. Et ædificavit Deus costam, quam accepit de Adam, in mulierem. 189

Homilia XVI. *In prævaricationem primam creatorum.* Et erant ambo nudi, et Adam, et uxor ejus, et non erubescebant. 202

Homilia XVII. Et audiverunt vocem Domini Dei deambulantis in paradiso in meridie. 216

Homilia XVIII. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Vitam quia ipsa est mater omnium viventium. Et fecit Dominus Deus Adæ et uxori ejus tunicas pelliceas et induit illos, et ait Deus : Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis. 239

Homilia XIX. Et dixit Caïn ad Abel fratrem suum : Egrediamur in campum. 255

Homilia XX. Egressus est autem Caïn a facie Dei, et habitavit in terra Naïd, e regione Edem, *et reliqua.* 268

Homilia XXI. Iste est liber generationis hominum, die quo fecit Deus Adam, secundum imaginem Dei fecit illum. Masculum et fœminam fecit illos ; et vocavit nomen eorum Adam, qua die fecit eos. 282

Homilia XXII. Et erat Noë annorum quingentorum, et genuit Noë tres filios, Sem, Cham et Japheth. Et factum est quando cœperunt homines multiplicari super terram, et filiæ natæ sunt eis. 299

Homilia XXIII. Noë autem invenit gratiam coram Domino Deo. Istæ autem sunt generationes Noë. Noë homo justus, perfectus existens in generatione sua : Deo placuit Noë. 317

Homilia XXIV. Genuit autem Noë tres filios, Sem, Cham, Japheth : corrupta autem erat terra coram Deo, et repleta est terra injustitia. 333

Homilia XXV. Noë autem annorum erat sexcentorum et diluvium aquæ factum est super terram. 352

Homilia XXVI. Et recordatus est Deus Noë, et omnium bestiarum, et omnium jumentorum, et omnium volatilium, et omnium reptilium, quæcumque erant cum illo in arca. Et adduxit Deus spiritum super terram, et cessavit aqua. 372

Homilia XXVII. Et ædificavit Noë altare Domino, et accepit de omnibus pecoribus mundis, et de omnibus volucribus mundis, et obtulit holocaustum super altare. 389

Homilia XXVIII. Et dixit Dominus Deus ad Noë, et ad filios ejus cum eo, dicens : Ecce ego statuo testamentum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos, et omni animæ viventi vobiscum, tam in volucribus, quam in pecudibus, et omnibus bestiis terræ. 409

Homilia XXIX. Et cœpit Noë homo agricola terræ, et plantavit vineam, et bibit de vino, et inebriatus est. 424

Homilia XXX. Et erat omnis terra labium unum, vox una omnibus. 445

Homilia XXXI. Et accepit Tharra Abram et Nachor filios suos, et Lot filium Aram filii sui, et Saram nurum suam, uxorem autem Abram filii sui; et eduxit eos ex terra Chaldæorum, ut proficiscerentur in terram Chananæorum : et venit usque Charran, et habitavit illic. 461

Homilia XXXII. Et visus est Dominus Abræ, et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc, et extruxit ibi altare Domino, qui visus est ei. 478

Homilia XXXIII. Abram autem erat dives valde pecoribus, et argento, et auro, et profectus est unde venerat, in solitudinem usque Bethel, usque ad locum in quo prius fuit tabernaculum ejus inter Bethel et Aggæ, ad locum altaris, quod ibi principio fecerat. 499

Homilia XXXIV. Et dixit Deus Abræ, postquam separatus est ab eo Lot : Elevatis oculis tuis, vide a loco, in quo tu nunc es, ad aquilonem, et africum, et orientem, et mare; quia omnem terram, quam tu vides, tibi dabo eam. 512

Homilia XXXV. Factum est autem in regno Amarphath regis Sennaar, Arioch rex Alasar, et Chodologomor rex Ælam, et Tharthac rex gentium, gesserunt bellum cum rege Sodomorum. 526

Homilia XXXVI. Post hæc autem verba factus est sermo Domini ad Abram per visionem noctis, dicens : Ne timeas, Abram, ego protector tuus sum ; merces tua multa erit valde. 545

Homilia XXXVII. Dixit autem ei : Ego sum Deus, qui eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terram hanc, ut in hæreditatem possideas eam. Dixit autem : Domine, Domine secundum quid cognoscam quod in hæreditatem accipiam eam ? 560

Concordantia Bibliothecæ latinæ cum gallica. 575

EXPLICIT INDEX.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

LXXVI

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

II.

POISSY. — E TYPOGRAPHEO ARBIEU.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS SECONDUS.

PARISIIS,

APUD MELLIER PÈRE EDITOREM,

17, RUE PAVÉE SAINT-ANDRÉ.

M. DCCC. XXXV.

S. P. N. JOANNIS

CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERUM

PARS I.

HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS I.

HOMILIÆ IN VETUS TESTAMENTUM.

HOMILIÆ LXVII IN GENESIM.
SERMONES IX IN GENESIM.
HOMILIÆ VI DE CREATIONE MUNDI.
HOMILIÆ II IN VERBA GENESIS.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIÆ LXVII IN GENESIM.

HOMILIA XXXVIII.

Sara autem uxor Abram non peperit ei : sed habebat ancillam Ægyptiam nomine Agar [1].

I. Etiam hodierna lectio linguam nostram denuo in memoriam Patriarchæ vocat : neque vos admiratio teneat, quod cum tot diebus historiam ejusdem toties in medium attulerimus, nec hodie illam absolvere potuerimus. Magna enim copia est virtutum Justi, et eximia sunt illius bona opera, adeo ut omnem humanam linguam vincant. Quem enim Deus superne coronavit et celebrem fecit, quis hominum digne laudare poterit ? Attamen etsi longe inferiores sumus, quam exposcant illius merita, pro nostris saltem viribus, quæ de illo scripta sunt in medium afferentes, ad æmulandum et imitandum virtutem illius vos inducere cupimus. Sufficit enim hujus viri philosophia ad omne hominum genus erudiendum, et ad alliciendos eos, qui diligenter auscultant, ut ineant virtutis viam. Cæterum ob-

[1] Gen. XVI, 1.

secro ut attendatis his, quæ dicuntur, quo liceat etiam ex nuper lectis Justi philosophiam addiscere. Potest enim hic locus docere et viros et mulieres, ut magna inter se concordia vivant, et conjugii vinculum indissolutum servent : et neque vir insurgat adversus mulierem, sed ut vasi infirmiori majorem illi veniam tribuat ; neque mulier viro se opponat, aut ab eo dissideat, sed ut vicissim alter alterius onera ferre certent, domesticamque pacem omnibus bonis præferant. At operæ-pretium fuerit audire verba ipsa, ut fiat nobis doctrina manifestior. « Sara autem, in» quit, uxor Abræ non peperit ei : cæterum habebat ancil» lam Ægyptiam, cui nomen Agar [1]. » Considera, charissime, hoc loco ineffabilem Dei tolerantiam et eximiam fidem gratumque animum Justi, quem datis sibi promissionibus declaravit. Cum enim toties promisisset Deus se daturum semini ejus terram, et in tanto multiplicaturum numero, ut multitudini stellarum adæquaretur ; videns nullam promissionem opere impleri, seque ex promissionibus nihil præterquam verba accipere, non turbabatur ratione, non commovebatur mente, sed mansit immotus et inflexus, credens potentiæ promittentis. Et idcirco etiam hic id significavit Scriptura divina, dicens : « Sara autem » uxor Abræ non peperit ei, » quasi hoc nobis declarans : » Post hæc omnia, post pacta cum eo inita, post pollicitationem innumeræ multitudinis ex eo procreandæ, nihil fluctuabat secum, videns nihil dictorum opere impleri, sed omnia contrario modo sese habere ; propterea dicit post illa omnia : « Sara uxor ejus non peperit ei : » ut discas nihil illi accessisse post tantas promissiones, etsi quod Sara sterilis et utero emortuo esset, in mente Justi multam hæsitationem ingenerare posset. Verum Patriarcha non spectabat ad impedimenta naturæ ; sed sapientiam Domini

[1] Gen. XVI, 1.

cognoscens, qui cum naturæ Dominus et conditor sit, viam in inviis potest invenire, sicut gratus servus non quærit curiose modum eorum quæ fiunt, sed relinquit incomprehensibili Domini providentiæ, et credidit dictis : idcirco inquit : « Sara autem post tantas promissiones non peperit » ei. Habebat autem ancillam Ægyptiam, cui nomen Agar. » Non absque causa etiam hoc loco Scriptura divina nobis ancillæ memoriam fecit, sed ut sciamus unde habuerit illam. Nam idcirco adjecit eam Ægyptiam esse, ut ad superiorem historiam recurramus, quod nempe fuerit ex numero eorum, quæ Pharao Abræ donaverat, quando tanta ultione ab omnium Deo potitus est, quodque redeundo hanc acceperit Sara. Studiose enim nobis et nomen et gentem significavit divina Scriptura. Verum ulterius hic considera, quomodo Saræ mens philosophicis prædita fuerit moribus, et mirum in modum continens, atque quam fuerit ipse Patriarcha illi obsequens et dicto audiens. » Dixit autem Sara, inquit, Abræ in terra Chanaan : Ecce » conclusit me Dominus, ne parerem : ingredere igitur ad » ancillam meam, ut ex ea prolem suscipias [1]. » Vide mulieris probitatem : nihil tale dixit, quale posthæc Rachel inquit ad Jacob : « Da mihi filios; quod si minus, morior » ego [2]. » Sed quid dicit ? « Ecce conclusit me Dominus, ut » ne parerem. » Et quia, inquit, sterilem me fecit naturæ Conditor, et privavit me filiorum procreatione, ut ne propter meam sterilitatem, cum in extremam veneris senectam postea maneas absque liberis, « Ingredere ad ancillam » meam, ut ex ea filios procrees. » Multiplex et ineffabilis mulieris probitas. Quæ enim unquam mulier hoc sustineret facere, vel viro consulere, vel ancillæ conjugali toro cedere ?

II. Vidisti quomodo ab omni affectione fuerint alieni ?

[1] Gen. xvi, 2. — [2] Id. xxx, 1.

Unus erat eis scopus, ne absque liberis hinc decederent, sed spectabant quomodo etiam illinc consolationem acquirerent, et indissolubile pacis vinculum servarent. Observa enim hic Patriarchæ insignem continentiam, admirabilemque mansuetudinem. Neque enim asperior fuit uxori, quod liberos non haberet, ut insipientes nonnulli; neque amor ejus erga mulierem imminutus est. Scitis enim, plane scitis multos hanc potissimum ob causam mulieres despicere, sicut ob contrariam adamare. Utrumque stolide et imprudenter agunt, qui uxoribus ascribunt sterilitatem vel fœcunditatem, quasi nescientes a naturæ Conditore dispensari universa, et neque coïtum, neque aliud quiddam ad procreandos liberos conferre, nisi cooperetur manus superna, quæ naturam ad procreandum excitet. Quæ cum probe nosset Justus ille, uxori sterilitatem non imputabat, sed congruentem honorem semper ei tribuebat. Atque hanc ob causam ipsa in officii vicem, volensque declarare quanto amore erga virum afficiatur, non quod sui ipsius erat, spectabat, sed quomodo illi consolationem quamdam orbitatis liberorum excogitaret, quasi manibus suis acceptam puellam Ægyptiam in lectum suum induxit: quin et verbis ipsis ostendit qua de causa id faciat, et quis ejus sit scopus. Quia ego, inquit, inutilis visa sum, et ad generandum non idonea: « Conclusit enim me Dominus, ut ne parerem. » Vide prudentem animam, quomodo nihil asperum loquitur, sterilitatem non deplorat: sed solum hoc nobis declarare vult quod, naturæ Domino opifici hoc ascribens, leniter et generose ferat, malens quod Deo placebat, quam quod ipsa concupiscebat, et hoc unum spectans, ut virum solaretur. « Quoniam, inquit, Dominus me conclusit, ut ne » parerem. » Quanta hujus verbi emphasis est? quam ineffabilem ostendit Dei potentiam et providentiam? Quasi di-

ceret : « Sicut nos aperimus et claudimus domum, ita et Dominus in natura operatur, et suo præcepto claudit, et iterum, quando vult, aperit, et jubet naturam quod suum est operari. « Quoniam igitur conclusit me Dominus, ut ne »parerem, ingredere ad ancillam meam, ut ex ea prolem »procrees. » Scio me orbitatis causam esse; propterea nolo te privare illo solatio. » Fortassis autem etiam suspicabatur Sara sterilitatem illam non a se sola esse, sed etiam ex Patriarcha : ideo volens certo experimento id comperire, ancillæ cedit, et illam in lectum illius ducit, ut reipsa discat an sola sit in causa, sibique soli sit ascribenda sterilitas. « Obedivit autem, inquit, Abram voci Saræ [1]. » Magna Justi philosophia. Id enim quod dixi, hoc et nunc dico, illum non priorem hoc consilium iniisse, quamvis in extrema senectute esset, et nunc a Sara admonitum prompte obedivisse, ut doceret se non ex concupiscentia vel libidine congredi cum illa voluisse, sed ut seminis relinqueret successionem. « Et tulit Sara uxor Abræ Agarem »Ægyptiam ancillam suam, postquam decem annos habi»tasset cum viro suo in Chananæa, et dedit eam Abræ viro »suo in uxorem [2]. » Attende, obsecro, Scripturæ diligentiam : ut enim discamus illum non mox post hæc verba, quæ ad eum dixit Sara, in opus prosiluisse, ideo dicit : « Et tulit Sara uxor Abræ Agarem Ægyptiam ancillam »suam : » quibus subindicat nobis Scriptura divina eum uxorem suam consolaturum, et ei obsequi volentem, hanc rem fecisse. Nam ut evidenter scias Patriarchæ continentiam et eximiam temperantiam, dixit : « Postquam de»cem annis habitasset cum Abramo viro suo in terra Cha»naan. » Non absque causa tempus assignavit, sed ut scire possimus quot annis Justus fortiter infœcunditatem tulerit, et affectibus superior magnam exhibuerit conti-

[1] Gen. xvi, 2. — [2] Ibid. 3.

nentiam : neque hoc solum, sed ut et aliud quiddam inde discamus. Ideo enim adjecit : « Postquam decem annis ha- » bitasset cum viro suo in terra Chanaan : » non enim omne tempus cohabitationis nobis declaravit, sed illud solum, quod in Chananæa consumptum est. Quare hoc, et quam ob causam? Quia statim ut venit in Chananæam, benignus Dominus promissionem fecit his verbis : « Se- » mini tuo dabo terram hanc : » et post hæc quoque semel atque iterum promissiones repetiit, ut scias, dilecte, quamvis tanto tempore Dominus distulerit, et promissa non impleverit, Patriarcham tamen non fuisse animo tur- batum, sed ratiociniis suis divina dicta prætulisse. Prop- tercа dicit : « Postquam decem annos simul habitassent in » terra Chanaan. » Vidisti virilem animum? vidisti philo- sophiæ hujus excercitationem? quomodo Dominus, ut eam reddat illustriorem, cesset ac differat? Nam quia plurи- mum ei curæ sunt famuli sui, non ita simpliciter in eos conferre beneficia, sed simul etiam conspicuos reddere, fidemque ipsorum omnibus declarare satagit. Si enim sta- tim ut promisit se daturum semini ejus terram hanc, ape- ruisset Saræ vulvam, et liberos dedisset successores, neque tam magnum exhibuisset miraculum, neque tam clara apud omnes fuisset Justi virtus. Virtus enim Dei et tunc manifesta quidem fuisset : nam emortuam naturæ officinam, et inutilem ad procreandos filios factam, suo præcepto iterum vegetam fecisset ; at non ita suarum laudum corona redimitus fuisset Patriarcha, ut nunc cum tanto tempore ipsius probata est virtus, et quotidie facta est clarior.

III. Et ut scias Deum non solum beneficia et dona sua conferre velle, sed solitum esse beneficia accepturos red- dere clariores, vide illum hoc et in Chananæa illa facere, et idcirco cessare ac differre, ut non solum petitionem il- lius exaudiat, sed et ut illam ipsam in toto orbe celebrem

reddat. Quandoquidem cum supplicaret ac diceret : « Mi-» serere mei , Domine , quia filia mea male a dæmonio tor-» quetur [1] : » neque responso eam dignatur misericors et clementissimus Dominus , alioqui preces nostras semper prævenieus. Et Discipuli quidem nescientes quid futurum esset , et eum curam agere mulieris , nolleque thesaurum ejus latere , atque ideo non respondere ; quasi majore commiseratione ducti accesserunt et obsecrabant eum dicentes : « Dimitte eam , quia clamat post nos [2] : » quasi monstrarent se jam non ferre illius molestiam. « Dimitte enim eam , inquiunt , non quia tam ærumnosa est , non quia preces ejus rationabiles sunt , sed quia clamat post nos. » Quid igitur Dominus ? Volens et paulatim illius thesaurum detegere , et docere quantum Discipuli ab humanitate sua abessent , responsum dat , quod et mulieris obcæcare mentem , nisi tanto fuisset succensa desiderio alacritateque viguisset, et Discipulos ab interpellatione deterrere potuisset. « Non sum enim missus , inquit , nisi ad » oves domus Israël , quæ perierunt [3] . » Et hoc quidem dictum illos absterruit , ne pro muliere intercederent : sed illam segniorem non fecit , imo in causa fuit ut magis urgeret. Ita enim se habet anima dolens , et ferventi affectu accedens ; nihil attendit eorum quæ dicuntur , sed unum solum spectat, quomodo ea, quæ sibi curæ sunt, assequatur : id quod et ista fecit. Auditis enim his , iterum inquit : « Adoravit eum , dicens : Miserere mei Domine [4]. » Sciebat Domini misericordiam , et proinde magna assiduitate utebatur. Sed vide sapientem illum et solertem, quomodo neque sic annuat , sed asperius et vehementius illam concutiens, responsum det. Sciebat enim fortitudinem mulieris , et volebat eam non occulte accipere beneficium ; ita ut Discipuli discerent ex facto dilationis causam, et alii

[1] Matth. xv, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid. 24. — [4] Ibid. 25.

omnes docerentur quanta sit assiduitatis et perseverantiæ potentia, et mulieris virtus. Nam dicit : « Non est bonum sumere panem filiorum, et objicere canibus[1]. » Hic, obsecro, animadverte mulieris constantiam, quanta alacritate succensa fuerit, quanta in Deum fide incitata fuerit, cum interim viscera ipsa, ut ita dicam, præ dolore dissecarentur, et multa filiæ commiseratione teneretur : non aversatur, nec retrocedit ob verbi contumeliam : sed audito canis nomine, boni consulit, et fatetur se catellum, ut a canum liberetur feritate, et in filiorum statim allegatur ordinem. Audi tandem quid ad hæc mulier dixerit, ut discas quantum ex procrastinatione Dei lucrum concedatur. Non solum enim non abegit mulierem dictorum asperitas, sed in majorem alacritatem excitavit : nempe postquam audivit hæc verba, inquit : « Etiam Domine, nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt a mensa dominorum suorum[2]. » Vidisti quare huc usque distulerit ? ut per verba mulieris fidem illius eximiam discamus. Vide enim quomodo statim eam laudavit et coronavit Dominus, dicens : « O mulier, magna est fides tua[3]. » Quam principio neque responso dignabatur, cum admiratione et laudibus dimittit. « Magna, inquit, est fides tua. » Erat enim revera magna, quod cum videret semel atque iterum et sæpius aversantem preces, non segnior facta fuerit, neque retrocesserit, sed perseverantiæ assiduitate provocaverit Dominum, ita ut voti compos fieret. « Fiat enim tibi, inquit, sicut » vis[4]. » Vidisti quomodo qui prius illam neque responso dignatus fuerat, nunc largitionibus certat ? Non enim simpliciter annuit precibus illius, sed prædicavit et celebravit illam. Nam dicendo : « O mulier, » monstravit quomodo fidem ejus obstupescat; dicendo autem : « Magna est fides » tua, » divitias quoque mulieris ostendit. Deinde inquit :

[1] Matth. 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 28. — [4] Ibid.

« Fiat tibi sicut vis. » Quantum vis, quantum animo concipis, tantum præbeo. Tanta enim tua perseverantia dignam te declaravit tua petitione. Vidistis mulieris constantiam? vidistis divinæ dilationis causam, videlicet ut mulierem clariorem redderet? Redeamus autem, si placet, ad propositam historiam, et discamus propter nihil aliud promissiones Patriarchæ factas tot annis implere distulisse, quam ut multa cum gloria eas illi concederet, omnibusque monstraret Justi fidem. Idcirco dicit : « Post- » quam decem annos simul habitasset in terra Chanaan : » ut discas quantum præteriisset temporis ex quo promissiones accepisset. Statim enim ut venit in Chananæam, audivit : « Semini tuo dabo terram hanc : » et tanto intervallo temporis absque liberis manserat, sterilitasque Saræ interim augebatur. « Et dedit, inquit, Agar Abræ viro suo » in uxorem [1]. »

IV. Vide quanta etiam olim philosophia apud Veteres exercebatur, quomodo et viri temperantes erant, magnamque continentiæ habebant rationem, ac mulieres zelotypiæ carebant vitio. Dedita enim opera sæpius dicit Scriptura: « Et » ut tulit Sara Agarem ancillam » et iterum : « Dedit eam » in uxorem : » ut discas quomodo absque animi ægritudine negotium egerit, et quantum apud eos esset virtutis studium. « Et ingressus est, inquit, ad Agar, et concepit [2]. » Vide quomodo discit Sara non Justum in causâ fuisse, quod carerent filiis, sed sua potius sterilitas : statim enim congressum cum ancilla subsecuta est conceptio. Cæterum vide et ancillæ ingratum animum, et muliebris sexus infirmitatem, ut discas etiam hoc loco Patriarchæ miram lenitatem. « Et vidit, inquit, quod uterum gereret, et con- » tempta est domina coram ea [3]. » Ille enim ferme servorum mos est, ut cum parum prosperitatis eis accesserit, nequeant

[1] Gen. xvi, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid.

intra suos limites manere : sed statim sui ordinis obliviscantur, et ingrati facile evadant : id quod et huic ancillæ accidit. Nam ut vidit uteri sarcinam, neque dominæ admirabilem philosophiam, neque suæ conditionis vilitatem cogitavit ; sed inflata et superbiens contempsit dominam, quæ illam tam commendatam habebat, ut et in viri thalamum admitteret. Quid igitur Sara ? « Dixit, inquit, ad Abram : » Injuria a te afficior. Ecce dedi ancillam meam in sinum » tuum : quæ quia vidit quod uterum gerit, contemptui co- » ram ea habita sum. Judicet Deus inter me et te [1]. » Hic, quæso, animadverte incredibilem tolerantiam et reverentiam Justi, quam erga Saram declaravit, veniam ab ea petens tam immerito objecti criminis. Quæ enim manibus ancillam viro tradiderat, et dixerat : « Ingredere ad ancil- » lam meam, » quæ a semetipsa et sua sponte ad congressum hortata fuerat, ista nunc, mutato animo, inquit : « In- » juria a te afficior. » O mulier, numquid ipse ad ancillæ congressum festinavit ? numquid intemperantia impellente, ad rem habendam cum ancilla acceleravit ? A te persuasus et tuo mandato obtemperans, hoc tandem fecit. Qua te igitur injuria maritus affecit ? « Ecce dedi ancillam meam » in sinum tuum. » Si igitur fateris te dedisse, nec ipse eam sua sponte acceperit, quare injustitiam improperas ? Etiam, inquit ; nam quamvis ego dederim, sed videns ejus temeritatem, debebas cohibere mentem tam petulantem. « Nam » ut vidit se uterum gerere, contempsit me. Judicet Deus » inter me et te. » Vere hæc mulieris verba sunt, et infirmi illius sexus ; his enim fere illum alloquitur : « Ego quidem volebam tuum mœrorem solari, quem habes ex prolis inopia ; tam officiosam ea in re me præbui, ut et ancillam meam meis manibus traderem, et ad congressum cohortarer : tu autem videns hanc inde fieri petulantiorem propter uteri

[1] Gen. xvi, 5.

sarcinam, et magno fastu inflari, cum debuisses reprimere et ulcisci ejus in me injurias, id non fecisti, sed quasi omnium priorum oblitus, me despicis etiam tu, me quæ tecum tot annis habitavi, et ab Ægyptia ancilla mea contemnor. « Judicet Deus inter me et te. » Dolentis animæ verba. Et nisi tantis virtutibus præditus fuisset Patriarcha, et in tanta reverentia Saram habuisset, ægre tulisset hæc verba, et ex dictorum asperitate dolorem concepisset. Verum eximius ille ad sexus fragilitatem spectans, omnem ei veniam dedit. « Judicet Deus inter me et te. » Cogita quantam rem egerim, ut te consolarer, volens te vel in senectute patrem vocari, ancillam meam in dignitatem meam erexi: tu autem videns illam tam ingratam, non ultus es, non rependisti mihi vices benevolentiæ, quam in te declaravi. « Judicet Deus inter me et te. » Ille, inquit, qui abscondita omnium cordium novit, ipse erit judex inter nos, et quomodo ego quidem victis omnibus affectionibus tuam consolationem meæ prætuli, et in lectum meum ancillam meam induxi. Ipse autem nihil eorum, quæ a me facta sunt, in mentem accipiens, permittis illi ut contra meam insurgat lenitatem; nec audaciam reprimis, neque ingratam castigas. » Quid igitur adamas ille, fortis ille Dei athleta, qui undique coronas sibi plectebat? Monstrans etiam in hoc suam virtutem, vide quid dicat ei: « Ecce » ancilla tua in manibus tuis; utere ea ut tibi libitum fue» rit [1]. » Ingens Justo virtutis studium, mira tolerantiæ excellentia. Non solum enim non ægre tulit ea, quæ Sara dixerat, sed et admodum mansuete respondit et inquit: « Suspicaris me auctorem esse contumeliarum, quibus affecta es, et putas me oblectari in iis, quæ ancilla adversum te ausa fuit, quoniam semel communicavit mihi in lecto: disce me et primum, nisi hōc suscepissem ut tibi gratifica-

[1] Gen. xvi, 6.

rer, nunquam admissurum fuisse ancillam in lectum tuum : verumtamen ut reipsa certior fias, ecce in manibus tuis est ; utere ea ut tibi placuerit. Num quis potestatem tuam minuit? num dominium in eam a te ablatum est? Nam licet cum ea congressus fuerim, salva tamen adhuc est in eam potestas tua, ipsa sub manibus tuis est; puni, castiga, increpa ; ut volueris et tibi placuerit, sic facito cum ea; tantum ne succenseas, tantum ne mihi imputes, quæ illa petulanter egit. Neque enim meis affectionibus incitatus rem cum ea habui, ut erga eam sic afficiar, ut contra æquitatem ei patrocinor. Scio quem tibi debeam honorem. Non ignoro famulorum ingratum animum. Nulla mihi ejus rei cura vel ratio. Unum tantum est cui studeo, ut tu mœrore careas et turbatione, ac in omni sis honore. »

V. Hoc est verum contubernium, hoc mariti officium, quando non magna diligentia ad mulieris spectat verba, sed imbecillitati sexus veniæ nonnihil concedit, hoc unum satagens, ut e medio tollatur tristitia, et pax atque concordia constringantur arctius. Audiant viri, et imitentur Justi lenitatem, et tantum honorem ac reverentiam mulieribus tribuant, et tanquam imbecilli vasculo parcant, ut concordiæ vinculum firmius consistat. Illæ enim veræ sunt divitiæ, illæ maximæ sunt facultates, si vir cum muliere non discordet, sed conjuncti sint ut corpus unum. « Erunt enim, » inquit, duo in carnem unam[1]. » Tales etsi in paupertate sint, etsi in vilitate, omnium sunt beatissimi, veram percipiunt voluptatem, et in continua degunt tranquillitate. Sicut contra qui hac non fruuntur, sed zelotypia laborant, et bonum pacis amittunt, etiamsi magnis affluant divitiis, etiamsi sumptuosas habeant mensas, etiamsi clari fuerint ac nobiles, miserrimi omnium sunt; turbas et fluctus sibi quotidie excogitant, sese invicem suspectos habent, nul-

[1] Gen. II, 24.

lamque voluptatem habere possunt, interno bello omnia confundente, multamque eis amaritudinem invehente. Verum hic nihil tale, sed Patriarcha indignationem matrisfamilias sua placavit lenitate, et data ei contra ancillam potestate, domum pace replevit. « Et afflixit eam, inquit, » Sara, et aufugit a facie ejus [1]. » Postquam domina illius punivit insolentiam, fugam iniit ancilla. Talis scilicet servorum mos est, quando non permittitur eis more suo agere, sed impediuntur eorum conatus, statim dominorum ruptis frenis, fugam capessunt. Cæterum hoc etiam vide, quomodo ancillæ supernum auxilium non desit, ob Justi videlicet honorem. Nam quia Justi semen intra se gerebat, ideo et Angeli aspectum videre meruit. « Invenit enim eam, » inquit, Angelus Domini prope fontem aquæ in solitudine » in via Sur [2]. » Considera benignitatem Domini, quomodo nullum despiciat, sed etiamsi servus sit vel ancilla, suam erga eum declaret providentiam, non ad dignitatum respiciens differentiam, sed ad animæ affectionem. Hic autem non propter ancillæ meritum Angelus assistit, sed ob honorem Justi. Nam sicut dixi, digna erat quæ non negligeretur, eo quod digna fuisset quæ semen Justi susciperet. « Et ut eam invenit Angelus, dixit ei : Agar ancilla Saræ, » unde venis, et quo vadis [3] ? » Vide quomodo et Angeli dicta eam in memoriam suæ conditionis inducant. Nam ut attentiorem eam reddat, statim appellationem nominis ejus in medium affert, et dicit : « Agar. » Solemus enim diligentius auscultare, quando nominibus nostris vocamur. Deinde dicit : « Ancilla Saræ : » quo recordari eam jubet dominæ suæ, ut sciat se licet particeps fuerit herilis lecti, attamen dominam agnoscere debere Saram. Vide igitur Angelum interrogantem, ut eam ad respondendi necessitatem cogeret. « Unde, inquit, nunc in solitudinem hanc

[1] Gen. XVI, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

advenisti, et quo contendis? » Atque ob hoc in hac solitudine comparet Angelus, ut ne putet aliquem ex vulgaribus viatoribus eum esse qui interrogat. Solitudo enim erat, et nullus alius aderat : ut igitur scire possit non esse vulgarem aliquem, qui sibi colliquitur, eapropter in eremo apparuit, et sciscitatus illam est. Et inquit : « A facie Saræ dominæ » meæ ego fugio [1]. » Vides quomodo non negat dominatum, sed confitetur vere omnia? « Non est, inquit, homo qui interrogat, ut possim decipere. Primum dixit nomen meum, et dominæ meæ meminit : par est igitur ut et ego omnia vere dicam. « A facie, inquit, Saræ dominæ meæ ego fugio. » Vide quomodo citra odium meminit dominæ. Non dixit : « Me afflixit; » non dixit : « Me male mulctavit; non possum ferre molestiam ejus, et ideo fugam inii. » Nihil asperum locuta est, sed solum seipsam ut fugitivam accusavit. Vidisti ejus probitatem? vide quid iterum Angelus ei dixit. « Dixit au- » tem ei Angelus Domini : Revertere ad dominam tuam, » et humiliare sub manibus ejus [2]. » Ad hoc quidem, quod dixit : « A facie dominæ meæ fugio, » inquit, « Revertere, » et ne sis ingrata erga dominam tuam, quæ de te tam bene merita est. » Deinde quia ex fastu et superbia mentis dominam suam in iram excitaverat, inquit : « Et humiliare sub » manibus ejus, subjecta esto ei : hoc enim tibi proderit. Agnosce servitutem, ne ignores dominium, nihil sublime sapito, ne plus de te quam oportet sentias. « Humiliare » sub manibus ejus, magnam præ te fer obedientiam. » Satis ejus animam demulserant Angeli dicta, atque ejus spiritum compresserant; satis frenaverant ejus iracundiam, multam in cogitationibus serenitatem fecerant.

VI. Deinde ne putet temere et absque causa se hujusmodi providentia dignatam esse, sed discat se propter semen Justi tantam benevolentiam assecutam esse, vide

[1] Gen. xvi, 8. — [2] Ibid. 9.

quomodo eam consolatur, et mentem ejus erigit, et consolationem dat, quæ abunde sufficiat, cum ita subjungit: »Et dixit ei Angelus Domini: Multiplicans multiplicabo »semen tuum, et præ multitudine non numerabitur [1]. » Et tibi, inquit, prædico tantum fore semen tuum, ut neque numero subjaceat. Ne igitur mœsta sis, neque succumbas, neque turberis animo, sed præ te fer omnem obedientiam. »Ecce enim uterum geris, et paries filium, et vocabis no»men ejus Ismaël [2]. » Ideo, inquit, et partum tibi prædico, et nomen jam impono puero, qui nascetur, ut re certius comperta, sic regrediaris, et emendes quod deliquisti: »Quia audivit Dominus humilitatem tuam [3]. » Hinc discamus quantum sit in afflictionibus lucrum, quanta calamitatis utilitas. Postquam enim secessit, et dolor auctus est, multisque circumdata est afflictionum molestiis, in solitudine, in deserto et angustiis versans, post tantam prosperitatem, et postquam in parem cum domina sua dignitatem evecta fuisset; ideo acceleratum nacta est subsidium. »Hæc enim tibi erunt, inquit, quæ promisi, et paries filium, »et semen tuum innumerabile erit, quia exaudivit Dominus »humilitatem tuam. » Ne igitur gravatim feramus, si molestiis prementibus humiliemur. Nihil enim ita nostræ naturæ conducit, ut sese submittere, et humiliare superbum spiritum, et inflatam mentem deprimere. Tunc enim nos magis audit Dominus, quando cum dolore animæ et corde contrito ipsum invocamus, majorem in precibus assiduitatem adhibentes. «Quia audivit Dominus humilitatem »tuam. » Postea prædicit pueri, qui nasciturus erat, studium. «Hic erit, inquit, agrestis homo, manus ejus con»tra omnes, et manus omnium contra eum; et contra fa»ciem omnium fratrum suorum habitabit [4]. » Prædicit ei illum virilem et fortem futurum esse, bellatorem, ac terræ

[1] Gen. XVI, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 12.

colendæ vacaturum. Vidisti ex iis, quæ in ancillam gesta sunt, quanto in honore esset Patriarcha? Quidquid enim illi impensum est, Domini in Justum benevolentiam ostendit. Hæc ubi Angelus consuluit et felicia annuntiavit Agari, recessit. Cæterum vide iterum ancillæ probitatem. « Et » vocavit, inquit, nomen Domini, qui loquebatur sibi: Tu » es Deus, qui vidisti me: quia dixit: Etenim coram vidi eum » qui apparuit mihi. Propter hoc vocavit puteum, puteum » ubi coram vidi, inter Cades et inter Barach[1]. » Vide quomodo et hæc velit perpetuam memoriam indere loco per vocabuli impositionem. « Vocavit enim locum, Puteum » ubi coram vidi. » Vidisti et ancillam paulatim ex afflictionibus aliquanto castigatioribus moribus fieri, et gratum animum suum declarare erga beneficia, quibus cumulata fuerat, et gratiam, quibus potuit, referre providentiæ, quæ tantam ipsius gesserat curam? « Et peperit, inquit, Agar » Abræ filium, et vocavit Abram nomen ejus, quem peperit » sibi Agar, Ismaël[2]. »

VI. Hinc discimus quantum bonum sit mansuetudo, quantum lucri habeat, et quanti fructus ex afflictionibus proveniant. Nam mansuetudine Patriarcha placavit Saram indignabundam, et famulæ potestatem ei dedit, domumque pace replevit, afflictionis autem fructus in ancilla videre licet. Quia postquam ab hera afflicta fugit, et multum ærumnosa fuit, ac cum animi dolore Dominum invocavit, et statim supernam visitationem assecuta est. Ut enim discat se per humilitatem et afflictionem tanta providentia dignatam esse, dicit Angelus ei: « Uterum geris, et » paries filium, et vocabis nomen ejus Ismaël, quoniam au» divit Dominus humilitatem tuam. » Itaque, dilecti, cum sciamus nos, si vigilaverimus, ex ærumnis magis ad Dominum accessuros, et ejus gratiam nobis tum conciliaturos,

[1] Gen. xvi, 13, 14. — [2] Ibid. 15.

cum dolente anima et fervidis lacrymis ad ipsum accesserimus, ne doleamus in afflictionibus, sed lucrum, quod ex afflictionibus provenit, cogitantes, omnia quæ nobis eveniunt placido feramus animo, et discamus humani esse et mansueti erga omnes quidem, maxime autem erga uxores nostras; ac summopere curemus, ut sive juste, sive injuste nos arguant, ne ita accurate excutiamus causas, sed unius rei nobis cura sit, ut tristitiæ causa e medio tollatur, crescatque ac roboretur pax domestica, ut et illa ad virum suum habeat conversionem, et vir ab externis ac forensibus negotiis et turbationibus ad eam quasi ad portum confugere, et omnigenam invenire possit consolationem. In adjutorium enim data est uxor, ut contentus ejus consolatione, vir adversus ingruentia mala resistere valeat. Nam si fuerit ornata virtutibus et mansueta, non solum viro suo societatis consolationem, sed et in aliis omnibus multum erit utilis, omnia illi levia et facilia reddet, et percipere non sinet illum aut externas aut eas, quæ quotidie domi nascuntur, difficultates; sed quasi gubernator optimus omnem animi tempestatem in serenitatem sua sapientia convertet, prudentiaque sua magnam conferet consolationem. Enimvero qui sic conjuncti fuerint, a nulla rerum difficultate male habebunt. Quando enim concordia, et pax, et vinculum dilectionis cum muliere et viro fuerit, omnia simul affluent bona et nullis insidiis expositi erunt, magno et inexpugnabili quodam muro circumdati, hoc est, ex ea, quæ secundum Deum est, concordia. Hoc adamante firmiores, hoc ferro fortiores eos reddet; hoc omnibus divitiis et abundantia magis locupletabit; hoc ad supernam gloriam illos deducet; hoc et Dei benevolentiam eis ubertim conciliabit. Proinde oro ne quid illi præferendum existimemus; sed omnia faciamus et agamus, ut tranquillitas et pax sit inter cohabitantes. Tunc enim et filii, qui nas-

cuntur, parentum virtutem sequentur, quos imitabuntur et servi, et undique domus virtute florebit, eritque multiplex rerum prosperitas. Quando enim divina cæteris præferimus, facile alia omnia prospere nobis succedent, et nullam sentiemus molestiam, suppeditante nobis omnia largiter divina bonitate. Ut igitur etiam ipsi absque tristitia, et temporis istius vitam transigamus, et majorem Domini benevolentiam magis ac magis nobis conciliemus; virtutem sectemur, concordiam et pacem in domum nostram introducere conemur; curæ nobis sint educatio liberorum moresque famulorum, ut pro omnibus largis acceptis remunerationibus, mereamur et promissa bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu, sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XXXIX.

Quando autem factus est Abram nonaginta novem annorum, apparuit ei Deus[1].

I. Vidistis, dilectissimi, quomodo nihil sit otiose in divina Scriptura positum? vidistis quantum utilitatis heri percepimus, cum de Agar ancilla fugitiva dissereremus? Didicimus enim Patriarchæ lenitatem, eximiam continentiam, reverentiam, quam erga Saram exhibuit, et quomodo concordiam bonis omnibus præferendam duxerit. Vidimus Dei ineffabilem benignitatem, quomodo et in honorem

[1] Gen. xvii, 1.

Justi non solum reduxit Agar, quæ in solitudine errabat, et ob timorem dominæ aufugerat, sed et ei Ismaëlem prolem dedit; inde Justo magnum solatium excogitans, tantæque patientiæ mercedes ei retribuens. Et postquam natus est Ismaël, volens nos docere Scriptura tempus Patriarchæ, etiam numerum annorum nobis designavit, dicens : » Quando natus est Ismaël, annorum octoginta sex erat » Abram [1]. » Videamus autem et hoc loco, id quod et ex sequentibus discemus, insignem patientiam Justi, et ineffabilem atque eximiam benignitatem Domini. Sciemus autem utraque evidenter, si iterum tempora vitæ Justi addiscere poterimus, et quomodo bonus Deus quæ ad se attinent omni tempore dispenset, probans suum famulum, et piam ejus mentem detegens. Ipse enim clare præsciebat famuli sui gratum animum, animæ ejus pulchritudinem, margaritamque hanc evidenter agnoscebat; sed quia voluit omnibus tunc præsentibus eum notum facere, ut et posterioribus sæculis ipsa Justi virtus ad imitationem ac zelum, eos qui æmulari vellent, provocaret: idcirco paulatim mentem Justi tam opulentam nobis detegit, ut discamus et nos divinis promissionibus non diffidere, neque dilationem gravatim ferre, sed majorem spem in invisibilibus, quam in visibilibus ponere, quæ Dominus omnium promiserit, et sciamus non esse possibile ut unquam excidant promissa Dei; sed etsi longo post tempore eveniant aliqua divinis promissis diversa, ne propterea mens turbetur, sed cognoscamus ejus, qui promisit, sapientiam et invictam virtutem, et eum, quandocumque voluerit, opere quæ sibi placita sunt complere posse, omniaque ei cessura et obtemperatura esse. Nam quia dominus est naturæ et opifex, potest etiam dare ea, quæ supra naturam sunt. Ne igitur ad propriam imbecillitatem respicientes, curiosius quæ a

[1] Gen. xvi, 16.

Deo fiunt inquiramus, neque ad naturæ ordinem intendentes, mentem dividamus; sed sicut grati famuli, immensam Domini nostri potentiam non ignorantes, credamus ejus promissionibus; ut humanis viribus superiores facti, promissa assequamur omnino, et ejus fruamur benevolentia, ac pro nostro virili Deum quoque timeamus. Maximus enim hic est noster honos, quem offerre possumus, ut virtuti ipsius fidamus, etiamsi carneis oculis quæ sunt contraria videamus. Et quid admiraris, si apud Deum honor sit maximus non dubitare? etiam apud homines, cum quid ex his fluxis et corruptioni obnoxiis rebus nobis promittitur, si nos de promissis non dubitemus, sed promittenti fidem habeamus; id maximo honori ducitur, quod nempe non dubitemus, sed promissis fidamus. Quod si hoc in hominibus, qui tam crebro vel mutantur, vel ob infirmitatem præstare nihil valent, quanto magis omnipotentis Dei promissis credere debemus, etiamsi interim multum temporis interfluat? Hæc autem a me nunc non absque causa dicta sunt, sed ut scire possimus, cum venerimus ad principium eorum, quæ hodie nobis sunt proposita, quomodo benignus Deus volens, apud omnes nobilem reddere Patriarcham, tot annis procrastinavit; et interim Justus non ægre ferebat, non ob diuturnitatem torpescebat, nec desperabat, sed bona spe vegetatus, religiosum animum in omnibus præ se ferebat. Sciemus autem liquido omnem Patriarchæ virtutem, si didicerimus quantum interea tempus elapsum fuerit. Omnia enim beatus Moses, Spiritu sancto afflatus, clare docebit. Quid igitur ille dicit? Quando obedivit mandato Dei, et migrans a Charran, in Chananæam contendit, annorum erat septuaginta quinque. Et statim ut venit in Chananæam, Dominus promisit ei et semini ejus daturum se omnem terram, et tanto numero multiplicaturum, ut innumerabile fiat sicut arena et stellæ.

Et post promissionem hanc multa interim acciderunt Justo, nempe descensus in Ægyptum propter famem, raptus Saræ, et statim divina providentia. Iterum post reditum ab Ægypto, alia occasione Saræ molestiæ a rege Gerarorum, et statim a Deo subsidium. Atque hæc sibi accidentia omnia videns Justus post promissionem illam, non turbabatur animo, neque curiosius disquirebat quare, accepta promissione tali, in tantas talesque tentationes quotidie incideret, et tanto tempore maneret absque prole. Noluit enim, utpote pius, humanis rationibus ea, quæ a Deo fiebant, subjicere, et boni consulebat, grateque suscipiebat quæcumque Deo fuerant visa.

II. Et post decimum annum suscepit Ismaëlem ex ancilla, posteaque in illo putavit promissionem adimplendam. Erat enim Patriarcha, quando natus est ei Ismaël, annorum octoginta sex; sed iterum tredecim annis exercetur a benigno Deo ejus patientia, donec ipsius promissio impleatur. Nam quia probe noverat, quemadmodum aurum in fornace temporis diuturnitate, ita Justum purgari, ejusque virtutem clariorem et illustriorem fieri; « Quando fac»tus est Abram annorum nonaginta novem, inquit, ap»paruit ei Deus iterum[1]. » Et quarenam tanto tempore distulit? ut non solum Justi patientiam et virtutem discamus, sed et immensam ipsius potentiam videamus. Cum enim nihil spei et expectationis esset in natura, quæ ad procreandam prolem inutilis erat, et membra præ senectute languida et frigida essent, tunc tandem Justi virtutem detexit, et suam potentiam indicavit, promissionem implendo. Sed operæ-pretium est ut iterum audiamus ea ipsa, quæ cum illo Deus locutus est, verba. « Cum factus »enim esset, inquit, nonaginta novem annorum, apparuit »ei Deus, et dixit ei. » Cum autem audieris, « Apparuit, »

[1] Gen. XVII, 1.

nihil humile suspiceris, neque putes oculis carnalibus videri divinam illam et incorruptibilem potentiam, sed pie omnia intellige. Apparuit igitur ei Deus : hoc est, visitatione sua illum dignatus est, et dignum duxit eum cujus curam ageret, usus magna sermonis attemperatione. « Dicit enim, inquit, ad eum : Ego sum Deus tuus, place coram me, et esto irreprehensibilis, et ponam testamentum meum inter me, et inter te, et multiplicabo te valde. Et procidit Abram super faciem suam [1]. » Magna Justi probitas, excellens item clementissimi Dei in illum benignitas. « Ego sum, inquit, Deus tuus : » quasi diceret : « Ego sum, qui usque in præsens res tuas variis modis dispenso. Ego sum, qui te e domo tua evocavi, et huc duxi, qui omni tempore propugnator tuus sum, et qui te de inimicis victorem effeci. Ego sum : et non dixit simpliciter : Ego sum Deus, sed : « Ego sum Deus tuus. » Vide miram bonitatem, quomodo hoc etiam additamento amorem suum erga Justum declaravit. Nam qui totius mundi est Deus, et universi opifex, creator cœli et terræ, dicit : « Ego sum » Deus tuus. » Ingens profecto honor, qui Justo tribuitur. Sic et Prophetis loqui mos est. Nam sicut ipse nunc, cum sit dominus communis omnium, a servo ut peculiaris vocari voluit, inveniemus etiam eum post hæc dicentem : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob [2]; » ita et Prophetæ dicere consueverunt : « Deus, Deus meus : » non concludentes ejus dominium, sed amorem immensum declarantes. Non igitur mirum si homines hoc faciant, sed quod ipse erga homines id faciat, id vero novum est et mirabile. Cæterum ne miremur, dilecti, sed audiamus Prophetam dicentem : « Melior est unus faciens voluntatem » Domini, quam innumeri peccatores [3]. » Et iterum audiamus Paulum dicentem : « Obambulaverunt in melotis, in

[1] Gen. xvii, 1-3. — [2] Exod. iii, 6. — [3] Eccli. xvi, 3.

» pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus » dignus non erat mundus[1]. » Sic Propheta quidem pronuntiat unum, qui facit voluntatem Domini, impiis innumeris meliorem. Beatus vero Paulus, doctor orbis, memorans bonos omnes in afflictionibus hic agentes, inquit : « Quibus dignus non erat mundus. » Ita cum dixisset totum mundum, mundo opposuit eos, qui hic vexantur et affliguntur, ut discas quanta sit virtutis magnitudo. Atque ea de causa Dominus Deus inquit ad Patriarcham : « Ego » sum Deus tuus, place coram me, et esto irreprehensi- » bilis. » Neque enim contemnam tuæ virtutis sudores, sed « Ponam testamentum meum inter me et inter te, et multi- » plicabo te valde. » Non tantum faciam te in multitudinem magnam crescere, sed « valde, » declarans incrementum plurimum. Quod supra memorabat, cum diceret sicut arenam et stellas, id hic per adverbium, « valde, » significavit. At gratus et religiosus famulus, videns tantam Dei indulgentiam, et erga famulum suum curam obstupescens, animoque versans et naturam suam, et bonitatem immensamque virtutem Dei, « Cecidit, inquit, in faciem suam : ». gratum animum hoc modo declarans. Non solum enim non tunc fuit arrogantior, neque superbiebat propter favorem Dei quem experiebatur, sed et multo magis humiliabatur. « Et cecidit, inquit, in faciem. » Ita enim gratus animus, quanto majori fruitur fiducia, tanto majorem Deo reverentiam exhibet. « Cecidit enim, inquit, in faciem suam. » Et quia post tantam fiduciam Justus seipsum et naturæ suæ imbecillitatem considerans, neque oculos attollere audebat, sed in faciem pronus multam declarabat reverentiam : vide iterum boni Dei ineffabilem benignitatem. « Lo- » cutus est enim, inquit, ei Deus dicens : Ecce ego et » testamentum meum tecum, et eris pater multitudinis

[1] Hebr. xi, 37, 38.

»gentium, et non vocabitur ultra nomen tuum Abram, »sed erit nomen tuum Abraham : quia patrem multarum »gentium constitui te, faciamque te crescere valde : et »ponam te in gentem, et reges ex te egredientur [1]. »

III. Considera, dilecte, quomodo omnia Justo manifeste prædicat, et ut majoribus cum argumentis certum reddat, etiam litteram addit nomini ejus, et inquit : « Eris »pater multitudinis gentium. Non vocabitur enim nomen »tuum Abram, sed Abraham, quia patrem multarum »gentium constitui te. » Nam sicut prius nomen ejus transitum indicabat : Abram enim transitorem sonat, secundum Hebræorum linguam, et hoc sciunt qui linguæ illius sunt periti. Itaque parentes ejus nomen hoc indiderant, eo quod a patria sua in Chananæam transiturus erat. Jam fortasse dixerit quispiam : « Cum parentes ejus infideles fuerint, unde illis præscientia hæc, ut quod multo tempore postea futurum erat, nomine complecterentur ?» Sed est etiam hoc omnipotentis sapientiæ Dei argumentum, quæ sæpenumero per infideles ejusmodi res dispensat, et multa similia invenimus etiam in aliis facta. Statim enim occurrit nobis et Noë vocabulum : neque enim absque causa et in vanum etiam huic nomen indiderunt parentes, sed præsignarunt subsecuturum diluvium. Enimvero et patrem hujus non ideo nomen puero indidisse, quod ipse Justus esset, audi Scripturam dicentem : « Noë solum in»ventum esse Justum perfectum in generatione sua [2]. » Non autem obticuisset Scriptura, neque dixisset : « Noë solus »Justus erat, » si et Lamech pater ejus virtutem Justi fuisset imitatus. Impositurus itaque puero nomen, inquit : « Et »vocabitur nomen ejus Noë; hic faciet nos quiescere ab »operibus nostris, et a molestiis manuum nostrarum, et »a terra, quam maledixit Dominus Deus [3]. » Unde illi, quæso,

[1] Gen. xvii, 4-6. — [2] Id. vi, 9. — [3] Id. v, 29.

esset præscientia eorum, quæ post tot sæcula erant eventura; dicit enim: « Vocabitur, inquit, Noë; hic enim nos » quiescere faciet. » Nomen autem Noë lingua Hebræorum quies dicitur. Itaque quia, ingruente diluvio, hic solus mundum servaturus, et posterioris generationis futurus auctor erat, idcirco inquit: « Hic faciet nos requiescere: » requiem diluvium vocans. Nam omnem terram quasi fatigatam et inhabitantium malitia valde deteriorem factam, superveniens diluvii aquarum inundantia, quæ finem malitiæ malorum istorum hominum faciebat, et terram repurgavit, quam inhabitantium malitia immundam fecerat: et illos puniendo in quietem induxit. « Mors enim, ut inquit » ille, requies viro [1]. » Vidisti quomodo et jam per incredulos multa sæpe præsignificari curat? Eodem modo et Patriarchæ nomen parentes indiderant, statim ab initio declarantes ipsum peregrinum fore, et transiturum flumen, ut in terram alienam veniret. Quoniam igitur, inquit, nomen, a parentibus tibi inditum, illud præsignificavit te inde huc transiturum esse, accipe et unius elementi additionem, ut scias hoc tibi declarari te multarum gentium fore patrem. Et vide quam accurate sit locutus. Non dixit omnium gentium, sed multarum gentium: nam quia erant et aliæ gentes inde expellendæ, ut semen Justi hæreditatem acciperet, ideo dicit: « Patrem multarum gen- » tium constitui te. » Sciens, inquit, tuæ virtutis magnitudinem, multarum gentium doctorem te faciam, « Et crescere » te faciam ac multiplicari valde, valde: et ponam te in » gentes, et reges ex te egredientur. » Ne perfunctorie transeamus quæ dicuntur, dilectissimi: nam si cogitaverimus Patriarchæ ætatem, et eum hæc in extrema senecta audisse, obstupescemus Justi virtutem, et benigni Dei eximiam potentiam: quia ex homine propemodum mortuo,

[1] Job. III, 23 apud LXX.

et membris invalido, qui et quotidie mortem præ oculis imaginabatur, in tantum auctum iri significavit semen, ut et in multas gentes exiret; neque id solum, sed etiam reges ex eo egrederentur. Vidisti promissionis incrementum: « Faciam te crescere, inquit, valde, valde. » Duplicationem hujus adverbii non frustra adjecit, sed ut significet ex Justo miram multitudinem exeundam. Quoniam igitur per elementi additionem, quasi in columna quadam indelebilem promissionem ei inscripsit, iterum dicit : « Et sta»tuam testamentum meum inter te, et inter semen tuum » post te in generationes eorum, in testamentum sempiter»num, ut sim Deus tuus[1]. » Non solum erga te magnam declarabo providentiam et curam, sed et erga semen tuum, et post tuam mortem. Vide quomodo recreet animam Justi, promittens ei se seminis quoque ejus multam curam habiturum. Et quæ virtus testamenti? « Ut sim Deus tuus, in»quit, et seminis tui post te[2]. » Hoc enim erit tibi et semini tuo caput bonorum. « Et dabo tibi et semini tuo post »te terram in qua peregrinus es, omnem terram Chanaan »in possessionem sempiternam, et ero eorum Deus[3]. » Propter tuam, inquit, virtutem posteri quoque tui mea fruentur providentia : « Et dabo eis in possessionem æter»nam terram Chanaan, et ero eorum Deus. » Quid est, « Et ero eorum Deus? » Hoc est, multam me eorum curam et providentiam habere ostendam, et meum in omnibus subsidium illis præstabo. Tantum tu testamentum meum observa, et semen tuum post te in generationibus eorum. Nihil aliud a vobis requiro, quam obedientiam gratumve animum, et ego omnia quæcumque pollicitus sum, opere complebo.

IV. Insuper volens eos, qui ex ipso nascituri erant, peculiarem suum facere populum : ut postea, cum multitudo

[1] Gen. XVII, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 8.

propagaretur, non se gentibus illis, quarum hæreditatem occupatura erat, commisceret : insuperque, quia secundum prædictionem suam in Ægypto servituri erant ; ut ne gentibus commiscerentur in Ægypto, circumcisionem, signi gratia, Justo præcipit, et inquit : « Hoc est testa» mentum quod servabis inter me et vos, et inter semen » tuum post te in generationibus illorum. Circumcidetur in » vobis omne masculinum. Circumcidetis carnem præputii » vestri [1]. » Deinde ut doceat et illos et omnes nos, quare hoc præceperit, et se non alterius cujuspiam gratia id facere, quam ut esset assignatus et sibi segregatus populus, inquit : « Et erit in signum testamenti inter me et » vos [2]. » Et postea etiam de tempore imperat, quo conveniat hoc fieri. « Puellus enim, inquit, octo dierum cir» cumcidetur vobis, et vernaculus, et emptitius : et omnes » in summa, ut ita dicam, qui apud vos sunt, hoc signum » suscipient. Et quisquis non circumcidetur in die consti» tuto, perdetur : quia testamentum meum dissipavit [3], » quia transgressus est, inquit, præceptum. Vide sapientiam Domini, quomodo cum sciret imperfectas et pravas eorum mentes futuras, signum circumcisionis quasi frenum quoddam imposuit, ad indomitos eorum impetus cohibendos, ut ne gentibus commiscerentur. Nam quia sciebat eorum lasciviam, et eos licet infinities monitos, ut ab illicito impetu abstinerent, obedituros non esse; ideo dato eis perpetuo memoriali, injecit eis circumcisionis signum, quasi vinculum quoddam; deditque eis leges et regulas, ultra quas transire eis non liceret, ut sua gente contenti essent, et nullo modo cum gentibus se commiscerent, sed Patriarchæ semen impermixtum maneret, ut sic et promissa in eis compleri possent. Et quemadmodum vir aliquis temperans et lenis, ancillam habens petulantem,

[1] Gen. XVII, 10-11. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 12-14.

terminos et regulas illi dat, ne unquam extra vestibula prodeat, neque cum prætereuntibus conveniat, imo nonnunquam pedibus compedes addit, ut sic illius intemperantiam coërcere valeat : ita et benignus Dominus circumcisionis signum carni eorum indidit, quasi pedibus vinculum quoddam, ut domesticum habentes signum, non ultra doctrina aliorum opus haberent. Atqui ingrati insensatique Judæi etiam nunc, cum tempus non est, circumcisionem servare volunt, puerilemque declarant mentem. Cujus enim rei gratia, dic mihi, nunc circumcidi volunt? Nam tunc quidem, ut ne impiis illis gentibus se commiscerent, hoc in mandatis acceperant : nunc autem per Dei gratiam omnibus ad lucem veritatis adductis, quæ circumcisionis utilitas? Numquid ad animæ libertatem aliquid confert carnis depositio? Non audierunt manifeste Deum dicentem : « Et erit in signum testamenti, » quasi demonstrantem ipsos ob multam socordiam tali signo indiguisse? Ita enim et in humanis rebus nonnunquam fieri solet. Quando non habemus aliquibus fidem, curamus ut ab ipsis signum pignoris loco recipiamus : similiter et omnium Dominus, sciens ipsorum animi inconstantiam, hoc ab eis signum petere voluit : non ut semper maneat signum hoc, sed ut postquam antiqua illa finem acceperint, et signi usus auferatur. Nam sicut qui signum expetunt, et pignus accipere volunt, cum negotium perfectum fuerit, tunc et signum tollunt; ita etiam hic cum, ut populus ille ortus a Patriarcha conspicuus fieret, signum hoc apud vos introductum sit, oportebat, postquam gentes illæ, propter quas signum accepistis, partim deletæ sunt, partim post illos ad veritatis lucem accesserunt, non jam amplius propriæ improbitatis indicium circumferre, sed liberos esse, et ad pristinam nobilitatem redire. Cogita enim eximium illum Patriarcham, priusquam acciperet circumcisionis

mandatum ; (nonaginta enim et novem annorum erat quando hoc ei præceptum est ;) acceptum fuisse Deo, et sexcenties a Domino celebratum. Et quia propediem promissiones erant implendæ, nasciturusque Isaac, ut augendum genus, et Patriarchæ emigrandum erat ex hac vita, tunc demum accipit mandatum circumcisionis, et in tali ætate circumciditur, ut posteris omnibus lex quædam et regula fierent ea, quæ Patriarcha prior fecerat.

V. Et ut evidenter discatis, dilecti, hoc nihil ad animæ virtutem conducere, ex iis quæ facta sunt videri potest. Cur enim ait : « Octo dierum infans circumcidetur? » Tempus definitum esse a benigno Deo duabus de causis opinor ; una, ut in ætate immatura facilius circumcisionis in carne molestiam ferre posset ; alia, ut rebus ipsis disceremus id animæ nihil conducere, sed hoc fieri signi gratia. Puer enim immaturus, cum ea quæ fiunt ignorat, neque sensum eorum habet, quam inde in anima sua utilitatem accipere poterit ? Illa enim sunt vere bona opera animæ, quæ ex electione fiunt. Animæ enim bonum opus est virtutem eligere, et malitiam fugere. Animæ bonum opus est, non modo non plura quam oportet concupiscere, sed etiam facultates tribuere indigentibus. Animæ bonum opus est, non addictum esse rebus præsentibus, sed eas quidem despicere, futuras autem continuo in animo habere. In carne vero signum accipere, quale bonum opus fuerit ? Verum ingrati illi et insensati Judæi, quamvis jam illuxerit veritas, adhuc in umbra sedent ; et quamvis Sol justitiæ affulserit, qui lucis suæ radios undique emisit, adhuc lucernariæ luci sunt addicti ; et quamvis sit tempus ut solido pascantur cibo, ipsi adhuc lacte nutriuntur ; neque beatum Paulum audire volunt clamantem et dicentem de Patriarcha : « Et signum accepit circumci- » sionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præpu-

» tio[1]. » Vide quomodo utraque nos docuit, et ipsum accepisse signi loco circumcisionem, et cum præputiatus erat, justitiam, quæ est ex fide, ostendisse. Nam ne impudenter Judæus dicat : « Nonne circumcisio ei justitiam conciliavit ? » Idcirco Beatus ille « Ad pedes Gamalielis eruditus, et in » lege apprime institutus[2] » inquit : « Ne putetis, impudentes Judæi, circumcisionem ipsi aliquid ad justitiam contulisse » : nam cum illo tempore præputii fidem præ se ferret, audivit : « Credidit autem Abraham Deo, et reputa- » tum est ei in justitiam[3]. » Cum igitur esset jam Justus ob suam in Deum fidem, tunc in signum circumcisionem accepit. Et primum quidem nomini ejus littera additur, deinde autem circumcisio imperatur : quo ostendit Deus se ob multam virtutem Justum peculiariter adoptasse, et propter illum etiam eos, qui ex eo nasciturierant. Et quemadmodum cum quis servum comparaverit, nomen ejus et habitum sæpe immutat, omniaque facit ut sciatur ipsius esse, ac sub cujus sit dominatu præ se ferat ; ita nimirum et omnium Dominus, quasi posthac separare eos volens ab aliis hominibus, adjecta quidem littera declaravit illum multorum populorum fore patrem : circumcisione autem ejus populum distinctum fore, et semen ex eo nasciturum ab aliis gentibus sequestratum. Quod si et illi ob cæcitatem suam adhuc servare volunt carnis circumcisionem, non audientes iterum Paulum dicentem : « Si cir- » cumcidimini, Christus nihil vobis proderit [4]. » Nam propter hæc advenit Dominus, ut omnia illa tolleret, atque ideo totam legem implevit, ut legis observatio finem haberet. Idcirco dicebat beatus Paulus : « Quicumque in lege » justificamini, a gratia excidistis [5]. » Verum nos pareamus Beato huic, et non manufactam circumcisionem suscipia-

[1] Rom. IV, 11. — [2] Act. XXII, 3. — [3] Rom. IV, 3. — [4] Galat. V, 21. — [5] Ibid. 4.

mus. Dicit enim : « In quo circumcisi estis circumcisione » non manufacta, in despoliatione peccatorum carnis, in » circumcisione Christi [1]. » Deinde docens nos diligentius quid sit ejusmodi circumcisio, subdit : « Consepulti ei in » baptismo [2]. » Sicut enim illos circumcisionis signum ab aliis gentibus segregabat, et demonstrabat eos peculiariter ad Deum pertinere : simili modo etiam apud nos circumcisio per baptismum evidentiorem facit separationem et discretionem fidelium et infidelium. Dicit enim : « In quo circum- » cisi estis circumcisione non manufacta, in despoliatione peccatorum carnis. » Nam id quod illic operatur circumcisio in depositionem carnis, hoc hic agit baptismus in depositionem peccatorum. Igitur qui semel carnis peccata exuimus, et puram induti sumus vestem, maneamus, dilecti, in puritate, et affectionibus carnis superiores facti, virtutem amplexemur. Et qui sub gratia sumus, eum qui in lege, imo ante legem fuit, æmulemur, ut cum vestigia ejus sequendo vitam nostram rexerimus, mereamur in illius sinus occurrere, et sempiternis frui bonis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, et Spiritui sancto sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Coloss. II, 11. — [2] Ibid. 12.

HOMILIA XL.

Et dixit Deus Abrahæ : Sara uxor tua non vocabitur Sara, sed Sarra erit nomen ejus[1].

Age reliquias hesternæ mensæ vobis proponamus, et finem hodie imponamus sermoni, imo benedictioni et promissioni, quam fecit universorum Dominus Patriarchæ. Verum audiens reliquias mensæ, ne quid sensibile suspiceris. Neque enim quales sunt eduliorum sensibilium, tales spiritualium reliquiæ. Illæ enim cum frigidæ factæ fuerint, haud parem voluptatem convivatoribus præstant : nam si ad unum aut alterum diem fuerint reservatæ, inutiles omnino fiunt ; istæ vero non solum si in unum et alterum diem, sed et quantovis tempore relictæ fuerint, parem exhibent utilitatem, eamdemque afferunt voluptatem : divinæ enim sunt et spirituales, neque ullum eis a tempore nocumentum imminet ; sed quotidie novum vigorem afferunt, et eos, qui illis frui volunt, multa implent lætitia. Proinde quia talis harum reliquiarum vis est, age alacriter et vos magnam inde voluptatem auferte, nosque fidentes earum efficaciæ, proponamus eas vestræ charitati. Verum ut vobis sermo ille manifestior videatur, operæ-pretium fuerit meminisse finis heri dictorum, ut sic ordinem ac seriem assecuti, doctrinam attingamus. Heri præceptum circumcisionis adduximus in medium, et dictum illud Dei ad Patriarcham : « Circumcidetur omne masculinum ves» trum, et erit in signum testamenti inter me et vos. Et

[1] Gen. xvii, 15.

» puer octo dierum circumcidetur. Et qui non circumcisus » fuerit, peribit anima illa : quia testamentum meum dissi- » pavit. » Ibi sermonem finivimus in circumcisionis argumento, et ne multitudine dictorum vestram obrueremus mentem, noluimus ultra progredi. Neque enim hoc solum curamus, ut multa dicamus, et postea abscedamus, sed nostri sermonis doctrinam vestris viribus cupimus esse adæquatam, ut fructu quopiam ex dictis percepto domum redeatis omnes. Age igitur ad ea, quæ dicta sunt, adjungamus et reliqua, ut videamus post circumcisionis præceptum, quid benignus Deus Patriarchæ loquatur et proponat. « Et dixit, inquit, Deus Abrahæ : Sara uxor tua non ultra » vocabitur nomine suo Sara, sed Sarra erit nomen ejus[1]. Quemadmodum, inquit, elemento tibi addito significavi te patrem futurum multarum gentium ; ita et Saræ similiter appono litteram, ut discas nunc tempus adesse ut olim a me promissa impleantur. « Erit, inquit, nomen ejus Sarra. » Benedicam autem eam, et dabo tibi ex ea filium, et be- » nedicam illum, et erit in gentem, et reges gentium ex eo » exibunt[2]. » Idcirco prius litteram adjeci, ut scias omnino futura esse quæ a me dicta sunt. Ne igitur ad infirmitatem naturæ spectans, animum desponde, sed potius ad virtutis meæ magnitudinem respiciens, fidem habe iis, quæ a me dicta sunt. « Benedicam enim eam, et dabo tibi ex ea fi- » lium, et benedicam illum, et erit in gentes, et reges exi- » bunt ex eo. » Excedebant humanam naturam promissa ; et perinde fuit ac si aliquis polliceretur ex lapidibus homines se facturum. Nihil enim a lapidibus differebant, quantum ad generationem attinet ; et Patriarcha præ senectute prope impotens erat, et ad filiorum procreationem omnino inutilis ; et Sarra, ad hoc quod natura sterilis erat, laborabat et ætatis et senectutis vitio. Cæterum Justus hæc au-

[1] Gen. xvii, 15. — [2] Ibid. 16.

diens, putansque olim Dei promissionem impletam in Ismaële; quia enim dixit : « Tibi et semini tuo dabo terram » hanc ; » nec distinxit se de filio ex Sarra nascituro loqui ; ille cogitabat secum jam promissiones impletas esse; nunc autem audiens Dominum Deum dicentem : « Benedicam » Sarram, et dabo tibi ex ea filium, et benedicam illum, et » erit in gentes ; » et iterum : « Ex illo reges gentium egre- » dientur ; » cum nesciret quid diceret; neque enim Dei verbis credere non poterat vir tam religiosus ; ad suam respiciens ætatem, et Sarræ sterilitatem, quæ ad illam usque ætatem perduraverat, consilii inops et obstupescens ob promissionem Dei, « Cecidit, inquit, in faciem, et risit [1]. »

II. Videns miram promissionem, et potentiam ejus qui promiserat cogitans, « Cecidit in faciem, et risit, » hoc est, voluptate perfusus est. Et in animo cogitabat quomodo secundum humanam consuetudinem hoc fieri posset, num centenario nasceretur filius, ac num sterilis et nonagenaria repente posset idonea fieri ad partum ; atque cum hæc animo cogitasset, non audebat tale quiddam lingua effari ; sed gratum exhibens animum oravit pro Ismaële, quasi diceret : « Domine, satis me consolatus es, et dolorem, quem ex prolis inopia gerebam, dato Ismaële in lætitiam vertisti. Nato enim illo, neque in mentem postea accepi, vel cogitavi aliquando e Sarra nasciturum mihi filium, sed neque ipsa hoc expectavit ; ideoque Agar mihi tradidit, omnem sibi spem denegans. Magnam consolationem ambo accepimus nato filio Ismaële. Hic igitur, qui a te datus est, « Vivat » coram te [2], » et abunde satis recreati erimus, et senectutem nostram illius vita solabitur. » Quid igitur ad hæc benignus Dominus ? Quia piam Justi mentem tanto tempore satis probaverat, et Sarræ fidem ; quia viderat utrumque nihil sibi de suis promittentem viribus, Abraham quidem

[1] Gen, xvii, 17. — [2] Ibid. 18.

propter senectutem, Sarram autem propter sterilitatem atque ætatem, dicit : «Nunc quia omnino vobis hoc esse videtur impossibile ; idcirco enim et ego tandiu distuli, ut ostendam longe ultra naturam esse donum quod concedo, quo et vos aliique omnes his factis discant me et naturæ Dominum esse, et ad quodcumque libuerit ea uti, ipsamque obsequi, et cedere præceptis meis. Qui enim eam ex nihilo produxi, multo magis cum jam sit, et claudicet, erigere possum. Ut igitur melius confidere possis, audi et expergiscere, repulsisque cogitationibus mentis tuæ, accipito ex iis, quæ tibi dicuntur, certum argumentum. Ecce enim Sarra uxor tua, quam putas, tum propter sterilitatem, tum propter senium, parere non posse, ipsa pariet tibi filium ; et ut nihil hæsites, ecce tibi et nomen ejus, qui nascetur, prædemonstrabo. Eum enim qui nascetur vocabis Isaac. « Et ponam testamentum sempiternum, et semini » ejus post eum[1]. » Hic etenim est, quem primum et ab initio tibi promisi, ac in hoc promissiones meæ implebuntur. Proinde et omnia tibi prædico non solum quod nasciturus sit, sed et quomodo eum vocare debeas, atque me ei constituturum testamentum meum ; neque hoc solum, sed « Et » semini ejus post eum. » Deinde liberalis Dominus, qui semper accumulare solet beneficia, et longe nostras excedere petitiones ; quoniam mentem Justi crexerat, et per ea quæ promisit, fere juvenem ex sene fecerat, eumque qui mortuus erat, ut ita dicam, verbis fœcundarat, beneficiis eum largissimis prosequens, inquit : « Et hæc quidem, quæ scilicet promisi, opere complebo ; et etiam quod de Ismaële rogasti, concedam tibi. Audivi enim orationem tuam. « Et » benedixi eum, et augebo eum, et multiplicabo eum valde, » valde. Duodecim gentes generabit, et dabo eum in gentem » magnam[2]. » Quandoquidem enim, inquit, semen tuum

[1] Gen. XVII, 19. — [2] Ibid. 20.

est, sic augebo eum, et multiplicabo valde, ut duodecim gentes ex eo procedant. « Cæterum testamentum meum » statuam cum Isaac, quem tibi Sarra pariet tempore hoc, » anno sequente[1]. » Vide, obsecro, hic, dilecte, quomodo Justus in uno temporis momento mercedes omnis temporis accepit, et impletum est illud quod Christus Discipulis suis dixit : « Quisquis reliquerit vel patrem, vel matrem, vel » domum, vel fratres propter nomen meum, et hic centu- » plum accipiet, et vitam æternam possidebit[2]. » Considera enim mihi Justum illum, quia prompte præcepto Domini obedivit, et relicta domo paterna, prætulit alienam natali ; quomodo paulatim multam præ se ferens patientiam, in fastigium virtutis progressus, ita illustris et spectabilis factus est, ut ex eo nati multitudine astris cœli adæquentur. Fortasse si quis probe velit intelligere, non solum centuplum accepit hic Justus ille, sed sexcenta millia. Quod si hic tanta consecutus est, quis sermo narrare posset, quibus posthæc fruiturus ille sit ? Imo etiam hoc, quantum nobis possibile, sermo ostendere poterit. Quando enim audis omnes Justos ab illo ad hoc usque tempus, et usque ad consummationem temporum, id maxime in votis habere, ut ad sinum Patriarchæ perveniant, quem alium hoc majorem honorem exhibere poteris ? Vidisti quanta res sit patientia, quanta virtus, quantum scit esse religiosum, et gratum præ se ferre animum erga beneficia Domini ? Quia enim, quando oportebat, sua attulit, cum gratiarum actione omnia ferens tam jucunda quam injucunda, propterea misericors Deus ultimo caput bonorum omnium, et id, quod Justus maxime concupiscebat, largitus est. Considera enim quomodo viginti quatuor annos probaverit Justi virtutem. Quando enim exivit a Charran, et obedivit præcepto Domini, septuaginta quinque annorum erat, inquit ;

[1] Gen. xvii, 21. — [2] Matth. xix, 29, et Marc. x, 29, 30.

nunc autem postquam hæc audivit, nonaginta et novem annos excesserat.

III. Hæc audientes, dilecti, discamus multam exhibere patientiam, et nunquam in laboribus virtutum vel desperare, vel torpescere : sed sciamus Dominum nostrum benignum esse et munificum, ac pro parvis laboribus magna nobis reddere præmia, non solum in futurum immortalia bona reponendo, sed et in præsenti vita nostræ naturæ infirmitatem multis largitionibus consolando. Quandoquidem Patriarcha iste non mediocriter, interjecto illo tempore, adversis rebus exercitatus est, quamvis semper adversa temperarentur prosperis. Universorum enim Deus nostræ infirmitatis curam agens, non semper in adversis nos manere sinit, ut non opprimatur nostra infirmitas : sed celeriter et ipse opitulatur, firmans nostram alacritatem, et mentem excitans. Neque semper in prosperitate nos esse sinit, ut ne fiamus negligentiores, et in vitiorum partes transfugiamus. Humana enim natura, quando multum prospere ei succedit, suæ obliviscitur nobilitatis, neque intra suos limites subsistit : idcirco quasi amantissimus pater aliquando nobis indulget, aliquando castigat, ut variis viis nostræ animæ salutem curet. Quoniam et medicus, quando infirmum curat, neque semper inopia cibi torquet, neque semper larga mensa frui sinit, ne voracitas febrim pariens augeat morbum, cibi vero inopia infirmiorem eum efficiat : sed conjectans apud se quantæ sint ægrotantis vires, et diligenter utens arte, omnia sua in medium affert. Similiter et benignus Deus sciens quid cuivis expediat, aliquando concedit nobis prosperitate frui, aliquando autem exercitationis gratia tentationibus nos circumdat. Nam si virtute prædili sunt qui tentationes experiuntur, clariores evadunt, abundantiorem sibi supernam gratiam conciliantes : si autem ut nos peccatores sint, et

cum gratiarum actione tentationes ferant, gravem deponent peccatorum sarcinam, multaque venia et ipsi potientur. Ideo obsecro, cum sciamus potentiam et sapientiam Medici animarum nostrarum, nunquam curiose ejus dispensationes inquiramus. Cum enim eas mens nostra comprehendere nequeat, hinc magis obstupescamus, et glorificemus Deum pro omnibus, quod talem habeamus Dominum, cujus dispensationes neque mens nostra, neque humanæ naturæ ratio capere potest. Neque enim tam bene scimus quid nobis expediat, quam ipse scit; neque sic nostra nos curamus, ut ipse salutem nostram; et omnia facit et molitur, ut ad virtutem nos inducat, et a diaboli manibus eripiat. Et cum videt nihil prodesse nobis prosperitates, tunc sicut bonus medicus, qui animadvertit obesiores fieri eos, quorum curam gerit propter crapulam, ad sanitatem per sobrietatem reducit. Ita et eximius animarum nostrarum Medicus permittit paulisper nos tentari, ut sentiamus quantum damni ex prosperitate acceperimus; et quando videt restitutam sanitatem, tunc celeri nobis subsidio concedit ut a tentationibus liberemur, et suæ providentiæ curam ubertim declarat. Itaque etsi aliqui virtute præditi in tentationes incidant, ne turbentur, sed hinc meliorem spem concipiant, quia tentationum incursus, coronarum et præmiorum eis sunt materia. Quod si, in peccatis cum sint, in adversa incidant, ne propterea gravatim ferant, scientes omni tempore peccata adversis purgari, modo cum gratiarum actione suscipiamus ea quæ eveniunt. Grati enim famuli est, non solum gratias agere domino, quando ubertim pro sententia omnia succedunt; sed et si in adversis eamdem grati animi significationem det. Sic enim Patriarcha ille celebris et illustris fuit, et tantam apud Deum obtinuit fiduciam, ac dona accepit quæ supra humanam sunt naturam.

IV. Sed operæ-pretium est ut ad institutum sermonem redeamus, et videamus Justi obedientiam, et quomodo fecerit quod a Deo imperatum est, non quærens causam, neque rationem exigens, sicut multi insipientes faciunt, de iis, quæ Deus operatur, curiose quærentes, et dicentes : « Quare hoc, et quare illud ? et quæ hinc, vel quæ illinc utilitas enascitur ? » At non ad eum modum fecit Justus ille : sed sicut famulus diligens dominum, quæcumque præcepisset implere studuit, nihil ulterius percontans : et ut discas, audi quæ sequuntur. Postquam enim Dominus promissionem ei fecit, et complevit sermonem suum, statim Justus quæ imperata fuerunt perfecit, et signum hoc quod a Deo erat datum, indidit Ismaëli, circumcisionem dico, et omnibus vernaculis et emptitiis, sicut locutus est ei Deus. « Circumcisus est autem et ipse. Nonaginta enim et »novem annorum erat, inquit, quando circumcidit car»nem præputii sui : Ismaël autem erat annorum trede»cim [1]. » Ne putes absque causa Scripturam proponere nobis numerum annorum : sed ut ex hoc discas Justi magnam obedientiam, quod cum jam in decrepita esset ætate, leniter tulerit dolorem propter præceptum Dei, propterea facit illam enumerationem, et non ipse solum, sed et Ismaël, et omnes vernaculi circumciduntur. Neque hoc parvum et leve fuerit. Non enim idem est, charissime, carnem sanam, et male habentem secare. Nam etsi medici quoque membra morbida aliquando incidunt, at non est similis dolor. Emortuum enim membrum, ut ita dicam, jam et vitali operatione destitutum tunc incidunt : hic autem senex et decrepitus, centum enim annorum erat, cruciatum leniter tulit, simul et præceptum Dei implere volens, et filium et vernaculos omnes promptiores reddens, ut ne cunctarentur, sed magna alacritate Dei præceptum

[1] Gen. xvii, 24, 25.

implerent. Vidisti quanta res sit vir præstans virtute, quomodo ministros omnes doceat ut sua vestigia sequantur? Nam id quod heri dicebam, hoc item et nunc dico : propter hoc fere ex illo die præceptum fuisse a Deo, ut immatura ætate hoc subirent pueri, quo absque sensu et dolore incisionem carnis ferrent. Verum considera Dei benignitatem, et ineffabilem ejus erga nos beneficentiam. Illa enim circumcisio dolorem habuit et laborem ; et nulla alia ex circumcisione fuit utilitas, quam hæc sola, quod ex hoc signo dignosci possent, et ab aliis gentibus sequestrarentur. Nostra autem circumcisio, vel baptismatis, inquam, gratia, medicinam habet citra dolorem, innumeraque bona nobis affert, Spiritus sancti gratia nos implet, et nullum definitum habet tempus sicut illic : sed licet et in prima, ut in media, et in ultima ætate hanc non manufactam circumcisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum deponuntur onera, et remissio invenitur omnium peccatorum, quæ per totam vitam gesta sunt. Quippe cum benignus Deus vidit gravem nostram infirmitatem, ac nos incurabiliter ægrotantes, summa indigere medicina, atque ineffabili benignitate, nostram curans salutem, largitus est nobis per lavacrum regenerationis innovationem ; ut deposito homine vetere, hoc est, operibus malis, et induti novum, in via virtutis incedamus. Verum iterum oro, ne deteriores simus ingratis et insensatis Judæis. Illi enim suscipientes circumcisionis signaculum, satis sibi cavebant ne ultra cum gentibus se miscerent, quantum ad communionis rationem pertinet : quantum autem ad impietatem, sæpe illos ingrati superabant. Nos vero, cum semel suscepimus baptismi circumcisionem, caute tuteque nostra dispensemus. Non dixerim non licere nobis versari inter gentes sed in propria nobis virtute manentes, ita cum illis commisceamur, ut ad

piam eos pertrahamus religionem, ac per bonorum operum exemplum, doctrinæ eis auctores simus. Ea enim de causa communis omnium Dominus permisit simul versari bonos et malos, pios et impios, ut boni lucrifaciant malos, et qui in malitia adhuc detinentur, manuducantur ad pietatem. Nihil enim adeo studiose curat Deus, ut salutem animarum. Proinde obsecro, ne curam abjiciamus neque nostri, neque aliorum. Quantum ad nos attinet, ita instituamus vitam, ut Deo placitum est : quantum autem ad proximum, sic luceamus virtutibus, ut etiam silentibus nobis, omnes quotquot nos vident, satis doceantur. Nam sicut si virtute præditi simus, maxima et ipsi lucrabimur, et infidelibus usui erimus : ita si negligentes fuerimus, et ipsi magnam feremus pœnam, et aliis occasio scandali erimus. Sicut enim virtutem amplexati duplicem mercedem a Deo accipimus, tum quod ipsi virtutem exerceamus, tum quod alios ad virtutis communionem trahamus : ita si in nequitia versemur, non solum punimur quod ipsi peccavimus, sed et quod aliis scandalo fuimus. Verum absit ut aliquis eorum, qui hic sunt, in hujusmodi statu versetur, sed nos omnes ad ædificandum eos, qui nos vident, vitam instituamus, ut possimus magna fiducia stare apud tribunal Christi et ineffabilia illa bona consequi. Quæ nobis omnibus concedantur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et sancto Spiritui sit gloria, honor, et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLI.

Apparuit autem Deus Abrahæ apud quercum Mambre, sedente ipso ad januam tabernaculi sui meridie [1].

I. Cunctabundus hodie, nec admodum alacris ad docendum enarrandumque accedo. Nam cum mente repeto, nobis quotidie concionantibus, admonentibus, et spirituale hoc vobis convivium apponentibus, multos ex his ipsis, qui adsunt, et spiritualis hujus doctrinæ, ac tremendæ terribilisque mensæ sunt participes, totos dies in spectandis ludis equestribus perdere, et perinde atque si non doceremus, nihil proficere, sed quasi consuetudini cuipiam servientes, si tantum annuat eis diabolus, sua sponte accurrere ad impia illa spectacula, et seipsos libenter maligni dæmonis illaqueare retibus, et neque nostram admonitionem, neque periculum ipsum, neque inutilem ipsam frequentationem doctrinæ loco eis esse posse. Quo ergo posthac animo doctrinam impertiam viris ex dictis nostris nihil lucri facere cupientibus ? Et ne mireris. Siquidem et agricola, cum post multos labores et ærumnas sterilem videt agrum, neque dignam laboribus mercedem reddentem, segnior ad jaciendum semen, non pari alacritate agriculturam exercet. Et medicus videns infirmum suis mandatis non obtemperare, sed vacantem quotidie iis quæ morbum augent, sæpenumero in sua illum ægritudine relinquit, ut experientia ipsa utatur magistra, ut ea quæ sibi prosint ediscat. Similiter et qui disciplinas pueros docent, viden-

[1] Gen. XVIII, 1.

tes illos priora respuere, et abjicere eorum, quæ antea edocti sunt, memoriam, sæpe aversantur, sic negligentiam eorum correcturi, et ad majus studium reducturi. Verumtamen agricola quidem merito segnior sæpe evadit, quia videt damnum suum majus fieri, utpote qui laborem et sumptus ferat, et fructibus destituatur. Medicus autem non immerito ægrum sæpe relinquit : corpus enim est quod curatur, et propter hoc dimittit, ut doloris accessio in morbi sensum ducat, et sic tandem medicinam non respuat. Magister autem ludi, eo quod tenera sunt ætate, utiliter nonnunquam plagis pueros castigat ; verum nos hodie cunctos illos superantes, hoc agemus ut paternum erga lapsos amorem declaremus, et doceamus, si in illa negligentia manserint, eos inde majorem condemnationis causam habituros. Nam agricola quidem non pari alacritate seminat, cogitans sumptus hactenus fuisse inutiles : nos autem ab hac cura liberi sumus. Nam licet jacto spirituali semine, ob auditorum ignaviam fructum non capiamus, perfecta nobis tamen futura merces ; pecuniam enim concreditam expendimus, et mandatum Domini implevimus : cæterum post hac auditores rationem reddent ei, qui concredita cum usura repetiturus est. Verum hoc nos non consideramus nos extra damnum esse, et quod nostrum est implere : sed volumus ut et vos ex dinumeratis pecuniis multum negotiemini, ut ne obnoxii sitis supplicio, quod luit ille, qui talentum recondidit, et dominicam pecuniam non solum non multiplicavit, sed et ipsam in terra defodit. Tales sunt, qui doctrinæ sermones audiunt ; talentum enim hoc vocat et pecuniam, neque operam dant ut fructum afferant et multum negotientur. Sed forte dixerit quispiam parabolam istam talentorum de doctoribus esse dictam : id ego quoque fateor. Verum si diligenter eam scrutemini, scietis doctorum quidem officium esse, dinu-

merare pecuniam : sed vos non solum depositam custodire, sed etiam negotiari debetis. Quod ut discas, operæpretium fuerit eam in medium afferre. « Paterfamilias »quidam, inquit, peregre proficiscens, vocavit servos »suos, et dedit uni quidem talenta quinque, alii autem »duo, alii vero unum [1]. Post multum autem tempus, »cum advenisset ipse, venerunt servi : et ille quidem, qui »acceperat quinque talenta, accessit dicens : Domine, »quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque talenta »superlucratus sum [2]. » Magna servi gratia et probitas, larga etiam domini benignitas. Et quid dicit ? « Euge serve »bone et fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te »constituam : ingredere in gaudium domini tui [3]. » Quoniam, inquit, in iis quæ tibi credita sunt, gratum præ te tulisti animum, dignus es cui et majora tradantur. « Accessit autem et qui duo talenta acceperat, dicens : Nonne »duo talenta mihi tradidisti ? ecce alia duo lucratus sum »insuper [4]. » Magna hujus quoque circa pecunias domini sui cura et sollicitudo ; unde et eadem quæ superior meritus est. Et quare ille, qui duo attulit talenta, eumdem consequitur honorem, quem ille qui talenta quinque attulerat ? Merito : accretionem enim et imminutionem, non vel hujus diligentia, vel illius negligentia fecit, sed concreditorum modus. Nam quod ad diligentiam attinet, ambo pares fuerunt, proinde et eamdem remunerationem nacti sunt.

II. Verum alius ille nihil tale fecerat : sed quid ? Accessit, dicens : « Cognovi te, quod austerus homo sis, metens »ubi non seminasti et congregans ubi non sparsisti : et »metuens abii et occultavi talentum in terra. Ecce habes »quod tuum est [5]. » O malitiam famuli ! o summam im-

[1] Matth. xxv, 14, 15. — [2] Ibid. 19, 20. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 22. — [5] Ibid. 24, 25.

probitatem ! Non solum nihil negotiatus est ex talento sibi credito, sed et pro talento accusationem attulit. Ita enim solet malitia, obtenebrat rationem, et eum, qui semel a recta via est aversus, in præcipitia conjicit. Hæc autem omnia de magistris dicta sunt, ut talenta sibi concredita non abscondant, sed omni diligentia discere cupientibus apponant. Verum deinceps audi, dilecte, ex indignatione erga illum, quomodo etiam auditores rei evadant, et non solum illa repetantur, quæ concredita sunt, sed et cum usura exactionem patiantur. Quid igitur dicit illi Dominus? « Serve nequam. » Terribilis indignatio, et minæ valentes per se percellere animum. « Sciebas, in- » quit, quod metam ubi non seminavi, et congregem ubi » non dispersi : oportebat igitur te pecuniam meam dinu- » merare mensariis, et ego cum venissem, cum fœnore re- » petiissem illam[1] : » Pecuniam vocat eloquia pretiosa : nummularios autem vos qui suscipitis. « Tuum quidem fuerat, ait, tantum dinumerare, meum autem repetere ab illis, non solum dinumerata, sed et usuram. » Videtis, dilecti, quantus in dictis terror. Quid ergo dicent, qui concredita servare negligunt, quando etiam usura ab eis requiritur? Et vide humanitatem Domini. In his sensibilibus pecuniis prohibuit ne quis usuram acciperet. Quare, et ob quam causam? quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur, creditor autem augens divitias, peccatorum accumulat sibi multitudinem. Proinde ab initio olim Judæis crassioribus tale dedit præceptum, dicens : « Non fœneraberis fratri tuo et proximo tuo[2]. » Qua igitur excusatione digni erunt, qui Judæis sunt inhumaniores, et post gratiam, et tantam a Domino benignitatem inveniuntur iis, qui sub lege fuerunt, inferiores, imo pejores? In spiritualibus enim repetiturum se promittit

[1] Matth. xxv, 26, 27. — [2] Deut. xxiii, 19.

usuras. Quare? quia contrario prorsus modo se habent spiritualis usura, et sensibilis. Illic enim is, a quo requiriritur severe, subito in extremam inopiam defertur : hic autem is, a quo exigitur, quando gratum animum præ se tulerit, quanto majorem usuram afferet, tanto largiori fruetur cœlesti remuneratione. Quocirca, dilecti, cum vobis concredita dinumeraverimus, vobis necessarium erit duplicem afferre laborem et vigilantiam, tum quod dinumerata custodienda sunt, ut fixa maneant : tum quod operandum ut et aliis communicentur, et multos in viam virtutis inducant : ut bifariam vobis lucrum accrescat, tum pro salute vestra, tum pro aliorum utilitate. Quod si hoc feceritis, et nos reddetis beatos. « Beatus enim, inquit, »qui dicit in aures audientium[1] : »et facietis ut largior vobis hæc spiritualis apponatur mensa. Igitur fratres vestros nolite negligere, neque solum spectate quæ ad vos attinent, sed unicuique cura sit quomodo proximum suum e diaboli faucibus eripiat, et ab impiis illis spectaculis in Ecclesiam adducat, monstrando ei multa lenitate et mansuetudine tum damni quod illinc fert gravitatem, tum bonorum, quæ hic conceduntur, magnitudinem, et non solum semel atque iterum hoc facite, sed semper. Nam etsi hodie verbis tuis non obtemperat, postea obtemperabit : et si neque secundo admonenti obtemperabit, iterum tamen te videns urgentem, forte erubescet, et reveritus tuam curam, a perniciosis illis abstinebit. Et nunquam dicas : « Semel, et iterum, et tertio, et sæpius monui, et nihil profeci. » Ne monere desinas : nam quanto magis tu perseveraveris, tanto magis et merces tibi crescet. Non videtis quanta omnium Deus nos patientia tolerat, quomodo quotidie negligimus obtemperare ejus mandatis, et neque sic cessat a cura nostra, sed omnia sua suppeditat : solem

[1] Eccli. xxv, 17.

oriri curat, pluvias concedit, aliaque omnia ? Simili modo et nos erga fratres nostros bene affecti, magna utamur diligentia, et obluctemur maligno illi dæmoni, ut irritos ejus faciamus conatus. Nam si singuli, qui adsunt, unum lucrifacere possent, cogita quantam nobis lætitiam Ecclesia multitudine filiorum suorum ostenderet, et diabolus confunderetur, videns in vanum et frustra extendi sua retia. Quod sic hoc feceritis, audietis et vos in die illo : « Euge serve bone et fidelis, in pauca fuisti fidelis, supra » multa te constituam. »

III. Cæterum bona spe sum vos hoc facturos : video enim vultus vestros, et conjecturam sumo vos admonitionem nostram magna voluptate accepisse, atque hinc spero vos, quod vestrum fuerit, facturos. Proinde hanc admonitionem hic finiamus : proponamus autem vobis tenuem nostram ac pauperem mensam, ut cum solitam acceperitis doctrinam, domum concedatis. Operæ-pretium enim fuerit et hodie in medium afferre Patriarcham Abraham, ut discatis quantam ab hospitalitate mercedem acceperit. « Apparuit ei » autem Deus, inquit, apud quercum Mambre, sedente » ipso ad januam tabernaculi sui meridie [1]. » Singula verba diligenter excutiamus, et aperto thesauro, omnes in eo latentes divitias discamus. Quare sic exorsus est : « Appa- » ruit autem ei Deus ? » Specta Domini benignitatem, et considera famuli gratum animum. Postquam enim superius apparuit ei, et præter cætera etiam circumcisionis mandatum præcepit; eximius autem iste vir semper quæ a Deo præcepta erant, diligenter perficere, rejecta omni mora, curavit; et circumcisus est ipse, implens mandatum Dei, et Ismaëlem circumcidit, et vernaculos omnes, et in summa miram declaravit obedientiam, iterum ei apparet. Talis enim est Dominus noster, ut si quando viderit

[1] Gen. XVIII, 1.

nos in prioribus gratos, accumulet beneficia, et nunquam a sua beneficentia desistat, remunerans obedientium gratum obsequium. Propter hoc igitur, quia obedivit, iterum apparuit ei. Qua de causa sic orsus est beatus Moses : « Apparuit autem ei Deus apud quercum Mambre, sedente » eo ad januam tabernaculi sui meridie. » Considera, oro, hic virtutem Justi. « Sedente, inquit, ad fores tabernaculi » sui. » Tantopere curabat hospitalitatem, ut nollet hospitum venationem cuipiam familiarium committere : sed trecentos decem et octo habens vernaculos, homo senex et nunc decrepitæ ætatis, centenarius enim erat[1], apud januam sedebat. Et hic quidem hoc summo studio curabat, et neque senectus illi obstaculo erat, neque suæ quietis cura, neque intus super lectum recumbebat, sed ad ostium sedebat : alii autem sæpe non solum tantum studium non adhibent, sed et plane diversum, et horum congressus fugiunt et evitant, ut ne inviti cogantur excipere. Verum non Justus ille ita agebat, sed sedebat ad januam meridie. Hinc enim major hospitalitas et virtus ejus ducitur, quod in meridie hoc faceret; et merito quidem : quia enim sciebat eos, qui peregrinare coguntur, eo maxime tempore indigere cura : tempus hoc ut idoneum eligebat, et sedens eos, qui præteribant, venabatur, quietem sibi ducens ministrare viatoribus; et eos, qui calore æstuabant, sub tectum introducere studebat, non curiose explorans eos, qui præteribant, neque requirens an noti, vel ignoti essent. Neque enim hospitalitatis fuerit diligenter singula perscrutari, sed omnibus simpliciter suam communicare benignitatem. Et quia hospitalitatis sagenam expanderat, meruit et universorum Dominum cum Angelis suis suscipere. Eapropter Paulus dicebat : « Hospitalitatis ne obliviscamini. Per hanc enim quidam

[1] Gen. XVII, 17.

» nescii, Angelos exceperunt hospitio[1], » Patriarcham omnino insinuans. Atque ob hoc Christus dicebat : « Qui sus» ceperit unum ex his minimis in nomine meo, me susci» pit[2]. » Audiamus, dilecti, et hospitio excepturi, nunquam quæramus quis, et unde. Nam si Patriarcha in rogando fuisset curiosus, forte peccasset. Sed sciebat, inquis, advenientium dignitatem. Unde hoc tibi liquet? Quomodo autem, si ita esset, admirationi fuisset? Neque enim sic admirabile fuisset, si suscipiendo hospites curiosius explorasset qui essent, sicut nunc cum ignorans quinam advenerint, tanta alacritate et honore accedit quasi servus ad dominos, suisque verbis propemodum vincula injicit, et supplicat eis ut ne renuant, neque se maximo damno afficiant. Sciebat enim quid faceret, propter hoc magno cum ardore fructum copiosum percipiebat. Sed audiamus verba Scriptoris ipsius, ut videas in extrema senecta juvenilem alacritatem, et senem quasi juvenem exultantem, et putantem se invenisse thesaurum quemdam, hospitum nempe adventum. « Elevatis autem, inquit, oculis, vidit, et » ecce tres viri steterunt supra eum : et ut vidit, occurrit » in occursum eis ab ostio tabernaculi sui[3]. » Currit, et volat senex. Vidit enim prædam quam venabatur, et nulla infirmitatis suæ ratione habita, ad venationem cucurrit; non vocavit famulos, neque imperavit puero, nihilque rusticitatis, neque desidiæ præ se tulit, sed ipse cucurrit, quasi diceret : « Magnus thesaurus est, magna negotiatio : per memetipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur mihi tantum lucrum. » Et hæc faciebat Justus, homines obscuros et viatores suscipere se existimans.

IV. Discamus et nos, ac imitemur Justi virtutem. Nam si hoc fecerimus, verisimile est et nos aliquando ejusmodi præda potituros, imo semper assequimur, si attendimus.

[1] Hebr. XIII, 2. — [2] Matth. XVIII, 5. — [3] Gen. XVIII, 2.

Ob illam enim causam benignus Dominus, ut ne ad talem benignitatem segnes simus, neque curiosius eos, qui adveniunt, scrutemur, inquit: « Qui acceperit unum ex his mi» nimis in nomine meo, me accipit. » Ne igitur ad vilitatem prætereuntis spectes, neque ex iis, quæ vides, vilem esse putes; sed cogita te per ipsum Dominum tuum suscipere. Quando enim propter ejus nomen ministerium tuum in illum exhibueris, mercedem accipies, ac si illum suscepisses. Esto, sit deses et negligentioris vitæ, qui tua fruitur benignitate, non sit tibi ejus rei cura : plena enim tibi et perfecta merces dabitur, in Domini honorem hoc facienti, et imitanti Patriarchæ virtutem. « Et ut vidit, in» quit, accurrit in occursum eis ab ostio tabernaculi. » Bene et hoc verbum, « accurrit, » quadrat, ut discas eos quasi ignotos præteriisse, et non sua sponte ad tabernaculum venisse : propterea ne subterfugeret eum spirituale hoc lucrum, qui senuerat, incanuerat, et centenarius erat, accurrit, et cursu alacritatem declarat. « Et conspicatus » eos, inquit, adorabat super terram, et dixit : Domine, » si inveni gratiam coram te, ne transeas servum tuum. » Sumatur sane aqua, et lavent pedes vestros, et refrige» ramini sub arbore, et accipiam panem, et comedetis, » et posthac præteribitis, cujus gratia declinastis ad ser» vum vestrum [1]. » Verba Justi sublimia valde sunt. Neque tantum miraculum, quod eos susceperit, quantum quod cum tanta alacritate, et studio, et non attenta aut sua, aut eorum, qui advenerant, ætate. Nam fortassis videbantur ipsi juvenes, neque existimavit sufficere ut verbis duntaxat adhortaretur; « Adorabat, inquit, super ter» ram, » quasi supplicans, et efficacem exhortationem afferens, ut ne putaretur perfunctorie adhortari. Et idcirco divina Scriptura monstrans nobis Justi virtutem ineffabi-

[1] Gen. XVIII, 3-5.

lem, inquit: « Adorabat super terram, » et gestibus, et verbis magnum fervorem, egregiam animi humilitatem, summam hospitalitatem et immensam sollicitudinem declarabat. Et cum adorasset, inquit, dixit: « Domine, » si inveni gratiam coram te, ne prætereas servum tuum. » Quis pro dignitate laudaverit Justum hunc, vel quo pacto eum quis innumeris etiam labiis prædicet? Dicere enim: « Domine, » non insoliti est usus; dicere autem: « Si inveni gratiam in oculis tuis, » hoc est admirabile. Beneficium, inquit, das, non accipis. Vere enim hujusmodi res hospitalitas est, qua magis accipit quam dat, qui illam prompte et alacriter exercet. At ne quis auditorum Justi virtutem minuens, existimet eum gnarum quales illi fuerint, hæc locutum esse: neque enim, ut sæpe etiam dictum est, magnum quiddam tale fuisset, si sciens dixisset; sed admirabile et stupendum est eum, quasi homines alloquentem, talia verba loqui. Ne admireris autem, quod cum tres exceperit, ad unum se converterit Justus, dicens: « Domine. » Fortassis enim unus illustrior cæteris apparebat, ad quem exhortationem suam convertit. Deinde autem cum progreditur, communem facit sermonem, et inquit: « Sumatur aqua, et la- » vent pedes vestros: » et iterum: « Refrigeramini sub arbo- » re, et comedetis panem, et postea transibitis, cujus gratia » declinastis ad puerum vestrum. » Vides quomodo ignorans qui sint, quasi hominibus loquens transeuntibus, ita communi exhortatione utitur, semel atque iterum servum se vocans? Et vide quomodo prædicit et mensæ suæ tenuitatem, imo lautitias. « Sumatur, inquit, aqua, et la- » vent pedes vestros, et refrigeramini sub arbore. » Quia enim fatigati estis, et multum tulistis æstum, ideo oro ne prætereatis servum vestrum. Num enim magnum quiddam est id quod ego exhibeo? aquam vobis solum præstare

possum, qua lotis pedibus vestris, sub arbore fatigationem deponatis. Insuper et mensæ dicit speciem. Ne putetis, inquit, me splendida vobis appositurum, vel condimentorum diversitatem, vel opsoniorum varietatem : « Panem comedetis, et sic transibitis, cujus gratia declinastis ad servum vestrum. »

V. Vidisti quomodo variis utitur modis, precibus vincere prætereuntes, et gestibus, et verbis, et quavis ratione attrahere eos volens? Primum enim, inquit, adoravit, deinde dominos vocat, et seipsum servum. Postea dicit quæ illis exhibiturus sit, extenuans res et nihili esse significans. Ait enim : « Aquam hanc omnibus expositam habeo ad lavandos pedes, et panem, et tectum ab arbore. Ne parvi feceritis meum tabernaculum, ne despexeritis senectutem, nec renuatis ad exhortationem meam. Scio quantum tuleritis laborem, conjecto quantus sit caloris æstus, propterea paululum vos recreare volo. » Quis pater, filios suos tenere diligens, tantam filiis exhibet benignitatem, quantam ille ignotis et peregrinis, et nunquam sibi cognitis? Verum quia magna alacritate processit ac contentione, assecutus est venationem, et prædam intra retia concludere potuit. « Et dixerunt, » inquit : Sic faciemus, ut dixisti[1]. » Senis excitatus est juvenilis vigor. « In manibus, inquit, habeo thesaurum, divitias assecutus sum, senectutis obliviscar. » Et vide eum exultantem in opere, et quasi præ gaudio saltantem, perinde atque multa bona in manibus afferret, ita se oblectantem. « Et festinavit, inquit, Abraham in ta» bernaculum[2]. » Sicut quando ad venationem contendebat, significavit ejus alacritatem et laborem divina Scriptura, dicens : « Accurrit autem in occursum eorum; » ita et nunc quia vidit viros, et id quod optabat perfecit, neque sic ab

[1] Gen. xviii, 3-5. — [2] Ibid. 6.

alacritate desistit; sed magis ferventem declarat amorem, neque quia securus erat, ideo fit negligentior. Id quod nobis frequenter evenit, et principio valde studiosi sumus : quando autem in negotium ventum est, non par studium afferimus. Verum Justus non sic, sed quid? Iterum festinat et properat, et currit senio confectus in tabernaculum ad Sarram, « Et dixit ei : Accelera, et misce tres mensuras similæ [1]. » Considera quomodo et Sarram venationis sociam assumit, et quomodo eam erudit, ut suam imitetur virtutem. Etenim et illam incitat ne officio suo negligenter fungatur, sed « Accelera, » inquit. Magnam negotiationem assecuti sumus, ne perdamus thesaurum, sed « Accelera et misce tres mensuras similæ. » Quoniam sciebat boni operis magnitudinem, volebat vitæ suæ sociam etiam retribuendæ mercedis esse participem. Quare enim, dic mihi, nulli ancillarum hoc præcepit, sed uxori tam provectæ ætatis? nonaginta enim annorum erat. Non repugnat mandato Sarra, sed parem etiam ipsa alacritatem affert. Audiant viri, audiant mulieres : viri quidem, ut sic suas contubernales erudiant, ut si quando spirituale lucrum incidat, ne per famulos hoc perficiant, sed per seipsos faciant omnia : mulieres autem, ut festinent juvare viros in tam bonis operibus, et non erubescant hospitalitatem in aliquos exercere, illisque congruum præbere ministerium : sed imitentur Sarram vetulam, in tanta senecta laborem libenter suscipientem, et famulorum opera perficientem. Verum scio fore ut nullus ferat ea, quæ a nobis dicuntur. Nunc enim omnes plane contraria via incedunt, et multa mulierum est mollities, omneque studium in cultu vestium, in aureis ornamentis et monilibus atque externo ornatu, animæ vero nulla est cura. Neque Paulus eas commovet, dicens : « Non in crinibus tortis, vel auro,

[1] Gen. XVIII, 6.

» vel margaritis, vel sumptuosa veste [1]. » Vide animam hanc ipsum cœlum attingentem, quomodo non putavit indignum se et vile, etiam de capillorum ornamentis admonere. Merito : omne enim ei studium erat in excolenda anima. Quia igitur sciebat hæc maxime animæ perniciem generare, ideo non refugit illa afferre, quæ conveniebant ad docendum eas, quæ illo morbo laborabant; sed inquit : « Si vis ornari, vero te ornatu cole, quem decet mulierespias : bonis te operibus orna. » Hic animæ cultus est, hic a nullis externis condemnatur, hunc nullus deprædari poterit, hic perpetuo manet tutus et integer. A cultu autem externo innumera oriuntur mala : nondum dico animæ nocumenta, arrogantiam, quæ inde nascitur, despectum proximi, fastum spiritus, animæ corruptionem, voluptatum illicitarum examen ; sed facile diripitur ille cultus et famulorum malignitate latronumque insidiis, necnon sycophantarum calumniis; et infinita mala invenire in eo licet, ac perpetuas amaritudines. Atqui Sarra talis non erat, sed verum possidebat ornatum; ideo et digna fuit Patriarcha, et sicut ille festinavit, et in tabernaculum cucurrit : ita et ipsa magno studio fecit quæ imperata erant, et miscuit tres mensuras similæ. Nam quia tres erant qui advenerant, tres mensuras jussit misceri, ut citius panes pararentur. «Et ut hoc præcepit, ad boves ipse iterum cucurrit [2]. » O senis juventutem ! o animæ vigorem ! currit ad boves, et non permittit aliquem famulorum eo pergere : per omnia monstrans iis, qui advenerant, quanta voluptate perfusus esset, et quanti faceret eorum præsentiam, seque hunc pro thesauro habere honorem. « Et accepit, inquit, » vitulum tenellum et bonum [3]. » Ipse per semetipsum delectum fecit, et optimum qui aderat acceptum puero de-

[1] 1 Tim. II, 9. — [2] Gen. XVIII, 7. — [3] Ibid.

dit, et illum quoque urget, ut sine mora quantum fieri potest, approperet.

VI. Animadverte quomodo omnia cum velocitate, cum ferventi alacritate, cum hilaritate, cum gaudio, cum magna jucunditate fiant. « Et festinavit puer hoc facere[1]. » Neque hic senex quiescit, sed iterum in ministri ordinem transit. « Et ut accepit butyrum et lac et vitulum, quem » mactaverat, apposuit illis[2]. » Sic per semetipsum omnia facit et apponit. Et neque dignum semetipsum censuit qui consideret cum eis, sed illis comedentibus astabat ipse sub arbore. O magnitudinem hospitalitatis! o humilitatis excellentiam! o mentem admodum religiosam! Astabat centenarius homo, comedentibus illis. Mihi videtur tunc præ gaudio alacritateque multa, imbecillitate sua factus superior, et robur quoddam accepisse. Sæpe enim consuevit alacritas animæ, si quando roborata fuerit, vincere corporis imbecillitatem. Stabat igitur Patriarcha quasi famulus, hoc summo honori habens, quod præsentibus ministraret, et solaretur itineris eorum laborem. Vidisti quanta Justi hospitalitas? Neque enim hoc solum considera, quod panes proposuerit et vitulum : sed illud cogita, cum quanto honore et quanta modestia exhibita sit hospitalitas. Non sicut multi, qui si quid tale fecerint, superbiunt et despiciunt susceptos hospites, eo quod ministerium illis exhibeant. Hoc autem perinde est ac si quis divitias congreget et circumferat, et cum collegerit, omnia simul e manibus projiciat. Quisquis enim cum arrogantia operatur quidpiam, et sic facit quasi plus præberet quam acciperet, nescit quid faciat : proinde et mercedem, quæ hinc proveniret, disperdit. Verum Justus ille sciens quid operaretur, per omnia quæ faciebat, ostendebat alacritatem mentis. Et postquam largiter et magna hilaritate semi-

[1] Gen. XVIII, 7. — [2] Ibid. 8.

navit hospitalitatem, statim et manipulos uberrimos messuit. Nam ubi ea, quæ ex se erant, implevit, et nihil prætermisit, ac finem acceperunt quæ ad hospitalitatem pertinebant, declarataque fuit Justi virtus : tunc demum ut disceret Justus quantorum et qualium bonorum causa fuerit hospitalitas, manifestat se is qui advenerat, atque paulatim Justum suæ magnitudinem potentiæ docet. Nam ubi vidit eum stantem apud quercum, et stando magnum honorem et ministerium afferre, dixit ei : « Ubi est Sarra » uxor tua[1] ? » Statim autem per interrogationem subindicavit ei se non esse ex vulgaribus aliquem, utpote qui et uxoris illius nomen sciret. Ille autem inquit : « Ecce in ta» bernaculo[2]. » Et quia statim tanquam Deus polliciturus erat ei quæ supra naturam erant, propter hoc et dicendo nomen Sarræ, significavit supra hominem esse eum, qui in tabernaculum ejus diverterat. « Revertens enim, inquit, » veniam ad te secundum tempus hoc in horas, et habebit » filium Sarra uxor tua[3]. » Ecce hospitalitatis fructus, ecce alacritatis illius miræ merces, ecce laborum Sarræ retributiones. « Illa autem, inquit, audivit juxta ostium taber» naculi, stans post illud[4]. Et ut hoc audivit, risit secum, » dicens : Nondum quidem mihi fuit usque nunc ; dominus » autem meus senex[5]. » Et ut excuset divina Scriptura Sarram, prius significavit : « Abraham autem et Sarra pro» gressi erant in diebus suis[6]. » Et neque hoc contenta, adjicit : « Et desierant Sarræ fieri muliebria[7]. » Arefactus erat, inquit, fons, excæcatus oculus, officina ipsa erat inutilis facta : ad quæ respiciens Sarra, cogitabat apud semetipsam ætatem suam et senectutem Patriarchæ. Verum dum illa intra tabernaculum ita cogitat, is qui scit arcana mentis, demonstrare volens et virtutis suæ excel-

[1] Gen. XVIII, 9. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 12. — [6] Ibid. 11. — [7] Ibid.

lentiam, et nihil occultum se latere, dicit Abrahæ : « Cur » risit Sarra apud seipsam, dicens : Numquid vere pariam? » ego autem senui [1]. » Hæc enim illa apud semetipsam cogitabat. « Num impossibile, inquit, apud Deum verbum [2]? » Ecce manifeste seipsum detegit. « Non scitis, inquit, me, naturæ Dominus cum sim, omnia posse quando volucro, et mortuam quoque vulvam fœcundam et partui idoneam facere? « Num impossibile, inquit, apud Deum aliquid? » Nonne omnia facio et transformo? nonne vitæ et mortis potestatem habeo? « Num impossibile est aliquid apud Deum? » Nonne prius hoc pollicitus sum? Num potest quidpiam a me dictum non in opus exire? Audi igitur : « Quod in tem- » pore hoc revertar ad te in horas, et erit Sarræ filius [3]. » Postquam revertero, inquit, tempore hoc, tunc sciet reipsa Sarra quod neque senectus ei obstaculo fuerit, neque sterilitas : sed verbum meum non poterit irritum reddi, et partus eam docebit eorum, quæ a me dicta sunt, potentiam. » Cæterum ut illa audivit, neque illa quæ cogitaret esse præsenti occulta, « Negavit, dicens : Non risi [4]. » Timor enim concusserat ejus mentem. Propterea Scriptura hoc totum infirmitati ejus tribuens, inquit : « Timore enim perterrita » fuit [5]. » Verum Patriarcha dicit ei : « Non, sed risisti [6]. » Ne putes, inquit, licet in animo hæc tractaveris, et in occulto riseris, hæc posse abscondi ab ejus, qui advenit, virtute et scientia. Itaque negare factum noli, ne addas ad peccatum : magna enim hodie ab hac hospitalitate nobis provenient bona.

VII. Hunc imitemur omnes, et magnam geramus hospitalitatis curam : non ut fluxorum et corruptibilium retributionem solum accipiamus, sed ut reponamus nobis etiam immortalium bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus,

[1] Gen. XVIII, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

nos etiam hic Christum suscipiemus, et suscipiet etiam ipse nos in mansionibus illis, quæ ab æterno præparatæ sunt diligentibus ipsum, audiemusque ab eo : « Venite bene- » dicti Patris mei, in hæreditatem accipite præparatum » vobis regnum ab origine mundi [1]. » Cujus gratia et propter quid? « Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : siti- » vi, et potastis me : peregrinus fui, et collegistis me : in » carcere fui, et invisistis me [2]. » Quid minus molestum quam hæc? Num præcepit nobis curiose scrutari et inquirere quibusnam deberemus curam exhibere? Tu quod tuum est, inquit, ostende, licet abjectus et vilis sit, ut apparet, quem foves. Quæ enim in illos facta sunt, ego ut mihi ipsi facta agnosco. Propterea addidit : « In quan- » tum fecistis uni fratrum meorum minimorum, mihi fe- » cistis [3]. » Igitur cum tanta ex hospitalitate sint lucra, non contemnamus, sed quotidie hujus bonæ negotiationis merces inferre studeamus, scientes Dominum nostrum alacritatem magnam, non ciborum pondus requirere, non mensam sumptuosam, sed mentem hilarem, non tantum ministerium a nudis verbis, sed charitatem a puro sinceroque corde. Idcirco et Sapiens quidam dicebat : « Melior » sermo, quam munus [4]. » Sæpe enim sermonis obsequium magis recreat indigentem, quam donum ipsum. Hæc cum sciamus, ne simus difficiles erga eos qui ad nos accedunt : sed si potuerimus eorum inopiam sublevare, hoc faciamus cum gaudio lætitiaque magna : non ut præbentes aliquid, sed ut ab eis maxima accipientes. Quod si non possumus, ne simus asperi in eos, sed verbis saltem eorum curam agamus, et cum mansuetudine respondeamus eis. Quare enim dure compellas eum? Num cogit? num vim facit? orat, supplicat, obsecrat. Qui autem hæc facit, contu-

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Ibid. 35, 36. — [3] Ibid. 40. — [4] Eccli. xviii, 16.

melia dignus non est. Quid dico, orat et supplicat? innumera bene apprecatur, et hæc omnia facit pro uno obolo, neque tamen illum erogamus. Et quam assequemur veniam? quam habebimus defensionem? Ipsi quidem quotidie lautam mensam nobis apponi curamus, et sæpe plus quam usus requirit, insumimus : illis vero neque parvum quid communicamus, idque cum innumera bona per hos nos habituros expectemus. Sed o magnam desidiam! Quantam enim hinc jacturam facimus? quantum lucri e manibus nostris excedere permittimus? Occasionem nostræ salutis a Deo nobis datam amandamus, neque cogitamus, vel in mente versamus hinc parvitatem eorum, quæ damus, inde immensitatem eorum, quæ pro his accipimus : sed omnia arculis includentes, aurum quidem a rubigine absumi permittimus, imo furum manibus proponimus : vestes quoque varias a tineis arrodi sinimus, nolumus autem ut ea, quæ absque usu jacent, bene dispensentur, ut iterum nobis custodiantur, ac per ea etiam ineffabilia bona mereamur assequi. Quæ nobis omnibus concedat gratia et benignitate sua Dominus noster Jesus Christus, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLII.

Cum surrexissent autem viri, respexerunt in faciem Sodomorum et Gomorrhæ [1].

I. Didicimus ex hesterna lectione, charissimi, eximiam Justi hospitalitatem, age et ea quæ sequuntur tractantes, hodie discamus benignitatem et commiserationem Patriarchæ. Possedit enim eximie Justus ille virtutes omnes. Neque enim tantum bene affectus erat in proximos, neque hospitalis tantum et misericors, sed et alias virtutes omnes ubertim exhibebat. Nam sive patientiam exhibere opus sit, invenies eum in summum illius verticem progressum; sive humilitatem requiras, videbis et in hac nulli cedentem, sed omnes transcendentem; sive fides declaranda sit, et in hoc præ omnibus aliis laudem merebitur. Est enim anima ejus imago quædam animata, varios virtutum colores in se ostentans. Quæ igitur nobis posthac relicta est excusatio, cum unus homo cunctas in se virtutes possideat, nos vero ita expertes earum simus, ut ne unam quidem exercere juvet? Quod enim non quia non possumus, sed quia nolumus, a bonis omnibus simus alieni, illud manifeste indicat quod multi ejusdem naturæ homines inveniantur virtutibus conspicui. Et vero istud ipsum quod Patriarcha, qui ante gratiæ tempus et ante legem fuit, a seipso et a scientia, quæ naturæ insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui: « Vir ille multam a Deo gratiam

[1] Gen. XVIII, 16.

consecutus est, et omnium Dominus ejus singularem habuit curam. » Etiam; id et ego fateor. Verum nisi primus et ipse quod suum erat fecisset, non tanta a Domino obtinuisset. Eapropter non hoc solum respice, sed in unoquoque diligenter attende, quomodo primum in omnibus virtutis suæ experimentum exhibuerit, atque sic divinum meruerit præsidium. Hæc sæpe vobis declaravimus, illum nempe, quando a patria sua migrabat, non a progenitoribus semen fidei accepisse, sed a seipso valde religiosam atque piam mentem exhibuisse; et hominem illum, cum nuper a Chaldæa translatus esset, iterum subito jussum alio pergere, et alienam terram suæ præferre, non fluctuasse animo, non distulisse, sed statim imperata fecisse, idque cum nesciret ubinam errandi futurus esset finis, et festinasse, et properasse, ut qui in iis, quæ plane incerta erant, tanquam certa essent, mandatum Dei omnibus præferendum duceret. Vidisti quomodo ab initio quæ a semetipso erant attulerit, et propterea divina quotidie ubertim susceperit? eodem modo, dilecti, etiam nos, si voluerimus superna frui gratia, imitemur Patriarcham, et ne cunctemur obire virtutem, sed unamquamque ita exerceamus, ut oculum illum, qui sopiri nescit, conciliemus nobis ad mercedem tribuendam. Etenim qui scit arcana mentis nostræ, cum viderit sanam mentem nostram, et nos conari et eniti ad virtutis certamina, statim nutu et subsidio suo nos adjuvat, simul et labores nostros imminuens, et infirmam naturam nostram roborans, uberesque retributiones suppeditans. Sane in olympicis certaminibus neutiquam quis tale quid inveniet; sed stat pædotriba, fitque spectator tantum certantium, neque in ulla re potest adjuvare, sed expectat donec victoria declaretur; Dominus autem noster non ita, sed simul nobiscum certat, et manum porrigit, et simul congreditur, et quasi undique enititur ut adver-

sarium nostrum nobis tradat, nihilque non agit, satagens ut in certamine prævalcamus, et vincamus, quo capiti nostro immarcessibilem imponat coronam. « Coronam »enim, inquit, gratiarum accipies in capite tuo[1]. » Jam in illis olympicis certaminibus corona post victoriam nihil aliud est, quam folia lauri, quam applausus et acclamatio vulgi, quæ omnia, appetente vespera, marcescunt et pereunt; at corona, quæ pro virtute et ejus sudoribus datur, nihil habet sensibile, neque in hoc sæculo nobiscum dissolvitur, sed perpetua est, et immortalis, extendens se in omnia sæcula. Et labor quidem est parvi temporis; merces autem laborum finem non habet, neque cedit tempori, neque marcescit. Et ut discatis, ecce quot anni præterierunt, quot generationes, a quo Patriarcha hic in vivis fuit, et sicut heri et hodie, ita fulgent ejus pro virtute coronæ, et usque ad consummationem sæculi omnibus qui recte sapiunt, argumentum est sermonis et doctrinæ.

II. Proinde quia talis est virtus Justi, ad æmulandum illum expergiscamur, et vel sero tandem nostram agnoscentes nobilitatem, Patriarcham imitemur, et de salute nostra cogitemus, multa adhibita diligentia, ut non solum corpus sanum sit, sed et ut diversi animæ morbi curentur. Nam si voluerimus sobrii esse ac vigiles, facilius morbos animæ quam corporis emendabimus. Nam quoties nos affectio quæpiam perturbat, si voluerimus pia religiosaque mente cogitare judicium diei illius terribilis, et non ad præsentem voluptatem spectare, sed ad cruciatus, quos propter illam feremus, statim ab anima nostra resiliet et avolabit. Eapropter ne simus negligentes, sed scientes agonem esse et certamen, ut in prælio hostibus nos objiciamus oportet, quotidie renovetur, ac vigorem juvenilem recipiat animus noster, ut superno freti præsidio, malæ

[1] Eccli. xxxii, 3. Prov. i, 9.

hujus bestiæ, insidiatoris dico salutis nostræ, caput statim conterere valeamus. Ipse enim Dominus nobis promisit, dicens : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super ser-» pentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici [1]. » Vigilemus igitur, obsecro, ut vestigia hujus Patriarchæ sequentes ad virtutem exercendam, easdem coronas mereri possimus, et ad ejus sinus pervenire, et effugere gehennæ pœnam, et assequi bona illa ineffabilia. Verum ut amplior fiat vestra æmulatio, et magis ad imitandum hunc Justum vos provocemus, age iterum ex historia illius cum vestra charitate colloquentes, sequentia aggrediamur. Igitur post largam illam hospitalitatem, quam exercuit, non lautitia vel multiplicitate ferculorum, sed alacritate et liberalitate mentis æstimatam, statim hospitalitatis mercedem obtinuit, et didicit quisnam præsens ille esset, et quanta ejus virtus. Abituros illinc ad subvertenda Sodoma sequitur Patriarcha et honoris causa comitatur, inquit. Vide Domini clementiam et quanta benignitate indulgentiaque usus, simul Justo honorem impendit, et virtutem in anima ejus latentem detegere voluit. « Cum surrexissent autem, » inquit, viri, respexerunt in faciem Sodomorum et Gomor-» rhæ [2]. » De Angelis dicit. Nam hic quidem in tabernaculo Abrahæ, et Angeli, et eorum Dominus per idem tempus visi sunt; postea vero illi quidem ut ministri missi sunt ad subversionem illarum civitatum, ipse autem Dominus mansit, et quasi amicus amico Justo communicabat quænam facturus esset. Unde illis profectis : « Dixit, inquit, Dominus : » Non celabo Abraham puerum meum, quæ ego faciam [3]. » Magna Dei indulgentia, et omnem sermonem superans Justo honor exhibetur. Vide namque quo pacto ipsum alloquatur quasi homo hominem, demonstrans nobis quanto honore dignetur homines virtute præditos. Et ut ne putes

[1] Luc. x, 19. — [2] Gen. xviii, 16. — [3] Ibid. 17.

honorem tantum Justo concessum solius divinæ esse bonitatis, vide quomodo divina Scriptura doceat nos ipsum sibi ipsi honoris fuisse auctorem, mandatis nempe divinis magna sedulitate obsecutum. Postquam enim dixit: « Non » celabo Abraham puerum meum, quæ ego faciam, » non statim dicit quid futurum sit; consequens enim erat ut pergens diceret se incensurum Sodoma. At dignum est ut neque illud prætereamus; neque enim syllabam, neque apicem in divina Scriptura præterire oportet. Quantæ enim dignitatis esse putas id quod dicit: « Abraham pue- » rum meum? » quanti affectus? quanti amoris? Hoc enim potissimum monstrat eximiam dignitatem et honorem Justo exhibitum. Deinde id quod dicebam, postquam dixit, « Non celabo: » non statim affert et dicit quod erat futurum; sed quid? Ut discamus non absque causa, neque temere Deus tantum erga illum declarare studium, inquit: » Abraham autem futurus est in gentem magnam et mul- » tam. Et in ipso BENEDICENTUR omnes gentes terræ. Novi » enim quod constituet filiis et domui suæ post se, et cus- » todient vias Domini Dei, ut faciant justitiam et judi- » cium, ut adducat Dominus super Abraham omnia quæ- » cumque locutus est ad eum[1]. » Papæ! quanta benignitatis Domini magnitudo! Quoniam postea inducturus erat excidium Sodomorum, nunc prius Patriarcham ad fiduciam concitat, simul pollicens ei benedictionem maximam, ipsumque in magnam multitudinem futurum esse, docens eum quod mercedem hanc piæ suæ mentis accepturus sit. Cogita enim quanta sit Patriarchæ virtus, quando Deus dicit: « Scio enim quod constituet filiis suis post se, et cus- » todient vias Domini Dei. » Magna hæc est virtutis accessio; non enim tantum mercedem accipit, quia ipse bene egit, sed et quia præcepit natis suis, largas retributiones

[1] Gen. XVIII, 19.

accipit, idque merito; siquidem ipse omnibus deinceps magister et doctor evasit. Is enim, qui principium præbet ac initia, etiam eorum, quæ postea fiunt, auctor est.

II. Et vide Domini bonitatem, non solum pro præterita virtute, sed et pro futura Justum remuneratur. « Scio » enim, inquit, quod constituet filiis suis. » Quoniam, inquit, prænovi Justi mentem, idcirco remunerationibus prævenio. Scit enim abdita cordis nostri, et quando videt consulentes ut oportet, ac sanam præ se ferentes mentem, manum porrigit, et ante labores mercedem tribuit, alacriores hac ratione efficiens; id quod in Justis omnibus fieri invenies. Nam cum sciat imbecillitatem humanæ naturæ, ut non in arduis homo animum despondeat, inter laborandum ita suum auxilium et remunerationes præbet, ut et labor sublevetur, et fervor crescat. « Novi enim, in- » quit, quod constituet filiis suis, et custodient vias Do- » mini Dei. » Non solum de ipso prædicit: « Constituet, » sed et de filiis ejus: « Custodient vias Domini Dei, » Isaac et Jacob insinuans. Vias Domini, hoc est, mandata et præcepta. « Ut faciant, inquit, judicium et justitiam: » nihil præferendo justitiæ, vivendo citra omnem injustitiam. Hæc enim maxima virtus est, propterea evenient omnia quæ locutus est ei Dominus. Opinor autem et aliud quiddam significare, cum dicit: « Abraham autem futurus est » in gentem magnam et multam, » quasi dicat: « Tu quidem, qui virtutem amplexaris, et meis obtemperas præceptis, obedientiamque præ te fers, in gentem magnam et multam eris. Impii autem illi Sodomorum regionem inhabitantes, disperibunt omnes. » Nam sicut virtus salutis causa est eam operantibus, ita et malitia interitus. Porro postquam benedictionibus et laudibus fiduciam majorem addidit Justo, incipit id quod dicturus erat, et ait: « Clamor » Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est apud me, et

» peccata eorum magna valde. Cum igitur descendero, vi- » debo utrum juxta clamorem ipsorum, qui ad me venit, » perficiant, necne, ut sciam[1]. » Terribilia verba. « Cla- » mor, inquit, Sodomorum et Gomorrhæ. » Quamvis et aliæ civitates simul perierint, sed quia hæ fuerunt clariores, ipsas solum commemoravit. « Multiplicatus est apud me, » et peccata eorum magna valde. » Vide quomodo mala coacerventur. Non solum magna est multitudo clamoris, sed etiam injustitiæ. Nam illud: « Clamor Sodomorum et » Gomorrhæ multiplicatus est, » opinor significare ipsos cum incnarrabili, et veniam nullam merente iniquitate, multas etiam injustitias alias exhibuisse, et insurrexisse potentiores contra invalidiores, ditioresque contra pauperes. Proinde non solum, inquit, magnus erat planctus clamoris, sed et peccata ipsorum non vulgaria fuere, sed magna, atque ingentia. Insolitum enim iniquitatis modum excogitaverunt, et alienas et illicitas coëundi leges invenerunt. Atque tanta erat malitiæ proclivitas, ut omnes omni malo replerentur, et nullam postea correctionem admitterent, dignique essent qui penitus abolerentur, neque enim incurabiles illorum morbi medicos ferebant. Postea docens omne hominum genus, licet magna valde et explorata sint peccata, non antea tamen pronuntiandam sententiam, quam manifestæ probationes adsint, inquit: » Cum descendero, videbo utrum juxta clamorem ipsorum, » qui ad me venit, perficiant, necne, ut sciam. » Quid sibi vult, et cur sermonem suum ita attemperat? « Cum des- » cendero, inquit, videbo. » Numquid de loco in locum transit universorum Dominus? absit. Non hoc sibi vult; sed, ut dixi, crassiori sermone nos instituere cupit magna opus esse diligentia; et non auditu solo peccatores condemnandos esse, neque sententiam ferendam, nisi compro-

[1] Gen. XVIII, 20, 21.

batio præcedat. Audiamus hæc omnes ; non enim solum ii, qui pro tribunali sedent, observare hanc legem debent, sed et nullus unquam ob nudam accusationem proximum condemnet. Idcirco enim et post hæc beatus Moses, Spiritu sancto afflatus, admonet, dicens : « Auditum vanum ne ac-» cipias [1]. » Et beatus Paulus, scribens, clamabat : « Tu » autem cur judicas fratrem tuum [2] ? » Christus quoque præcipiens Discipulis suis, et docens Judæorum multitudinem, Scribas eorum, et Pharisæos : « Nolite, inquit, judi-» care, ut non judicemini [3]. » Cur enim, inquit, ante tempus invadis judicis jus ? Cur prævenis diem illum terribilem ? Vis judex esse ? Judica temetipsum, et tua delicta. Nullus est qui vetet ; sic enim et peccata tua emendabis, et nihil ex hoc incommodi capies. Quod si, relictis rebus tuis, sedes ad judicandum alios, majores te tibi ipsi colligere peccatorum sarcinas non sentis. Idcirco, obsecro, fugiamus omnino a condemnandis aliis. Nam etsi judiciariæ potestatis non sis particeps, attamen judicasti mente, et peccato fecisti te obnoxium ; quando nulla demonstratione accepta, sed sæpenumero sola suspicione, et tenui accusatione condemnas. Quapropter beatus David clamabat, dicens : « Detrahentem secreto proximo suo, hunc per-» sequebar [4]. »

IV. Vidisti virtutis eminentiam ? Non solum non recipiebat quæ dicebantur, sed et abigebat volentem fratri suo maledicere. Igitur si et nos peccata nostra imminuere volumus, hoc maxime omnium servemus, nec condemnemus fratres nostros, neque detrahere cupientes admittamus : imo secundum Prophetam abigamus, et omnino aversemur. Hoc enim opinor et prophetam Mosem insinuare, cum dicit : « Auditum vanum ne acceperis. » Et hac

[1] Exod. XXIII, 1. — [2] Rom. XIV, 10. — [3] Matth. VII, 1. — [4] Psal. CIII, 5.

de causa etiam nunc Dominus tam crasso sermone usus est in utilitatem animarum nostrarum. Dicit enim : « Cum » descendero autem, videbo. » Cur enim ? Num nesciebat ? Ignorabat-ne peccatorum magnitudinem ? An nesciebat lapsos correctionem non suscepturos ? absit. Verum quasi satisfactionem quamdam affert iis, qui posthac impudenter accusare volent, et monstrando eorum pervicaciam et virtutis penuriam, tanta usus est patientia. Fortassis autem non propter hoc solum, sed et ut Justo detur occasio declarandi mentem suam misericordiæ plenam et bene in alios affectam. « Angeli enim, ut dixi, abierant in Sodoma : » Patriarcha vero stabat coram Domino. Et ut appropinqua- » vit, inquit, Abraham, dixit : Numquid perdes simul jus- » tum cum impio, et erit justus sicut impius [1] ? » O Justi viri fiduciam ! imo, o quanta animi commiseratio ! Quomodo commiserationis ebrietate gravatus nescit quid dicat. Et ostendens divina Scriptura ipsum magno timore et tremore preces fundere, ait : « Ut appropinquavit Abraham, » dixit : Numquid perdes simul justum cum impio ? » Quid facis, o beate Patriarcha ? Quid opus habet tua deprecatione Dominus, ut ne hoc faciat ? Verum ne hoc cogitemus : non enim quasi Domino hoc facturo dicit, sed quia manifeste propter fratris filium dicere non audebat, communes pro omnibus fundit preces, volens cum aliis et hunc servare, et cum hoc etiam alios eripere : incipitque patrocinari, ac dicit : « Si fuerint quinquaginta justi in civitate, » num perdes eos ? Non parces toti loco propter quinqua- » ginta justos, si inventi fuerint in ea ? Nequaquam facies » verbum hoc, ut occidas justum cum impio, et sit justus » sicut impius. Nequaquam. Qui judicas omnem terram, » non facies judicium [2] ? » Vide quomodo et in hac oratione suam religiosam et piam mentem declarat, et judicem

[1] Gen. xviii, 22, 23. — [2] Ibid. 24, 25.

omnis terræ confitetur, precaturque ne pereat justus cum injusto. Postea mitis et benignus Dominus annuit petitioni, et dicit: « Facio id quod dixisti, et accipio tuam petitionem. « Si invenientur quinquaginta justi in civitate, propter » illos parcam toti loco [1]. » Dabo hoc, inquit, quinquaginta justis, si inventi fuerint et aliis salutem impertiam, et petitionem tuam implebo. » Verum videamus Justum illum, quomodo arrepta fiducia, et agnita clementia Dei, iterum aliam petitionem affert, et inquit : « Nunc cœpi loqui ad » Dominum meum, ego autem sum terra et cinis [2]. » Ne putes, inquit, Domine, me ignorare meipsum, et transgredi mensuram, et tanta uti fiducia. Scio enim me terram esse et cinerem : sed sicut hoc scio, et manifeste scio, ita neque illud ignoro copiosam esse tuæ clementiæ magnitudinem, et te divitem esse bonitate, velleque omnes homines salvos fieri. Nam quos ex nihilo produxisti, quomodo factos perderes, nisi magna esset peccatorum copia ? Idcirco iterum oro et precor. « Si pauciores quinquaginta » inventi fuerint, et quadraginta quinque fuerint in civi- » tate justi, num salvabis civitatem ? Et dixit : Si inventi » fuerint quadraginta quinque, non perdam [3]. » Quis pro dignitate Dominum omnium laudarit, ob tantam patientiam atque indulgentiam : vel Justum beatum prædicarit, tanta præditum fiducia ? « Et adjecit, inquit, ultra lo- » qui, et dixit : Si inventi fuerint ibi quadraginta ? Et » dixit : Non perdam propter quadraginta [4]. » Exin quasi reveritus ineffabilem Dei patientiam Justus, et timens ne forte precando videatur transcendere modum, dicit : « Numquid, Domine, si loquar : Si inventi fuerint ibi tri- » ginta [5] ? » Quia paratum invenit ad misericordiam, non jam paulatim diminuit, neque quinque justos detrahit,

[1] Gen. XVIII, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 28. — [4] Ibid. 29. — [5] Ibid. 30.

sed decem, et sic affert patrocinium. « Si inventi fuerint » illic triginta ? Et dixit : Non perdam si invenerim illic » triginta [1]. » Animadverte quanta Justi constantia, quasi ipse foret obnoxius sententiæ, ita eripere studet a pœna Sodomitarum gentem. « Et dixit, quoniam possum loqui » ad Dominum : Si inventi fuerint ibi viginti ? Et dixit : » Non perdam propter viginti [2]. » Omnem sermonem transcendit, et omnem cogitationem Domini bonitas. Quis enim nostrum, qui in medio infinitorum malorum versamur, vellet ferendo sententiam contra proximos tanta uti indulgentia atque clementia ?

V. Verumtamen Justus ille, videns divitias clementiæ Dei, non subsistit, sed iterum dicit : « Numquid, Domine, » si loquar adhuc semel [3] ? » Nam quia ineffabilis erat tolerantia, propter hoc reveritus ne et indignationem adversus se moveret ejus qui rogabatur, dicit : « Numquid, Domine ? » Num temerarium quiddam facio ? dicit : « Num impudentiam præ me fero ? num opus condemnatione dignum facio, si loquar adhuc semel ? pro magna et inenarrabili bonitate tua, adhuc unam orationem accipito a me. « Si » autem inventi fuerint illic decem ? Et dixit ; Non per» dam propter decem [4]. » Et quia prius dixit : « Adhuc se» mel loquar. Abiit, inquit, Dominus, postquam cessaverat » loqui Abrahæ, et Abraham reversus est in locum suum [5]. » Vidistis Dominum ad nostram infirmitatem se demittentem ? vidistis et Justi erga alios affectum ? didicistis quanta vis sit eorum qui virtutem exercent ? « Si enim inventi fuerint, inquit, decem justi, propter illos omnibus remissionem concedo peccatorum. » Non bene dicebam hæc omnia facta esse, ut nulla postea relinquatur impudenter loquentibus contradicendi occasio ? Sunt enim multi insanientium, qui

[1] Gen. XVIII, 30. — [2] Ibid. 31. — [3] Ibid. 32. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 33.

infreni lingua et reprehendere et dicere audent : « Quare incensa sunt Sodoma? si patienter tulisset eos Dominus, forte pœnitentiam egissent. » Propter hoc ostendit tibi nequitiæ exuperantiam; ita ut in tanta multitudine tanta virtutis penuria fuerit, ut alio quodam diluvio indigeret, et quale prius in mundo fuit. Sed quia promissio Dei est, ut non ultra tale inferatur supplicium, propterea alium pœnæ modum excogitat, simul de illis pœnas sumens, et posteris omnibus perpetuam præbens doctrinam. Quoniam enim naturæ leges subverterant, et alienos illicitosque excogitarant coïtus, idcirco insolitum supplicii modum induxit propter illorum iniquitatem : et terræ viscera inutilia reddens, et relicto posteris monimento perpetuo, ut ne eadem aggressi in easdem incidant pœnas. Licet autem volenti ad loca illa pergere, videre ipsam terram, ut ita dicam, clamantem et ostendentem supplicii vestigia post tam multos annos, quasi heri vel hodie impressa, tam manifesta ostenditur indignatio. Ideo obsecro ut alieni supplicii exemplo nos castigemur. Sed forte dixerit aliquis : « Quid ergo ? cur illi pœnas dederunt ? nonne sunt etiam nunc multi qui eadem committunt scelera, neque tamen puniuntur? » Etiam : sed hoc potissimum majorem pœnam conciliabit iis qui talia perpetrant. Quando enim non castigamur ex iis, quæ illis acciderunt, et nec quidpiam nobis provenit lucri ex patientia Dei, cogita quomodo illum inextinguibilem ignem vehementius nobismetipsis succendimus, et acerbum vermem paramus. Verumtamen, quia propter gratiam Dei sunt et nunc multi virtute præditi, qui placare possunt Dominum, sicut tunc Patriarcha : tametsi nos, cum nos ipsos attendimus, et nostram videmus desidiam, putamus miram virtutis raritatem : attamen propter illorum virtutem, erga alios Deus patientiam exhibet. Et ut scias talium hominum fiducia nobis Dei patientiam

conciliari, audi ex hac ipsa historia, quid dicat Patriarchæ : « Si decem justos invenero, non perdam civitatem. » Et quid dico decem justos? nullus inventus illic ab iniquitate alienus, nisi solus Lot justus et ejus duæ filiæ. Uxor enim propter ipsum forte pœnam civitatis effugit, postea tamen pœnam dedit ignaviæ suæ. Nunc autem propter ineffabilem Dei misericordiam, quia pietas incrementum sumpsit, multi etiam in mediis civitatibus latentes possunt placare Deum, et alii in montibus et speluncis, paucorumque virtus multorum tegere valet malitiam. Multa enim Domini bonitas est, et sæpe solet etiam propter paucos multis dare salutem. Et quid dico, propter paucos justos? sæpe quando non inventus est in præsenti vita justus, propter defunctorum virtutem, viventium miseretur et curam habet : unde clamat dicens : « Protegam civitatem hanc » propter me, et propter David puerum meum [1], » quasi diceret : « Licet ipsi indigni sint qui serventur, et nullam salutis habeant occasionem : verum quia solitus sum misericorditer agere, et ad miserandum promptus sum et ad eripiendum e calamitatibus, propter meipsum, et propter puerum meum David protegam; et qui ante tot annos e vita migravit, hic auctor est salutis iis, qui sua sese perdiderant desidia. » Vidisti clementiam Domini, quomodo eos, qui virtute pollent, honore afficit, præponit, et toti multitudini æquiparat? Quapropter et Paulus dicebat : « Obambula- » verunt in ovilis, caprinisque pellibus, destituti, pressi, af- » flicti, quibus indignus erat mundus [2]. » Totus, inquit, iste mundus, et totus orbis non est conferendus iis, qui in afflictionibus et pressuris, et nuditate agunt et obambulant, et in speluncis versantur propter Deum. »

VI. Igitur, dilecte, quando videris virum vili externo habitu vestitum, virtute vero intrinsecus amictum, ne hunc

[1] 4 Reg. XIX, 34. — [2] Hebr. XI, 37.

vilipenderis propter id quod apparet : sed animæ divitias disce, et internam gloriam, et tunc videbis undique fulgentem virtutem. Talis erat beatus Elias, qui melotem tantum habuit, et qui purpura vestitus erat, Achab, illius melote indigebat. Vidisti Achabi inopiam, Eliæ autem divitias? vide et quantum potestate distent. Melote hujus cœlum clausit, pluviarum descensum inhibuit; lingua Prophetæ frenum fuit cœlo, annisque tribus et sex mensibus pluvia non fuit : ille autem purpura amictus et diademate redimitus, circumibat quærens Prophetam, et nihil lucri ex tanta potestate habebat. Cæterum vide Domini clementiam, quia vidit Prophetam multo zelo et fervore moveri, et magnam hanc pœnam inferri contra totam terram, ne et ipse simul in supplicium incideret cum illis, et eorum nequitiæ pœnas daret, dicit ei : « Surge, et vade in » Sarepta Sidoniorum. Illic enim præcipiam mulieri viduæ, » ut te pascat. Et surrexit, et abiit [1]. » Vide Spiritus gratiam, dilecte. Etenim et heri nobis totus sermo circa hospitalitatem insumptus est, et hodie hospitalis ista vidua sermonem nostrum complebit. « Et venit, inquit, ad vi- » duam, et invenit eam colligentem ligna, et dicit ei : Da » mihi parum aquæ, et bibam [2]: » Illa obedivit. « Et dixit ad » eam iterum : Fac mihi subcinericios panes, et come- » dam [3]. » Illa vero postea detegit immodicam suam egestatem, imo inenarrabiles divitias. Magna enim paupertas indicat divitiarum illius magnitudinem. Et dicit : « Non est » ancillæ tuæ nisi pugillus farinæ, et parum olei in am- » phora, et comedemus ego et pueri, et moriemur [4]. » Miserabilia verba, quæ ipsam lapideam animam inflectere possent. Nulla posthac nobis spes salutis. Mors in foribus est. Hoc solum nobis relictum est ad vitam, quod vix sufficiet mihi et puerulis : id quod erat in mea potestate feci,

[1] 3 Reg. XVII, 9, 10. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Ibid. 12.

aquam communicavi. Verum ut discamus et mulieris hospitalitatem, et Justi magnam fiduciam, vide quid fiat. Ubi Propheta diligenter hæc omnia didicit, ut detegeret nobis virtutem mulieris; nam Deus qui dixerat : « Præcepi mu» lieri, ut te pascat, » ipse erat qui tunc per Prophetam operabatur; dicit ei : « Fac mihi primum, et comedam, et » tunc filiis tuis [1]. » Audite mulieres, quæ divitiis affluitis, et in multa inutilia vestras facultates insumitis, ac post illa omnia duos obolos indigentibus, vel viro cuipiam virtute prædito propter Deum egeno, impendere non vultis. Ista autem nihil horum possidens, sed tantum pugillum farinæ, et paulo post secundum suam opinionem filiorum mortem spectatura, ut audivit a Propheta : « Fac mihi pri» mum, et tunc tibi et pueruli tuis, » non ægre tulit, non cunctata est, sed fecit imperata, erudiens omnes nos præferendos nostræ refocillationi servos Dei, et non temere talia lucra prætereunda, sed attendendum multam hinc nobis futuram esse mercedem. Vide igitur hanc viduam, pro pugillo farinæ, et pauxillo oleo, quomodo perpetuum horreum sibi comparaverit. Nam postquam pavit Prophetam, « Neque pugillus farinæ defecit, neque amphora olei [2], » cum interim fame terra omnis consumeretur. Est autem et hoc admirabile et stupendum eam neque laboribus postea opus habuisse, sed paratam perpetuo fuisse farinam et oleum, et neque agricultura indiguisse, neque boum cooperatione, neque ulla alia cura? sed videre erat omnia præter naturam evenire. Et cum rex, qui coronam capite gestabat, anxius esset, et fame laboraret, inops vidua omnibus destituta, quia Prophetam susceperat, in perpetuam venit abundantiam. Propterea et Christus dicebat : « Qui » susceperit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem » Prophetæ recipiet [3]. » Vidisti heri quid Patriarcha meruc-

[1] 3 Reg. xvii, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Matth. x, 41.

rit larga sua hospitalitate et fervida alacritate : vide et nunc hanc Sidoniam repente ingentes divitias possidentem. Lingua enim Prophetæ, quæ cœli habenas moderabatur, fecit ut farinæ pugillus et olei amphora jugiter scaturirent.

VII. Hanc omnes imitentur et viri et mulieres. Ego quidem vellem vos ad Prophetæ zelum, et ad ejus virtutis imitationem deducere ; sed quia hoc onerosum vobis videtur esse, quamvis et ille homo erat, carnemque sicut nos circumferebat, et eamdem quam nos habebat naturam ; verum quia quæ sua erant largiter attulit, atque virtutem amplexatus est, supernam quoque gratiam assecutus est. Cæterum interim nos vel mulierem hanc imitemur, et sic paulatim eo veniemus, ut etiam Prophetæ imitatores simus. Æmulemur itaque ejus hospitalitatem, et nullus posthac inopiam prætexat. Nam quantumvis inops sit aliquis, non erit hac egentior, cui ad unum tantum diem erat alimentum, et neque sic fuit segnior ad petitionem Prophetæ, sed magna alacritate ei paruit, et mercedem protinus recepit. Talia enim sunt, quæ a Deo fiunt. Mos ei dare magna pro parvis. Quid enim, dic, oro, tantum attulit, quantum accepit ? Verum Dominus noster, non quanta dentur consuevit attendere, sed voluntatis largitatem ; et ab hac quæ parva sunt magna redduntur, et magna sæpe vilia efficiuntur, quando non hilari animo quæ fiunt peraguntur. Eapropter vidua illa evangelica, multis multa in gazophylacium mittentibus, projectis duobus minutis omnes vicit, non quod immiserit plura aliis, sed quod liberaliorem voluntatem ostenderit[1]. Alii enim, inquit, ex eo quod sibi abundabat eleemosynam erogabant, ista autem omnia quæcumque possidebat, immisit. « Omnem enim victum suum, » inquit, injecit. » Ergo mulieres saltem imitemur viri, et non

[1] Luc. XXI, 3.

inferiores eis videamur; sed studeamus non solum ad nostrum usum omnem substantiam nostram impendere, sed et egenorum magnam habere curam, idque cum alacritate et hilaritate. Etenim agricola terræ concredens semina, non hoc cum tristitia facit, sed gaudens et lætabundus, et quasi jam spe manipulos videre se existimans, in terra seminat. Et tu, dilecte, ne solum respexeris ad eum qui recipit, neque ad sumptus qui fiunt; sed cogita illum quidem, qui a te accipit, esse visibilem, alium autem quæ in illum fiunt, sibi facta declarare; neque illum vulgarem quempiam esse, sed omnium Dominum, cœli terræque Conditorem; et sumptum illum redituum locum obtinere, nec solum non minuere substantiam tuam, sed augere magis, si cum fide et alacritate hoc feceris. Addam id quod præcipuum est bonum: præter hos reditus et lucra, quæ ex sumptu parantur, peccata etiam condonantur; cui bono quid par esse poterit? Si igitur volumus vere locupletari, et cum divitiis etiam peccatorum invenire remissionem, effundamus res nostras in egenorum manus, præmittamus eas in cœlum, ubi neque fur, neque latro, neque parietum effossor, neque famuli malitia, neque aliud quidquam nocere poterit divitiis nostris. Regio enim illa omnibus istiusmodi damnis superior est. Tantum ne vanam gloriam sectemur, sed sequamur leges a Christo traditas, ut non ab hominibus laudes percipiamus, sed a communi omnium Domino, ne et sumptus faciamus, et lucro destituamur. Ut enim ab insidiis aliis omnibus tutæ sunt divitiæ per manus pauperum eo translatæ, ita per vanam solum gloriam absumuntur. Et ut tinea et vermes vestes corrumpunt, ita et inanis gloria, divitias quæ misericordia colliguntur. Idcirco, obsecro, non solum faciamus eleemosynas, sed et caute faciamus, ut magna bona percipiamus pro parvis, et pro fragilibus incorruptibilia, et pro temporalibus æterna,

et cum his omnibus etiam peccatorum remissionem assequi possimus, bonaque illa ineffabilia ; quibus nos omnes potiri contingat, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto vivificoque Spiritu sit gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIII.

Venerunt autem, inquit, duo Angeli Sodoma vespere[1].

I. Quemadmodum floridum quoddam pratum varios et omnigenos flores in se ostentat, ita et divina Scriptura Justorum virtutes nobis demonstrat ; non ut, sicut illorum florum fragrantia, parvo tempore fruamur, sed ut perpetuam inde utilitatem recipiamus. Illic manu tantum carpimus flores, et protinus marcescentes suam gratiam amittunt; hic autem non sic ; sed quando auribus Justorum virtutes accipimus, et eas in sinu mentis reponimus per omne tempus, si volumus, eorum suavi odore frui poterimus. Age ergo, quia tanta Sanctorum in divina Scriptura fragrantia est, hodie Loti bonum odorem inquiramus, ut sciamus liquido Justum hunc in tantum virtutis apicem evectum esse Patriarchæ consuetudine, quæ effecit ut vestigia illius sequeretur, et peculiariter hospitalitatem exerceret. Verum ut manifestior sit sermo noster, operæpretium fuerit Scripturæ verba audire. « Venerunt autem, » inquit, duo Angeli Sodoma vesperi. » Quare sic incœpit et dixit : « Venerunt autem duo Angeli Sodoma vesperi ? » Quoniam postquam diversati sunt apud Patriarcham, et

[1] Gen. XIX, 1.

inde surgentes abierunt; ac clemens Dominus et curator, pro sua bonitate in humana figura visus, mansit apud Patriarcham, loquens cum eo, sicut heri audivistis : volens nos omnes docere et ingentem patientiam suam, et Patriarchæ charitatem; Angeli autem contendebant tunc versus Sodoma ; servans Scriptura suum ordinem dicit iterum : « Venerunt autem duo Angeli Sodoma vesperi, » facturi quod imperatum erat. Et vide diligentiam observationemque divinæ Scripturæ, quomodo tempus quo advenerunt nobis declararit; dicit enim « vesperi. » Et quare tempus significavit ? Et quare ad vesperam eo venerunt ? Ut ostenderetur nobis magna Loti hospitalitas. Sicut enim Patriarcha sedens tempore meridiei, observabat prætereuntes, et venationem suam hanc studiose exercebat et occurrebat ac magno gaudio viatores suscipiebat; simili modo et Justus ille, quoniam sciebat perversitatem eorum, qui in Sodomis habitabant, neque vesperi discedebat, sed manebat, ne thesaurus aliquis ipsi elaberetur, et ut hospitalitatis fructum decerpere posset. Vere admirari vehementer licet Justi hujus virtutem, qui versans in medio tam impiorum hominum, non solum non inde negligentior est factus, sed et majorem virtutem præ se tulit ; cumque omnes, ut ita dicam, in præceps ruerent, ipse solus in tanta multitudine rectam ambulavit viam. Ubi nunc sunt qui dicunt non posse quempiam in media civitate versantem virtutem servare; sed opus esse secessu, et montana quadam habitatione ; nec posse domui suæ præfectum, et uxorem habentem, et filios curantem ac famulos, virtute præditum esse? Videant ergo Justum illum cum muliere, pueris et famulis, in civitate degentem, atque inter tam malos ac impios conversantem et quasi scintillam quamdam in medio mari lucentem, nec solum non extingui, sed quotidie lucem clariorem emittere. Et hæc dico non prohibens seces-

sum ab urbibus, neque interdico montium et solitudinum conversationem; sed ostendo volenti sobrie agere et vigilare, nihil inde obstaculi esse. Sicut igitur negligenti ac supino nihil prodest solitudo, neque enim locus nos virtute facit præditos, sed mens et mores; ita et prudens atque vigil non offenditur, etiam in media civitate degens. Quocirca vellem, sicut Beatum illum, virtute præstantes in mediis civitatibus esse, ut quasi fermentum facti aliis, multos ad sui imitationem traherent. Verum quia hoc difficile videtur esse, saltem illud alterum fiat. « Transit enim figura mundi hujus[1], » et brevis est vita præsens; et nisi nunc, cum adhuc in stadio sumus, labores virtutum aggrediamur, et laqueos malitiæ effugiamus, postea in vanum nosmetipsos reprehendemus, quando nulla erit pœnitentiæ utilitas. Nam quandiu in præsenti vita fuerimus, possunt inde pœnitentes lucrum accipere, et ablutis prioribus peccatis, misericordiam Domini assequi. Quod si præterierimus tempus præsens, repenteque abrepti fuerimus, pœnitentia quidem tunc ducemur, nullam autem utilitatem inde capiemus. Quod ut discas, audi Prophetam dicentem : « In » inferno autem quis confitebitur tibi[2] ? » Et iterum : « Frater non redimit, redimet homo[3] ? » Nullus, inquit, erit illic postea qui eripiat eum, quem sua desidia prodiderit, neque si frater fuerit, neque si pater, neque si mater. Et quid dico, frater, pater et mater ? Neque Justi, quibus tanta apud Deum fiducia est, poterunt nobis tunc aliquid prodesse, si nunc desides fuerimus. Dicit enim : « Si steterint » Noë, et Job et Daniel, filios suos et filias non eripient[4]. » Et vide minarum gravitatem, qualesque Justos in medium adduxerit. Quoniam illi suis temporibus etiam aliis salutis causa fuerunt. Noë enim, cum terribilis illa diluvii tempes-

[1] 1 Cor. VII, 31. — [2] Psal. VI, 6. — [3] Id. XLVIII, 8. — [4] Ezech. XIV, 20.

tas terram occupasset, et uxorem, et filios servavit; et Job similiter aliis salutis auctor fuit; Daniel quoque multos eripuit a morte, quando barbarus ille inquirebat quæ supra humanam sunt naturam, et interimere volebat Chaldæos, et Magos, atque Gazarenos.

II. Et ne putemus in futuro sæculo fore talia, et eos qui virtute prædíti sunt, et fiduciam habent in Deum, alios qui hic negligenter vixerunt, necessarios suos liberare illic a supplicio posse; propterea adduxit nobis Justos illos, terrorem nobis inferens, et docens in propriis bonis operibus cum superna gratia spem salutis nostræ habendam, et non in progenitorum virtutibus, neque in alio quopiam superbiendum, vel confidendum, si nos in peccatis esse non desinimus, sed hoc unum curandum, ut si parentes habuerimus virtute claros, imitemur eorum virtutem; et si e diverso accidat, et ex improbis simus parentibus, non putandum nobis aliquid accidere nocumenti, dummodo exerceamur ad virtutum labores; nullum enim hinc nobis damnum erit. Nam unusquisque per ea vel coronatur, vel condemnatur, quæ ipse gessit, quemadmodum et beatus Paulus inquit: « Ut reportet unusquisque ea quæ per cor»pus fiunt, juxta id quod fecit, sive bonum, sive malum[1].» Et iterum: « Qui reddet unicuique juxta opera sua [2].» Quæ omnia cum sciamus, excussa omni negligentia, virtutis maximam habeamus rationem. Et cum adhuc in stadio sumus, et certandi tempus est, priusquam dissolvatur spectaculum, solliciti simus de nostra salute, ut in brevi illo tempore virtutes exercendo, in sæculo perpetuo illarum mercedes recipiamus, sicut et Justus ille, qui in medio tot malorum habitans, et nullum habens qui suam imitaretur virtutem, sed videns omnes irridentes et subsannantes, non solum non factus est segnior, verum tanta virtute

[1] 2 Cor. v, 10. — [2] Rom. II, 6.

emicuit, ut et Angelos suscipere meruerit ; atque cum illi simul omnes perirent, solus ipse cum filiabus effugerit pœnam, quæ illis illata erat. Cæterum ad seriem sermonis redeamus. «Venerunt autem duo Angeli in Sodoma vesperi.» Justi hujus excellentem virtutem tempus hoc potissimum indicat, quia et ingruente vespera permansit, et non destitit. Nam quia sciebat lucrum quod inde nascebatur, ideo hasce divitias assequi cupiens, valde sedulus erat et neque die impleto discedebat. Ita enim se habet anima fervida et vigilans, ut nullis impedimentis præpediatur quominus suam declaret virtutem ; quin et isthæc ipsa, quæ prohibent maxime, magis incitant, et majorem cupiditatis flammam accendunt. « Ut autem vidit, inquit, Lot, surrexit in oc- » cursum illis [1]. » Audiant ii, qui advenas orantes et supplicantes, ac sedulo se coram eis demittentes multa inhumanitate aversantur et repellunt. Vide enim quomodo Justus ille non expectavit donec ad se venirent, sed sicut Patriarcha, ignorans qui essent hospites, et suspicans viatores quosdam esse, quasi præ gaudio saltabat, quia assecutus erat quæsitam prædam, et non aberrarat ab eo quod cupiebat. « Ut autem vidit, inquit, surrexit in occursum illis, » et adorabat facie super terram [2]. » Gratias egit Deo, quod dignatus esset cum prætereuntium susceptione. Animadverte illius animæ virtutem, magnum Dei beneficium arbitrabatur incidisse in hos viros, ut susceptis illis suum perficeret desiderium. Jam ne dixeris ipsos Angelos fuisse, sed hoc potius tecum reputa Justum illum nondum hoc scivisse, sed quasi homines ignotos et prætereuntes suscipiens, ita affectum fuisse ; « et dixit : Ecce, domini, diver- » tite in domum pueri vestri, et manete, quiescite, et la- » vate pedes vestros, et diluculo facto proficiscemini in viam » vestram[3]. » Sufficiunt hæc verba ad detegendam virtutem

[1] Gen. XIX, 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 2.

quæ in pectore Justi latebat. Et quid mirum si quis obstupescat eximiam humilitatem ac fervorem, quem in hospitalitate declarabat? « Ecce, inquit, domini, divertite in » domum pueri vestri. » Et illos dominos vocat, ac seipsum illorum servum appellat. Audiamus attente hæc verba, dilectissimi, et similia nos quoque præstare discamus. Vir gloriosus, nobilis, tam abundans, tantus paterfamilias, viatores, hospites, ignotos, ut apparebant, viles, prætereuntes, nihilque ad se attinentes, dominos nominat et inquit : « Divertite in domum pueri vestri, et quiescite. » Vespera enim, inquit, ingruit. Morem mihi gerite, et lassitudinem dici solamini in domum servi vestri divertentes. Numquid magnum vobis promitto? Lavate pedes vestros itinere longo fatigatos, et filiculo pergetis in viam vestram ; hanc gratiam donate mihi, et petitionem meam ne frustremini. « Et dixerunt, inquit : Minime, sed in platea manebimus[1]. » Etiam post tantam exhortationem quam fecerat, cum vidit eos renuere, non obtorpuit, neque ab instituto suo destitit, neque fecit uti nos interdum facimus, qui, si quando aliquem hortari dignamur, et postea videmus parumper detrectantem et renuentem, statim desistimus : id quod contigit, quia citra desiderium et fervorem hoc agimus, et maxime quia putamus sufficere excusationem, si dicere possimus fecisse nos officium nostrum.

III. Quid ais, officium te tuum fecisse? Amisisti in venatione prædam ; aberrasti a thesauro ; et tuo functus es officio? Tunc tuo functus esses officio, si non abjecisses e manibus thesaurum, si non præteriisses in venatione prædam, si non perfunctorie et verbo tenus tantum hospitalitatem indicasses. At non Justus ille sic : sed quid? Videbat obluctantes suis precibus, et in platea manere volentes. Hoc autem faciebant Angeli, virtutem Justi palam

[1] Gen. XIX, 2.

facere volentes, et nos omnes docere quanta ejus fuerit hospitalitas. Postea autem non jam verbis contentus est exhortari, sed et vim facit. Propterea et Christus dicebat : « Violenti rapiunt regnum cœlorum [1]. » Ubi enim spirituale affulserit lucrum, tempestiva fuerit violentia, et laudabilis coactio. « Et compellebat, inquit, eos [2]. » Mihi autem videtur et invitos eos attrahere. Deinde ubi viderunt Justum ita fervente, nolentemque desistere, nisi voti compos fieret, « Declinaverunt, inquit, ad eum, et » intraverunt in domum ejus. Et fecit eis convivium, et » coxit infermentatos, et comederunt antequam irent cu- » bitum [3]. » Vidisti et hic non in sumptuosa mensa hospitalitatem ostendi, sed potius in liberalitate mentis? Nam statim ut eos inducere potuit in domum suam, nullum hospitalitatis officium prætermisit. Et ipse quidem in ministerio occupatus erat, et cibos apposuit, et omnem honorem cultumque impendit hospitibus, homines eos et viatores quosdam esse putans. « Viri autem civitatis Sodo- » mitæ circumdederunt domum a juvene usque ad senem, » omnis populus simul, et evocaverunt Lot, et dixerunt » ei : Ubi sunt viri, qui sunt ingressi ad te nocte? educ eos » ad nos, ut coëamus cum eis [4]. » Ne perfunctorie transeamus quæ dicta sunt, charissimi, et non solum istorum videamus insaniam nulla venia dignandam; sed et cogitemus, quomodo Justus in medio tam truculentarum bestiarum habitans, ita excellenti virtute fulserit, quomodo ferre potuerit iniquitatem eorum, quomodo non fugerit eorum civitatem, quomodo eis loqui potuerit. Quomodo? Ego dicam. Universi Dominus prævidens stupendam illorum nequitiam, dispensavit ut Justus eo loci domicilium haberet, ut sicut optimus medicus morbos eorum emendaret. Verum videns se cura sua nihil proficere, et illos

[1] Matth. xi, 12. — [2] Gen. xix, 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5.

nullam velle medelam suscipere, non propterea a cura destitit. Habet enim hunc morem medicus, quamvis videat morbos esse graviores quam ut arte curari possint, non omittit tamen officium suum, ut, si forte possit ægrum vel longo tempore reparare, præstantiam artis ostendat : quod si nihil amplius proficiat, habeat excusationem majorem, eo quod nihil prætermiserit quod ad se pertineret. Id sane et hic factum est. Justus enim hic, qui versabatur in medio illorum, etiam sic mansit justus, multamque philosophiam exhibuit : illi autem propterea omni venia sunt destituti, quod non solum a malitia non cessarint, sed et magis eam auxerint. Vide enim : « Circumdederunt, » inquit, domum a juvene usque ad senem, omnis popu- » lus simul. » Summa malitiæ conspiratio, vehemens male agendi studium, inenarrabilis perversitatis magnitudo, conatus nulla venia dignus. « A juvene, inquit, usque ad » senem. » Non solum, inquit, juventus hæc mala inquirebat : sed et provectæ ætatis viri aderant, et omnis populus simul. Neque erubescebant tam turpe, tamque impudens flagitium, neque insomnem oculum cogitabant, neque Justum reverebantur, neque iis, quos hospites arbitrabantur, quique apud Justum diverterant hospitalitate insignem, parcebant : sed absque rubore, et nudo, ut aiunt, capite, libidinis suæ verba dicentes, accesserunt, et vocato Justo, dixerunt ei : « Ubi sunt viri, qui ingressi » sunt ad vos? educ eos, ut cognoscamus eos. » Propter hunc eorum illicitum conatum, et impiam perversitatem, opinor Justum usque ad vesperam sedisse, ut ne sineret viatores ignaros incidere in illorum laqueos. Et Justus quidem cum hospitalitate et magna pudicitia hanc quoque adhibuit diligentiam, ut omnes prætereuntes susciperet, nullusque eum lateret, licet eos tunc non Angelos, sed homines esse putaret. Impii autem illi præterquam quod

nihil tale agebant, quale Justus ille, ea solum perpetrare studebant, quæ nequitiam omnem longo intervallo superarent. Propter hoc ergo in platea volebant manere, ut darent Justo occasionem declarandi hospitalitatem erga ipsos suam, et monstrarent ei reipsa quam digne suppliciis illi plecterentur, qui in tam stupenda flagitia prorumperent.

IV. Sed videamus de cætero ingentem Justi viri virtutem. « Egressus, inquit, ad eos ad vestibulum, januam »quidem clausit post se, dixitque ad eos [1]. » Vide quomodo timet Justus, et tremit pro hospitum securitate. Neque enim tantum januam clausit post se, sed sciens eorum insaniam et audaciam, et suspicans eorum temeritatem, deinde inquit ad eos : « Nequaquam fratres. » O Justi viri tolerantiam! o ingentem humilitatem! Hæc vera virtus est, ita mansuete alloqui tales homines. Nullus enim ægrum volens curare et insanientem castigare, cum iracundia et austeritate hoc facit. Et animadverte quomodo eos, qui tam absurda patrare volebant, fratres vocat, ut et eorum conscientias tangeret, et a nefario flagitio illos abduceret. « Ne»quaquam, inquit, fratres, nolite inique agere [2], » nihil tale cogitetis ; ne admittatis tam grave scelus in mentem vestram ; ne naturam ipsam traducatis ; ne illicitos excogitetis coïtus : sed si volueritis insaniæ vestræ furorem demulcere, ego quiddam præbebo, quo flagitium vestrum levius fiat : « Sunt mihi duæ filiæ, quæ viros non cógno»verunt [3]. » Adhuc, inquit, inexpertæ sunt nuptialis congressus, intactæ sunt, juvenes sunt, et adhuc in flore ætatis ; eas omnibus expositas do, et utimini eis sicut vobis placet. Acceptis illis, inquit, explete vestram in eis libidinem, et indulgete vestræ malæ concupiscentiæ : « Tan»tum in viros illos nihil feceritis iniquum, propterea quod

[1] Gen. xix, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

» intraverunt sub tecta tignorum meorum[1]. » Quoniam, inquit, coëgi eos et induxi sub tectum meum, ut ne mihi ascribatur iniquitas in eos patrata, et ego eis auctor sim contumeliæ, ideirco pro eis duas meas filias do, ut illi a manibus vestris liberentur. » Quanta Justi virtus! omnem virtutem hospitalitatis superavit. Quid enim quis Justi hujus benignitate sit dignum protulerit, qui neque filiabus parcere voluit, ut exhiberet hospitibus honorem, et liberaret eos a perversitate Sodomitarum? Et ille quidem filias suas prostituit, ut hospites viatores, iterum enim eadem dico, omnino ignotos, eriperet ab impiorum contumelia. Nos autem videntes sæpe fratres nostros in ipsum impietatis profundum, et prope dixerim, in fauces diaboli cadere, neque sermone eos dignamur, neque consulere, neque verbis admonere, et eripere a malitia, et ad virtutem manuducere. Qualem igitur habebimus excusationem, cum Justus neque filiabus parcat, ut hospitum servet curam: nos autem ita immisericorditer erga fratres nostros afficiamur, et sæpe frigida illa et absurditatis plena verba proferamus? Quid enim, inquit, mihi cum eo commune? mihi non est curæ, nihil mihi negotii cum eo. Quid dicis, homo? Nihil tibi commune cum eo? Frater tuus est, ejusdem tecum naturæ, sub eodem estis domino, sæpe etiam ejusdem participes mensæ, spiritualis illius, inquam, et terribilis, et dicis: « Nihil commune habeo cum eo; » et immisericorditer præteris, et non porrigis jacenti manum? Et Judæis quidem lex imperabat, ne inimicorum lapsa jumenta negligerent: tu autem fratrem tuum a diabolo sæpe sauciatum et jacentem non super terram, sed super peccati barathrum videns, tua exhortatione non retrahis, non admonitionem tuam adhibes, non alios in auxilium vocas, ut si fieri possit, a faucibus bestiæ membrum

[1] Gen. XIX, 8.

tuum eruere valeas, et ad suam reducere nobilitatem : ut et ipse, si quando ceciderit, quod absit, in laqueos mali dæmonis illius, possis habere aliquos qui te juvent, et liberent a manibus diaboli ? Sic et Paulus excitare volens Galatas, ut suis provideant membris, inquit : « Conside-» rans temetipsum, ne et tu tenteris[1] : » quasi diceret : « Si absque commiseratione et inhumane fratrem præteris, forte et te, si ceciderit, alius similiter præteribit. » Si igitur vis non despici sicubi labaris, ne ipse despexeris alium: sed magnam præ te fer benignitatem, et thesaurum crede maximum, si servare possis fratrem. Nihil enim huic unquam par fieri poterit, quod ad virtutem attinet. Nam si solum cogitaveris illum, quem despicis et præteris, a Domino tuo tanto in honore habitum fuisse, ut propter ipsum non refugerit et sanguinem suum effundere, sicut et Paulus dicit : « Et peribit infirmus frater in tua scientia, » propter quem Christus mortuus est[2] : » quomodo non præ pudore sub terra te abscondes? Si igitur propter illum Christus sanguinem effudit, quid magnum facies, si tuam in eum declares benevolentiam, et exhortatione verborum jacentem erigas, et animam mersam forte et submersam referas ex profundo malitiæ, et illud satagas ut videat virtutis lucem, ac non recurrat ad vitiorum caliginem?

V. Imitemur igitur, obsecro, Justum illum, et si periclitandum etiam fuerit pro salute proximi, non hoc subterfugiamus. Nam tale periculum nobis salutis fuerit occasio, multamque conciliabit fiduciam. Considera enim, obsecro, quomodo Justus ille toti populo, qui ita in malitiam conspiraverat, se opposuerit, et magnam clementiam ineffabilemque fortitudinem præ se tulerit, quamvis neque sic corrigere potuerit indomitam illorum insaniam. Quippe post verba illa, et tam eximiam mansuetudinem,

[1] Galat. VI, 1. — [2] 1 Cor. VIII, 11.

cum verbis suis quasi manibus prostituisset filias; quid dicunt ad eum? « Recede illuc. » O gravem ebrietatem! o ingentem insipientiam! In hunc modum se habet efferata et mala bestia concupiscentia, quando rationem vicerit, nihil decorum et honestum videre sinit, sed quasi in tenebris et pugna nocturna omnia facit. « Recede illuc, di» cunt: venisti ut esses advena, numquid etiam ut judicium » judices? Ergo nunc te affligemus magis quam illos[1]. » Vide quomodo Justus mansuete cum eis loquitur, illi autem quanta ferocitate respondent. Enimvero quasi a diabolo exagitati, et eo ducatum præbente, ita contra Justum insurgunt, et dicunt: « Venisti ut advena esses, numquid » etiam ut judicium judices? » Advenam te, inquiunt, suscepimus, num et judex noster es factus? O extremam improbitatem! oportebat erubescere, oportebat revereri consilium Justi: verum sicut insani etiam medicum impetere conantur, ita et illi. « Te, aiunt, magis affligemus » quam illos. » Si non vis, aiunt, silere et quiescere, disces te patrocinio tuo nihil aliud effecturum, præterquam quod illi quidem periculum effugient, tu autem in ipsum incides. « Faciebant autem vim Lot valde[2]. » Vide Justum illum quantam fortitudinem declarat, et tantæ multitudini opponere se tentat. « Et appropinquaverunt, inquit, » ut contererent januam[3]. » Nam quoniam egressurus, et horum insaniam prævidens clausit post se januam, non ferentes impii et scelesti illi admonitionem Justi, ipsum vi premebant, et januam conterere moliebantur. Sed quia operibus satis demonstrata fuerat Justi virtus, et hospitalitas erga eos, qui peregrini putabantur, necnon et conspiratio totius populi in malum, tunc et ii, qui advenerant, manifestarunt se. Et quia viderant Justum omne officium suum implesse, suam declarantes potentiam, suppetias

[1] Gen. XIX, 9. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

ferunt Justo, cui vis fiebat ab illorum insania. « Itaque, » inquit, viri manibus extentis attraxerunt Lot ad se in » domum, et januam domus clauserunt. Viros autem qui » erant apud januam, percusserunt cæcitate a parvo usque » ad magnum, et dissoluti sunt quærentes januam [1]. » Vides quo pacto Justus ille statim hospitalitatis accipit mercedem, et impii illi digna plectuntur pœna? Dicit enim : « Attraxerunt Lot in domum, et januam clauserunt : viros » autem percusserunt cæcitate a parvo usque ad magnum, » et dissoluti sunt quærentes januam. » Quoniam mentis eorum oculus excæcatus erat, propter hoc et visu privati sunt : ut discant nihil sibi prodesse corporales oculos, si oculi mentis fuerint excæcati. Et quia conspiraverant in malitia, et a malo conatu neque senes, neque juvenes abstinebant, ideo omnes excæcati sunt, et non solum excæcati, sed et viribus corporis destituti sunt : quandoquidem enim potiore hominis parte anima debilitati erant, idcirco viribus etiam corporis sunt destituti : et qui prius januam conterere nitebantur, adhibitisque minis cum Justo loquebantur, subito steterunt luxatis membris, et ante oculos sitam januam non videntes. Tunc quasi respiravit Justus, videns quales hospites essent, et quam magnæ virtutis. « Etenim dixerunt ad eum viri : Est quis tibi hic gener, » vel filii vel filiæ, vel alius quis in civitate [2] ? » Vide quomodo Justi hospitalitatem remunerant, et quomodo ei largiri volunt affinium omnium salutem. « Si quis est tibi, inquit, in civitate, si quem servare cupis, si quem scis ab istorum crimine alienum, educ ex hoc loco et de terra ; omnes qui tibi juncti sunt educ : « Perdimus enim nos lo- » cum hunc. » Deinde et causam afferunt, Justum omnia diligenter docentes : « Quia exaltatus est, inquit, clamor » eorum coram Domino, et misit nos Dominus ut extere-

[1] Gen. XIX, 10, 11. — [2] Ibid. 12.

» remus eos[1]. » Hoc erat quod dicebatur Patriarchæ Abrahæ : « Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est » apud me[2]. Exaltatus est, inquit, clamor eorum coram » Domino. »

VI. Grandis perversitatis eorum magnitudo, et idcirco quia incurabilis morbus, et vulnus hoc nullam curam recipit, misit nos Dominus ut extereremus eos. Et hoc est quod dicebat David : « Qui facit Angelos suos spiritus, » et ministros suos flammam ignis[3]. » Quia, inquit, advenimus ad hanc regionem delendam, propter malitiam enim inhabitantium, etiam terra pœnam accipiet; egredere tu hinc. » Hæc ut audivit Justus, et didicit causam propter quam affuerunt viri quidem, ut apparebant, Angeli autem revera et ministri Dei omnium. « Egressus Lot » locutus est generis suis, qui acceperant filias ejus[4]. » Atqui supra dicebat impiis illis : « Ecce duas filias habeo, » quæ nondum cognoverunt viros, » quomodo igitur hic dicit : « Generis suis, qui acceperant filias ejus? » Ne putes contraria esse hæc illis, quæ superius a Justo sunt dicta. Mos enim ille Veteribus erat, ante multum tempus sponsalia facere; sæpe item et cohabitare desponsatis, et simul cum parentibus versari; id quod et nunc multis in locis fieri solet. Quia igitur jam desponsatio facta erat, ideo vocat eos generos et dixit : « Qui acceperant filias ejus, » proposito videlicet ac mutuo consensu. « Et dicit : Surgite, » et exite de hoc loco : quia exterit Dominus civitatem. » Visus est autem ridicula loqui coram generis suis[5]. » Vide quomodo e malo illo fermento erant et isti Et propterea volens Deus cito liberare Justum ab illorum affinitate, non permisit ut commiscerentur cum filiabus Justi : sed cum impiis etiam illos perdidit, ut egressus Justus cum filiabus

[1] Gen. xix, 13. — [2] Id. xviii, 20. — [3] Psal. cm, 4. — [4] Gen. xix, 14. — [5] Ibid.

effugeret eorumcognationem. Itaque cum audirent a Jus to terribiles illas minas, quasi subsannabant, et putabant deliramenta esse quæ dicebantur : verumtamen Justus quod suum erat faciebat. Et quia semel illis filias desponsarat, voluit eripere eos a supplicio : at illi noluerunt, sed in moribus suis manserunt, et reipsa didicerunt se magno suo damno consilium Justi rejecisse. « Ubi autem, in- » quit, mane factum est, studiose adhortati sunt Angeli » Lot, dicentes : Surge, accipe uxorem tuam, et filias » duas quas habes, et exi, ut ne et tu cum iniquitatibus » civitatis pereas. Et turbati sunt[1]. » Ne differ, inquit : jam enim illis pernicies infligenda est : teipsum igitur et uxorem et filias serva. Illi enim qui noluerunt admonitioni tuæ parere, non longe post participes erunt communis interitus. Ne igitur differ, ut ne et ipse interneccionis istorum impiorum particeps fias. « Et turbati sunt, » ut hæc audierunt Lot et uxor et filiæ ; turbati sunt, inquit, hoc est, attoniti fuerunt, atque in nimium pavorem inciderunt, et propter minas anxii fuere. Et ideo Angeli curam agentes Justi, « Apprehenderunt, inquit, manum ejus. » Jam non ut de viris loquitur de eis Scriptura divina, sed quia plagam inflicturi erant, Angelos eos nominat et dixit : « Ap- » prehenderunt manum ejus, et manum uxoris ejus, et » manum filiarum ejus, eo quod parceret ei Dominus[2]. » Fiduciam addebant eis manuum contactu et roboraverunt eorum animum, ut ne timor eorum dissolveret robur, propterea adjecit : « Eo quod parceret ei Dominus. » Quia enim Dominus judicavit eum salute dignum, idcirco et Angeli volentes eorum animum roborare, manum eorum apprehendunt. « Et educentes eos foras, dixerunt : Salva » animam tuam, ne respicias post tergum : ne stes in omni » loco per circuitum : in montem salvum te fac, ne forte

[1] Gen. XIX, 15. — [2] Ibid. 16.

» simul abripiaris [1]. » Quoniam liberamus te ab impiis illis, inquit, ne ultra circumspicias post tergum, ne velis videre quæ illis eventura sunt, sed festina et procul perge, ut effugere queas pœnam eis infligendam. » Exin Justus timens ne forte non posset designatum ab eis locum assequi, et in montem pervenire, inquit : « Oro, Domine, » quia invenit puer tuus misericordiam coram te, et magnificasti justitiam tuam, quam facis mecum, ut vivat anima » mea : ego autem non potero salvari in monte, ne appre» hendant me mala, et moriar. Ecce civitas ista prope, ad » quam confugiam ego, parva est, ibi servabor, et vivet » anima mea propter te [2]. » Quia enim, inquit, semel decrevistis salutem mihi conferre, ascendere autem in montis verticem, id vires meas superat; ampliorem misericordiam mihi exhibete, et laborem meum leviorem reddite. Nequando igitur apprehendar a pœna quæ infligitur illis, et particeps fiam interitus eorum, civitatem hanc vicinam et parvam segregate mihi. Nam licet vilis sit et parva, attamen illic servatus, secure postea agere potero. « Et dixit » ei : Ecce admiratus sum tuam faciem et in verbo hoc, ut » ne subvertam civitatem de qua locutus es [3]. » Accepi tuas preces, inquit, et hoc faciam, ac quod petisti concedo, propterque te etiam civitati parcam. « Festina igi» tur, et occupa locum, ac salvare. Neque enim faciam » aliquid, donec illuc venias [4]. » Non potero, inquit, facere quidquam, antequam tu illuc ingrediaris : quia curam ago tuæ salutis, expectabo donec illuc abeas, et tunc eis infligam pœnam. « Sol igitur egressus est super terram, et » Lot intravit in Segor [5]. » Circa solis ortum, inquit, venit in civitatem; et statim cum ipse esset intra civitatem, illi supplicio plectebantur. « Pluit enim, inquit, Dominus su-

[1] Gen. xix, 17. — [2] Ibid. 18-20. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 22. — [5] Ibid. 23.

» per Sodoma et Gomorrha sulphur et ignem a Domino de » cœlo : et subvertit civitates illas, et quidquid circa eas ha- » bitabatur, et omnes qui habitabant in civitatibus, et omne » quod exoriebatur de terra[1]. » Ne ob hunc loquendi modum admiratione tenearis, dilecte, proprietas enim est Scripturæ, quæ indifferenter sic sæpe ponit verba : id quod et nunc videre licet. « Pluit enim, inquit, Dominus sul- » phur et ignem a Domino de cœlo, » ut dicat Dominum pœnam induxisse, et non solum civitates subvertisse, omnemque circa regionem, et omnes inhabitantes, sed etiam quæ exoriebantur de terra abolevisse. Quia enim homines, qui eam inhabitabant, multos impietatis fructus protulerunt, idcirco, inquit, et inutiles fructus terræ facio, ut et illis abolitis perpetuum sit monimentum sequentibus generationibus : terra, per suam sterilitatem, omnes docente quanta fuerit inhabitantium malitia. Vidisti quanta res sit virtus, et quanta res malitia : et quomodo Justus servatus sit, alii autem dignam sua malitia pœnam receperint? Et sicut Justus per suam virtutem et filias salvavit, et civitatis illius subversionem prohibuit : ita et illi propter ingentem suam malitiam, non solum ipsi perierunt et deleti sunt, sed et effecerunt terram inutilem in futurum. « Et respexit, inquit, uxor ejus post tergum, et facta est » columna salis[2]. » Nam quoniam audivit Angelos præcipientes Justo ut ne se converterent retrorsum, sed cum magna festinatione secederent, neglexit verba, et præceptum non custodivit, propterea suæ negligentiæ dedit pœnam.

VII. Cæterum nos audientes illa, nostræ salutis curam diligentiorem habeamus, et vitia illa ne imitemur caveamus. Imitemur Justi illius hospitalitatem et alias virtutes, ut possimus et supernam iram depellere. Neque enim possibile est ut qui virtutem hanc magno studio exerceat,

[1] Gen. XIX, 24, 25. — [2] Ibid. 26.

non grandem inde reportet thesaurum. Etenim Justi illi sic supernam gratiam consecuti sunt, tam Patriarcha, quam Lot, et qui homines suscipere se putaverunt, meruerunt suscipere Angelos, et Angelorum Dominum. Nobis quoque et nunc, si voluerimus, suscipere licet. Ipse enim est qui dixit : « Qui suscipit vos, me suscipit [1]. » Sic igitur hospites suscipiamus, et non ad externam vilitatem respiciamus. Enimvero, si tali mente hospitalitatem etiam nos exercuerimus, digni erimus et nos qui tales hospites excipiamus, qui videntur quidem viri, Angelorum autem virtutes operantur. Tantum ne curiosi exploratores et inquisitores simus, ut ne thesaurum perdamus. Quandoquidem et beatus Paulus hos justos subindicat, et docet nos quomodo tales hospites exceperint. « Hospitalitatis, » inquit, ne obliviscamini : propter hanc enim nescientes » quidam hospitio exceperunt Angelos [2]. » Hoc enim eos potissimum fecit admirabiles, quod eos, quos non noverant, ministerio suo honoraverint. Et nos igitur cum fide ac pietate rem obeamus, ut sic thesaurum assequi possimus. Quod nobis omnibus concedatur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spirita sit gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. x, 40. — [2] Hebr. xiii, 1.

HOMILIA XLIV.

Diluculo autem venit Abraham ad locum ubi steterat coram Domino [1].

I. Heri nos argumentum de muliere Samaritana satis docuit ineffabilem Domini longanimitatem, et excellentem erga illam providentiam, atque illius gratum animum. Vidistis quomodo, ut aquam sensibilem hauriret, advenit, et ex spirituali fonte divina flumina hausit, ac domum rediit, implens quod dictum est a Domino: « Aqua, quam ego » dabo, erit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam [2]. » Impleta enim ipsa divino illo et spirituali fonte, non detinuit intra se flumina; sed superscaturiens, ut ita dicam, effudit et in habitatores civitatis concessi sibi doni gratiam, et præconis officium egit mulier Samaritana et alienigena. Vidistis quantum bonum sit animi gratus affectus; vidistis Domini benignitatem, quomodo nullum contemnat, sed etiam in muliere, etiam in paupertate, et ubicumque invenerit animam vigilem ac fervidam, statim gratiam suam illi largiatur. Imitemur igitur, obsecro, et nos hanc mulierem, cumque magna attentione accipiamus doctrinam a Spiritu profectam. Neque enim nostra sunt quæ dicuntur, neque ex propria lingua loquimur quæcumque dixerimus, sed Domini benignitate dirigente propter vestram salutem et ædificationem Ecclesiæ Dei. Ne igitur ad me dicentem, charissime, neque ad tenuitatem meam respicias; sed quoniam ea, quæ Domini sunt, affero,

[1] Gen. XIX, 27. — [2] Joan. IV, 14.

ad eum, qui me misit, attenta mente conversus, vigili animo quæ dicuntur accipe. Quandoquidem et in humanis negotiis, quando imperator, diademate coronatus, litteras mittit, tunc is, qui eas affert, per se nullius momenti est, sed vir e trivio, qui sæpe neque progenitores numerare possit, obscurus, et ex obscuris : sed non ad illum spectant qui litteras suscepturi sunt, sed propter imperatorias litteras illi quoque multum exhibent honoris, ac litteras magna cum reverentia et silentio recipiunt. Si igitur is, qui hominis litteras et chartam tantum affert, sic omnibus acceptus est : multo magis vos convenit eloquia, quæ a Spiritu vobis per nos mittuntur, magna attentione suscipere, ut magnam grati animi recipiatis mercedem. Nam si viderit Dominus universorum animarum vestrarum alacritatem, et nobis largiores sumptus propter vestram ædificationem suppeditabit, et vobis majorem præbebit intellectum, ut ea, quæ dicuntur, intelligere valeatis. Liberalis enim est Spiritus gratia, et se in omnes effundens, nullam divisionem sustinet, sed cum distribuitur, magis crescit, et quanto plures sunt ejus participes, tanto et beneficium magis extenditur. Age igitur, si videtur, et hodie ad seriem eorum, quæ prius dicta sunt, veniamus, ac videamus ubi sermo desierit, et unde eum repetere hodie oporteat. Quonam igitur nuper appulimus, ac docendi finem fecimus ? De Lot vobis narrabamus, et de Sodomorum incendio, illic a sermone destitimus, ubi Justus in Segor servatus est. « Sol enim egressus est super terram, et Lot in» travit in Segor [1], » et tunc ira a Deo immissa Sodomitas apprehendit, et terram illam abolevit, quando et uxor Justi eorum, quæ ab Angelis dicta fuerant, immemor, spectavit retrorsum, et facta est columna salis, perpetuum monimentum posterioribus sæculis suæ negligentiæ præ-

[1] Gen. XIX, 24.

bens. Operæ-pretium nunc fuerit intermissæ seriei insistere, et pauca vestræ charitati loqui, ut iterum videatis charitatem et commiserationem Patriarchæ, et Dei in illum benevolentiam. Nam ubi orto sole justus Lot in Segor servatus est, qui autem Sodomis erant, pœnam luerunt; Patriarcha simul et illorum interitum miserans, quem propter suum peccatum sustinuerunt, et de Justo valde sollicitus, mane veniens spectabat quæ ibi facta fuerant. « Di»luculo autem venit, inquit, Abraham mane ad locum, »ubi steterat coram Deo, et respexit in faciem Sodomo»rum et Gomorrhæ, et in faciem circumjacentis regionis. »Et vidit, et ecce ascendebat flamma de terra, quasi fu»mus camini [1]. » In eo, inquit, loco, in quo collocutus est cum Domino, et pro Sodomitis rogavit, videbat terribilis illius pœnæ vestigia, et de Justo discere aliquid volebat. Is enim Sanctorum mos est, ut plurimum affectu moveantur, et compatiantur. Et ut doceat nos divina Scriptura Spiritus gratiam statim ipsi hujus rei notitiam concessisse, et Justum cura, quam pro Lot gerebat, liberasse, inquit: « Cum contereret Dominus civitates regionis illius, »recordatus est Deus Abrahæ, et emisit Lot e media sub»versione. »Quid est: « Recordatus est Deus Abrahæ? » Hoc est petitionis quam fecit, dicens: « Ne simul perdas »Justum cum impio [3]. » Cur igitur, dixerit aliquis, propter orationem Patriarchæ Justus servatus est, et non propter suam justitiam? Ita certe; etiam propter orationem Patriarchæ: quando enim quod ex nobis est simul afferimus, ipsa etiam intercessio Sanctorum plurimum nobis confert. Quod si ipsi negligentes fuerimus, et spem in illis solis nostræ salutis collocaverimus, nihil amplius nobis prodest, non quod minus valeant Justi, sed quia propter nostram desidiam nos ipsos prodimus.

[1] Gen. XIX, 27, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Id. XVIII, 23.

II. Et ut discas quomodo, cum negligentes sumus, etiamsi Justi sint qui pro nobis orant, etiamsi Prophetæ, nulla nobis inde sit utilitas; illi enim suam virtutem per hoc demonstrant, nobis autem ob improbos mores nulla erit utilitas; audi Deum universorum, ad eum, qui de utero matris sanctificatus est, Jeremiam prophetam loquentem: « Ne ores pro populo hoc, quia non exaudiam » te [1]. » Vide Domini benignitatem: prædicit Prophetæ ut ne, cum post orationem non exaudiatur, hoc suis peccatis tribuat; et ideo jam prænuntiat ei populi nequitiam, et prohibet ne precetur, ut et ipse scire queat ingentem Judæorum perversitatem, et illi sciant nihil eis prodesse Prophetam, nisi et ipsi quæ sua sunt proferre velint. Id scientes, dilecti, confugiamus ad Sanctorum preces, et oremus ut pro nobis intercedant: sed non illorum precibus tantum confidamus, sed et ipsi nostra, ut oportet, dispensemus recte, et ad meliora semper converti nitamur, ut locum demus orationi, quæ pro nobis funditur. Hoc et ad alium Prophetam dicit Dominus universorum: « Non vides quid ipsi faciunt? incendunt adipem, et pla- » centas faciunt exercitui cœli [2]; » ac si diceret: « Pro illis me rogas, qui a peccato non desistunt, qui carent sensu infirmitatis suæ, qua laborant, sed sic nullo dolore sunt affecti? Non vides summum eorum contemptum? non vides eorum magnam insaniam, quomodo nondum satientur impietate, sed quasi sus in luto se volutent in iniquitatibus suis? Annon, si vellent converti, audirent cohortantes? Nonne ego sum per Prophetas clamans, et dicens: « Et dixi, postquam ipsa scortata est: Post hæc omnia, » ad me convertere, et non est conversa [3]? » Num aliud quæro, quam ut quiescant a peccato tantum, et sistant mala? num pro præteritis rationem exigo, si videam illos

[1] Jer. VII, 16, et XIV, 11, 12. — [2] Id. VII, 17, 18. — [3] Id. III, 7.

velle resipiscere ? nonne quotidie clamo, dicens : « Num- »quid voluntate volo mortem peccatoris, sicut converti »eum et vivere [1] ? » Nonne propterea omnia facio, ut ab interitu eripiam eos, qui ab errore præoccupati sunt ? Annon, si videam conversos, differo ? Nonne ego sum qui dico : « Adhuc te loquente dicam, ecce adsum [2] ; » num sic ipsi suæ salutis avidi sunt, ut mihi in optatis est « Om- »nes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis ve- »nire [3] ? » Num enim vos ex nihilo produxi ut perdam ? num sine causa regnum futurum, et innumera bona præparavi? Annon propter hoc et gehennam minatus sum, ut hujus metu homines in regnum cœlorum introducam ? Ne igitur, o beate Propheta, illos relinquens, mihi afferas orationem, sed illud unum tibi curæ sit, ut illorum morbus sanetur, et in sensum infirmitatis suæ, atque ad valetudinem ipsi reducantur, et mea omnino sequentur. Neque enim moror, vel differo, quando video animam gratam : unum enim tantum requiro, nempe ut confiteantur peccata, et ab eis abstineant, et non ultra infero pœnam peccatis. Num grave et molestum est quod a me proponitur ? Nisi scirem deteriores fieri, quando priora peccata non confitentur, neque idipsum requirerem. Verum quia scio hominum genus magis ad peccatum vergere. propterea volo ut confiteantur priora peccata, et confessione prohibeantur ne in eadem recidant.

III. Hæc igitur cogitantes, dilecti, ac Domini benignitatem in animo versantes, ne simus desides ; sed magnam nostri ipsorum geramus curam, et peccatorum maculas purgemus, atque sic ad Sanctorum intercessionem properemus. Nam si sobrii et vigiles esse voluerimus, etiam per nos ipsos orantes, plurimum nobis proderimus. Nam quoniam clemens est Dominus noster, non sic annuit,

[1] Ezech. XVIII, 23. — [2] Isaï. LXV, 24. — [3] 1 Tim. II, 4.

cum ab aliis pro nobis oratur, ut cum a nobis ipsis. Vide bonitatem eximiam : nam si viderit nos, qui offendimus, et ignominiosi facti sumus, nullamque habemus fiduciam, paululum excitari, et ad clementiæ suæ divitias confugere volentes, statim precibus annuit, et manum porrigit jacentibus et lapsos excitat, clamatque dicens : « Numquid qui » cadit, non resurget [1] ? » Verum ut etiam ex rebus ipsis discatis quomodo multi per semetipsos orantes id quod cupiebant melius assequi valuerunt, quam per aliorum preces, operæ pretium fuerit eos, quibus id contigit, in medium producere, ut et nos imitemur, et ad æmulationem provocemur. Audiamus igitur quomodo Chananæa illa mulier, cum esset alienigena, et anima valde cruciaretur, ubi vidit Medicum animarum, et Solem justitiæ [2], qui exortus est iis, qui sedent in tenebris, accessit ad eum fervido et alacri studio mota : neque ideo segnior facta, quod vel mulier, vel alienigena esset : sed omnibus impedimentis repulsis, ut accessit, inquit : « Domine, miserere mei, » quia filia mea male a dæmonio torquetur [3]. » Verum qui scit abscondita cordium, tacet et non respondet, neque sermone eam dignatur, neque miseretur mulieris, quam videbat tanto cum ejulatu accedere ; sed differt, volens occultum mulieris thesaurum omnibus manifestum facere. Sciebat enim reconditam margaritam, quam nos latere nolebat ; et idcirco differebat, et nec responso dignabatur, ut posteris omnibus mulieris sedulitas magna foret doctrina. Et vide ineffabilem Dei bonitatem. « Ipse enim, in- » quit, non respondebat ei [4]. » Discipuli autem, qui admodum misericordes et benigni esse videbantur, non audent manifeste dicere : « Da ei quod petit, miserere ei, esto ei clemens. » Sed quid ? « Dimitte eam, quia clamat post nos [5], »

[1] Jer. VIII, 4. — [2] Malach. IV, 2. — [3] Matth. XV, 22. — [4] Ibid. 23. — [5] Ibid.

quasi dicerent : « Libera nos a molestia, libera nos a clamore quem excitat. » Quid igitur Dominus ? « Putatis me, inquit, absque causa tacuisse, et responso eam non fuisse dignatum ? audite : « Non sum missus nisi ad oves quæ perie- » runt domus Israël [1]. » Nescitis, inquit, alienigenam mulierem esse ? nescitis me vobis jam præcepisse ne iretis in viam gentium ? Quare igitur sine examine commiserationem erga eam declaratis ? » Considera multifariam Dei sapientiam, quomodo cum respondere videbatur, mulierem magis perstringebat quam silendo, et quasi letalem plagam dabat, provocare paulatim eam volens, ut discerent ignorantes Discipuli quanta in ea lateret fides. Sed neque sic tardior negligentiorve facta est visis Discipulis nihil proficientibus, neque dixit intra semetipsam : « Si non potuerunt illi Dominum pro me exorare, quare ego frustra sequerer, et continuo instarem ? » Sed quasi mente ab igne inflammata et succensa, visceribusque conscissis, accedit adorans, et dicens : «Domine, adjuva me [2]. » Ille autem neque sic adjuvat mulierem, sed responsum dat superiore gravius. « Non est, inquit, bonum ut tollatur panis filio- » rum, et detur canibus [3]. » Considera, dilecte, et hic admirare animæ ejus desiderium, et fidem eximiam. Ut audivit se canem dici, non gravatim tulit, non retrocessit : sed magno et pio affectu inquit : « Etiam, Domine : nam » et catuli edunt de micis mensæ dominorum suorum [4]. » Confiteor, inquit, catulum me esse, igitur sicut catulum dignare me micis mensæ pascere. » Vidisti mulieris fidem et probitatem ? Suscepit quod dictum est, et statim id, de quo sollicita erat, obtinuit, obtinuitque magnis cum laudibus. Quid enim dicit Christus ? « O mulier, magna est fi- » des tua : fiat tibi sicut vis [5]. » O mulier, admirationis

[1] Matth. xv, 24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 26. — [4] Ibid. 27. — [5] Ibid. 28.

verbum, et dictum laude plenum. « Magnam, inquit, declarasti fidem, propterea tanta tibi erunt, quanta vis. » Vide liberalitatis amplitudinem, et admirare Domini sapientiam: annon ab initio putabamus, cum sic repelleret eam, commiseratione illum carere? Et primum quidem non dignabatur responso, postea autem per primum et secundum responsum quasi abigebat, et eam, quæ cum tanto advenerat desiderio et fervore, repellebat. Verum a fine disce Dei bonitatem, cum nempe volentem eam clariorem reddere, tanta dilatione fuisse usum. Etenim si statim annuisset, nescivissemus nos mulieris virtutem : quia autem parumper distulit, et Domini cognovimus ineffabilem humanitatem, et illius fidem eximiam.

IV. Totam autem hanc historiam in medium afferre coacti sumus, ut discamus nos non tantum perficere per alios orantes, quantum per nos ipsos, siquidem cum alacri et vigili mente accedamus. Enimvero illa et Discipulos habens pro se orantes, nihil profecit, donec ipsa per se præsens et perseverans clementiam Domini sibi conciliaret. Atque parabola illa amici intempesta nocte venientis, et tres panes petentis, idem ipsum subindicat. « Nam etiamsi, » amicus licet, non exaudiat, attamen vel propter importu- » nitatem surget et ei dabit [1]. » Itaque cum videamus ineffabilem clementiam Domini nostri, accedamus ad eum, declaratis, et quasi ante oculos nostros propositis speciatim singulis peccatis nostris, etiam pro præteritis veniam petamus, ut in futuro majori diligentia viventes, uberiorem ejus benevolentiam assequamur. Verum redeamus, si placet, ad lectionis seriem. « Ascendit autem, inquit, Lot » in Segor, et sedit in monte, et duæ filiæ ejus cum eo. » Timuerunt enim habitare in Segor, et habitavit in spe- » lunca ipse, et duæ filiæ ejus cum eo [2]. » Justus, invales-

[1] Luc. XI, 8. — [2] Gen. XIX, 30.

cente adhuc timore, quem conceperat a plaga Sodomitis inducta, procul abit, et in monte, inquit, habitat cum filiabus suis, et in solitudine et vastitate extrema postea fuit cum filiabus, in monte sedem habens. « Dixit autem, » inquit, major natu ad juniorem : Pater noster senex est, » et nullus est super terram qui ingrediatur ad nos, juxta » morem universæ terræ. Veni, et potemus patrem nostrum » vino, et dormiamus cum eo, et excitemus semen ex patre » nostro [1]. » Cum reverentia et timore multo audiamus ea, dilecti, quæ in divinis Scripturis continentur : non enim temere et absque causa scripta sunt, sed omnia utiliter et e re nostra, etiam si nos quædam ignoremus. Non enim omnia possumus evidenter scire : sed si et causas reddere pro nostro captu tentemus, habent tamen adhuc latentem quemdam thesaurum a multis absconditum, nec investigabilem. Considera igitur quomodo Scriptura omnia manifeste narrarit, et nobis scopum ad finem ostenderit filiarum Justi ; et nunc quidem pro illis, nunc vero pro Justo dignam excusationem afferens, ut nullus ad factum respiciens, vel Justum condemnet, vel Justi filias, quasi congressus ille propter incontinentiam fuerit. Quomodo igitur filiarum Justi excusationem affert : « Dixit, » inquit, major natu ad juniorem : Pater noster est senex, » et nullus est super terram qui ingrediatur ad nos juxta » morem universæ terræ. » Vide scopum diligenter, et omni eas liberabis crimine. Putaverunt enim generalem totius orbis factum interitum, nullumque amplius esse superstitem ; deinde et patris viderunt senectutem. Ut igitur, inquit, non aboleatur genus, nec pereat nomen nostrum. Hæc enim erat priscorum maxima cura, quomodo genus suum liberorum successione dilatarent. « Ne ergo, inquit, nostri generis tota fiat abolitio, præsertim jam senio patre

[1] Gen. xix, 31, 32.

confecto, et nullus inveniatur vir qui nobis jungatur, ut possimus extendere et relinquere seminis nostri propagationem ; « Veni, inquit, ut ne hoc fiat, potemus patrem » nostrum vino. » Quasi dicere velit: « Quia nunquam ferret vel auribus hoc pater, vino decipiamus eum. « Potaverunt » autem patrem suum vino nocte ista, et ingressa est se- » nior, et dormivit cum patre suo : et nescivit quando » illa accubuerit, vel surrexerit [1]. » Vidisti quomodo divina Scriptura pro Justo rationem dederit non semel tantum, sed et iterum? Prius quidem, quia filiæ vino ipsum deceperunt, declaravit eas non aliter potuisse persuadere patri, quam sic faciendo : nunc autem opinor et superna dispensatione esse factum, ita fuisse eum aggravatum vino, ut rem omnino ignoraret, ut noxa et crimine vacuus esset. Ea enim peccata nos condemnant, quæ scientes et voluntarie facimus. Vides quomodo testimonium præbeat Justo Scriptura ipsum omnino rem gestam ignorasse. Verum altera quæstio surgit de ebrietate. Oportet enim omnia investigare, ut nulla improbis et impudentibus calumniandi relinquatur occasio. Quid igitur de hac re dicemus? Non tam ex intemperantia illi accidisse ebrietatem, quam ex tristitia.

V. Nullus igitur audeat aut Justum, aut Justi filias condemnare. Quomodo enim non esset extremæ dementiæ et insipientiæ, si eos, quos divina Scriptura ab omni liberat crimine, imo pro quibus tantam apologiam componit, nos innumeris peccatorum sarcinis pleni condemnemus : et non audiamus Paulum dicentem : « Deus qui justificat, » quis est qui condemnet [2]? » Et ut discas hoc non in vanum et simpliciter factum esse, sed tristitiam nimiam, accedente vino, nullum ei reliquisse sensum, audi quid dicat : « Et factum est die sequenti, dixitque major natu ad ju-

[1] Gen. xix, 33. — [2] Rom. viii, 33.

»niorem : Ecce dormivi heri cum patre nostro : pote-»mus igitur cum vino et nocte ista, et ingressa dormi cum »eo, et excitemus ex patre nostro semen [1]. » Vides quomodo recta sententia hoc faciebant : Nam, quia potui, inquit, ego quod quærebam implere, necessarium est et te idem facere : forte enim votorum nostrorum compotes erimus, et non in æternum genus nostrum peribit. « Pota-»verunt autem et nocte illa patrem suum vino, et ingressa »est junior, et dormivit cum patre suo : et ignoravit ille »quando ipsa vel accubuerit, vel surrexerit [2]. » Considera, dilecte, totum factum fuisse divina dispensatione, sicut et primo homini evenit. Nam sicut illic ex dormientis latere portio sumpta est, eo non sentiente, sed qui finxerat latus illud, inde uxorem Adæ produxit : simili modo et nunc. Nam si costæ ereptio, excessu mentis a Deo immisso, absque illius sensu fuit : multo magis et nunc ita factum est. Nam id quod dixit illic divina Scriptura : « Immisit »extasim in Adam, et dormivit [3] : » hoc et hic significavit, dicendo : « Nescivit quando vel accubuerit, vel sur-»rexerit. Et conceperunt, inquit, de patre suo. Et peperit »major natu filium, et vocavit nomen ejus Moab, dicens : »Ex patre meo. Hic pater est Moabitarum. Peperit autem »et junior filium, et vocavit nomen ejus Amman, dicens : »Filius generis mei. Hic est pater Ammanitarum [4]. » Vides id non fuisse incontinentiæ opus, cum nomina statim natis indiderint, quibus factum significabant, et in filiorum nominibus quasi in columna ferme quadam memoriam facti inscripserint, et jam tum præsignarint gentes ex eis futuras esse, et in multitudinem se propagaturum natorum genus : « Nam ille quidem, inquit, pater erit Moabitarum, iste autem Ammanitarum. »

[1] Gen. XIX, 34. — [2] Ibid. 35. — [3] Id. II, 21. — [4] Id. XIX, 36-38.

VI. Verum tunc quidem, quoniam origo et initia erant, per generis successionem memoriam suam volebant conservare, tantum ejus rei studium fuit Justi filiabus. Nunc autem quia per gratiam Dei religio majora sumpsit incrementa, et secundum beatum Paulum : « Præterit figura »mundi hujus [1], » opera bona agendo, memoriam nostri relinquamus : ut cum hinc migraverimus, vitæ nostræ diligens et accurata ratio sit monimentum et doctrina omnibus, qui in nos respicient. Nam qui virtute prædili sunt, et castam vitam ducunt, non solum in hac vita degentes, sed et post vitæ exitum, plurimum prodesse poterunt iis, qui in se respexerint. Et ut hoc discas, vide, obsecro, quantus annorum numerus transiit usque in hodiernum diem ; ac quoties volumus aliquos in æmulationem continentiæ provocare, Joseph in medium afferimus speciosum, formosum, adolescentem, in ipso ætatis flore tantam castitatis constantiam præ se ferentem : et sic ad imitationem Justi hujus auditores provocare studemus. Quis enim non admiraretur Beatum illum, qui in servitute existens, et in ipso flore ætatis, quando maxime fornax concupiscentiarum accenditur, cum videret dominam suam invadentem, et insanientem in se, tantam ostendit fortitudinem, et ita ad castitatis agones se exercuit, ut ab intemperante illa muliere nudus quidem vestibus profugeret, castitatis autem indumentum servaret; licebatque videre rem novam et admirabilem, agnum in lupi, imo leænæ ungues incidisse, et servari tamen potuisse. Et sicut columba aquilæ damnum effugit, ita et Justus ab illius manibus evasit. Non sic admirabile mihi videtur esse tres pueros illos in medio babylonicæ fornacis ignem vicisse, illæsis eorum corporibus [2], ut mirabile et rarum est Justum istum, qui in fornacem hanc, babylonica multo graviorem, in in-

[1] 1 Cor. VII, 31. — [2] Dan. III, 50.

continentiam inquam Ægyptiæ incidisset, intactum permansisse, puroque castitatis indumento servato, exiisse. Et ne mireris, dilecte : quia enim quod suum erat attulit, habuit supernam gratiam comitem, quæ incendium illud restingueret, et in media fornace rorem Spiritus daret. Vidistis quomodo viri virtute præditi, et cum hic adhuc præsentes sunt, et post migrationem ex hac vita magnæ utilitatis auctores nobis sint? Atque ob eam causam Justum illum in medium adduximus, ut eum omnes sequamur. Hunc igitur omnes imitemur, et concupiscentias nostras vincamus, scientesque illud : « Non est nobis pugna ad» versus sanguinem et carnem : sed adversus principatus » et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum hujus » sæculi[1], » sic nos ipsos armemus, et cogitantes nos, corpore circumdatos, adversus incorporeas cogi virtutes certare, muniamur armis spiritualibus. Propter hoc enim benignus Dominus, quia carne vestiti sumus, et est nobis adversus invisibiles virtutes certamen, invisibilia nobis præparavit arma, ut auxilio armorum naturæ adversarios expugnemus. Bene igitur fidentes armorum potentiæ, quod a nobis est afferamus, et poterimus hac spirituali armatura muniti, ipsam diaboli faciem ferire. Neque enim ferre poterit fulgorem qui inde egreditur, sed etsi conetur stare ex adverso, statim excæcabitur. Ubi enim continentia et honestas, aliarumque virtutum concursus, illuc et larga Spiritus gratia advolat; quapropter Paulus dicebat : « Pa» cem sectemini cum omnibus, et sanctificationem [2]. » Purificemus igitur, obsecro, conscientias nostras, et extergamus mentem nostram, ut omni sordida cogitatione liberati, Spiritus gratiam nobis conciliemus, superemusque diaboli machinationes, ac mereamur ineffabilibus illis bonis frui, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi,

[1] Ephes. VI, 12. — [2] Rom. XII, 18. Hebr. XII, 14.

cui cum Patre, et sancto Spiritu sit gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLV.

Et movit illinc Abraham in terram versus Africum, et habitavit inter Cades et inter Sur, et peregrinus fuit in Geraris [1].

1. Gaudeo, cum vos frequenter video ad concionem accurrere, ac magna cum voluptate doctrinam nostram suscipere, gaudeo ; ideoque in dies majori alacritate pauperem hanc nostram et tenuem mensam vobis apponere studeo. Vestra enim ciborum immodica appetentia mensæ nostræ vilitatem obtegit, parvaque facit ut magna appareant : id quod et in sensibilibus eduliis videre licet. Nam sicut, cum satiatos quis excipit convivas, licet magna sumptuosaque apponat fercula, illorum satietate minuitur appositorum lautitia ; et magna nonnunquam nullius videntur momenti, eo quod convivæ absque edendi aviditate advenerunt : ita contra, si quis famelicos suscipiat et esurientes, licet illis tenuem proponat mensam, splendida tamen illa apparebit convivis, multa cum voluptate atque aviditate apposita comedentibus. Sic et nos bene fidentes spirituali vestro appetitui, non gravamur pauperem et vilem hanc mensam vestræ charitati assidue apponere. Hoc et Sapiens quidam dicebat : « Melius est convivium olerum » cum charitate, quam bos de præsepio cum odio [2]. » Quo docet charitatem aliter videre apposita, illiusque oculis

[1] Gen. xx, 1. — [2] Prov. xv, 17.

vilia apparere ea, quæ sumptuosa sunt, et parva quæ magna. Quid igitur beatius nobis, qui apud tot auditores, tamque ferventi et sollicita charitate prædítos disserimus? Nihil enim tantopere dicenti necessarium est, ut auditoris benevolentia. Quandoquidem cum videt auditores fervere desiderio, firmatur et ipse, et magnum sæpe robur, ut ita dicam, accipit, sciens quanto sumptuosiorem mensam spiritualem proponit, tanto majorem sibi copiam accedere. Secus enim se habent sensibilia, quam spiritualia. Illic enim mensæ largitas sumptum parit, et convivium exhibentis imminuit substantiam : hic autem omnino aliter, quanto plures sunt participes, tanto plus substantia nostra accrescit. Neque enim nostra dicimus, sed ea quæ in vestram utilitatem Dei gratia per suam benignitatem suppeditat. Age igitur, quia cum tanta alacritate et tanta lætitia ad audiendum acceditis, iterum jam lecta indagemus, et quod inde provenit lucrum percipiamus. Nam quia secundum magnam illam exhortationem Christi dicentis : « Scrutamini Scrip»turas [1], » thesaurus magnus in Scripturis est reconditus, et in profundo latet ; idcirco scrutatione opus, ut cum didicerimus virtutem, quæ in profundo occulta est, multam inde utilitatem decerpere queamus. Etenim propterea Justorum omnium virtutes, Spiritus sancti gratia et dispensatione, in Scripturis sunt traditæ, ut nos continuam habentes doctrinam, ad æmulationem et imitationem Justorum vitam nostram instituamus. Audiamus igitur divinam Scripturam, quid et hodie nobis de Patriarcha narrare velit. « Et movit, inquit, illinc Abraham in terram ver»sus Africum, et habitavit inter Cades et inter Sur, et »peregrinus fuit in Geraris [2]. Et movit, inquit, illinc. » Unde movit ? a loco ubi tabernaculum fixerat ; ubi et universi Conditorem cum Angelis suscipere ei concessum fuit.

[1] Joan. v, 39. — [2] Gen. xx, 1.

« Illinc, inquit, cum movisset, peregrinus fuit in Geraris. » Vide Justorum vitæ rationem, quam contracta illis fuerit et minime supervacua suppellex ; quomodo facile transmigrabant, vitamque suam instituebant sicut peregrini et advenæ, et nunc hic, nunc illic tabernacula erigebant, quasi peregre degentes, non sicut nos facimus, qui habitantes in aliena terra quasi in patria, domos extruimus splendidas, porticus et deambulacra, et villas possidemus, et balnea paramus aliaque innumera. Sed vide quomodo Justus substantiam suam in vernaculis tantum et pecoribus possidens, et nunquam in eodem loco persistens, aliquando quidem in Bethel figit tabernacula, aliquando autem apud quercum Mambre, aliquando in Ægyptum descendit, nunc autem in Geraris tabernaculum figit, et omnia facile sustinet, gratamque erga Dominum mentem per omnia manifeste declarat. Et post tantas promissiones, quæ ei a Deo factæ erant, videns se in tantis versari difficultatibus, et in varias diversasque tentationes incidere, quasi adamas immotus persistit ; piamque suam mentem ostendens, nullis obstaculis negligentior evadit. Vide enim et nunc, dilecte, qualis tentatio eum in Geraris invadit, et admirare fortitudinem et virtutem Justi, quomodo quod omnibus intolerabile, et quod neque auribus suscipere quis vellet, hoc ipse sustinuit, non ægre ferens, neque exigens a Domino rationem eorum, quæ fiebant, sicut plerique homines faciunt, hique innumeris peccatorum sarcinis pressi. Nam cum in difficultates quasdam inciderint, statim obmurmurant, et curiosius inquirunt, dicuntque : « Quare hoc et hoc evenit ? et quare hoc permissum est ? » At Justus ille non sic : unde et illi amplius supernum auxilium est concessum. Hoc enim vere grati servi fuerit, ut nunquam curiosior sit in iis explorandis, quæ a Domino fiunt, sed in silentio et gratiarum actione suscipiat omnia.

II. Et animadverte quomodo etiam per illas ipsas, quæ sequuntur, tentationes Justi virtus magis emicuit, Deo clarum illum per omnia ostendente. Nam sicut quando in Ægyptum descendit, ut ignotus et peregrinus, et nulli agnitus, subito magno cum honore inde redit : ita et nunc, cum peregrinus esset in Geraris, in ipsis quidem initiis quod suum erat fecit : postea vero tanto Dei subsidio munitus est, ut et rex et omnes, qui in ea regione habitabant, omni studio ministrare Justo studerent. « Dixit autem, in- » quit, Abraham de Sarra uxore sua : Soror mea est. Timuit » enim dicere : Uxor mea est, ne forte occiderent eum viri » civitatis propter illam [1]. » Vide quomodo a violentissimis affectionibus anima Justi impugnetur, et timor eum incessat. Et quamvis prior timor, ne mulierem amittat, gravis fuerit, timor tamen mortis illum expulit. Ut enim hunc effugeret, sustinuit suis oculis videre sociam vitæ suæ in regis manus incidere. Quam sit autem hoc toleratu difficile, sciunt qui uxores habent. Unde et Sapiens quidam dicebat : « Plenus zelo furor viri ejus, non parcet in die judicii, » nullo pretio mutabit inimicitias [2]. » Verum grave hoc et omnibus intolerabile, vide quomodo propter mortis metum ille tulit. Hoc sane et in corporalibus affectionibus contingere solet : nam quando duo morbi simul infestant corpus nostrum, unius incrementum tegit alium, et totos nos ille gravior dolor sibi vindicat, ita ut sæpe minorem dolorem a majori distracti non sentiamus. Eodem modo Justus quoque ille nunc videns urgere dolorem mortis, cætera omnia tolerabilia censebat. Cæterum hæc audiens, dilecte, ne condemnes Justum ob pusillanimitatem, quod mortem timuerit : sed potius admirare Conditoris universi erga nos benignitatem, quod mortem Justis illis et Sanctis tunc terribilem, nunc ita despiciendam dederit Christus, ut

[1] Gen. xx, 2. — [2] Prov. vi, 34.

quam formidabant viri illi, virtute clari, et tanta erga Deum fiducia freti, nunc derideant et juvenes, et teneræ virgines. Nihil enim aliud mors est, quam somnus et peregrinatio, atque transmigratio a deterioribus ad meliora. Mors enim Domini immortalitatem nobis donavit, et ut descendit in infernum, dissolvit ejus nervos, roburque destruxit : et quod antea terribile erat et implacabile, hoc nunc despiciendum dedit, adeo ut nonnulli exiliant et festinent, cum hinc est migrandum. Proinde et Paulus clamat, dicens: «Dissolvi, et cum Christo esse multo melius [1].» Verum hæc quidem nunc post Christi adventum, postquam confractæ sunt portæ inferni æreæ, postquam Sol justitiæ ubique terrarum affulsit. Tunc autem terribilem adhuc habebat faciem, concutiebatque justorum hominum illorum mentem : ideo et omnia alia leviter ferebant, etiam quæ intolerabilia esse videbantur. Hinc est quod et Justus ille timens eorum, qui in Geraris habitabant, insidias, domicilium ibi habuerit, non ut uxorem, sed ut sororem secum habens ; ita nunc in hac regione peregrinus degit. Et sicut cum in Ægyptum eum descendere permisit Deus, volens improbos illos et socordes discere Justi virtutem : ita et hic tolerantiam suam exhibet Dominus, ut Justi patientia in omnibus eluceat, fiatque Dei in ipsum benevolentia manifesta omnibus. « Misit autem Abimelech rex » Gerarorum, ut acciperent Sarram [2]. » Cogita hic, quæso, tempestatem cogitationum, quam tulit Justus videns uxorem suam abduci, et se nihil posse juvare eam. Silenter enim ferebat omnia, sciens fore ut se non despiceret Dominus, sed acceleratum adhiberet subsidium. Admirabilis quoque Sarræ amor est, quæ periculo mortis Justum eripere voluit. Poterat enim ipsa detegendo factum, certam contumeliam effugere : sed pertulit omnia fortiter, ut viro

[1] Philip. I, 23. — [2] Gen. XX, 2.

salutem pararet. Et impletum est illud dictum : « Erunt » duo in carnem unam [1]. » Tanquam enim una essent caro, ita mutuæ salutis curam vicissim agebant, et tantam declarabant concordiam, quasi unum essent corpus et una anima. Audiant hæc viri, audiant mulieres : et istæ quidem ut eumdem erga suos viros amorem declarent, nihilque aliud illorum præferant saluti : viri autem, ut erga uxores habeant benevolentiam, et quasi unam animam haberent et unum corpus essent, omnia faciant.

III. Hoc enim verum est conjugium, quando tanta inter eos est concordia, quando vinculo charitatis ita sunt concatenati. Sicut enim corpus nunquam a semetipso dissidet, neque anima adversus seipsam : ita virum et mulierem non convenit dissidere, sed unitos esse. Tunc enim bona infinita ipsius affluere poterunt. Nam ubi concordia, ibi bonorum confluxus, ibi pax, ibi charitas, ibi spiritualis lætitia ; nullum bellum, nulla rixa ; nusquam inimicitiæ et contentio : sed hæc omnia e medio tolluntur per concordiam, bonorum omnium radicem, quæ omnia illa simul abolet. « Misit autem Abimelech rex Gerarorum, et » accepit Sarram. Et intravit Deus ad Abimelech in somno » noctu, et dixit : Ecce tu morieris propter mulierem, quam » abstulisti : ista autem contubernalis est viro [2]. » Vide Dei clementiam : quia vidit Justum propter metum mortis Sarram sibi ablatam esse fortiter ferre, et regem eam ut sororem Justi abducere, suam demum declarat providentiam, Justum quoque illustriorem reddit, et Sarram ab injuria, regem vero a peccato liberat. « Et intravit, inquit, » Deus ad Abimelech in somno noctu. » Per ipsum, inquit, somni tempus eripere eum volens ab iniquitate, dedit menti ejus scientiam et occulta manifestavit, multumque metum auxit interminando mortem. « Morieris enim, in-

[1] Gen. II, 24. — [2] Id. XX, 3.

» quit, propter mulierem, quam abstulisti : ista autem con-» tubernalis est viro. Abimelech autem non tetigerat illam [1].» Hæc autem omnia facta sunt, ut Dei promissio facta Patriarchæ impleretur. Enimvero quia paulo antea ipsi promiserat Isaac esse nasciturum, et prope aderat tempus : ut ne quid officeret promissioni Dei, tantum timorem in Abimelech immisit, ut perculsus animo Sarram attingere non auderet. Propter hoc enim adjecit divina Scriptura : « Abimelech non tetigerat illam : » sed et de facinore se defendit ac dicit : « Domine, gentem justam et ignorantem » perdes [2] ? » Numquid sciens, inquit, uxorem ejus esse, hoc feci ? numquid injuria peregrinum afficere volens ? numquid ut uxorem ejus auferens ? ut sororem eam accepturus hoc egi, ratus hoc nomine et hunc et illam honorari. « Gen-» tem igitur justam et ignorantem perdes ? » me-ne justi officio functum perdes ? » Deinde clarius afferens quod dicebat, inquit : « Nonne ipse mihi dixit : Soror mea est, et ipsa » mihi dixit : Frater meus est [3] ? » Vide cum quanto consensu et concordia hoc egerint. Et ipse, inquit, hoc mihi dixit, et ipsa astipulata est dictis ejus. « In corde puro, et » in justitia manuum feci hoc [4], » inquit ; non ut iniquam rem facturus, sed ut legitimam et licitam irreprehensibilemque feci. » Quid igitur benignus Dominus ? « Dixit autem » ei Deus in somno. » Vide quomodo se attemperat omnium Dominus, suam bonitatem per omnia declarans. « Et ego » scio quod corde puro hoc feceris [5]. » Scio, inquit, ipsos hanc fabulam commentos esse, et te deceptum eorum dictis hoc fecisse : ob hoc, ut ne per deceptionem hanc pecces, « Peperci tibi, ne tu peccares in me [6]. » Magna verbi est attemperatio, maxima Domini est clementia. « In me, inquit, rediturum erat peccatum. » Nam sicut in hominibus,

[1] Gen. xx, 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid.

cum quis aliquem domesticum in multo honore apud dominum suum injuria quadam afficit, sibi injuriam factam putat dominus, et dixit : « Mihi injuriam fecisti per ea, quibus a te domesticus injuria est affectus : ea enim, quæ in illum committuntur, in me transeunt : » eodem modo et bonus Dominus: « Peperci tibi, inquit, ut ne peccares in me. » « Mei, inquit, famuli sunt, et adeo mihi commendati, ut mihi fieri existimem quæcumque illis fiunt, sive bona sint, sive non bona : « Propterea non dimisi te, ut tangeres » eam [1]. » Quoniam magnam eorum curam gero, sciens quod per ignorantiam hanc eis contumeliam facturus eras, « Peperci tibi, ut ne peccares in me. » Ne simpliciter ut quempiam vulgarium respicias hunc virum : sed disce eum ex numero illorum esse, quorum ego maximam curam gero, et qui peculiariter mei sunt. « Redde igitur uxorem » viro, quia Propheta est, et orabit pro te, et vives [2]. » Vide quomodo virtutem Justi detegit, Prophetam ipsum vocat, et propemodum efficit, ut rex supplicem se ei præbeat. « Orabit enim pro te, et vives. » Ille etenim, inquit, veritus ne occideretur a te, hanc comœdiam instruxit, et quasi cooperatus est in contumeliam Sarræ : scias autem illius preces vitam tibi præbituras esse. » Deinde ut ne concupiscentia flagrans, et pulchritudine Sarræ victus, mandata contemnat, immittit ei timorem, et majorem pœnam minatur se inducturum. « Quod si non dederis, « inquit, scias quod morieris tu, et omnia tua [3]. » Non solum tu inobedientiæ pœnam lues, sed et omnia tua propter te mors perdet. » Ob hoc autem per tempus noctis hæc omnia Deus ei loquitur, ut in quiete accepta admonitione, magno timore imperata faciat. « Nam statim, inquit, mane » surgens Abimelech vocavit pueros suos, et locutus est » omnia verba hæc in aures eorum [4]. »

[1] Gen. xx, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 8.

IV. Vide quomodo rex fit præco virtutis Justi, et eum omnibus manifestum reddit. Vocatis enim, inquit, omnibus pueris suis, narravit omnia sibi a Deo manifestata, ut omnes scirent et Dei erga illum benevolentiam, et quantum Deo curæ esset propter ipsius mores et virtutem. « Timue» runt autem omnes homines valde[1]. » Vidisti quomodo non frustra et absque causa toties transmigrabat Justus? Nam si in tabernaculo suo primo mansisset, unde potuissent Geraritæ omnes scire quantam Justus apud Deum haberet fiduciam? « Timuerunt autem omnes homines » valde. » Magnus in eos timor immissus de rerum summa faciebat anxios. Postea sequitur : « Vocavit Abimelech » Abrahamum. » Considera in quanta gloria Justus postea apud regem agit, qui paulo antea ab omnibus despectui habebatur, quasi erro et peregrinus. Igitur cum omnes convenissent, vocatur statim Patriarcha, qui nihil horum sciebat, didicitque postea, a rege ipso, quæ propter se a Deo illi facta erant. « Dixit enim ei : Quare hoc fecisti no» bis? Quid peccavimus in te, quod induxisti super me et » super regnum meum peccatum magnum? Rem quam » nullus faceret, fecisti nobis. Quid videns fecisti hoc[2]? » Quare in tantum, inquit, voluisti me incidere peccatum? cur et quid cogitans hoc fecisti? » Vide Quomodo per verba sua indicat minas, quæ a Deo sibi sunt factæ. Quoniam enim dixerat ei: « Quod si non redderis, morieris tu et om» nia tua : » hoc ipsum interpretans Abimelech, dicit : » Quid peccavi in te, quod induxisti super me et super » regnum meum peccatum magnum? » Numquid solus pœnas eram daturus? Omne regnum meum simul perdendum erat ex deceptione, quam fecisti. Quid vidisti ut hoc faceres? » Considera hic, dilecte, Justi prudentiam, quomodo satisfactionis loco in agnitionem Dei illos introducat. « Dixi

[1] Gen. xx, 8. — [2] Ibid. 9, 10.

» enim, inquit : Num forte non est timor Dei in loco isto, » meque occident propter uxorem [1] ? » Quasi diceret : « Valde mecum anxius fui, ne forte, eo quod adhuc erroribus tenemini, nulla vobis justitiæ cura sit; propter hoc simulavi, vobis parcens; ut ne, si intelligeretis eam uxorem meam fuisse, capti ejus amore, occidere me tentaretis. » Vide quomodo per pauca illa verba illos carpat, et simul doceat oportere eum, qui Deum in mente habet, nihil iniquum agere, sed vigilem illum oculum timere, et ob pœnam, quæ ab illo imminet, multam justitiæ curam gerere. Postea volens pro se defensionem afferre : « Ne putetis, » inquit, me etiam sic mentitum esse. Etenim soror mea » est ex patre, sed non ex matre. Data autem mihi est in » uxorem [2]. » Quia eumdem patrem vocat, inquit, quem et ego, ideo et sororem ipsam vocavi. Ne igitur condemnetis me. Nam etsi metus mortis in hanc me necessitatem coëgerit, et quia timui ne forte propter eam me occideretis, ipsam autem in vita conservaretis, attamen neque sic est mendacium quod a me dictum est. » Vide quam diligenter agit Justus, ut monstret se neque in hoc mentitum. « Et ut omnia, inquit, diligenter a me sciatis, audite et consilium, quod inter nos inivimus, « Quando eduxit me » Deus de domo patris mei [3]. » Considera, obsecro, hic magnam Justi sapientiam, quomodo in serie narrationis docet eos se a principio fuisse peculiariter addictum Deo, et Deum se a domo sua evocavisse, et in eum locum duxisse, ut sciat rex ex eorum numero esse Abrahamum, qui magnam in Deo habent fiduciam. « Quando, inquit, » eduxit me Deus ex domo patris mei, dicebam ei : Hanc » justitiam facies in me, in omni loco in quem venerimus, » dic : Frater meus est [4]. » Quia enim superius dixerat : « Dixi enim, num forte non est timor Dei in loco isto : »

[1] Gen. xx, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid.

et videbatur eos nimium carpere, volens mitigare asperitatem verbi, hic dicit: « Ne putetis me hoc solum vestri gratia fecisse. Statim enim, « Quando eduxit me Deus de domo » patris mei, dicebam ad eam: Hanc justitiam facies mihi » in omni loco, in quem venturi sumus. » De omnibus, inquit, qui terram hanc inhabitant, mandatum ei dedi, et docuit etiam sic simulationem sine mendacio esse. Mortis enim timor ad hoc nos compulit. » Hæc ut dixit Justus, iram eorum demulsit, suamque detexit virtutem, et sufficientem religionis veræ doctrinam eis tradidit. Reveritus igitur rex magnam Justi mansuetudinem, magna liberalitate remunerat Patriarcham; dicit enim : « Accepit Abimelech » mille didrachmas, et oves, et vitulos, et servos, et au- » cillas, et reddidit illi Sarram uxorem suam [1]. » Vidisti, dilecte, omnipotentem et variam Dei sapientiam? Qui enim in mortis periculo constitutus erat, et omnia faciebat ut mortem posset effugere, non solum mortem effugit, sed et magnam obtinuit fiduciam, et repente gloriosus factus est.

V. In hunc enim modum agere solet Deus: non solum a tristibus liberat eos, qui fortiter se gerunt in tentationibus, in quas incidunt; sed et tantam in adversis præbet lætitiam, ut in eorum oblivionem omnino veniant, et in multa sint bonorum affluentia. Et vide insuper regis erga Justum illum officium. Non solum enim tantis muneribus illum honorat, sed etiam potestatem ei dat, ut in terra sua habitet. « Ecce enim, inquit, terra mea coram te est, ubicumque » tibi placuerit, habita [2]. » Nam quia didicit propter illum, et propter illius preces vitam sibi datam esse, ideo ita in peregrinum, erronem, et antea nulli cognitum, quasi in benefactorem et tutorem aliquem officiosus fuit. « Sarræ » autem, inquit, dixit : Ecce dedi mille didrachmas fratri

[1] Gen. xx, 14. — [2] Ibid. 15.

» tuo [1]. » Vide quomodo accepta a Justo doctrina, credidit ejus dictis, atque ipse fratrem hujus illum vocat. « Ea quæ » dedi, inquit, fratri tuo, erunt in honorem vultus tui, et » omnia vere dic [2]. » Quid est, « In honorem vultus tui, et om- » nia vere dic? » Pro iis, quæ per ignorantiam aggressus sum, te, quæ es uxor Justi, in domum meam introducendo, pro hoc solum quia contumeliæ tibi auctor fui, mille dedi didrachmas resarturus ea, quæ a me in te sunt admissa. « Verum omnia vere dic. » Quid significat, « Omnia vere » dic? » Omnes, inquit, a te discant nihil iniquum a me factum esse, quia intacta exivisti de domo mea. Doce, inquit, virum tuum, esse me innocentem a peccato : discat a te nihil a me factum esse. » Quare vero hæc dicit? Ut cum Justus ab ea didicerit, multisque fuerit rationibus edoctus, pro eo preces Domino offerat. Nam postquam ille dixit : « Omnia vere dic : » hoc est, doce virum tuum ea, quæ facta sunt, statim subdidit Scriptura : « Et oravit » Abraham Deum, et sanavit Deus Abimelech, et uxorem » ejus, et ancillas ejus, et pepererunt; quia concludens con- » cluserat extrinsecus omnem vulvam in domo Abimelech » propter Sarram uxorem Abrahæ [3]. » Vide quomodo Dominus volens Justum per omnia reddere illustriorem, precibus Patriarchæ salutem regis et omnium, quæ in domo illius erant, donat. « Oravit enim, inquit, Abraham Deum, » et sanavit Deus Abimelech, et uxorem ejus, et ancillas » ejus, et pepererunt : quia concludens concluserat Domi- » nus extrinsecus omnem vulvam in domo Abimelech. » Propterea quamvis alienus esset a peccato rex, plagam hanc induxit bonus Dominus, ut precibus Justi annuens eam solveret, et Justum clariorem et illustriorem efficeret. Nam semper omnia ita facit et tractat, et singula dispensat, ut qui sibi serviunt, quasi luminaria reluceant,

[1] Gen. xx, 16. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 17, 18.

et eorum virtus ubique celebretur. Et vide, obsecro, dilecte, postquam Justum ita liberavit a molestiis, quomodo iterum summa bonorum Justo traditur, pollicitationis effectus, et nunc eveniunt quæ olim illi a Deo promissa sunt. « Et Dominus, inquit, visitavit Sarram, sicut dixit, » et fecit Sarræ, sicut locutus est : et concepit, peperitque » Sarra Abrahæ filium in senectute, in tempore, sicut lo- » cutus est ei Dominus [1]. » Quid est, « Sicut locutus est, » et sicut dixit? » Quemadmodum, inquit, promisit, quando hospitio exceptus est cum Angelis apud quercum Mambre. Nam quod dixit : « In tempore hoc veniam, et » erit Sarræ filius [2], » hoc nunc opere impletum est. Et quæ natura denegabat, ea videbant evenisse, non secundum humanum et solitum morem, sed per divinam gratiam. « Et vocavit nomen filii sui, quem peperit ipsi Sarra, » Isaac [3]. » Non absque causa assignavit, « Quem peperit ipsi » Sarra : » non enim dixit simpliciter : « Vocavit nomen filii » sui, » sed adjecit, « Quem peperit ipsi Sarra, » infœcunda illa, et vetula. « Et circumcidit eum, inquit, die octavo, sicut » præceperat Dominus [4]. » Sic enim præceptum acceperat, ut die octavo circumciderentur qui posthac nascerentur. Porro ut ulterius discamus ineffabilem potentiam Dei, et ea, quæ apud homines impossibilia sunt, apud eum possibilia esse, idcirco nobis tempus assignavit iterum divina Scriptura, et post partum docet nos his verbis : « Abraham erat annorum centum, quando natus est ei » Isaac filius suus. Dixit autem Sarra : Risum fecit mihi » Dominus : nam qui audiet, gaudebit mecum [5]. » Quid est, « Risum fecit mihi Dominus? » lætitiæ occasio mihi partus est. Et quid mirum, si mihi gaudium? Omnes etiam qui audient, habebo congratulantes, non quia peperi, sed quia sic

[1] Gen. xxi, 1, 2. — [2] Id. xviii, 10. — [3] Id. xxi, 3. — [4] Ibid. 4. — [5] Ibid. 5, 6.

peperi. Tam admirabilis rarusque partus omnes in admirationem rapiet, et majorem omnibus voluptatem afferet, cum sciverint me, quæ nihil a mortuis differebam quantum ad generationem, subito matrem factam esse, et e vulva exsiccata puellum peperisse et lactare posse, et fontes lactis emittere, quæ nullam spem pariendi habebam. « Et dixit: » Quis annuntiabit Abrahæ quod lactat puerum Sarra[1]? » Nam propter hoc et lactis fontes concessi sunt, ut partum magis credibilem faciant. Et ne quis suppositilium esse putet puerum, fontes enim lactis omnibus prædicabant præter humanam expectationem hoc evenisse. « Quis an- » nuntiabit quod lactat puerum Sarra? » quod peperim filium in senectute mea? quod ego, quæ senui, parere potuerim, et in hac ætate filium alere possim? « Et crevit, » inquit, puer, et ablactatus est. Et fecit Abraham convi- » vium magnum die quo ablactatus est filius suus[2]. »

VI. Vidisti Dei ineffabilem sapientiam, quomodo patientiam Justi modis omnibus probavit, quando ipse et omnes qui ipsum videbant, humanæ naturæ vires spectantes, nihil sperare audebant, tunc ipsa promissio completa est? Igitur, dilecti, et nos eamdem, quam Justus ille patientiam exhibeamus, et nunquam desides simus; sed spe bona recreemur, scientes neque rerum difficultatem, neque aliud quid humanum nobis esse posse, si quando gratia Dei suam declarare voluerit liberalitatem. Quoties enim ille annuit, omnia cedunt et obtemperant, et difficilia facilia sunt, et impossibilia possibilia; si solummodo firmam in ipso fidem conservemus, et ad magnitudinem ejus potentiæ spectantes humanis omnibus superiores simus. Nam qui futura bona et ineffabilia illa promisit iis, qui cum virtute vitam hic peregerint, quanto magis et ea, quibus hic opus est, præbebit, et maxime si nos illa desiderantes præsentia despi-

[1] Gen xx, 7. — [2] Ibid. 8.

ciamus? Tunc enim eis maxime et ubertim fruemur, quando ea contemnere voluerimus. Proinde hæc scientes, illa desideremus bona, quæ manent et immobilia sunt, et quæ finem nesciunt; ut et præsentem vitam citra tristitiam transmittamus, et illa assequi, illisque omnes frui valeamus, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre, et Spiritu sancto sit gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVI.

Et dixit Sarra: Quis annuntiabit Abrahæ quod lactat puerum Sarra? quod peperi filium in senectute mea [1]?

I. Age et hodie, dilecti, heri dictorum seriem repetentes, convivium hoc vobis spirituale instruamus, ut iterum, sicut heri, discamus et boni Dei ineffabilem benignitatem, qua nostra curat, nobis se attemperans, et magnam Patriarchæ obedientiam atque gratum animum. Vidistis quomodo nativitas Isaac Sarram exhilaravit? «Dixit enim, in»quit: Risum fecit mihi Deus. Nam qui audierit, gaudebit »mecum.» Omnes, dicit, auditores participes gaudii mei faciam. Magnum enim donum mihi a Deo concessum est, et quod humanam transcendit infirmitatem. Quis enim, inquit, non obstupescat, videns me lacte meo nutrientem puerum in extrema senectute, quæ huc usque non peperi? Et quasi admirans et attonita de facto, subdidit: «Quis annun»tiabit Abrahæ quod lactat puerum Sarra? quod peperi »filium in senectute mea?» Quoniam super naturam est

[1] Gen. xxi, 7.

hoc factum, propterea inquit: « Quis annuntiabit?» ac si diceret: « Quis secum reputabit, quis mente concipiet? quæ mens comprehendere poterit? quæ ratio sufficit ut accurate facti hujus modum inveniat?» Non sic admirabile fuit ex petra in deserto scaturiisse fontes aquarum, quando illam Moses virga percussit[1]: sicut de vulva jam emortua puerum nasci, et lactis fontes scaturire. Nam ut omnibus partus manifestus esset, et omnes tam eos, qui tunc aderant, quam qui postea audierint, ad fidem miraculi induceret, idcirco ipsa puerum alit, et lacte suo vult enutrire, et inquit: « Quis annuntiabit Abrahæ quod lactet puerum » Sarra?» Hoc novum et admirabile, et præter expectationem mihi concessum, inquit, « Quod peperi filium in « senectute mea. » Quid hoc est, « Peperi filium in senec- » tute mea?» quia præter sterilitatem sufficiebat senectæ tempus, ut partus spes tolleretur. Verumtamen impedimenta hæc omnia e medio sustulit Dominus, et pueri partum et lactis fontes mihi concessit.» Verum videamus sequentia. Postquam impletum est lactendi tempus, « Vidit, » inquit, Sarra filium Agar Ægyptiæ, qui natus est Abrahæ, » ludentem cum Isaac puero suo. Et dixit Abrahæ: Ejice » ancillam hanc, et filium ejus. Nequaquam enim hæres » erit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Durum autem ap- » paruit verbum hoc coram Abraham super filio suo[2].» Vide, obsecro hic, dilecte, Sarram iterum non ferentem Ismaëlis nimiam licentiam, neque patienter sustinere volentem ancillæ filium cum suo Isaac conversantem. Sicut igitur prius superbum spiritum Agar humiliare volens, vehementi indignatione fugam inire eam coëgit: ita et nunc volens ab initio reprimere Ismaëlis temeritatem, et non ferens, cum videret puerum suum a Deo sibi donatum cum ancillæ Ægyptiacæ filio simul versari, dicit

[1] Exod. xvii, 6. Num. xx, 11. — [2] Gen. xxi, 9-11.

Abrahæ : « Ejice ancillam, et filium ejus. Non enim erit hæ-» res filius ancillæ hujus cum filio meo. » Quoniam et se in extrema ætate esse videbat, et Patriarcham quoque decrepitum, « Erant enim ambo, inquit, pleni dierum [1] ; » suspicans, si forte repente morerentur, ne Ismaël, eo quod ex Patriarchæ concubitu natus esset, se in patris hæreditatem intrudere, participemque et æqualem Isaaco fieri tentaret : idcirco dicit : « Ejice ancillam hinc et filium ejus. » Discat, inquit, jam nihil commune habiturum filium ancillæ cum filio meo Isaac. Neque enim æquum est ut filius Ægyptiæ et ancillæ, cum filio meo et dominæ simul versetur. » Cæterum Sarra non sine causa rem hanc egit, sed jure ac merito, atque ita congruenter, ut et Deus collaudarit ejus dicta. Patriarcha vero bene affectus erga Ismaëlem, moleste accipiebat quæ a Sarra dicebantur. « Durum enim, » inquit, apparuit verbum hoc coram Abraham de filio » suo. » Neque enim de Agar multum sollicitus erat, sed erga puerum ita afficiebatur, utpote jam adolescentem. Sed considera, obsecro, hic clementis Dei miram clementiam. Nam quia vidit et Sarram pati aliquid humanum, et ægre ferre parem filiorum honorem, idque merito; Abraham autem non ferre æquo animo ejectionem Ismaëlis et ancillæ : nam licet non obluctaretur Sarræ ob singularem mansuetudinem, attamen durum ei videbatur, hoc est grave, molestum et onerosum. Tunc demum suam solitam servans misericordiam, et concordiæ illorum copulam constringens, dicit ad Abraham : « Ne durum sit coram te » verbum hoc de puero et ancilla. Omnia quæcumque dixerit tibi Sarra, audi vocem ejus [2]. » Ne accipias, inquit, graviter quod ab ea dictum tibi est : « Sed omnia quæcum-» que dixerit tibi Sarra, audi vocem ejus. »

II. « Hæc omnia, inquit, quæ nunc tibi dicit de Ismaële

[1] Gen. XVIII, 11. — [2] Id. XXI, 12.

et de Agar, accipe : et audi vocem ejus. Ne velis, inquit, contristare eam, quæ tanto tempore tantum amorem erga te declaravit ; que non solum semel, sed et secundo, ut te a morte eriperet, seipsam pro tua salute exposuit, et auctor tuæ hujus gloriæ fuit. Primum quidem fecit ut cum tantis divitiis ab Ægypto redires, postea vero iterum in causa fuit ut ita te veneraretur et observaret Abimelech. Ne igitur diversa ab his, quæ locuta est, velis inire consilia : enimvero non aliter eveniet. In Isaac enim ex ea nato tuum semen vocabitur, et ipse erit tuus hæres. « Filium » autem illum ancillæ crescere faciam, et in gentem mag- » nam faciam eum, quoniam semen tuum est[1]. » Fac igitur quæ illa tibi dixerit, et obedi voci ejus. » Cogita hic, obsecro, quanta subito concordia et pax in contubernium eorum concesserit, bonitate divina vinculum eorum constringente. « Surrexit enim, inquit, mane, et accepit panes, » et utrem aquæ, et dedit Agar, et imposuit super hume- » rum ejus et puerum, et dimisit eam[2]. » Vide hic iterum Justi eximiam probitatem, et qua ratione in omnibus religiosam suam mentem declaret : nam quando audivit Sarram dicentem : « Ejice ancillam etfilium ejus, » durum ei videbatur, eo quod bene afficiebatur erga Ismaëlem ; verum ubi Dominus præcepit, statim fecit quod imperatum erat, etiam naturalis amoris oblitus, quasi diceret : « Ubi quid præcipit Dominus, facessant omnes affectiones, quia naturæ dominus est, qui præcipit. « Ut accepit igitur, in- » quit, ancilla panes, et utrem aquæ, egressa est cum » puero[3]. » Verum, obsecro, vide iterum, quomodo propter benevolentiam, qua prosequebatur Justum Deus, hæc quoque superna cura digna habeatur. Ut ergo abiit, vagabatur per solitudinem, et cum aqua consumpta nullam usquam inveniret consolationem, « Abjecit puerum, inquit,

[1] Gen. xxi, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid.

» subter unam abietem [1]. » Disrumpebantur enim ejus viscera, et dolebat multum ob immodicam erga puerum affectionem. « Sedit, inquit, adversus eum, quasi ad jactum » arcus. Dicebat enim : Non videbo mortem pueri mei. Et » sedit e regione pueri. Clamans autem puer, ploravit [2]. » Cæterum misericors et benignus Deus, patris et matris erga nos curam sua transcendens pietate, « Exaudivit » vocem pueri de loco ubi erat [3]. » Misertus est et pueri et calamitatis Agar : permisit tantum eam experiri quid sit solitudo, et statim suum concessit præsidium. « Et voca- » vit, inquit, Angelus Dei Agar de cœlo, et dixit ei : Quid » est, Agar? Ne timeas : audivit enim Deus vocem pueri de » loco ubi est. Surge, accipe puerum, et apprehende ma- » num ejus. In gentem enim magnam faciam eum [4]. » O misericordiam Domini! non quia ancilla erat, despexit eam, sed quia Patriarchæ promiserat, et quia illius semen erat, tantam quoque curam erga eam declarare dignatur. Dicit : « Quid est, Agar? Ne timeas : exaudivit enim Domi- » nus vocem pueri. Surge et accipe illum, et apprehende » manum ejus. In gentem enim magnam faciam illum. » Ne mœreas, inquit, eo quod e domo ejecta sis. Tantam enim curam ego pueri agam, ut et in gentem magnam ipse sit. « Et aperuit, inquit, oculos ejus [5]. » Non quod antea non viderit, sed quia nihil proderant ei aperti oculi ante supernam visitationem. Propterea cum vellet suam providentiam declarare, inquit : « Aperuit oculos ejus : » id est, indicavit ei ignoranti, et mentem ejus excitavit, viamque ei ostendit, ut videret locum in quo fontes aquæ scaturiebant. « Et vidit, inquit, puteum aquæ viventis, et » ivit, et implevit utrem, et potavit puerum [6]. » In inviis viam præbuit, et perplexæ menti, nullamque salutis spem

[1] Gen. xxi, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. 18. — [5] Ibid. 19. — [6] Ibid.

habenti, suam liberalitatem exhibuit, simul eam consolans, et pueri curam agens. Sic quandocumque voluerit Deus, licet in solitudine simus, et in extremis afflictionibus, nullamque spem salutis habeamus, nullo alio opus habebimus, divino auxilio nobis omnia suppeditante. Nam si ejus benevolentiam nobis conciliaverimus, nullus nobis prævalebit, sed nos superiores omnibus erimus. » Et erat Deus cum puero, inquit, et crevit, et habitavit » in solitudine[1]. » Sic quando amicum et benevolum habemus Deum, etiamsi in deserto fuerimus, multo securiores vivemus, quam ii, qui in civitatibus versantur. Maxima enim securitas, et inexpugnabilis murus est auxilium divinum. Et ut discas quomodo qui in solitudinibus agit, securior sit, et potentior iis, qui in mediis civitatibus versantur, ingenti hominum præsidio freti, videamus quomodo David de loco in locum transiens, et quasi erraticus vagans, manu superna munitus fuerit. Saül autem cum esset in mediis civitatibus, et tantum secum duceret exercitum, satellites habens, et armigeros, quotidie timebat, et tremebat inimicorum insidias[2]. Et ille quidem qui solus erat, nullumque alium secum habebat, non indigebat humano præsidio; hic vero diademate redimitus, et purpura indutus, illius auxilio indigebat, et regi opus erat pastoris opera, et diatemate redimito privati viri adjumentum necessarium erat.

III. Sed si vultis, aliquanto superius seriem hujus sermonis petamus, ut omni hac historia in medium producta, discamus nihil fortius esse viro munito superna gratia, et nihil infirmius eo, qui hac privatus est, etiamsi innumeris circumdetur exercitibus. Igitur David ille cum adhuc adolescens ob immaturam ætatem in paterna domo versaretur, quoniam tempus aliquando exposcebat ut clarior

[1] Gen. XXI, 18. — [2] 1 Reg. XVII, 11.

ejus fieret virtus, admonitus a patre ut fratres suos inviseret, obtemperavit, et missus est ad eos. Porro cum ad illos venisset invisendi gratia, ubi vidit instructam aciem contra alienigenam Goliath, et omnem populum juxta Saülem formidine perculsum, regemque ipsum in summo constitutum periculo, tunc spectator voluit esse, et abiit ut videret novum et rarum spectaculum, quod unus homo adversus tot millia se erigeret. Verum fratres ejus, non ferentes tam altos fortitudinis spiritus, provocati sunt in invidiam, et dicunt ad eum : « Non alia de causa venisti, » quam ut bellum videres[1] ? » Non enim venisti nostri causa, ut nos inviseres. At tu vide hujus prudentiam et mansuetudinem ; nihil temerarium, neque asperum eis loquitur : sed reprimens eorum flammam, et demulcens invidiam, inquit : « Numquid verbum est[2] ? » Numquid, inquit, vidistis me arma arripere ? numquid vidistis me ordinari cum cæteris in acie ? Tantum videre volui, et interrogare unde huic tantum insaniæ. « Quis enim est alienigena iste, qui » exprobrat exercitum Dei viventis[3] ? » Postea cum audiret illius blasphemias et arrogantiam, et videret trepidationem eorum, qui cum Saül erant, inquit : « Quid erit viro, » qui illius caput exsecuerit[4] ? » Et magnum animi robur his verbis ostendebat, omnes in admirationem adducens. Hæc ut cognovit Saül, mittit ad juvenem, qui præter pastoritiam artem sciebat nihil ; et ut vidit ejus ætatem, vilipendit eum. Deinde cum didicisset ex eo, quomodo cum ursis egisset, qui greges suos invaserant : (coactus enim fuit admirabilis ille vir hæc narrare, nolens hinc vanam gloriam aucupari, sed in necessitate constitutus, et ut illi animum adderet, et ne spectaret ad vilitatem ejus quem videbat, sed ad fidem quæ intrinsecus latebat, supernumque auxilium, quo adolescens inermis viris armatis et pas-

[1] 1 Reg. xvii, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Ibid. 26. — [4] Ibid.

tor militibus fortior erat :) ergo ubi rex vidit animi ejus fiduciam, suis illum armis induere volebat; indutus autem ea ferre non potuit. Hoc autem factum est, ut virtus Dei, quæ per eum operabatur, manifesta monstraretur, et non armis quæ ficbant ascriberentur. Nam quoniam indutus illis gravabatur, et minus expeditus erat, deposuit arma, et accepta pera pastorali et silicibus, contra carneam illam turrim egressus est. Sed vide iterum alienigenam ad vilitatem ætatis spectantem, et ob hoc vilipendentem Justum illum, et quasi contra puerum humilem verbis insurgentem. Nam postquam vidit eum cum pastorali pera contra se contendentem, et lapides solum afferentem, in hunc ferme modum eum allocutus est : « Putasti te adhuc apud oves esse, et canes quosdam persequi? et ita adversum me, quasi contra canem instrumentis illis instructus, in pugnam venisti? statim experientia disces non tibi cum homine vulgari bellum esse. » Et usus magno verborum fastu, properabat, armaturamque suam omnem movebat, ac arma exercbat. Et ipse quidem armorum virtute fidens, pugnam inivit : David autem fide, supernoque præsidio munitus. Et prius verbis alienigenæ elationem et supercilium decutiens, ut dixit ad eum : « Tu venis ad me in armis et lancea, et tua virtute victurum te putas, ego autem in nomine Domini Dei. » Ut hæc, inquam, dixit, sumpto ex pera pastorali silice, quasi revera canem aliquem gregem invadentem abacturus, funda jaculatus est, statimque in fronte percussum alienigenam dejecit, et festinanter educto illius gladio caput ejus amputavit, et regi attulit, finemque bello imposuit. Atque illius opera et rex salutem invenit, et omnis illius exercitus respiravit. Vidisses tunc inopinatas admirabilesque res, armatum ab inermi dejectum, reique militaris peritum ab eo prostratum, qui præter pastoralem artem nihil sciebat. Quare, et ob quam

causam? Quia hic quidem habuit supernam gratiam se adjuvantem : illi autem ea carens, in hujus manus venit. Jam vide hic quam absurda operatus sit invidiæ morbus. Postquam enim rex vidit Justum hunc tanta gloria celebrari, et tripudiantes clamare : « Vicit Saül in millibus, » David autem in decem millibus[1], » non ferens æquo animo quæ de hoc dicebantur, quamvis secundum rationem justam ei magis tribuerant quam David, victus invidia benefactori malum rependit; et quem oportebat ut salvatorem et benefactorem agnoscere, eum interficere quærebat. O ingentem insaniam! o stuporis magnitudinem! eum qui vitam sibi servarat, et omnem suum exercitum ab alienigenæ Goliath furore liberaverat, ut hostem suspectum habuit, et immemor beneficii, ab affectione vincebatur : sed mente sua obtenebratus ab invidia, perinde atque ab ebrietate quadam, benefactorem ut hostem spectabat.

IV. Ita enim se habere solet hujus affectionis malitia; primum corrumpit eum a quo generatur. Et quemadmodum vermis, qui a ligno producitur, lignum primo consumit : ita et invidia illam primo animam corrumpit, a qua nata est, et ei, cui invidetur, plane diversa quam vult affert. Ne igitur respice ad principium eorum, quibus invidetur, sed ad finem respice, et attende, quia malitia invidentium eos, quibus invidet, clariores efficit. Nam ii, quibus invidetur, subsidiarium habent Dei auxilium, et gratia fruuntur : qui autem invidet, gratia spoliatur, et facile vincitur ab omnibus, et antea a suis affectibus, quam ab externis hostibus infestatus, quasi consumitur, et quasi occultis maxillis devoratur, et assumptus, ut ita dicam, submergitur. Quæ cum nobis comperta sint, obsecro, fugiamus morbi hujus damnum, et totis viribus ab animabus nostris eliminemus. Perniciosissima enim est omnium

[1] 1 Reg. XVIII, 7.

affectionum, nostramque salutem corrumpit, utpote diaboli inventum : propterea et Sapiens quidam dicebat : « Invidia autem diaboli mors intravit in mundum[1]. » Quid est : « Invidia diaboli mors intravit in mundum ? » Nam postquam mala hæc bestia primum hominem vidit immortalem, per suam malignitatem ad transgressionem mandati induxit, per quam fecit ut morti fieret obnoxius. Invidia igitur deceptionem operata est, deceptio inobedientiam, inobedientia mortem. Propterea dicit : « Invidia autem diaboli mors intravit in mundum. » Vidisti quantum affectionis hujus damnum ? immortalitate honoratum, mortalem fecit. Verum inimicus quidem nostræ salutis, sua invidia ut primus homo, qui immortalis erat, ad mortem condemnaretur effecit : misericors autem, sollicitusque pro nobis Dominus, per mortem suam iterum immortalitatem nobis largitus est. Unde et majora quam amisimus invenimus : paradiso ejecit ille, hic in cœlum induxit : ille morte condemnari nos curavit, hic immortalitatem nobis largitus est : ille paradisi deliciis privavit, hic regnum cœlorum nobis præparavit. Vidisti solertem Domini tui sapientiam ? et quomodo ea, quæ per invidiam diaboli contra salutem nostram facta sunt, in caput illius convertit ? Non enim solum non majoribus dignatus est, sed et illum ipsum nobis subjecit dicens : « Ecce dedi vobis potestatem » calcandi super serpentes et scorpiones[2]. » Proinde hæc omnia cogitantes, et invidiam ex animabus nostris effugemus, et studeamus ut divinam nobis benevolentiam conciliemus. Hæc enim nostra armatura solida, et inexpugnabilis, hæ nostræ maximæ facultates ; per hanc et Ismaël, quamvis adolescens, et in solitudine, rerumque omnium inopia versans, statim crevit, et in gentem magnam factus est. « Quia Deus erat, inquit, cum puero[3]. » Hinc enim totus

[1] Sap. II, 24. — [2] Luc. X, 19. — [3] Gen. XXI, 20.

sermo noster egressus est. Despicianus igitur, oro, præsentia, desideremus futura; gratiam Dei omnibus præferamus, et per vitam optimam multam fiduciam nobis antea reponamus, ut et præsentem vitam citra mœrorem transigamus, et futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre simul et Spiritu sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæculorum sæcula. Amen.

HOMILIA XLVII.

Et factum est post verba hæc, Deus tentabat Abraham [1].

I. Ingens lucrum, grandisque thesaurus in verbis, quæ hodie lecta, tametsi pauca sint, latent. Eo enim modo se habent divina eloquia, ut multas divitias non in multitudine verborum, sed in brevitate sermonum contineant. Age igitur exploremus ea, quæ dicta sunt, et hodiernæ lectionis vim diligenter addiscamus. Nam sic iterum sciemus et Patriarchæ copiosam virtutem, et Dei excellentem clementiam. « Et factum est, inquit, post verba hæc, Deus tentabat Abraham. » Quid sibi volunt hæc verba: « Et factum » est post verba hæc, tentabat Deus Abraham? » Considera, obsecro, divinam Scripturam, quomodo nobis Justi virtutem jam velit detegere. Et quia narratura est quomodo Abraham a Deo tentatus sit, prius vult ut discamus tempus, quo hæc Patriarchæ præcepta sunt, et quando jussus est offerre Isaacum, ut scias magnam Patriarchæ obedientiam, et quomodo Dei jussis nihil præferri passus sit. Quid igi-

[1] Gen. XXII, 1.

tur est: « Factum est autem post verba hæc? » Quoniam postquam natus est Isaac, quando vidit Sarra Ismaëlem simul versari cum Isaac, sicut heri vobis diximus, hoc ægre ferens, dicebat Abrahæ : « Ejice ancillam et filium ejus : » non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo [1]. » Cumque hoc Patriarchæ durum videretur, volens eum Deus consolari, ait : « Audi Sarram uxorem tuam, et fac quod ab ea » dictum est : neque videatur tibi durum, quod dictum est de » puero et de ancilla. In Isaac enim vocabitur tibi semen [2], » et illum quoque faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. » Et omnis illi a Deo facta promissio eo tendebat, ut nati ex Isaac in magnum populum propagarentur. Cum ergo bona hujusmodi spe aleretur Justus, post tantas et tam frequentes ærumnas et tentationes, earum accepta mercede, et in tuto demum collocatus, præ oculis habens sibi successurum hæredem, secure agebat, maximam inde percipiens consolationem. Verum qui abscondita cordium novit, volens nobis Justi hujus virtutem detegere, et magnum amorem, quem erga se gerebat, post tot promissiones et hanc quoque, quæ recens facta erat, et cujus memoriam adhuc firmam tenebat, cum jam adolesceret Isaac, et in ipso ætatis flore esset, cresceretque patris erga illum dilectio, post verba promissionis et postquam dixit : » In illo vocabitur tibi semen, et ille erit successor tuus : « Post verba » hæc, tentabat Deus Abraham [3]. » Quid est, « Tentabat? » non quod ipse ignoraret, tentatione illum probavit, sed ut et ii, qui tunc erant, et qui ab eo tempore usque ad præsens futuri sunt, istuc ipsum Patriarchæ desiderium et obedientiam in præceptis dominicis præ se ferre discant. « Et » dixit, inquit, ad eum: Abraham, Abraham. At ille dixit : » Ecce ego [4]. » Quid sibi vult verbi duplicatio? Magnæ benevolentiæ erga Patriarcham argumentum est, et monstra-

[1] Gen. xxi, 10. — [2] Ibid. 12. — [3] Id. xxii, 1. — [4] Ibid.

bat ei vocatione ipsa se magnum aliquid præceptorum esse. Ut igitur illum attentiorem redderet, vocationem geminabat, et dixit : « Abraham, Abraham. Ille autem dixit : » Ecce ego. Et dixit : Accipe filium tuum dilectum, quem » dilexisti, Isaac, et vade in terram excelsam, et offer eum in holocaustum super unum montium, quem tibi dixero [1]. » Magnum præcepti pondus, et res humanam transcendens naturam. « Accipe filium tuum dilectum, quem dilexisti » Isaac. » Vide quomodo per verba ista majorem rogum succendit, et fornacem amoris, quo Justus in Isaac affectus erat, vehementius excitat. « Accipe filium tuum dilec- » tum, quem dilexisti, Isaac. » Unumquodque verbum per se sufficeret ad sauciandam animam Justi. Non enim simpliciter dicit: Isaac, sed addidit : « Filium tuum, quem præter omnem expectationem suscepisti, et in ipsa senectute habere potuisti, dilectum, desiderabilem tuum, quem tam immodice diligis Isaacum, quem successurum tibi expectas, ex quo et semen tuum multiplicandum promisi, et in tantum multiplicandum, ut stellarum multitudini et arenæ, quæ juxta littus maris est adæquetur. Illum ipsum accipe, « Et vade in terram excelsam, et offer eum mihi in holocaus- » tum super unum montium, quem tibi dicam. » Quid igitur Justus? non turbatus est animo, non confusus est mente, non consilio destitutus est ad tam stupendum præceptum, non cogitabat, non ratiocinabatur secum : « Quid hoc est? Qui mihi præter omnem expectationem prolem largitus est; qui propter benignitatem suam emortuam Sarræ vulvam generationi idoneam fecit, nunc, postquam ablactatus est filius et crevit, et in flore ætatis est, hunc occidi et in holocaustum offerri præcipit; qui paulo antea dixit : « In ipso voca- » bitur tibi semen [2], » nunc contraria præcipit. Et quomodo implebuntur, quæ ab eo sunt promissa? Quo pacto enim

[1] Gen. XXII, 2. — [2] Id. XXI, 12.

fieri potest ut, radice exsecta, rami pullulent; vel succisa arbore, fructus proveniant; vel fonte arefacto, fluvii scaturiant? Secundum hominis rationem talia fieri non est possibile ; Deo autem volente fieri possunt omnia.»

II. Cæterum horum nihil cogitavit secum Justus ille, sed sicut gratus famulus, omissa omni ratione humana, unam tantum rem curabat, ut imperata opere impleret; et quasi factus ab humana natura alienus, et postponendam ducens divinis præceptis omnem affectionem et dilectionem, ad implenda Dei jussa festinavit. « Et cum surrexisset, inquit, Abraham mane, stravit asinam suam. « Accepit autem secum duos servos et Isaac filium suum: et » scissis lignis in holocaustum, cum surrexisset, profectus » est. Et venit in locum, quem dixit ei Deus, die tertio [1]. » Vide clementem Dominum, quomodo et intervallo loci Justi probavit virtutem. Cogita autem quid probabile sit triduo illo sustinuisse Justum, secum reputantem sibi præceptum esse ut suis manibus tam dilectum filium occideret, neque rem ulli communicaret et detegeret; et obstupesce pium religiosumque, ac prudentem ipsius animum. Quia enim sciebat magnitudinem præcepti, nemini prorsus hoc significavit, neque pueris, neque ipsi Isaac : sed solus secum agonem illum decertabat, et quasi adamas quidam manebat invictus, robur cogitationum tantum exhibens, et non multa causatus magno cum desiderio obtemperabat nutui divino. « Et postquam ad locum illum pervenit, » sublatis, inquit, Abraham oculis suis vidit locum a longe, » et dixit servis suis : Sedete hic cum asina [2]. » Vide et hic Justi magnam prudentiam : etiam servis vult esse occultus, per omnia declarans se cum ferventi alacritate et intentó desiderio implere velle quod Deo probabatur. Nam quia sciebat novum et inauditum esse id, quod ab ipso faciendum

[1] Gen. xxii, 3, 4. — [2] Ibid.

erat, neque ab ullo unquam tale quiddam factum fuisse antea, rem servis occultat. « Et relictis eis cum asina in- » quit : Hic expectate. Ego enim et puer ambulabimus us- » que illuc, et cum adoraverimus, revertemur ad vos [1]. » Ignorans futurum esse id quod dicebat, sed prophetavit quidem, ignorans tamen fortassis. Dicebat autem hæc servis, forte ut imponeret eis, et faceret ut ibi manentes non sequerentur ; ac deinceps cum puero erat Patriarcha. « Accepit autem Abraham ligna holocausti, et imposuit » Isaac filio suo. Tulit quoque in manibus ignem et gladium, » et perrexerunt duo illi simul [2]. » O animæ fortitudinem ! o spiritus soliditatem ! « Et imposuit, inquit, Isaac ligna » holocausti : ipse autem gladium et ignem accepit, et » iverunt ambo simul. » Qualibus oculis spectabat puerum ligna afferentem, super quæ non multo post illum immolaturus erat ? Quomodo manus ferre potuit ignem et gladium ? Et manus quidem ferebat ignem sensibilem, ignis autem interior accendebat ipsius mentem, et rationem absumebat, persuadebatque ut amore in Deum vinceret, et hanc cogitationem immittebat eum, qui jam supra humanam naturam se fecerat esse patrem, iterum posse et nunc quæ humanam transgrediuntur rationem operari. Cæterum vide, obsecro, deinceps ante sensibilem illum ignem, incendium internum, quod paulatim exardescebat, et Justi mentem inflammabat. « Dixit autem, inquit, Isaac ad Abra- » ham patrem suum : Pater [3]. » Sufficiebat hoc verbum ad lancinanda Justi hujus viscera. « Ille autem dixit : Quid » est, fili [4] : » Patrem vocas, paulo post futurum orbum : et ego filium appello, qui non multo post super altare ascen- et surus est, meis occidendus manibus. « Deinde puer inquit : « Ecce ignem affers, et ego ligna, ubi est hostia immo- » landa ? ubi est ovis ad holocaustum [5] ? » Considera, obse-

[1] Gen. XXII, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Ibid. — [5] Ibid.

cro, hic Justi viri cruciatum, quomodo tulit auribus, quomodo potuit respondere puero, quomodo non est confusus mente, quomodo filio occultare potuit id quod futurum erat; sed inquit generoso spiritu et forti anima : « Deus » videbit sibimetipsi ovem ad holocaustum, fili[1]. » Vide etiam hic quo pacto ignarus insinuat iterum quod futurum erat. Videbatur enim per responsum Isaac decepisse, sed illi quidem verbis interim persuasit : ipse autem majorem gravioremque dolorem pertulit, verba in anima versans, et cogitans pueri elegantiam externam, internamque pulchritudinem, obedientiam, gratiam, ætatis florem. « Cum- » que irent ambo, venerunt ad locum, de quo dixit ei Deus[2]. » Venerunt, inquit, ad montem excelsum, quem scilicet ei Dominus indicarat : « Et ædificavit ibi Abraham altare[3]. » Iterum obstupesco Justi fortitudinem, quomodo potuerit extruere altare, quomodo valuerit, quomodo non defecerit præ angustia, sed et altare ædificaverit, et imposuerit ligna. « Et ligatum filium suum Isaac imposuit super altare. » Et extendit Abraham manum suam ut acciperet gladium, » et occideret filium suum[4]. »

III. Ne leviter prætercurramus, dilecti, quæ dicta sunt: sed consideremus quomodo non avolarit a corpore anima, quomodo potuerit suis manibus colligare, et lignis imponere tam dilectum, tam amabilem unigenitum. « Et exten- » dit, inquit, Abraham manum suam, ut arriperet gla- » dium ad occidendum filium suum. » O religiosam animam! o fortem mentem! o ingentem amorem! o rationem vincentem humanam naturam! « Accepit, inquit, gladium, » ut occideret filium suum. » Utrum magis admirer et obstupescam, fortem-ne spiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam? neque reluctatus est, neque factum ægre tulit, sed cessit et obtemperavit iis, quæ a patre facta sunt, et

[1] Gen. xxii, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 10.

sicut agnus cum silentio super altare accubuit, expectans patris dexteram? Verum ubi illa pia mens sua omnia consummavit, et nihil intermisit, ostendens bonus Dominus se non occidi puerum, sed potius Justi virtutem detegi volentem, hæc imperasse, coronato Justo ob voluntatem suam, et accepta consummata hostia ex mente Patriarchæ, nunc suam declarat benignitatem. « Et vocavit eum, inquit, » Angelus Domini de cœlo, dixitque : Abraham, Abra» ham [1]. » Nam quia videbat Justum jam accinctum et paratum ad immolationem, et volentem implere mandatum Domini, idcirco vocat eum de cœlo, et dicit : « Abraham, » Abraham. » Bene et hic geminatione usus est, ut superaret impetum Justi, et quasi per vocem detineretur Justi dextera, jam tendens ad pueri cædem. « Et dixit : Ecce ego. » Et dixit : Ne injicias manum tuam in puerum, neque » facias illi quidquam. Nunc enim cognovi quia times Deum » tu, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me [2]. Ne in» jicias, inquit, manum tuam in puerum. » Non hoc præcepi ut opus perficiatur, neque volo ut occidatur filius tuus, sed ut obedientia tua manifesta sit omnibus. Igitur ne feceris ei quidquam. Contentus sum voluntate tua, et ex hac te corono et prædico. « Nunc enim cognovi quia ti» mes Deum tu. » Vide quomodo humiliter se nostræ infirmitati hoc verbo attemperat. Quid igitur? ignorabat-ne ante hoc Justi virtutem, et nunc cognovit omnium Dominus? Non hoc, inquit, significat, quod nunc ipse cognoverit. Sed quid dicere vult? « Nunc, inquit, omnibus declarasti quomodo sincero timore Deum colas. Nam ego noveram famulum meum : quæ autem nunc a te facta sunt, doctrinæ materia sunt tam præsentibus quam futuris. Notum enim fecisti nunc omnibus te timere Deum, et curare ut mandata ejus opere impleas : « Et non pepercisti filio tuo

[1] Gen. xxii, 11. — [2] Ibid. 12.

» dilecto propter me. » Illi, qui tam dilectus est, quem tam ardenter amas, non pepercisti propter me, propter mandatum et jussum meum, sed prætulisti mandatum meum filio tuo; proinde et filium tuum accipe. Propter hoc enim pollicitus sum fore ut semen tuum extenderetur : redimitus ergo obedientiæ tuæ corona, abi. Ego enim voluntatem coronare soleo, et propter mentem præmia largiri. Opere enim impleri par est ea, quæ a te dicta sunt, et servis tuis et Isaac ; illis enim promisisti : « Cum adoraverimus, redi- » bimus. » Ecce hoc nunc erit, et puero rogante : « Ubi » ovis est ad holocaustum? Deus videbit sibimetipsi ovem » ad holocaustum, » dixisti. Ecce cum respexeris, inquit, oculis, vide prædictam a te ovem, quam scilicet pro puero sacrificabis. « Ut respexit autem oculis vidit; et ecce aries » unus detinebatur cornibus in arbusto Sabec : et ivit Abra- » ham, et accepit arietem, et obtulit illum in holocaustum » pro Isaac filio suo [1]. » Vidi religiosam tuam mentem, inquit, ecce id quod prius dixisti puero, hoc tibi præparavi. « Et accepit, inquit, et obtulit in holocaustum pro Isaac » filio suo. » Vidisti Dei clementiam? Et sacrificium consummatum est, et Patriarcha religiosam suam mentem declaravit, et a voluntate coronam reportavit, et Isaac accepto rediit cum innumeris coronis. Hæc autem omnia figura fuerunt crucis : propterea et Christus Judæis dicebat : « Abraham pater vester exultavit, ut videret diem » meum : et vidit, et gavisus est [2]. » Quomodo vidit, qui tot annis præcessit? per figuram, per umbram. Sicut enim hic ovis oblata est pro Isaac, ita et rationalis Agnus oblatus est pro mundo. Oportebat enim in umbra describi et præsignari antea veritatem. Vide namque, obsecro, charissime, quomodo omnia per umbram præfigurata sunt : unigenitus illic, et Unigenitus hic : dilectus illic et germanus,

[1] Gen. xxii, 13. — [2] Joan. viii, 56.

Dilectus et hic ac germanus. « Hic enim est Filius meus di-» lectus, in quo mihi bene complacui [1]. » A patre ille in holocaustum offerebatur, et Hunc Pater tradidit. Et hoc clamat Paulus dicens : « Qui proprio Filio suo non pepercit, » sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non et » cum illo omnia nobis daturus est [2] ? » Hic usque umbra, postea rerum veritas longe excellentior monstratur. Agnus enim hic rationalis pro toto mundo oblatus est, totum orbem terrarum purificavit ; hic homines ab errore liberavit, et ad veritatem reduxit : hic terram cœlum fecit, non elementorum immutata natura, sed conversione cœlesti hominibus super terram degentibus allata. Per hunc omnis dæmonum cultus solutus est. Per hunc factum est ut non adorentur lapides et ligna ab hominibus : et qui ratione prædíti sunt ante insensibilia non procidunt, sed omnis abiit error, et veritatis lux orbem illustravit.

IV. Vidisti veritatis excellentiam? vidisti quid umbra, quid veritas ? « Et vocavit, inquit, Abraham nomen loci » illius, Dominus vidit : ut dicant hodie, in monte Dominus » visus est [3]. » Vide Justi religiosam mentem, quomodo ubique ex iis, quæ acciderant, appellationes locis imponit. Visitationem enim a Deo factam volens quasi in columna ærea insculpere loco per appellationem, vocavit nomen loci : « Dominus vidit. » Sufficiebat quidem Justo pro præmio, quod vivus rediret Isaac, et quod meritus esset illam eximiam laudem, nempe quod dicit : « Nunc cognovi quod » times Deum tu. » Verumtamen is, qui donis certare cupit, et beneficiis semper vincit mentem nostram, Justi animum variis exornat præmiis, et inquit iterum ad illum. « Et vo-» cavit Angelus Domini Abraham secundo de cœlo, dicens : » Per memetipsum juravi, dicit Dominus ; eo quod fecisti » verbum hoc, et non pepercisti filio tuo dilecto propter

[1] Matth. III, 17. — [2] Rom. VIII, 32. — [3] Gen. XXII, 14.

» me, profecto benedicens benedicam te, et multiplicans » multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam, » quæ est in littore maris ; et hæreditate possidebit semen » tuum civitates hostium, et in semine tuo BENEDICENTUR » omnes gentes terræ, eo quod audisti vocem meam [1]. » Quia, inquit, implevisti præceptum meum, et tuam obedientiam per omnia declarasti, propterea audi : « Per me- » metipsum juravi, dicit Dominus. » Vide quomodo in sermone se demittat Dominus : « Per memetipsum, inquit, » juravi, » ut confidas omnino eventura tibi quæ a me dicta sunt. » Quandoquidem enim cum homines promissis juramenta addunt, tunc stabiliorem accipiunt promissionem ii, quibus promittitur : eapropter et Dominus humana usus consuetudine inquit : « Per memetipsum juravi, eo quod » fecisti verbum hoc, et non pepercisti filio tuo dilecto prop- » ter me. » Considera, obsecro, clementiam Domini. « Non » pepercisti filio tuo dilecto propter me. » Attamen vivum ipsum reducit. Non eventum respicias, dilecte, sed voluntatem et mentem disce, qua sine ullo ratiocinio mandata implebat. Quantum enim ad voluntatem attinet, cruentaverat dextram Patriarcha, et per cervicem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium : idcirco Dominus quasi sacrificio reipsa consummato, laudat Justum, et dicit : « Non pepercisti filio tuo dilecto propter me. » Tu quidem non pepercisti propter meum mandatum, ego autem peperci propter tuam obedientiam. Propter hanc tuam obedientiam te remunerans, « Benedicam te, et multi- » plicans multiplicabo te. » Vide cumulatam benedictionem; hoc est : « Amplius multiplicabo semen tuum. » Hic enim, qui per voluntatem tuam occisus est, in tantam multitudinem propagabit semen tuum, ut stellis et arenæ adæquandum sit, « Et omnes gentes in semine tuo BENEDICENDÆ

[1] Gen. XXII, 15-18.

» sint, eo quod audisti vocem meam. » Hæc omnia, inquit, tibi in obedientiæ tantæ mercedem aderunt. Ergo-ne plurima nobis bona id conciliat, quod obedimus Deo et præceptis ejus obtemperamus et sicut Patriarcha ille, curiosius non inquirimus, quare talia ab eo imperata sint : sed ut grati servi implemus mandata, rationemque eorum relinquimus Domino ? Si igitur sic docuerimus nosmetipsos, poterimus et eamdem obedientiam exhibere, quam Justus ille, easdemque consequi coronas. Quomodo autem obediemus ? si mandata ejus opere adimpleverimus. « Non enim » auditores, inquit, legis justificabuntur, sed factores [1]. » Quæ enim utilitas, si quotidie audiamus, et opera negligamus ? Ideo oro ut ad agenda opera bona festinemus ; neque enim aliter salutem consequi possumus : ut et peccata nostra abluamus, et clementia Domini digni habeamur gratia et miserationibus Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et sancto vivificoque Spiritu sit gloria, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLVIII.

Responderunt autem filii Chet ad Abraham, et dixerunt : Rex a Deo es tu in nobis, in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum [2].

I. Vidistis heri, dilecti, Patriarchæ fortitudinem : vidistis animam adamante solidiorem, quomodo, quantum in ipso erat, ob magnam in Deum charitatem sacerdos filii factus est, et proposito quidem cruentavit dextram, sacrificium-

[1] Rom. II, 13. — [2] Gen. XXIII, 5.

que obtulit : per ineffabilem autem misericordiam Dei salvo et sano filio suo recepto rediit ; et propter voluntatem prædicatus est coronaque fulgida redimitus ; et summum agonem certavit, ac per omnia pietatem mentis suæ declaravit. Videamus et hodie quantam Justus ille filii curam habuerit. Nam postquam a sacrificio illo novo et admirabili rediit, excepit eum Sarræ luctus : cum autem petiisset a filiis Chet possessionem sepulcri, empto loco, deposuit mortuam, et hoc principium possessionis habet Patriarcha mortis Sarræ occasione. Monstrans enim nobis Scriptura divina Justi virtutem, eumque sicut peregrinum et advenam toto tempore fuisse, hoc quoque significavit, ut discamus eum, qui tanto superno præsidio fruebatur, et sic illustris factus atque in tantam multitudinem diffusus erat, proprium sepulcrum non possedisse, sicut nunc multi faciunt, agros et villas, infinitamque aliam substantiam possidere studentes. Multis enim animi divitiis fruebatur, et de aliis non erat anxius. Audiant qui repente et in uno temporis momento omnium bona corradunt, et ubique, ut ita dicam, avaritiæ suæ concupiscentiam extendunt ; imitenturque Patriarcham, qui ne quidem habuit locum in quo Sarræ collocaret reliquias, sed tunc primum, quando ab ipsa necessitate compulsus est, emit agrum et speluncam a filiis Chet. Nam quod spectabilis esset apud Chananæos, audi filios Chet ad eum dicentes : « Rex a Deo es tu in nobis, in electis sepul» cris nostris sepeli mortuum tuum : nullus enim nostrum » prohibebit sepulcrum suum a te [1]. » Cæterum vide quomodo Justus operibus suis doceat illos veram philosophiam, et non prius velit accipere monumentum, quam justum dinumeret pretium. Nam licet vos, inquit, ita benevoli erga me sitis, at ego non patiar, nisi prius debitum pretium dependerim, et sic accipiam sepulcrum. « Et numerata,

[1] Gen. xxiii, 6.

» inquit, pecunia accepit monumentum : et sepelivit Sarram » uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ est e regione » Mambre [1]. » Et qui tam clarus et spectabilis erat, qui tantam apud Deum habens fiduciam, et apud omnes fere, qui ibi agebant, in tanto honore erat, ut et a filiis Chet rex nominaretur, neque vestigium pedis possidebat. Propterea et beatus Paulus virtutem Justi prædicans et scribens, dicebat: « Per fidem peregrinus fuit Abraham in terra promissionis » veluti aliena, cum in tabernaculis habitasset cum Isaac » et Jacob cohæredibus ejusdem promissionis [2]. » Deinde docens nos quomodo fide peregrinus fuerit, subsidit : « Expectabat enim habentem fundamenta civitatem, cujus » opifex et conditor est Deus [3]. » Spe, inquit, futurorum despiciebat præsentia, et expectatione majorum bonorum, minus curabat ea, quæ in præsenti vita sunt : atque hæc ante legem, et ante gratiam. Qualem igitur habebimus nos excusationem, dic, oro, qui post tot pollicitationes, et promissiones ineffabilium bonorum, inhiamus præsentibus, et emimus agros, et ubique clari esse studemus, colligimusque hæc omnia per avaritiam et rapinam? et id quod beatus Propheta cum lamento dicebat : « Væ iis, qui con- » jungunt domum domui, et agrum agro copulant ut quid » a proximo auferant [4], » hoc nos operibus implemus. An non quotidie videmus diripi viduarum bona, spoliari orphanos, infirmos a fortioribus opprimi? Verum Justus ille nequaquam sic, sed et sepulcrum emere cum voluit, quoniam vidit eos, a quibus petiit, dare volentes, non prius accepit, quam justum dependisset pretium. Hæc itaque mente versantes, dilecti, nos qui sub gratia, eum qui ante legem imitemur, et ne multa possidendi cupiditate accensi, majorem et graviorem accumulemus ignem inextinguibilem, et flammam intolerabilem. Audiemus enim, si in hujusmodi

[1] Gen. XXIII, 19. — [2] Hebr. XI, 9. — [3] Ibid. 18. — [4] Isaï. V, 8.

rapina et avaritia manserimus, ea quæ dicta sunt diviti illi: « Stulte, ista nocte abs te animam tuam repetent: quæ » autem præparasti, cujus erunt [1]? » Quare, dic mihi, tantopere studes, ut colligas ea, quæ, non multo post hinc abripiendus, hic relinques, ex eis non solum nihil utilitatis percipere valens, sed et onus peccatorum in humeris propriis ferens, et inutili pœnitentia ductus? Nam ea, quæ a te per avaritiam collecta sunt, in hostium sæpe devenient manus, tu autem pro iis rationem et pœnam dabis. Quantæ igitur est dementiæ aliis laborare, et te propterea pœnam dare? »

II. Esto autem hactenus ita neglig enternos gesserimus, nunc saltem quid opus facto sit consultemus: et non tantum operam demus, ut nobis opes affluant, sed ut et justitiæ magnam rationem et curam geramus. Neque enim res nostræ hujus vitæ limitibus circumscriptæ sunt, neque semper in aliena regione erimus: sed non multo post in propriam remeabimus patriam. Omnia igitur faciamus, ne illic egeni simus futuri. Nam quæ utilitas, in aliena regione multas divitias relinquere, in propria autem, et in patria necessariis carere? Itaque oro, festinemus, dum adhuc tempus est, ut illuc transferamus etiam quæ in hac aliena habemus. Enimvero licet multum inter se distent, facilis tamen est transvectio. Qui enim nostra eo transferant, parati sunt, et secure illuc pergunt, atque in thesauro indepræ-dabili ea reponunt, quæcumque per illorum manus præmittere potuerimus. Pauperum enim manus in cœlestia promptuaria sibi collata dona nostra reponunt. Quoniam igitur tanta et facilitas et securitas est, quare moramur, et non omni studio hoc facimus, ut ibi ea inveniamus, ubi eis maxime opus erit? Propterea Patriarcha ille quasi alienam inhabitat Chananæam: quia illam expectabat civita-

[1] Luc. XII, 20.

tem, cujus opifex et conditor est Deus. Si igitur voluerimus Justum hunc imitari, et nos in illam occurremus, et in sinum Patriarchæ veniemus. Operum enim communio etiam fruitionis communionem præstat. Verum si placet, redeamus ad sermonis seriem, et videamus, post Sarræ mortem, quantam Justus curam agit filii, Isaaci dico. Audiamus igitur divinam Scripturam nobis narrantem. « Et Abraham » erat senex, provectus diebus. Et Dominus benedixit Abra» ham per omnia [1]. » Quare hæc nobis assignavit Scriptura? quia Patriarcha diligenter curaturus erat ut sponsa Isaaco adduceretur, ideo nobis ejus ætatem assignavit. Quando enim, inquit, ad extremam senectutem pervenit, volens Isaacum a Chananæorum cognatione avertere, ut ne inde uxorem duceret, vocato, inquit, famulo prudentiore, commendat ei negotium hoc, et dicit. « Pone manum tuam » subter femur meum [2]. « Lingua græca habet « Subter » femur meum : » hebraïca vero « Subter lumbum. » Et quare sic dicit? Mos ille Veterum erat. Aliter autem dixeris, quia hinc principium originis Isaac duxerat. Et ut discas hoc tunc in more fuisse, animadverte illum imperare ut manum ille eo loco ponat, et statim adjungere : « Et adju» rabo, inquit, te per Dominum Deum cœli et Deum terræ [3]. » Vide quomodo docet famulum ad cognoscendum universorum Conditorem. Nam qui dixit : « Deum cœli et Deum » terræ, » omnem creaturam comprehendit. Et quod illud juramentum erat? « Ut non accipias uxorem filio meo Isaac » de filiabus Chananæorum, inter quos ego habito : sed in » terram meam, in qua natus sum, ibis, et ad cognationem » meam, et inde accipies uxorem filio meo Isaac [4]. » Vidisti mandatum Patriarchæ, quod famulo dedit? At ne perfunctorie prætereas dicta, sed cogita mentem et propositum Justi, et attende quomodo Veteres non quærebant substan-

[1] Gen. XXIV, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4.

tiam multam, non divitias, non servos, non tot et tot jugera agri, non externæ venustatis formam, sed animæ pulchritudinem et morum nobilitatem. Nam quoniam videbat nequitiam eorum, qui in Chananæa habitabant, sciens quantum bonum sit conjugem habere iisdem moribus præditam, præcipit servo, et juramentum adhibet, ut ex sua cognatione uxorem Isaaco adducat : neque intervallum locorum, neque aliæ difficultates segnem eum in his reddunt : sed sciens rei necessitatem, omnem curam et studium adhibet ac mittit domesticum. Cæterum Patriarcha virtutem tantum animi quærens, et abhorrens a vicinorum malitia, ita quidem se gerit : at nunc omnes hujusmodi conditionem ne cogitarent quidem. Nam etsi vitiis innumeris plena sit, hoc solum inquirunt, quantum abundet pecuniis; cætera omnia posteriore loco habent, nescientes se, si mens perversa sit, licet immensæ affluant divitiæ, cito in extremam venturos inopiam, et nihil profuturas opes, cum non sit ibi mens, quæ bene illas dispensare queat.

III. Verum Patriarcha servo accuratum dedit mandatum, et juramentis eum astrinxit. Videamus autem nunc et servi probitatem, quomodo heri pietatem imitatus sit. Nam postquam vidit tam serio Justum sibi præcipere, dicit ei : « Si non voluerit mulier venire mecum, vis filium tuum in » terram, unde existi, inducam [1] ? » Ut ne, inquit, si difficultas aliqua incidat, transgrediar mandata tua, rogo, quid oportebit me observare, et num placet tibi ut illuc abeat Isaac, et accepta sponsa, redeat, si non voluerit, ut mandasti, venire mecum ? » Quid igitur Justus ? Denegat hoc et dicit : « Attende tibi : Ne educas filium meum illuc [2]. » Non erit tibi hac re opus. Qui enim mihi hoc pollicitus est, et promisit semen ejus ita multiplicandum, etiam curabit hoc ut prospere succedat. « Ne igitur abducas illuc filium

[1] Gen. XXIV, 5. — [2] Ibid. 6.

» meum : Dominus Deus cœli et Deus terræ. » Vide quomodo superius servum adjurans, ipsum de omnium Conditore instituit ; et nunc precaturus iterum, eadem verba dicit, per omnia servum docens, ut fiducia in eum plenus iter arripiat, et de bono rei exitu bene speret. Docet enim eum quantam olim ab initio benevolentiam Dei invenerit, et eum, qui a domo paterna se evocaverit, et usque ad hoc tempus ita gubernaverit, jamque in tam provecta senecta Isaac dederit. prospera etiam, quæ adhuc restabant, facturum esse. « Dominus Deus, inquit, cœli et terræ, qui as- » sumpsit me de domo patris mei, et de terra, in qua natus » sum, ille ipse qui locutus est mihi dicens : Tibi dabo » terram hanc et semini tuo [1] ; » ille, qui tantam erga me declaravit benignitatem et curam, « Ipse mittet Angelum » suum ante te, et inde accipies filio meo uxorem [2]. » Confidens, inquit, abi : certus enim sum eum, qui tantis me beneficiis hactenus prosecutus est, prioribus etiam illud additurum, et missurum Angelum suum ante te. Ipse, inquit, viam tibi præparabit in omnibus, uxoremque tibi notam faciet, ut, accepta ea, huc redeas. Quod si contingat, quod absit, ut reluctetur uxor venire huc, alienus eris a maledictione juramenti. Tantum filium meum illuc ne abducas. Nullum enim mihi dubium est, quin Dominus secunda tibi faciat omnia. » Declarans quantum divinæ potentiæ fidat, prohibet servum ne filium illo inducat. Postea, cum diligenter mandasset servo, curaque eum liberasset, verebatur enim servus ne mandato non impleto perjurii reus fieret, « Posita, inquit, manu sua subter femur, jura- » vit ei super verbo hoc, quod filium suum illuc non ab- » duceret Isaac [3]. » Vidisti quomodo ab initio servus indicaverit suam erga dominum benevolentiam? vide nunc quomodo ea Patriarchæ doctrina melior evaserit, et imi-

[1] Gen. XXIV, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 9.

tatus fuerit Justi pietatem atque religionem. « Acceptis » enim, inquit, servus decem camelis, et de omnibus bonis, » quæ domini sui erant, surrexit et profectus est in Mesopo- » tamiam in civitatem Nachor, et recumbere camelos fecit » extra civitatem juxta puteum aquæ vesperi, quando egre- » diuntur aquaturæ. Et dixit : Domine Deus domini mei » Abraham [1]. » Vide servi probitatem : orbis Dominum a Patriarcha nominat. « Domine enim, inquit, Deus domini » mei Abraham, » qui tanta in illum beneficia contulisti. » Et quid miraris si servus eum ita vocat Deum Abraham? ipse omnium Deus monstrans quomodo Justorum virtutem magni faciat, inquit : « Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et » Deus Jacob [2], » et dicit : « Domine Deus domini mei » Abraham, prospere dirige coram me hodie, et fac miseri- » cordiam cum domino meo Abraham [3];» quasi diceret : «Fac ut impleantur ea, quæ ille vult, et secundum ejus senten- tiam prospera fac omnia. « Fac misericordiam cum domino » meo Abraham. » Quid est, « Fac misericordiam? » Voti compotem eum fac. » Deinde inquit : « Ecce ego sto propter » fontem aquæ, filiæ autem habitantium civitatem egre- » diuntur ut hauriant aquam, et erit virgo, cui ego dixero : » Inclina hydriam tuam ut bibam, et dixerit mihi : Bibe, et » camelos tuos potabo, usquequo bibere omnes cessent, » illam præparasti puero tuo Isaac : et in hoc cognoscam » quod misericordiam feceris domino meo Abraham [4].» Vide servi prudentiam. Nam quia noverat Patriarchæ hospitali- tatem, et quia virginem inde ducendam par erat iisdem esse præditam moribus, quibus Justus ille, nullam aliam conjecturam inquirit, sed characterem virginalis animi ex hospitalitate colligere vult, et inquit : « Si quando ego aquam ab ea petivero, et inclinet mihi hydriam, et non

[1] Gen. XXIV, 10-12. — [2] Exod. III, 6. — [3] Gen. XXIV, 12. — [4] Ibid. 13, 14.

solum faciat quod petierim, sed etiam candorem ac liberalitatem mentis suæ declaret, dicatque : « Etiam camelos » tuos aquabo, » morum suorum mansuetudinem satis ex aquæ largitione ostendit. »

IV. Animadverte, obsecro, charissime, quantum fuerit, quod virgo tenera, aquatum profecta, non solum annuerit ejus petitioni, et deposuerit ab humeris hydriam, et ad satietatem præbuerit petenti viro peregrino et prorsus ignoto: atque non solum illi dederit, sed et camelos omnes aquaverit, et per ea, quæ fiebant, monstraverit animæ suæ ingenuitatem. An nescitis quod multi etiam viri denegant sæpe petentibus talia? Et quid dico de aqua, quæ præbetur? Interdum cum faces tenent, et ab accedentibus orantur ut paulisper expectent, quo lumen accendant, id facere renuunt, tametsi nihil inde minuatur ignis, etsi innumeri sint qui accendere velint. Hic autem et mulier et puella, hydriam quoque super humeros ferens, non solum non gravatim tulit quod ab ea peteretur; sed et plusquam petitum erat, concessit, et potum dedit, ut petebat, atque ex seipsa etiam camelos potare festinat. Annuerat enim benignus Deus Patriarchæ precibus, Angeloque suo misso, omnia illa disposuit fieri sicut servus petiverat. Dein postquam vidit reipsa preces Patriarchæ efficaces, et obtinuit virginem, quam optabat, illiusque eximiam vidit hospitalitatem, vide quid fit, dicit enim : « Festinavit, et evacuavit » aquam in canales, et cucurrit ad puteum, ut hauriret » aquam, et aquavit omnes camelos ejus [1]. » Vide locupletissimam promptitudinem. Per hoc enim quod ait : « Festina» vit et evacuavit hydriam, et cucurrit ad puteum, » monstratur puellæ summa alacritas : quia neque ut aliena aufugit, neque prætextu continentiæ petitioni renuit : sed cum multa mansuetudine inquit : « Bibe domine. » Cogita, obsecro,

[1] Gen. XXIV, 20.

quanta etiam ea ætate fuerit continentiæ diligentia, et modestiæ eminentia, hospitalitatisque frequentia. Quibus igitur opibus hæc non sunt pretiosiora? quibus thesauris hæc non sunt præferenda? Hæc summa dos, hæc innumera bona, hæc thesaurus qui non consumitur. Videns igitur prudens servus manifestam Dei providentiam : « Discebat eam, in-» quit, et silebat, ut sciret prosperum-ne fecisset Dominus » iter suum an non [1]. » Quid est illud, « Discebat eam? » Verba ipsa puellæ diligenter considerabat, aspectum, incessum, habitum, aliaque omnia, et expectabat, « Ut sciret » an prosperum fecisset Dominus iter suum, an non. » Nam quæ jam facta erant, insignem et plurimam virginis indicabant virtutem. Et ideo remunerans ejus obedientiam et aquæ subministrationem, « Circumponit ei, inquit, inaures » aureas et et duas armillas, et diligenter addiscebat quæ » ad ipsam pertinerent. Et rogabat : Cujus es filia? et num » est apud patrem tuum locus diversorii [2]? » Considera et hic puellæ responsum. Nam sicut, cum aquam peteret, non solum eam dedit, sed et camelos illius potavit : ita et hic, rogante servo num esset locus, et cujus esset filia, inquit : « Filia sum Bathuëlis filii Melchæ, quem peperit ipsi Na-» chor [3]. » Dicit et patrem et avum, ut illis cognitis fiat alacrior. Vide candorem puellæ : de patre rogatur, et non solum hunc indicat, sed et patrem patris. Et cum rogasset servus solum an esset locus divertendi, illa addidit : « Non » solum locus, sed et fœnum et pabulum multum apud » nos [4]. » Hæc ut audivit servus, admiratus est miram et largam puellæ hospitalitatem. Et ut didicit se non ad ignotos quosdam venisse, sed in domum Nachor, qui frater erat Patriarchæ, « Hoc cum probaret, inquit, homo adoravit » Dominum [5]. » Exhilaratus iis, quæ cognoverat, et iis, quæ

[1] Gen. XXIV, 21. — [2] Ibid. 22, 23. — [3] Ibid. 24. — [4] Ibid. 25. — [5] Ibid. 26.

ipsi puellæ dixerat, adoravit Dominum, gratiasque illi egit, eo quod in Patriarcham et in se tantam declarasset providentiam, et quod omnia plana et facilia illi reddidisset. « Et dixit : Benedictus Dominus Deus domini mei Abra» ham, qui non abstulit justitiam suam et veritatem a do» mino meo [1] » Postquam vidit puellæ benevolentiam, et ab ea omnia manifeste didicit, tunc et ipse puellæ significat quis esset, et per gratiarum actionem in Deum, palam ei facit se non ex aliena domo venire, sed fratrem Nachoris esse eum, qui huc se misisset. Hæc ubi didicit puella, cum magna voluptate cucurrit, inquit. Vide quomodo in singulis declaret nobis hospitalitatis alacritatem, cursu, verbis, mansuetudine. « Cucurrit enim, inquit, et annuntiavit in » domo matris suæ juxta verba hæc [2] : » Omnia quæ audiverat a servo, parentibus significavit. « Et cucurrit, inquit, » Laban ad hominem foras ad fontem [3]. » Vide quomodo et hic cursu desiderium suum monstret. » Et ut vidit homi» nem stantem apud fontem cum camelis, dixit ei : Veni, » ingredere, benedictus Dominus : cur foris stetisti? Ego » disposui domum et locum camelis [4]. » Vide et hunc benedicentem Deum in adventu peregrini, et quomodo antequam hospitalitatem impleret opere, multis eum hortatus est. « Veni, inquit, ingredere. Jam enim præparavi do» mum et locum camelis. » Deinde ingresso eo, inquit : « Des» travit camelos et dedit paleas, et fœnum, et aquam, ut » lavarentur pedes ejus [5]. »

V. Vide quomodo hi, qui adhuc errore tenebantur, magnam hospitalitatis curam agebant. « Et dedit aquam, ut » lavarentur pedes ejus, et pedes virorum, qui cum eo erant. » et apposuit eis panes ad comedendum. » Sed hic attende, obsecro, magnam famuli prudentiam. Quid enim ait?

[1] Gen. XXIV, 27. — [2] Ibid. 28. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. 30, 31. — [5] Ibid. 32.

« Non comedam, donec loquar verba mea [1]. » Vos quidem, inquit, officium vestrum in me præstitistis : ego autem nequaquam antea quietis meæ rationem habebo, donec causam vos docuero, propter quam in hanc viam sim missus, et quare a Chananæa huc venerim, et quomodo in domum vestram huc ductus sim, ac cum omnia didiceritis, tunc et vos vestram erga dominum meum benevolentiam declarare poteritis. Narrationemque orsus, ait : « Servus Abrahæ sum » ego : Dominus autem benedixit dominum meum valde, » et dedit ei oves et vitulos, aurum et argentum, servos et » ancillas, camelos et asinos. Et peperit Sarra uxor domini » mei filium unum domino meo, cum ipse jam senuisset, » et dedit illi omnia quæcumque habuit [2]. » Vide quomodo cum diligentia omnia eis narrat. « Illius sum, inquit, Abrahæ servus, quem nostis. Discite itaque quantam ab omnium Domino benedictionem consecutus sit, ita ut valde sit ditatus. » Deinde docens divitiarum copiam, inquit : « Oves et » vitulos, argentum et aurum, servos et ancillas, camelos » et asinos acquisivit. » Audite, divites, qui tot et tot quotidie emitis prædia, et balnea, ac deambulacra, et splendidas domos ædificatis. Videtis in quibus divitiæ Justi fuerint constitutæ? Nusquam ager, nusquam domus, et supervacanea sumptuositas : sed oves et vituli, cameli et asinæ, servi et ancillæ. Et ut discas servorum multitudo unde ei contigerit, addidit alio loco : « Vernaculi omnes erant [3]. » « Hic igitur, inquit, dominus meus, cui tantæ facultates sunt, et qui multam superne gratiam invenit, quando jam senuit, ex Sarra filium suscepit, hunc que habens unigenitum, ipsum hæredem omnium suorum jam constituit : quippe omnia dedit illi quæcumque habuit. » Dein postquam narravit domini gloriam, et Isaaci partum, dicit insuper et mandata, quæ acceperat ab hero suo, ut in Charran proficisce-

[1] Gen. XXIV, 33. — [2] Ibid. 34-36. — [3] Id. XVII, 23.

retur. « Et adjuravit me, inquit, dominus meus, dicens : » non accipies uxorem filio meo Isaac de omnibus filiabus » Chananæorum, inter quos ego habito : sed in domum » patris mei vade, et ad cognationem meam, et inde acci- » pies uxorem filio meo [1]. » Et ipse quidem hæc mihi mandavit, ego autem difficultatem negotii mecum perpendens, rogabam dominum meum : « Si non voluerit mulier venire » mecum. « Et dixit mihi : Dominus Deus, cui complacui » coram eo, ipse mittet Angelum suum tecum, et prosperum » faciet iter tuum, et accipies uxorem filio meo ex cogna- » tione mea, et ex domo patris mei : quod si non potuerit » persuaderi mulier, ut tecum huc proficiscatur, tunc inno- » cens eris a maledictione mea [2]. » Igitur Dominus quidem hæc mihi mandavit, et talium precum viatico me instructum huc misit. Ego autem fretus illius precibus, ubi ad fontem veni, hæc verba locutus sum, et dixi : « Domine » Deus domini mei Abraham, si tu prosperum facis iter » quo nunc abeo : Ecce ego sto apud fontem aquæ ; filiæ » autem hominum hujus civitatis egredientur ad haurien- » dam aquam. Et erit virgo, cui ego dixero : Porrige mihi » parum aquæ ex hydria tua. Si dixerit mihi : Et tu bibe, » et camelos tuos aquabo, ipsa erit uxor, quam præparasti » servo tuo Isaac. Et in hoc sciam quod feceris misericor- » diam domino meo Abraham [3]. » Hæc ego quidem, inquit, apud memetipsum Deum rogavi, nondum autem finem feceram illa dicendi, et confestim adimpleta sunt. « Nam » priusquam ego dicendi finem facerem, ecce Rebecca exiit, » aquam ferens in humeris suis ; dicebam autem ei : Da » mihi potum. Et accelerans deposuit hydriam suam, et » dixit mihi : Bibe et tu, et camelos tuos aquabo [4]. » Et cum viderem jam evidentem fieri Dei providentiam, interroga-

[1] Gen. XXIV, 37, 38. — [2] Ibid. 40, 41. — [3] Ibid. 42-44. — [4] Ibid. 45, 46.

bam cujus esset filia. Et ut didici ex iis, quæ dixit, me non ad alienos venisse, sed in domum Nachor fratris domini mei, sumpta spe bona, « Appendi ei inaures et armillas, et » cum hoc placeret, adoravi Dominum, et benedixi Deum » domini mei Abraham, quia prosperum mihi iter fecit, ut » assumerem filiam fratris domini mei [1]. » Verum hæc ita a Domino manifeste dispensata sunt, preces quippe domini mei tunc exitum habuerunt. Cæterum vos, si vestrum officium impletis, « Facite misericordiam et justitiam cum » domino meo : sin minus, annuntiate mihi [2]. » Jam mihi, inquit, significate, ut scire possim quid oporteat me facere. Quod si minus placet, et idipsum dicite, ut alio iter faciam, et me convertam vel ad dextram, vel ad sinistram. » Postea quoniam Deus erat, qui omnia propter preces patriarchæ secundabat, dicunt ei pater et frater virginis : « A Domino » exiit verbum hoc : non poterimus tibi contradicere vel » malum vel bonum [3] » Ex narratione tua satis intelligimus totum hoc divina dispensatione fieri ; ne igitur putes nos velle adversari iis, quæ Deo probantur : illud enim facere non possumus. « Ecce habes virginem, tolle eam, et pro- » ficiscere, et erit uxor filio domini tui, sicut locutus est » Dominus [4]. »

VI. Vidistis quomodo studebant olim filiis suis uxores ducere ? quomodo magis animæ generositatem, quam opum abundantiam inquirebant? Nusquam instrumenta, nusquam pacta, et alia ridicula, quæ nunc apud nos fiunt, et conditiones illæ, quæ tabulis inseruntur : « Si absque liberis, inquit, moriatur, si hoc et hoc contingat. » Verum apud illos nihil tale, sed maximæ et securissimæ tabulæ erant virginis mores ; nusquam cymbala et choreæ. Et hoc scies, quando ad sponsum virginem videris introduci. « Ut enim » audivit servus, inquit, hæc a patre et fratre, adoravit Deum

[1] Gen. XXIV, 47, 48. — [2] Ibid. 49. — [3] Ibid. 50. — [4] Ibid. 51.

» super terram [1]. » Vide quomodo in singulis, quæ fiebant, universorum Domino gratias offert. Ipse enim erat, qui antea præparabat omnia, et secundum Patriarchæ verbum præmittebat Angelum ante illum, qui omnia feliciter ordinabat. Denique quia certior factus de negotio feliciter perfecto, « Prolata, inquit, vasa aurea, et argentea, et vestem » dedit Rebeccæ [2] » Nunc cum fiducia eam sibi conciliat officiis, quasi jam verbis desponsatam Isaac. Honorat autem donis et fratrem, et matrem, et cum vidit negotium et mandatum impletum, tunc tandem refici se passus est. « Comederunt enim, inquit, et biberunt ipse et viri, qui » cum eo erant, et dormiverunt. Cumque mane surrexisset, » dixit: Dimittite me, ut vadam ad dominum meum [3]. » Quoniam omnia mihi tam feliciter successerunt, inquit, et nihil est quod restet, sed ad placitum vestrum res agitur, dimittite me, ut abeam ad dominum meum. Dixerunt » autem, inquit, fratres et mater: Maneat nobiscum virgo » diebus quasi decem, et post hæc abibitis. Ille autem dixit » ad eos: Ne me detineatis, etenim Dominus prosperum » fecit iter meum: dimittite me, ut abeam ad dominum » meum [4]. » Quare, inquit, differtis et procrastinatis, cum Deus tantam facilitatem mihi in omnibus dederit? « Dimittite » ut abeam ad dominum meum. Illi autem dixerunt: Voce- » mus puellam, et interrogemus eam. Et vocaverunt eam, » dixeruntque ei: Ibis cum homine? Illa autem dixit: Ibo. » Et dimiserunt Rebeccam sororem suam, et substantias » ejus, et servum Abraham, et eos qui cum eo erant. Et » benedixerunt Rebeccam, et dixerunt ei: Soror nostra es, » fias in millia decem millium, et hæreditate possideat se- » men tuum civitates inimicorum [5]. » Vide quomodo et illi ignorantes virgini quæ futura sunt præsignificant, Deo men-

[1] Gen. xxiv, 52. — [2] Ibid. 53. — [3] Ibid. 54. — [4] Ibid. 55, 56. — [5] Ibid. 57-60.

tem eorum ad hoc dirigente et incitante. Utraque enim ei prædicta sunt, tum quod in millia myriadum futura esset, tum quod semen ejus hæreditate possessurum esset civitates inimicorum. Vidisti per omnia evidentem Dei providentiam relucere, quomodo per infideles futura ut prædicantur, dispensat omnium Dominus? « Cum surrexissent autem » Rebecca et ancillæ ejus, ascenderunt super camelos [1]. » Vidisti qualem sponsam ducat Patriarcha? Aquantem, et hydriam super humeros ferentem, et nunc iterum ascendentem super camelos. Nusquam mulæ argento fulgentibus cervicibus, neque famulorum turba, neque magna mollities, quæ nunc adhiberi solet: sed tantum erat priscarum mulierum robur, ut et in camelos ipsæ ascenderent, et sic iter facerent. « Et profectæ sunt, inquit, cum homine. Isaac » autem egressus erat, ut se exerceret in agro ad crepuscu» lum; et ibi elevatis oculis, vidit camelos venientes [2]. » Dum in campo versaretur, inquit, Isaac, vidit camelos. « Rebecca autem ut vidit Isaac, desiliit a camelo, et dixit » servo: Quis est homo ille, qui vadit in campo nobis ob» viam [3]? » Vide puellæ generositatem, postquam vidit Isaac, quærebat quis esset. Et ubi didicit quod ipse esset sponsus, velavit se theristro; et veniens servus omnia clare nuntiavit Isaac. Hic considera, oro, quomodo nusquam superflua illa et inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala, et tibiæ, et choreæ, et satanica illa convivia, et scommata omni obscœnitate plena, sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis modestia. « Intravit autem Isaac, inquit, » in domum matris suæ, et accepit Rebeccam, et fuit ei » uxor, et dilexit eam, et consolationem accepit Isaac super » Sarra matre sua [4]. » Hanc imitentur mulieres, hunc æmulentur viri. Sic sponsas ducere curent. Quare enim, dic, oro, statim ab initio sordibus impleri sinis puellæ aures

[1] Gen. XXIV, 61. — [2] Ibid. 63. — [3] Ibid. 64, 65. — [4] Ibid. 67.

tam turpibus cantilenis, tam intempestiva illa pompa? Nescis quomodo adolescentia per se sit in malum propensa? Cur honesta nuptiarum mysteria publice dehonestas? cum oporteret hæc omnia depellere, et verecundiam principio docere puellam, et sacerdotes vocare, et precibus et benedictionibus concordiam conjugii constringere, ut amor sponsi augeatur, et puellæ continentia crescat, et omnia quæ fiunt eo spectent ut virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturque e medio omnes diaboli insidiæ, et ipsi Dei auxilio uniti jucunde vitam perficiant. Quo nobis omnibus frui detur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre, et Spiritu sancto sit gloria, potestas et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA XLIX.

Hæ autem sunt generationes, inquit, Isaac filii Abraham[1].

I. Iterum vos ad consuetam mensam ducere volo, et ex verbis Mosis convivium proponere, imo ex verbis sancti Spiritus. Neque enim a seipso Moses hæc nobis exposuit, sed Spiritu sancto afflatus. Videamus igitur quid et hodie nos docere velit. Neque enim sine causa, neque in vanum vitas Sanctorum nobis exponit; sed ut imitemur eorum virtutem, et imitatores simus bonorum operum, quæ illi fecerunt. Nam postquam nobis diligenter narravit ea, quæ ad patriarcham Abraham attinent, et docuit postremum illius certamen in immolatione filii, narravitque hoc pulchrum sacrificium etsi non opere, voluntate tamen

[1] Gen. xxv, 19.

perfectum esse, finemque imposuit narrationibus illis; nunc exponit nobis quæ ad Isaac occisum et non occisum pertinent; factum enim ænigmati simile est. Audi enim Paulum dicentem : « Fide obtulit Isaac Abraham, cum » tentaretur : et unigenitum obtulit, qui promissiones ac- » ceperat [1]. » Deinde ut discamus quomodo fide hæc omnia faceret, et contraria videns promissioni ea quæ jubebatur facere, non tamen perturbaretur, subjicit; « Unde illum » et in parabolam accepit [2]. » Quid est, « Et in parabolam ac- » cepit? » Nam postquam eum in sacrificium obtulit, et mentem perfectam declaravit, ipse corona redimitus est, et accepto puero, rediit, ac sacrificium per ovem impletum est : ostenditque per omnia universi Conditor suæ benignitatis excellentiam, et se hoc imperando non occidi Isaac, sed Justi exercere obedientiam voluisse. Cæterum sicut vidimus Patriarchæ virtutem in omnibus relucentem, age, et quæ de Isaac dicta sunt hodie, in medium afferentes, videamus quomodo et ipse piam et religiosam mentem in omnibus prætulerit. Operæ autem pretium est ut ipsa Scripturæ verba audiamus. « Hæ autem sunt, inquit, gene- » rationes Isaac filii Abrahæ. Abraham genuit Isaac. Isaac » autem erat annorum quadraginta, quando accepit Re- » beccam filiam Bathuëlis Syri ex Mesopotamia, sororem » Laban Syri, sibi in uxorem [3]. » Considera, obsecro, dilecte, divinæ Scripturæ diligentiam, quomodo nihil supervacue ponat. Cur enim nobis ætatem Isaac significat, et dixit : « Erat autem Isaac quadraginta annorum, quando » accepit Rebeccam? » Non absque causa, neque temere : sed quia nobis postea Rebeccæ sterilitatem narraturus erat, et ex precatione Justi procreationem prolis illi concessam fuisse; docere nos cupit magnitudinem patientiæ Isaac, et clare indicare quanto tempore liberis caruerit :

[1] Hebr. xi, 17. — [2] Ibid. 19. — [3] Gen. xxv, 19, 20.

ut et nos æmulantes Justum, assidui simus in divinis precibus, si quando aliquid a Deo petierimus. Si enim Justus ille ita virtute præditus, et tanta Dei benevolentia fruens, tantam præ se tulit constantiam et tantum studium, continuo Deum orando, ita ut solveretur Rebeccæ sterilitas, quid dicemus nos, qui tantis peccatorum oneribus premimur, et neque minimam virtutis Justi partem ostendimus : sed etsi parvo tempore studium aliquod et diligentiam exhibuerimus, torpescimus et resilimus, nisi statim exaudiamur? Propterea oro ut ex iis, quæ Justo illi evenerunt, eruditi, nunquam cessemus orare Deum, ut ignoscat nobis peccata, sed fervens et æstuans desiderium ostendamus, et non ægre feramus, neque segniores simus, si non statim audiamur. Fortassis enim Dominus, continuam nostram sedulitatem sapienter exercens, ita procrastinat, ut mercedem quoque patientiæ recipiamus, et quia ipse tempus scit quando nobis utile est assequi quod quærimus. Neque enim nos ita scimus quid nobis utile, ut ipse evidenter novit, qui etiam abscondita mentis nostræ cognoscit. Proinde par est ut nihil curiosius quæramus, neque scrutemur ea, quæ a Deo providentur, sed grati admodum simus, et admiremur Justorum virtutes. Nam postquam dixit nobis divina Scriptura quot annorum fuerit Isaac, dicit et de Rebecca uxore ejus quod sterilis fuerit. Vide, obsecro, Justi religiosam mentem. Quoniam enim vidit naturam claudicantem, ad naturæ Conditorem confugit, et vincula naturæ precibus solvere festinavit. « Deprecatus » enim est, inquit, Isaac super Rebecca uxore sua, quia ste» rilis erat [1]. » Unum hoc imprimis operæ-pretium ut quæramus quare, cum et ipsa, et vir ejus vitæ fuerint eximiæ, et ambo continentiæ studiosi, sterilis fuit? Non possumus carpere eorum vitam, et dicere sterilitatem illam peccato-

[1] Gen. xxv, 21.

rum causa immissam. Et ut discas rem miram, non solum ipsa sterilis fuit, sed et mater Justi Sarra : neque mater ejus sola, sed et nurus, Rachel uxor Jacobi. Quid sibi vult ille sterilium chorus? omnes Justi, omnes virtute præditi, omnes a Deo testimonium habentes. Nam de ipsis dicebat : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob [1]. » Beatus autem Paulus ait : « Ideo non confunditur Deus, » ut vocetur eorum Deus [2]. » Multæ ipsorum laudes in Novo, multæ in Veteri, undique clari et nobiles, et omnes steriles habuerunt uxores, multoque tempore caruerunt liberis.

II. Quando igitur videris virum et mulierem virtuti deditos, carere prole : quando videris pios, et religionis studiosos non habere liberos, ne tribuas hoc peccatis. Multæ enim divinæ dispensationis rationes nobis sunt arcanæ, et pro omnibus gratias agere oportet, ac solos illos miseros dicere, qui in peccato vivunt, non eos quibus filii desunt. Quippe sæpenumero multa Deus utiliter dispensat, quorum nos causam nescimus. Eapropter in omnibus sapientiam ejus admirari oportet, ac glorificare ineffabilem misericordiam. Sed hæc quidem ad utilitatem vestram dicta sunt, ideo ut admodum gratam voluntatem exhibeatis, neque de dispensatione divina curiose sciscitemini. Causam tamen dicamus, propter quam mulieres illæ steriles fuere. Quænam igitur est causa? ut cum videris Virginem nostrum communem Dominum parientem, ne sis incredulus. Exerce enim hic tuo sensus, inquit, in vulva sterilium, ut cum didiceris ligatam et emortuam vulvam divina virtute ad procreationem aperiri, inde copiosis argumentis acceptis, non admireris audiens Virginem peperisse : imo admirare et obstupesce, sed ne sis incredulus miraculo. Quando igitur tibi dicit Judæus : Quomodo peperit virgo? dic ei : Quomodo peperit sterilis et vetula? Duo impedimenta tunc erant, et ætas intempes-

[1] Exod. III, 6. — [2] Hebr. XI, 16.

tiva, et natura vitiata : in Virgine autem unum impedimentum fuit, quod non esset particeps concubitus. Sterilis igitur jam viam parat Virgini. Et ut scias propter hoc steriles prius fuisse, ut credatur virginitatis partus : audi verba Gabrielis ad Virginem dicta. Postquam enim venit et dixit : « Concipies in utero, et paries filium, et vocabis » nomen ejus Jesum [1] : » obstupefacta est et admirata, dixitque : « Quomodo erit mihi istud, quia virum non cog- » nosco [2] ? » Quid igitur Angelus ? « Spiritus sanctus superve- » niet super te, et virtus Altisssimi obumbrabit tibi [3]. » Ne quæras, inquit, naturæ modum et ordinem, quando super naturam sunt quæ fiunt. Ne spectes conjugii dolores, quando major quam in nuptiis natalium modus erit. « Et » quomodo fiet istud, inquit, quoniam virum non cog- » nosco? » Sane propter hoc erit, quoniam virum non cognoscis. Nam si cognosceres virum, non fuisses habita digna ut huic ministerio servires. Itaque ea de causa, qua dubitas, ea ipsa de causa crede : non quia malum nuptiæ, sed quia melior virginitas. Hunc autem ingressum nostri omnium Domini digniorem esse oportet, quam nostrum; regius enim fuit introitus. Oportebat et communem cum nostro ejus esse ortum, et diversum a nostro, et utrumque evenit. Et quomodo audi. Nam de utero prodire, hoc commune nobiscum est : absque nuptiali autem congressu nasci, supra nostram est originem. Uterum gestare te id naturæ est humanæ : sine congressu uterum gestare, id natura humana sublimius; ut et præstantiam et communionem, quam tecum habet, ediscas. Considera autem quanta sapientia hæc facta sint, neque eminentia obfuit similitudini et affinitati ejus nobiscum; neque nostra affinitas et similitudo ejus obscuravit excellentiam, sed operibus utrumque ostensum est; aliaque perfecte nobis similia

[1] Luc. 1, 31. — [2] Ibid. 34. — [3] Ibid. 35.

habuit, alia a nobis diversa. Verum, ut dixi, propter hoc steriles fuerunt istæ, ut crederetur virginitatis partus, ut ipsa induceretur ad fidem promissionis. Audi enim quid dicit Angelus Dei :« Spiritus sanctus veniet super te, et virtus » Altissimi obumbrabit tibi. » Sic, inquit, poteris parere. Totum operatione Spiritus erit. Ne igitur spectes in terram, e cœlis operatio venit. Spiritus gratiæ est quod fit, ne quæras naturæ modum, ne secundum nuptiarum leges intelligas. Verum quoniam majora sunt verba hæc quam ut illa caperet, vult et aliam ei præbere demonstrationem.

III. Tu autem, dilecte, attende quomodo sterilis istam manuducat ad fidem partus. Quoniam prior demonstratio major erat cogitatione Virginis, audi quomodo et humiliorem sermonem afferat, per sensibilia ipsam manuducens. «Et ecce, inquit, Elisabeth cognata tua et ipsa concepit » filium in senectute sua : et hic mensis sextus est ei, quæ » vocatur sterilis[1]. » Vides ut sterilis propter Virginem in medium sit adducta? Alioqui cujus rei gratia retulisset partum cognatæ? cujus item gratia dixisset: « Quæ vocatur » sterilis? » Plane per omnia deducebat eam ad credendum annuntiationi; propterea et tempus dixit, et naturæ sterilitatem ; propterea et tempus distulit conceptionis. Non enim statim a principio ei annuntiatum est, sed præterito tempore semestri, ut uteri sarcina conceptionem doceret. Et vide quanta Gabriel utitur solertia. Non enim in memoriam ei reducit vel Sarram, vel Rebeccam, vel Rachelem. Quare et quam ob causam? Nam hæ quoque fuerunt steriles, et vetulæ, et magnum miraculum in illis fuit; sed quia omnes hæ narrationes antiquæ erant, adducit eam ad id, quod nuper contigerat, ut mentem ejus ad credendum provocaret. Sed necessarium est ut ad institutum sermonem redeamus, et significemus Justi virtutem, et quomodo preci-

[1] Luc. 1, 36.

bus sterilitatem Rebeccæ solverit, et vincula naturæ superaverit. « Deprecabatur autem, dicit, pro Rebecca uxore sua, » quoniam sterilis erat, et exaudivit eum Deus [1]. » Non quia mox ita subditur et scriptum est, putes eum e vestigio et protinus assecutum esse quod optabat et quærebat. Nam viginti annis perseveravit orans et deprecans Deum, et tunc tandem assecutus est quod desiderabat. Et unde sciemus hoc? Si diligenter percurramus quæ in divina Scriptura continentur. Non enim tempus nobis absconditum est, sed signavit quidem, latenter tamen, ita ut provocet desiderium nostrum, et ad dignam inquisitionem incitet. Nam sicut docuit nos annorum numerum, quem habuit, quando Rebeccam duxit, ita et hoc nobis palam fecit. « Erat enim, inquit, Isaac annorum quadraginta, » quando accepit Rebeccam filiam Bathuëlis Syri. » Didicisti diligenter tempus; deinde postquam dixit : « Deprecatus est Isaac pro uxore sua, quia sterilis erat, » ut discamus annorum numerum, assignavit nobis quot annorum fuerit Isaac, quando nati sunt ei filii de Rebecca. « Erat » enim Isaac, inquit, annorum sexaginta, quando peperit » Rebecca [2]. » Si igitur quadraginta annorum erat, quando illam duxit, sexaginta autem quando peperit uxor, manifestum est eum annis viginti perseverasse orantem Deum, et uterum Rebeccæ inutilem generationi, idoneum fecisse. Vidistis orationis vim, quomodo et naturam ipsam superet? Hunc omnes imitemur, et ita in precibus simus assidui, animoque sobrii et humiles; audiamusque Paulum admonentem et dicentem : « Levantes sanctas manus abs- » que ira et disceptationibus [3] : » et studeamus semper liberari a perturbatione, ut mens sit in tranquillo, maxime autem precum tempore, quando multa nobis opus est a Deo benignitate. Nam si nos viderit precari secundum leges

[1] Gen. xxv, 21. — [2] Ibid. 26. — [3] 1 Tim. ii, 8.

ab se positas, statim nobis donorum suorum largitatem liberaliter concedet. Quod nobis assequi liceat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri sit gloria, honor, imperium, simul et sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA L.

Concepit autem Rebecca, et colludebant parvuli in illa [1].

I. Vultis etiam hodie apponamus charitati vestræ ea, quæ in lectione hesterna relicta sunt? Ad finem enim perducere totum argumentum nequivimus, sed ostendimus per assiduas preces Isaac potuisse Rebeccæ vulvam filiorum generationi reddere idoneam, naturamque ipsam inutilem factam, ut ita dicam, reparare. Hæc omnia heri satis vos docuimus, monstrantes annorum numerum, quibus, ut hoc impetraret Beatus ille, orans et deprecans permansit: et in sermonem de sterilibus egressi, dicta vobis causa propter quam Justorum illorum uxores steriles fuere, sermonem missum fecimus. Operæ-pretium autem est nos hodie discere Rebeccæ religiosam mentem, ut non solum nobis a virtute Justi lucrum accedat, sed etiam ex historia, quæ Rebeccam respicit, ad æmulationem provocare possimus auditores. Postquam enim Deus exaudivit orationem Justi, « Et uterum gessit Rebecca, colludebant, inquit, » pueri in ea [2], » et magno eam dolore afficiebant. « Dixit » enim, inquit, si sic mihi futurum sit, cur mihi hoc [3]? » Neque enim unus erat nasciturus, sed duos simul in utero

[1] Gen. xxv, 22. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

pueros gestabat, et ex angustia multum cruciatum sentiebat. Sed hic vide, obsecro, mulieris pietatem et religionem. Non enim sicut mulieres multæ, quæ negligenter vivunt, hodie facere consueverunt, ad humanum confugit subsidium, non ad eos, qui talia suis conjecturis, suæque rationis observationibus judicare volunt; neque se exposuit deceptioni circulatorum, et eorum, qui polliceri audent quæ supra humanam sunt naturam : sed « Abiit, inquit, ut » consuleret Dominum [1]. » Vide mulieris sagacitatem : quoniam vidit eum, qui vulvam ejus reserarat, et qui infœcundum ventrem repente ita fœcundum effecerat naturæ esse dominum : quoniam vidit uteri sarcinam magna quædam promittere, « Abiit, inquit, ut consuleret Dominum. » Quid est, « Abiit ut consuleret Dominum? » Cucurrit ad veram scientiam, et festinavit ad sacerdotem Dei ministrum, per quem latenter rei scientiam discere cupiebat; et enarrans omnia quæ sibi contigerant, didicit diligenter omnia, misericorde Deo per sacerdotis linguam detegente ei omnia manifeste, et alacriorem eam reddente. Et ut scias quanta tunc erat sacerdotum dignitas, nusquam dicit sacerdotem ei respondisse, sed postquam dixit : « Abiit ut consuleret » Dominum » subjecit : « Et dixit Dominus ei, » nempe per sacerdotem : « Duas gentes in utero tuo contines [2]. » Etenim et alio loco Angelum vocat sacerdotem divina Scriptura, ostendens illum ea loqui, quæ inspirat ac suggerit Spiritus gratia. Dixit igitur Dominus ei per sacerdotem : « Duæ » gentes in utero tuo sunt, et duo populi in ventre tuo di- » videntur, et populus populo præstabit, et major serviet » minori [3]. » Vide vaticinium, quod manifeste prædicit ei omnia futura. Salientes enim pueri in utero, et incompositis gestibus se moventes, jam omnia liquido prædicebant. Et nunc didicit mulier non se duos solum parituram puc-

[1] Gen. xxv, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid.

ros, sed et illos in gentes propagandos fore, et minorem majori dominaturum esse. « Et quando postea appropin-» quavit tempus pariendi, exiit, inquit, primus rufus, » quasi pellis hispidus. Et postea exiit frater ejus, et manus » ejus comprehendit calcaneum Esaü. Et vocavit nomen » ejus Jacob [1]. » Quasi jam et ab initio monstret Deus minorem, secundum id quod dictum est, majori esse domina-» turum; » dicit enim : « Tenebat manu calcaneum Esaü : » id quod erat signum superantis eum, qui fortis esse videbatur. Et considera divinam Scripturam, quomodo propter ea, quæ postea futura erant, jam prædicit, et ab initio monstrat nobis utriusque studium, et quod ille quidem venationi deditus, hic vero rusticus esset homo, simplex, domum inhabitans : propterea Rebecca diligebat Jacob, Isaac autem Esaü : « Quoniam venatio ejus, inquit, cibus » erat illi [2]. » Vide quomodo pueros distinguant. Et mater quidem erga Jacob majorem declarabat benevolentiam, eo quod simplicem videbat et domi versantem : pater autem diligebat Esaü, tum quod primogenitus esset, tum quod venatione ejus vesceretur. Hæc quidem illi faciebant naturalem dilectionem sequentes, vaticinium autem paulatim implebatur, illud scilicet : « Major serviet minori. » Vide enim statim. « Coxit, inquit, Jacob coctionem : venit » autem Esaü ex campo deficiens, et dixit Esaü ad Jacob : » Fac me gustare de edulio hoc rufo, quia deficio : propte-» rea vocatum est nomen ejus Edom. Et dixit Jacob : Da » mihi hodie primogenita tua. Ille autem dixit : Quid mihi » hisce opus, cum mors jam me invadat, nisi accepero » cibum? Alius autem juramentum exigebat, ut stabilis ei » fieret illa concessio. Et juravit, inquit, Esaü [3]. »

II. Ecce nunc hic inversus est ordo, et primogenituræ dignitas transiit ad eum qui virtute animi præfulgebat.

[1] Gen. xxv, 24, 25. — [2] Ibid. 28. — [3] Ibid. 29-33.

« Et vendidit, inquit, Esaü primogenita [1]; hoc est, vendidit cibi gratia dignitatem a natura sibi datam ; ideo et subdidit : « Et parvipendit Esaü primogenita [2]; quasi diceret : « Ingratus erat ac indignus ea, quam sibi natura dederat, dignitate. » Hoc autem totum est, ut illius demonstraretur ingratus animus, et Dei oraculum adimpleretur. Hæc audientes discamus nunquam negligere dona a Deo nobis data, neque propter parva et vilia magna perdere. Quare enim, dic mihi, proposito regno cœlorum, bonisque illis ineffabilibus, ita in divitiarum cupiditatem insanimus, et momentanea, quæ sæpe non usque ad vesperam permanent, perpetuis semperque duraturis præferimus? Et quid hac amentia deterius esse possit? quando et illis privamur ob nimium in hæc amorem, et nunquam his frui pure possumus. Quæ enim, quæso, utilitas magnarum facultatum ? An nescitis accessionem multarum pecuniarum nihil aliud nobis afferre, quam curarum incrementa, occupationes mentis, et vigilias? Non videtis hos omnium potissimum, ut ita dicam, servos esse, quibus plura affluunt, et quotidie umbras ipsas timent? Inde enim nascuntur insidiæ, invidentia, odium grave, et innumera alia mala. Et sæpe vides eum, qui habet decem millia talenta auri recondita, beatum vocare eum, qui in officina operatur, et ex labore manuum cibum parat. Qualis igitur voluptas, aut quale lucrum, quando neque his fruimur, et propter hanc concupiscentiam etiam majoribus privamur? Quid autem dico majoribus, quando cum malis, quæ hic nos apprehendunt, et a bonis, quæ ibi sunt, excidimus, et ad gehennam ipsam mittimur? Et nondum dico innumera peccata, quæ hinc colliguntur, dolos, calumnias, rapinas et fraudes : verum etiamsi quis ab omnibus illis liber, id quod perquam difficile et rarum, opibus abundet, et ipse solus eis

[1] Gen. xxv, 33. — [2] Ibid.

utatur, et eas cum iis, qui opus habent, non large communicet, eum gehennæ ignis excipiet. Quod nos manifeste docet parabola in Evangelio posita, cum statuit alios a dextris, alios a sinistris; illisque dixit præparatum esse regnum cœlorum ob curam egenis impensam : « Venite » enim, inquit, benedicti Patris mei, in hæreditatem acci- » pite præparatum vobis regnum ab origine mundi [1]. » Cur et qua de causa? « Esurivi enim, et dedistis mihi comedere [2]. » His vero ignem æternum; dicit enim : « Discedite a me, » maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo » et angelis ejus [3]. » Magnum verbi pondus : omnium Dominus et conditor dicit : « Esurivi, et non dedistis mihi co- » medere [4]. » Cujus animam non movebunt hæc verba, etiamsi lapidea sit? Dominus tuus esuriens obambulat, et tu es in deliciis; neque hoc solum, sed in deliciis ipsum despicis; tametsi non multum sit quod a te petit, nempe panem solum, quo famem possit sublevare. Et ipse quidem frigore rigescens obambulat, tu autem sericis indutus ne respicis quidem, nullam commiserationem præ te fers, sed immisericorditer præteris. Et qua venia sunt hæc digna? Ne igitur sit hoc studium nostrum, ut multas quibusvis artibus opes conquiramus; sed illud in scopo habeamus, quomodo et hæc bene disponamus, et egenis consulamus, et ne ab illis excidamus, quæ semper manent, et quæ nullam admittunt vicissitudinem ac mutationem. Quocirca diem mortis nostræ incertum esse voluit Dominus, ut nos præpararet ad continuam sobrietatem et vigilantiam, et ita magis ad virtutis studium nos provocaret. Dicit enim : « Vigilate, quia nescitis neque diem, neque horam [5]. » Atqui nos plane diversum operamur, et dormimus somno graviore quam sit naturalis ille. Nam qui naturali somno

[1] Matth. xxv, 33. — [2] Ibid. 35. — [3] Ibid. 41. — [4] Ibid. 42. — [5] Ibid. 13.

quiescit, nec bonum, nec malum operatur : nos autem alio somno dormimus, dormientes ad virtutis, vigilantes ad malitiæ opera, strenui in malis, desides in bonis : idque facimus videntes quotidie multos hinc abduci, magnas autem aliorum esse in præsenti vita vicissitudines : et neque tanta rerum inæquabilitas ad virtutis amorem nos adducere potest, neque disponit ut despiciamus præsentia et desideremus futura, præferamusque somniis et umbræ veritatem. Non enim differunt præsentia ab umbris et somniis. Proinde ne decipiamus nosmetipsos, neque sectemur umbras : sed vel sero tandem salutis nostræ curam habeamus, et opes indigentibus evacuemus, ut pro illis remunerationem a misericordi Deo accipere mereamur. Qua nobis omnibus frui concedatur, gratia et miserationibus Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LI.

Facta est autem fames super terram, præter famem priorem, quæ fuerat tempore Abraham [1].

I. Iterum ex iis, quæ nuper diximus, doctrinam vobis afferam : ut autem liquido sciatis ubi nuper sermonem missum fecerimus, et unde hodie resumendus sit, ea quæ supra dicta sunt, vestræ charitati in memoriam referre operæ-pretium fuerit. Tametsi enim vos, quia multis curis distrahimini, eorum forte obliti estis, sed meum est ut in

[1] Gen. XXVI, 1.

memoriam vobis reducam ea, quo sermo hodie dicendus manifestior vobis sit. Scitis enim nos nuper Rebeccæ pietatem enarrantes, inde ad Esaü et Jacob devenisse, ubi narratum est Esaü primogenita, ut cibo frueretur, Jacobo vendidisse, et propter cibi cupiditatem semetipsum suo honore privasse. Hoc autem non temere factum, sed ut prophetia compleretur, quæ dicit : « Jacob dilexi, Esaü » autem odio habui [1]. » Nam cum Deus futurorum sit præscius, prædixit et illius virtutem, et hujus animi nequitiam. Quænam autem sunt illæ primogenituræ? Igitur, quia tunc tempus non permittebat charitati vestræ dicere, nunc necesse est ut doceam. Apud Veteres summus honor erat primogenituræ : hinc autem honoris causam et originem habuit. Cum Deus Israëlitarum gentem ab Ægypto liberare, et secundum promissionem Patriarchæ factam a tyrannide Pharaonis eripere vellet, obluctante et detinere volente tunc Ægyptio, post varias plagas etiam hanc postremam eis intulit, fere cogens Ægyptios ut suis manibus extruderent Israëlitarum genus. Nam simul omnia Ægyptiorum primogenita occidi jussit; vidissesque in singulis domibus ejulatus et lacrymas [2]. Neque sic putabant finiri plagam, sed illinc etiam expectabant ut mors qua cœperat pergens, ad omnes perveniret. Itaque quia in Ægypto una omnium primogenitorum mors fuit, Israëlitæ autem divina freti gratia, illæsi permanserunt : per hoc etiam ostendens omnium Deus suam erga illos benevolentiam, imperavit in posterum ut propter interfectionem primogenitorum Ægypti, primogeniti Judæorum pueri sibi offerrentur. Hinc et tribus Levi in sacerdotium segregata est, et ex illo non solum primogenita hominum oblata sunt Deo, sed et brutorum, et in universum omnium. Et præceptum erat pro hominibus et immundis animalibus pretium dependi.

[1] Malac. I, 2, 3. — [2] Exod. XII, 29, 30.

Quamvis autem legislatio hæc de primogenitis posterior fuerit, attamen jam supra et olim videbantur aliquod habere privilegium, qui vulvam matris primum adaperiebant. Hanc igitur dignitatem, quam a natura habebat Esaü, propter intemperantiam suam transtulit in fratrem. Et ille quidem perdidit quod a natura habebat : hic autem et quod non habebat a natura, accepit. Et quia hæc antea oraculo promissa erant, ideo Rebecca appellatione ei indita, Jacob eum vocavit : quod scilicet supplantationem interpretari potes, sicut et Esaü post patris benedictiones ejulans dicebat : « Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit »enim me jam secundo, et primogenita mea accepit, et »nunc benedictionem meam [1]. » Vide quanta erat Priscorum prudentia, vel potius, quanta fuerit Dei sapientia, qui effecerit ut et mulieres natis nomina non temere nec fortuito imponerent, sed nomina darent, quæ filiis essent futurorum prædictio. Et raro invenies eodem quo patres nomine appellari filios, vel forte nusquam ; sed sive mater, sive pater nomen filio impositurus erat, rarum quoddam et novum imponebat, ut per illud aliqua futura præsignificaret. Ita et Lamech filium vocavit Noë, dicens : « Hic nos »requiescere faciet [2]. » Ita si singula nomina scruteris, omnino in omnibus invenies aliquid insinuari; non sicut nunc faciunt, qui temere et ut forte evenit, a parentibus agnominare solent : sed omnino illuc spectabant, ut perpetuam memoriam per appellationem illam filiis inderent. Cæterum videamus nunc post primogenituræ permutationem, quid iterum nobis narret beatus Moses de patre illorum, et quomodo sicut de Patriarcha dictum est, ita et de hoc legimus, cum fame ingruente multam Dei curam sensisse, tum propter virtutem propriam, tum propter promissionem Patriarchæ factam. « Facta est autem fames

[1] Gen. xxvii, 36. — [2] Id. v, 29.

» super terram, præter famem priorem, quæ fuerat tempore » Abrahæ [1]. » Ut ne putes de illa fame eum dicere, propterea subdidit : « Præter famem, quæ erat tempore Patriarchæ, » quasi diceret. « Alia similis nunc iterum fames venit super terram tempore Isaac, qualis erat tempore patris illius. » Necessariorum penuria omnes in summam angustiam concludebat, atque ex suis migrare et ad illa loca transire cogebat, ubi rerum necessariarum copiam invenirent. Unde cum Justus ille famem videret, « Profectus est, inquit, ad Abimelech in Gerara [2]. » Eo enim et Abraham post reditum suum ex Ægypto venerat. Verisimile autem et hunc propterea illud abiisse, quod inde in Ægyptum contendere vellet et quod hoc ita sit, audi Scripturam dicentem : « Visus est enim » ei, inquit, Deus, et dixit : Ne descendas in Ægyptum [3]. » Nolo te, inquit, longam illam viam proficisci, sed hic manere volo. Neque permitto ut angustiam experiaris, sed promissionem patri tuo factam implebo, et quæ illi promissa sunt, in te evenient, et tu promissiones, quæ illi factæ sunt, reipsa accipies. « Ne descendas in Ægyptum; habita autem in » terra, quam tibi dixero, et peregrinus esto in terra hac [4]. »

II. Deinde ut ne putet Justus Deum hoc imperare, quasi volentem eum famis angustiam experiri, et non permittere ei transitum in Ægyptum, inquit : « Ne sis anxius, neque curam habe, sed hic mane : « Ego enim ero tecum. » Igitur cum suppeditatorem bonorum omnium habeas, ne sis sollicitus : ego enim Dominus omnium ero tecum : neque hoc solum, sed « Et benedicam te, » hoc est, gloriosum te faciam, et benedictionem meam præbebo. » Quid hoc Justo beatius, qui talem promissionem a Deo accepit : « Ero te- » cum, et benedicam te [5] ? » Hoc te declarabit omnibus feliciorem, hoc te affluentem rebus omnibus faciet, hæc est summa gloria, hæc est vera securitas, hoc est culmen et caput

[1] Gen. xxvi, 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 2. — [4] Ibid. 3. — [5] Ibid.

bonorum, quia ego tecum sum. « Et benedicam te. » Quomodo autem te benedicam? « Tibi et semini tuo dabo terram hanc [1]. » Tu videris in hac regione versari quasi hospes et vagus : scias autem quod tibi et semini tuo dabitur hæc omnis terra. Et ut bene confidas, disce me juramentum illud, quod juravi Abrahæ patri tuo, tecum statuere. Vide quomodo sermonem suum Deus iterum attemperat nostræ infirmitati. Non dixit simpliciter : « Pacta quæ feci cum patre tuo, neque promissiones quas promisi : » sed quid? « Juramentum quod » juravi [2] » Jurejurando ipsum confirmavi juramentum, et teneor ut opere perficiam quod juravi. » Vides Dei clementiam? Non ad propriam dignitatem respiciens loquitur, sed ad nostram sese attemperans infirmitatem. Nam quia homines fere semper illa opere perficere student, non quæ simpliciter promiserunt alicui, sed quæ cum juramento promiserunt : simili modo et Deus Justo plenam fidem faciens, ea quæ a se dicta sunt omnino futura esse, dicit : « Scias ea, quæ a me juramento firmata sunt, opere implenda esse. » Quid igitur? inquies : Deus juravit? Et per quem jurare potuit? Vides hoc sese ad nostram infirmitatem attemperantis esse; firmationem promissionis vocavit juramentum. « Et statuam, inquit, juramentum meum, quod » jurans juravi Abrahæ patri tuo [3]. » Deinde docet eum quæ sunt illa, quæ promisit, et de quibus ei juravit. « Et mul» tiplicabo semen tuum sicut stellas cœli [4]. » Hoc enim et Patriarchæ in principio dicebat : « Tantum erit semen tuum, ut et stellis et arenæ adæquetur. « Et dabo, inquit, » semini tuo terram istam, et BENEDICENTUR in semine tuo » omnes gentes terræ [5]. » Propterea promissiones, quæ illi factæ sunt, in te implebo. « Eo quod audivit Abraham » pater tuus vocem meam, et custodivit mandata mea et » justificationes meas et legitima mea [6]. » Vide Dei sapien-

[1] Gen. XXVI, 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 4. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 5.

tiam, quomodo erigit mentem Justi, et alacriorem reddit: et ut patris imitator fiat, efficit. Nam si ille, inquit, quia meæ obedivit voci, tanta pollicitatione dignus habitus est, et eam propter illius virtutem in te, qui ex eo natus es, sum impleturus; si et ipse illius imitator fueris, et eadem qua ille via incesseris, cogita quantam apud me benevolentiam habiturus sis, et quanta mea cura te dignaturus sim. Nam si cui ob alterius virtutem bene futurum est, si et ipse virtute præditus fuerit, multo majore dignus habebitur cura. » Quid autem est : « Eo quod obedivit voci meæ, et » custodivit mandata mea et præcepta mea et justificationes » meas ? » dicebam ei : « Egredere de terra tua et de cogna- » tione tua, et veni in terram, quam monstravero tibi [1] : » reliquitque illa, quæ in manibus erant, et incerta persecutus est. Et non fluctuabat neque cunctabatur, sed cum omni alacritate mandatum implebat, et obediebat voci meæ. Iterum quæ super naturam sunt ei promisi, et cum jam ætas eum a spe dejiceret, ac neque ipse, neque mater tua procreandæ proli idonei essent, cum audiret a me semen ejus in tantum fore propagandum, ut omnem terram esset impleturum; neque tunc animo turbatus fuit, sed credidit: ideo et in justitiam ei reputatum est; quia virtuti meæ credendo, et in promissionibus meis spem habendo, humana infirmitate superior fuit. Et postquam tu natus es, cum mater tua succenseret Ismaëli ex ancilla nato, et vellet eum abigere a domo cum Agar, ita ut nihil commune illi tecum esset, licet in illum Patriarcha paterna et genuina dilectione bene afficeretur : audiens tamen a me sibi faciendum esse quod visum esset Sarræ, oblitus naturalis dilectionis, ejecit Ismaëlem cum ancilla, et semper obedivit voci meæ, ac custodivit præcepta mea. Denique cum præcepissem ei ut mihi in sacrificium offerret filium in

[1] Gen. XII, 1.

senectute sibi concessum, et tam dilectum, nihil causatus est, neque curiosius de præcepto inquisivit, neque turbatus est mente, neque communicavit cum matre tua, neque cum pueris, neque tecum, quid facturus esset; sed forti mente et ingenti alacritate festinavit, ut mandatum meum impleret : proinde voluntatem ejus coronavi, opus autem ut perficeretur non admisi. Eapropter, quia in omnibus magnam obedientiam declaravit, et mandatorum meorum custodiam, te ex illo natum, promissionum, quæ illi factæ sunt, hæredem facio. »

III. « Imitare igitur illius obedientiam, et iis, quæ a me dicta sunt, crede, ut multo pluribus remunerari dignus habeare, et pro patris tui virtute, et pro tua obedientia : et ne descendas in Ægyptum, sed hic mane. » Vidisti Dei misericordiam, quomodo per mentionem virtutis patris, hujus mentem roboravit? « Habitavit autem Isaac in Geraris[1]. » Vide quomodo ferme in eadem pericula incidit ille, in quæ et pater ejus. Nam cum domicilium haberet in Geraris. « Rogaverunt, inquit, viri loci illius de Rebecca uxore ejus, et dixit : Soror mea est[2] : » timuit enim ne forte occiderent eum, victi pulchritudine uxoris : « Ne forte occidant eum, » inquit, viri loci propter Rebeccam, quia pulchra facie » erat : fuit autem illic longo tempore. Abimelech autem, » cum prospiceret per fenestram, vidit Isaac ludentem cum » Rebecca uxore sua, et vocavit eum, et dixit ei : Profecto » uxor tua est. Cur dixisti : Soror mea est[3]? » Postquam ex conjecturis deprehensus est Justus, non ultra negat : sed fatetur, et causam manifeste affert, quare sororem vocandam censuerit. Dixit enim, inquit : « Ne forte moriar propter ipsam. Mortis timor me hoc agere coëgit. » Forte autem edoctus erat patrem quoque talem fabulam commentum sic saluti suæ consuluisse; cujus viam et ipse secutus est.

[1] Gen. xxvi, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8, 9.

Sed rex adhuc memor eorum, quæ tempore Patriarchæ rapta Sarra, passus fuerat, statim ob castigationem olim immissam se reum constituens, dixit illi : « Cur hoc fecisti? » parum abfuit quin concubuerit quispiam de genere meo » cum uxore tua, et induxisses super nos ignorantiam[1]? » Hanc fraudem, inquit, et olim sustinuimus a patre tuo, et nunc nisi in tempore prospexissemus, eadem laturi eramus; « Et induxisses super nos ignorantiam. » Etenim et tunc per ignorantiam peccaturi eramus, et nunc quoque propter ignorantiam ferme in causa fuisses, ut in peccatum incideremus. « Præcepit autem Abimelech populo suo, dicens : » Omnis qui tetigerit hominem hunc et uxorem ejus, mortis » reus erit[2]. » Vide Dei providentiam, vide ineffabilem curam. Nam qui dixerat ei : « Ne descendas in Ægyptum, et » habita in terra ista, et ero tecum, » ille erat qui hæc omnia dispensabat, et Justum in tanta constituebat securitate. Considera enim regem procurantem ut impavide ibi agat, liberque sit ab omni cura. «Mortem, inquit, interminatus est omnibus quicumque tetigerint aut eum, aut uxorem ejus. » Quia enim hic erat timor, mortis scilicet, qui concusserat ejus mentem, propterea et illum auferri curavit misericors Dominus, ut postea omnino secure ageret. Et vide rem miram et stupendam, quomodo solers cum sit et sapiens, omnia secundum suam voluntatem vertat, et in inviis viam inveniat, per illa ipsa quæ maxime adversa videntur, saluti servorum suorum consulens. Hinc enim est, quod rex ille tantam habeat curam Justi, quasi prædicans cum omnibus civitatis suæ incolis, et declarans quam gloriosus sit, et summo honore dignus, quem et maximi faciebat. Sic et Nabuchodonosor, postquam pueros illos tres in fornacem injecerat, et reipsa comprobaverat captivorum adolescentum virtutem, tunc prædicare eos cœpit, et ubi-

[1] Gen, xxvi, 10. — [2] Ibid. 11.

que lingua sua fecit illustres [1]. Hæc enim potissimum magna Dei virtus est, quando facit ut per inimicos celebrentur servi Dei. Et qui cum furore accendi jusserat fornacem illam, quoniam vidit per supernum auxilium puerorum virtutem ignis actionem vincere, repente mutatus clamavit, dicens : « Servi Dei excelsi. » Vide, non solum illos excelsos prædicat, sed et Dominum universorum : « Servi enim, » inquit, Dei excelsi, egredimini [2]. » Quid factum est? nonne tu eos tormento tradidisti? nonne tu in tantum fornacem accendi præcepisti? « Profecto, inquit, sed nunc video res admirabiles et novas. » Elementum enim hoc suæ operationis oblitum, quasi vinculis quibusdam ligatum, tantam exhibuit obedientiam, ut neque contingeret illorum capillos. Unde videre possumus id factum supra humanam naturam esse, et ineffabilem quamdam ac divinam vim hæc operari, tantamque puerorum habere providentiam. Vidisti Dei misericordiam, quomodo nunquam derelinquens servos suos, permittit in fornacem injici; sed eos volens clariores facere, et suam virtutem demonstrare, barbari demulsit animum, et tantam tolerantiam ostendit. Neque enim tam admirabile erat, si a principio prohibuisset eos in caminum injici : sicuti nunc admirabilius et rarius factum est, cum in medio ignis existentes, nihil insuave pati permittit. Nam quando vult, etiam eos, qui in mediis sunt periculis et pœnis, potentiores facit : et eos, qui patiuntur, iis qui illos affligunt superiores reddit. Hoc et in Apostolis factum est. Nam qui eos urgebant et adducebant in medium, et quasi dentibus adversus eos fremebant, inter se dicebant : « Quid » faciemus viris istis [3]? » in manibus illos habebant, et dubitabant secum quid de eis facerent. Tanta, tamque valida res est virtus, tamque imbecillis malitia, ut illa quidem, licet patiatur, vincat : hæc vero et si quid agat, nihil aliud

[1] Dan. III, 91. — [2] Ibid. 93. — [3] Act. IV, 16.

proficiat, quam quod suam prodat infirmitatem. Id scientes, dilecti, magnam virtutis habeamus rationem, et vitia fugiamus; ita enim et supernam gratiam nobis conciliabimus, et futura consequemur bona : quæ nobis omnibus eveniant, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui sit cum Patre, et Spiritu sancto gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LII.

Seminavit autem Isaac in terra illa, et invenit centuplicans hordeum in anno illo[1].

I. Reliquias heri dictorum operæ-pretium est hodie reddere vestræ charitati, et repetita sermonis serie, iterum videre quantam Justus Isaac supernam providentiam sit assecutus. Nam qui ei prohibuerat descensum in Ægyptum, et dixerat: « Habita in terra hac, et ero tecum : » ille in omnibus tam clarum eum fecit, ut non multo post invidiam moveret regis Gerarorum. Videntes enim ejus substantiam quotidie augeri, metu affecti sunt quod ibi secum habitaret, et transmigrare inde coëgerunt. Dignum autem est, ut ipsa Scripturæ verba audiamus, ut per omnia videamus Dei benevolentiam, quam erga famulos suos declarat. « Seminavit autem, inquit, Isaac in terra illa, et in» venit centuplicans hordeum in anno illo. » Vide mihi, obsecro, Dei sapientiam, ut ostendat Justo se naturæ conditorem esse, et in rebus difficilibus facilia omnia facere posse : ac qui ab initio terram suo mandato fecerit ido-

[1] Gen. xxvi, 12.

neam ad proferendos fructus, idem nunc efficiat ut centuplices reddat pro satis manipulos : simul illum in tanta affluentia constituens, ut nullius indigeat, atque alios per opera docens quanta superna gratia Justus fruatur. Omnipotens enim et sapiens Deus per res easdem frequenter benefacit suis, et curat etiam ut ii quoque, qui adhuc in errore versantur, suam virtutem et potentiam addiscant. Hoc postea et in Ægypto fecit : illis enim pœnas irrogabat, Israëlitas vero illæsos conservabat. Discebant enim non solum per indignationem Dei, qua ipsi puniebantur, omnium Opificis virtutem, sed etiam per sollicitudinem, quam in illos exhibebat. Et iterum non ex sola providentia et sollicitudine, quam experiebantur, discebant ingentem Dei bonitatem, sed etiam per eos, quibus quotidie videbant tot plagas irrogari. Per eadem enim opera et suis, et adversariis indicabat suæ potentiæ magnitudinem. Nam elementa ipsa suum ministerium et obsequium conservis demonstrant, quando benevole Dominus erga illos afficitur. Et hoc utique viderit quis huic Justo contingere. Id enim quod alioqui natura terræ non habuit, hoc propter mandatum universorum Dei nunc profert tanta ubertate, ut repente valde opibus abundans effectus sit Isaac. « Bene» dixit enim, inquit, eum Deus, et exaltatus est homo, et » procedens major fiebat, donec magnus factus est valde [1]. » Nam quia tunc abundantia Justorum erat in fertilitate terræ, et in multitudine pecorum, propterea dicit : « Bene» dixit eum Deus, et exaltatus est homo, » id est abundavit : et non simpliciter abundavit, sed et « Major, inquit, fiebat » donec magnus factus est valde. » Considera enim quantum sit, pro iis quæ seminabat centuplum accipere. Quod si hoc tibi magnum videtur, considera immensam Dei clementiam, quam processu temporis erga nos declaravit. Iis

[1] Gen. xxvi, 13.

enim, qui post ejus adventum virtutem excercent, non solum centuplum hic promittit, sed et vitam æternam, et regni cœlorum possessionem. Vidisti liberalitatem Domini? vidisti beneficentiæ augmentum? vidisti quantum nobis largitus est unigeniti Filii Dei adventus? quomodo ineffabilem rerum commutationem operatus est? Hæc igitur unusquisque apud se expendens, et videns differentiam inter ea, quæ illis ante gratiæ tempus promitti solebant, et ea, quæ nunc post gratiæ tempus, glorificet etiam in hoc immensam ejus misericordiam, et ne temporum mutationi totum ascribat. At par est ut ad seriem sermonis redeamus, ut videamus quomodo Gerareni, videntes affluere Justo opes, in æmulationem provocati abigere eum inde conati sunt. « Æmulati sunt enim eum, inquit, Phylis-» tiim [1]. » Deinde monstrare volens Scriptura divina, in quo æmulationem declararunt, subdidit: « Et omnes pu-» teos, quos effoderunt servi tempore patris ejus, obtura-» verunt, et impleverunt terra [2]. » Considera quanta illorum incolarum malitia, qui et aquas Justo invident: neque rex, qui in tanta potestate erat, invidiam continere potuit, sed dicit: « Abi a nobis, quia potentior nobis fac-» tus es valde [3]. » Magna malevolentia. Cujus gratia abigis Justum? num aliqua in re tibi nocuit? num injuriam intulit? Sed ita se habet invidia, nihil cum ratione operatur. Cum enim oportuisset eum, quem videbat tanta omnium Dei benevolentia fruentem, magis fovere et colere, ut honore in illum collato, etiam ipse divinum sibi favorem conciliaret: ille non solum hoc non facit, sed expellere tentat ac dicit; « Abi a nobis, quia multo potentior factus » es, quam nos sumus. » Ita agere solet invidentia, non potest benigne videre aliorum felicitatem, sed felicitatem proximi suam putat infelicitatem, et tabescit bonis pro-

[1] Gen. xxvi, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16.

ximi : id quod et hic accidit. Rex enim, sub cujus potestate tota civitas erat, et habens omnes sub manu sua, peregrino, vago, huc et illuc migranti dicit : « Abi a nobis, » quia potentior factus es, quam nos sumus. » Et vere potentior erat, supernum præsidium habens in omnibus, dexteraque Dei munitus. Quo igitur abigis Justum? ignoras quod, quocumque eum ire coëgeris, semper erit in iis, quæ Domini sui sunt? Non docuit te rerum experientia Dei manum esse, quæ illustrem facit et conservat Justum? Quare igitur abigendo Justum, erga Dominum ejus te ingratum declaras? et neque magna viri mansuetudo tuam domare potuit invidiam, sed victus a morbo, invidiam opere comples, et iterum migrare eum cogis, qui in nullo te læsit? Nescis quod licet in ipsissimam solitudinem eum fugaris, habebit tamen solertem Dominum, qui se juvare, sicut et illic factum est, et multo clariorem facere possit? Nihil enim robustius eo, qui fruitur superno præsidio : sicut nihil infirmius eo, qui tali auxilio destituitur.

II. Vidisti, dilecte, et regis Gerarorum, et omnium, qui ibi habitabant, mentis malitiam? Vide et Justi magnam mansuetudinem, quomodo non superbivit : neque videns reipsa divinam sibi gratiam assistere, contra regem, fretus commilitantis virtute, insurrexit : sed quasi vir omni patrocinio carens, et nullum auxilium alicunde expectans, multa cum mansuetudine, ne verbis quidem resistens, faciebat quod sibi a rege præcipiebatur ; et statim illinc discessit, et ulterius progressus, repressit ægritudinis flammam, simul et eximiam suam mansuetudinem declarans, et illius perturbatum animum mitigans. « Et abiit inde, et » habitavit in valle Gerarorum [1]. » Et id quod Discipulis suis omnibus Christus adveniens præcepit, dicens : « Quan- » do persequentur vos, fugite in alium locum [2] : » hoc ille

[1] Gen. xxvi, 17. — [2] Matth. x, 23.

jam operibus exhibebat. Et sicut David Saülis magnam invidiam reprimebat, secedens et subducens se, et illius refrigerabat ardorem[1]: eodem sane modo et Justus ille apostolicum illud implebat: «Date locum iræ[2]. Et relicta »civitate, exiit in vallem. » Cæterum vide quantam illic iterum mansuetudinem præ se tulit. Neque enim hic finis fuit molestiarum: nam cum etiam illic esset, et fontes effodere vellet, rixas moverunt. «Fodit enim, inquit, puteos, »quos ante pueri patris ejus fecerant, et obturaverunt Phy»listiim, et imposuit eis nomina, quæ pater suus imposue»rat. Et foderunt, inquit, pueri Isaac, et invenerunt pu»teum aquæ viventis[3]: » hoc est subtus scaturientis. «Et »litigaverunt pastores Gerarorum, dicentes suas esse »aquas[4]. » Hic quoque nihil contendit Justus, neque obluctatur, sed etiam pastoribus cedit. Hæc enim vere mansuetudo est, non quando quis offensus a potentioribus mansuete fert; sed quando quis ab iis etiam, qui inferiores putantur, offensus cedit: tunc enim ejus, qui invaditur, mansuetudini totum ascribitur; nam alias diceret quis eum mansuetudinem simulasse, quia non posset potentiæ offendentis resistere. Sed ut discas eum regi cessisse, non propter potentiam ejus, sed suo more agentem, vide quomodo idem apud pastores faciat. Et sicut ille dicebat: «Recede »a nobis: » et statim quasi accepto mandato, abscessit: ita et nunc, pastoribus lædere cupientibus, et puteum sibi vindicantibus, recedit. Atque ut perpetuo hanc injustitiam scirent posteri, nomen imponit puteo ex eo quod acciderat. Enimvero quia manifestam admiserant injustitiam, vocavit nomen putei, «Loci injustitia[5]. » Et erat postea, quasi in columna ærea, posteris nomen loci doctrina et mansuetudinis Justi, et iniquitatis illorum. Nomen enim

[1] 1 Reg. XIX, 19. — [2] Rom. XII, 19. — [3] Gen. XXVI, 18, 19. — [4] Ibid. 20. — [5] Ibid.

loci faciebat, ut quisquis rogaret quarenam sic vocaretur, disceret et hujus virtutem, et ingentem illorum malitiam. Animadverte, quæso, quomodo etiam hic suam augeat virtutem, per omnia mansuetudinem suam exhibens: et illi ingenti nequitia, etiam inviti Justum illustriorem reddere satagant. Neque enim contenti iis, quæ fecerant, postquam alium effoderunt puteum, iterum instant, rixamque movent. « Profectus enim, inquit, illinc fodit puteum » alium: litigabant autem etiam de illo, et nominavit eum, » Inimicitias [1]. » Hic iterum animadverte Justi prudentiam. Non omnino puteum, ut videtur, abstulerunt, sed contendebant: et visa manifesta injustitia, discesserunt. Propterea « Inimicitias » eum appellavit, quod inimicitiarum fuisset occasio. Cæterum quotidie propemodum talia ferens ab iis qui regionem incolebant, non gravatim tulit, non abjecto fuit animo, non cogitavit secum, neque dixit: « Ecce ne puteorum quidem ut sim dominus mihi datur: annon superno auxilio destitutus sum? annon Dominus, abjecta cura, mei oblitus est? » Nihil ejusmodi vel dixit, vel cogitavit: sed omnia magna cum mansuetudine toleravit, et idcirco dignus fuit habitus, qui ampliori divino auxilio adjuvaretur. Nam hæc quæ evenerunt, exercitatio, ut ita dicam, virtutis Justi fuere. Dicit enim: « Profectus illinc fo» dit puteum alium, et non contenderunt super illo: et » agnominavit nomen ejus, Latitudinem, dicens: Quia » nunc dilatavit nos Dominus, et crescere nos fecit super » terram [2]. »

III. Vide gratum animum Justi. Nam cum priores fontes diripere tentarent, non ægre tulit, non obluctatus est: sed in sola puteorum appellatione malitiæ illorum indelebilem reliquit memoriam. Hic vero quia nulla fuerunt obstacula, sed cum omni libertate laboribus suis frui licuit,

[1] Gen. XXVI, 21. — [2] Ibid. 22.

totum tribuit Deo. « Vocavit enim, inquit, puteum illum, » Latitudinem : » et deinde interpretatus vocabulum, dicit : « Propter hoc Latitudinem voco, quia dilatavit Dominus et » auxit nos super terram. » Vidisti piam mentem, quomodo non facta mentione tantarum difficultatum, quæ obstiterant, bonorum tantum meminit, et pro illis gratias Deo agit, et dicit : « Quia dilatavit Dominus nos, et auxit nos » super terram? » Nihil enim tam acceptum Deo, ut anima grata et gratias agens. Nam cum innumeris beneficiis quotidie omnes nos prosequatur, sive velimus, sive nolimus, sive ea sciamus, sive ignoremus, nihil tamen aliud a nobis exigit, quam ut habeamus gratiam pro iis, quæ nobis concessa sunt, ut pro illa ipsa gratiarum actione ad ampliora danda provocetur. Hoc ut scias, vide quomodo Justus ille grati admodum animi causa denuo supernum meruerit visum. Nam quoniam condignum suæ virtutis specimen exhibuerat, et apud Gerarenos, et cum rex eum expelleret, et cum pastores puteos auferrent : benignus Dominus veluti confirmaturus ejus alacritatem, jam ob insignem illam mansuetudinem eum acceptum habens : postquam ascendit illinc ad puteum juramenti, « Visus est ei Dominus in » nocte illa, et dixit : Ego sum Deus Abraham patris tui, » ne timeas : tecum enim sum, et benedicam te, et multi» plicabo semen tuum propter Abraham patrem tuum [1]. Vi» sus est ei, inquit, in nocte illa. » Considera Dei sollicitudinem : ut illum refocillet ac fidentiorem reddat, apparet ei, et dicit : « Ego sum Deus Abraham patris tui, » qui patrem tuum glorificavi et adeo celebrem reddidi : ac peregrinum advenamque illustriorem omnibus incolis feci. Ego sum ille, qui hunc ita crescere curavi, et in omnibus curam ejus gessi. Ego sum, ne igitur timeas. » Quid sibi vult illud, « Ne timeas? » Ne tibi mirum videatur quod ab Abimelech

[1] Gen. xxvi, 24.

sis expulsus, quod a pastoribus sis injuria affectus. Multa talia et pater tuus pertulit, et inde gloriosior effectus est. Ne igitur hoc te terreat : « Ego enim tecum sum. » Idcirco hæc fieri permitto, simul volens et declarare tuam virtutem, et manifestari mentis illorum pravitatem, ut horum omnium causa te coronem. Tecum enim sum, ideo et invictus eris, atque infestantibus potentior, et invadentibus fortior. Et tantam tui curam habebo ut invidiosus illis sis futurus : « Ego enim tecum sum, et benedicam te, et mul» tiplicabo semen tuum propter Abraham patrem tuum. » Considera benignitatem Dei. Nam postquam dixit : « Ego » sum Deus Abrahæ patris tui, » et ostendit quomodo sibi vindicaverit, propriumque fecerit Patriarcham, ita ut dignatus sit se vocare Deum Abrahæ, atque Dominus ac conditor orbis, unius hominis Deum se dixerit, non concludens in uno Patriarcha dominium suum, sed magnam in illum suam benevolentiam monstrans ; « Ita, inquit, eum mihi feci proprium, ut apud me reputetur tanti, quanti alii omnes : ideo « Et multiplicabo semen tuum propter » Abraham patrem tuum ; » multas, inquit, illi debeo retributiones ob suam in me obedientiam : igitur propter illum multiplicabo semen tuum. » Simul et Justo fiduciam indidit, et facta patris mentione, ad æmulandam paternam virtutem provocavit. Postquam autem tanta ei bona promisit, « Ædificavit, inquit, ibi altare, et invocavit nomen » Domini, et fixit illic tabernaculum suum [1]. » Quid est, « Ædificavit illic altare ? » Gratiarum actiones, inquit, illic Domino obtulit, qui tantam pro se gesserat sollicitudinem. « Et foderunt illic pueri Isaac puteum. » Demum cum securitate degit Justus : nam qui dixerat : « Ego tecum sum, » et benedicam te, et multiplicabo semen tuum : » ipse simul eum et illustravit, et omnibus fecit spectabilem. Ita-

[1] Gen. xxvi, 25.

que vide Abimelech illum, qui abigere eum aggressus est, ac dixit : « Abi a nobis, » nunc ad eum accedentem : « Ivit » enim, inquit, Abimelech, et præfectus gynæcei et dux » exercitus ejus, et dixit eis Isaac : Quare venistis ad me ? » vos autem odio me habuistis, et expulistis a vobis [1]. » Vide, obsecro, quanta sit mansuetudo Justi. Videns eos, a quibus fugatus erat, et qui tanto eum odio fuerant prosecuti, nunc veluti supplices ad se venire, non superbivit contra eos, non elato fuit animo, memor eorum, quæ sibi a Domino dicta fuerant, neque virtute Domini fretus insurrexit contra regem : sed iterum consuetam mansuetudinem præ se ferens, cum magna lenitate verborum dixit eis : « Quare » venistis ad me ? vos autem odio me habuistis, et a vobis » expulistis. » Quare, inquit, censuistis ut vobis veniendum sit ad me expulsum et odio habitum ? « Et dixerunt : Vi- » dentes vidimus quia Dominus tecum, et diximus : Fiat » execratio inter nos et inter te, et disponemus fœdus te- » cum, ut ne feceris nobiscum malum, sicut nos non abomi- » nati sumus te, et quomodo tecum bene sumus usi, et dimi- » simus te cum pace, et nunc benedictus tu a Domino [2]. »

IV. Vide quantum mansuetudinis robur, quantaque virtutis potentia. Nam qui pridem abegerant, nunc veniunt ad peregrinum, ad virum civitate carentem, ad erronem : et non solum satisfaciunt, ac excusant se de iis, quæ commiserant, et peccatorum veniam petunt, sed et prædicant Justum, indicantque sibi incussum metum, ac confitentur suam infirmitatem, et Justi magnam testantur virtutem. Quid enim robustius eo, qui secum habet Deum ? « Viden- » tes, inquit, quod Dominus tecum est. » Unde vobis illa scientia ? « Profecto, dicunt, res ipsæ nos docuerunt. Vidimus te abactum abigentibus fortiorem factum esse, et vexatum eos, a quibus vexabare, superasse, et ex rerum serie

[1] Gen. XXVI, 26, 27. — [2] Ibid. 28, 29.

intelleximus te superno frui auxilio. » Hoc autem divinæ dispensationis opus est, quod mens eorum obstupuerit Justum, et quod hoc cognoverint. « Quoniam igi- » tur, inquit, Dominus tecum, fiat execratio inter nos » Vide quomodo impellente conscientia semetipsos reprehendere festinant, cum nullus alius cogat, vel facta objiciat. Nam nisi injuriam fecissetis, quare a Justo petitis ut ineatur fœdus? Sed ita se habet injustitia, quotidie conscientia mordet, et silente eo, qui offensus est, pœnam atque rationem exigi putant qui injustitiam sunt operati : quotidie anguntur, et quasi sibimetipsis præscribunt peccatorum suorum ultionem. Id cum et illi didicissent : « Sit, inquiunt, execratio inter nos et inter te. » Deinde dicunt qualem execrationem fieri velint. « Et inibi- » mus fœdus tecum, ut ne feceris nobis malum, sicut nos » non sumus te abominati. » Vide quomodo pugnantia inter se præ mentis angore et turbatione loquuntur: « Ne feceris » nobis malum. » Quare sic timuistis Justum, videntes eum tantam præ se ferre mansuetudinem erga eos, qui lacessebant? sed incorruptus judex, conscientia, eos excitavit, et animadverterunt quantum erga Justum ingrati fuerint : propterea præ timore atque formidine non attendunt se diversa et pugnantia loqui. « Ne feceris, inquit, malum no- » biscum, sicut nos te non abominati sumus. » Quare igitur abegistis? Verum Justus non petit rationem, neque expostulat, neque eorum dicta arguit. « Et quomodo, in- » quit, bene te usi sumus, et dimisimus te cum pace, et » nunc tu benedictus a Domino. » Vides eos supernam vindictam timuisse? Norant enim quod licet ipse propter humanitatem suam non ulcisceretur quæ fecerant, eum certe qui tantam ejus curam agebat, repetiturum esse rationem eorum, quæ in Justum facta fuerant : eapropter Justum placant, et pactum inire cum eo student, simul et pro iis, quæ

facta erant rationem reddentes, et in futurum securitatem sibi conciliantes. « Et fecit eis, inquit, convivium, et co- » mederunt et biberunt : et cum surrexissent mane, jura- » vit unusquisque proximo suo, et dimisit eos Isaac, et dis- » cesserunt ab eo cum salute [1]. » Vide Justi benignitatem quomodo cum eis absque vindicandi cupiditate loquitur : et non solum obliviscitur eorum, quæ in se facta, sed magna hospitalitate illos excipit. « Fecit enim eis convivium, » et comederunt et biberunt. » Convivio satis certa dat argumenta se non fore memorem eorum, quæ in se commiserant. « Et dimisit eos, inquit, et abierunt cum salute. » Significavit per hoc divina Scriptura eos magno cum timore advenisse periculum expectantes, et de rerum summa, ut ita dicam, anxios, ut excusarent se ad Justum contendisse. Vidisti quomodo nihil validius virtute ? nihil potentius supernis auxiliis freto ? Postea dicit : « In die illo » abierunt pueri Isaac, et foderunt puteum, et dixerunt : » Non invenimus aquam. Et vocavit eum, Juramentum. Et » idcirco vocavit nomen civitati, Puteus juramenti, usque » in hodiernum diem [2]. » Vide et hic ex iis, quæ facta sunt, loco nomen impositum. Nam quia effosso puteo nihil invenerunt in die illo quo juramenta inter se fecerunt, Puteum juramenti vocavit nomen loci, ut factorum duraret memoria. Vidisti quomodo Justus ille, qui neque a lege eruditus fuit, neque ad aliquem virtute præditum respicere potuit, sed patris vestigia secutus, et ductus a conscientia, magistra humanæ naturæ insita, tantam exhibuit philosophiam ? Quæ enim ab eo facta sunt, non solum mansuetudinem indicabant Justi, sed et præcepta Christi suis illum operibus implere ostendebant. Nam id quod Christus Discipulis suis præcipiens et admonens dicebat, ne solos diligentes diligerent, sed et erga inimicos charitatem

[1] Gen. xxvi, 30, 31. — [2] Ibid. 32, 33.

exhiberent [1] : hoc ille nunc multo antea implebat, et tanta hospitalitate tractabat eos, qui magno ipsum odio prosecuti fuerant, omnemque vindictæ cupiditatem animo suo excludebat.

V. Qua igitur nos venia digni erimus, qui post gratiam, post tantam doctrinam et Salvatoris præcepta, neque ad hujus Justi mensuram pervenire valemus ? Et quid dico, ad ejus mensuram ? neque prope astare possumus. Tanta enim nunc malitiæ abundantia obduxit omnia, ut et diligentes diligere res admodum rara sit. Unde igitur nobis salutis spes, si Publicanis deteriores fuerimus ? sicut dicit Christus : « Si diligitis diligentes vos, quid amplius facitis ? » nonne et Publicani hoc faciunt [2] ? » Et Christus quidem volens nos ad summum virtutis venire fastigium, illis superiores vult esse : nos autem inferiores esse studemus. Et quid dico, Publicanis ? deteriores et latronibus, et sepulcrorum direptoribus, et homicidis. Etenim hi omnes diligunt eos, qui erga se bene affecti sunt, et sæpenumero etiam pro dilectis periclitantur. Quid igitur fuerit nobis miserabilius, qui tantam a Domino misericordiam nacti sumus, et innumera mala facientibus deteriores invenimur? Obsecro igitur, cogitemus et supplicii magnitudinem, et confusionis, quæ alibi futura est, gravitatem, ac vel saltem nunc nostram agnoscamus generositatem, et obtemperemus doctrinæ Christi, ac non solum nos diligentes sincere diligamus, omni odio et invidia ab animabus nostris eliminatis : sed et eos, qui hostiliter nos persequuntur, diligere studeamus : neque enim aliter salutem consequi nos possibile erit, nisi hac incedamus via : et magis quam eos qui nos diligunt, illos diligere studeamus, utpote qui nobis innumerorum bonorum sint auctores. Sic enim et peccatorum nostrorum remissionem invenire, et hu-

[1] Matth. v, 44. — [2] Ibid. 46.

miliata mente et contrita anima Deum precari poterimus. Quia cum anima ab omni odio libera mente tranquilla est, Dominum sedulo invocat, multumque sibi superne auxilium conciliat. Quod nobis omnibus concedatur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria cum Patre et sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIII.

Erat autem Esaü annorum quadraginta, et duxit Judith filiam Beel Chettæi, et Basemath filiam Elom Evæi, et exasperabant Isaac et Rebeccam [1].

I. Age et hodie, si placet, aggrediamur ea, quæ heri dicta sequuntur, et singula, quantum nobis conceditur, aperiamus, ut domum cum utilitate aliqua redire possimus. Videamus igitur quæ primum lecta sint. « Erat autem Esaü, » inquit, annorum quadraginta, et accepit Judith filiam » Beel Chettæi, et Basemath filiam Elom Evæi, et exaspe- » rabant Isaac et Rebeccam. » Vide quanta ex paucis his verbis addisci possunt. Quare enim nobis numerum annorum Esaü signavit? non absque causa, sed ut senectutem discamus Isaac, eumque jam provectum fuisse ætate. Nam si memores fuerimus eorum, quæ antea dicta sunt, et eum, quando accepit Rebeccam, quadraginta annorum fuisse; quando autem nati sunt ei filii, annorum sexaginta, sciemus eum nunc centenarium esse, et in profundissima senectute. Quoniam enim posthac narraturus est quomodo

[1] Gen. xxvi, 34, 35.

præ senio hebetatos oculos habuerit, ideo numerum annorum Esaü assignat, ut inde tempus Isaac certo scire possimus; propterea dicit : « Erat autem Esaü annorum quadra» ginta. » Deinde ut sciamus filii ejus temeritatem, qui uxores ducebat a gentibus, a quibus non oportebat, declaravit nobis unam fuisse ex genere Chettæorum, aliam autem ex genere Evæorum; quamvis nihil tale eum agere oportebat, qui didicisset quantam diligentiam Patriarcha adhibuisset, præcipiens servo suo ut de cognatione sua filio Isaac adduceretur uxor : quia etiam mater ipsorum Rebecca ex Charran venerat. Verum ut statim ab initio suos inordinatos mores indicaret, inconsultis parentibus, illas duxit. Et ut sciamus quam male moratæ mulieres fuerint, dicit Scriptura : « Et erant exasperantes Isaac et Rebeccam. » Et quid est hac malitia pejus, quando illæ, quæ omnem honorem impendere debebant, non solum hoc non agebant, sed et ad contentionem paratæ erant? Hæc autem omnia non absque causa historia nobis significat : sed ut postea, cum videris Rebeccam Jacob majori benevolentia prosequi, discas eam non injuria rem eam fecisse. Jam autem ne seriem contextus præveniamus, scripta ipsa sequamur. « Factum est autem postquam senuit Isaac, et hebetati sunt » oculi ejus ad videndum : (jam enim, inquit, præ senio » videre non poterat :) Et vocavit Esaü filium suum natu » majorem, et dixit ei : Fili mi, ecce senui, et nescio diem » mortis meæ; nunc igitur sume arma tua, pharetram et » arcum, et egredere in campum, et venare mihi venatio» nem, et fac mihi edulia, sicut ego amo, et affer mihi ut » comedam, ut benedicat te anima mea priusquam ego mo» riar [1]. » Hic obsecro, dilecte, animadverte immensam Dei sapientiam, et quomodo pater quidem genuinam præ se ferens dilectionem, hæc imperavit Esaü; sapiens autem et

[1] Gen. XXVII, 1-4.

omnipotens Dominus per Rebeccam prædictionem suam impleri curat, docens nos quantum valeant virtus et morum suavitas. Ille enim et ob primogenituram, et ob patris erga se affectionem primatum se habere putans, simul destitutus omnibus inventus est, quia quæ in se erant afferre noluit : hic autem, quia domestica erat virtute præditus, et gratiam supernam habuit subsidiariam, etiam invito patre, illius benedictionem abripit. Nihil enim validius eo, qui dextra illa adjuvatur. Vide igitur diligenter omnia, ut discas dispensationis excellentiam, et quomodo hic quidem illa gratia fretus, magnum in omnibus auxilium et cooperationem adipiscitur, ita ut patris in eum transferatur benedictio : ille autem omnia amittit, perdens semetipsum propter morum iniquitatem. « Rebecca autem, in» quit, audivit loquentem Isaac cum Esaü filio suo. Ivit au» tem Esaü in campum, ut venaretur prædam patri suo. » Dixit autem Rebecca ad filium suum juniorem [1]. » Quare adjecit « Juniorem ? » quia superius dixerat : « Vocavit Isaac » filium suum natu majorem, » ut discamus cui nunc loquatur Rebecca, inquit : « Ad juniorem, » hoc est, Jacob. « Au» divi, inquit, patrem tuum loquentem cum Esaü fratre » tuo, et dicentem : Affer mihi venationem, et fac mihi » edulia, ut cum comedero, benedicam te coram Domino, » priusquam moriar ego. Hæc quidem audivi patrem tuum » fratri tuo Esaü loquentem. Nunc igitur, fili, audi me sicut » ego tibi præcipio, et vade ad oves, et sumito mihi inde » duos hœdos teneros et bonos, et faciam ex eis edulia pa» tri tuo, ut amat : et inferes patri tuo, et comedet, ut be» nedicat te pater tuus priusquam moriatur ipse [2]. »

II. Vide magnum matris amorem, imo dispensationem Dei. Ipse enim erat, qui ei hoc consilium dedit, et omnia bene agere curavit. Vidisti matris optimum consilium ?

[1] Gen. xxvii, 5, 6. — [2] Ibid. 7-10.

Vide et Jacob providentiam, et quomodo respondens, suorum morum indicat mansuetudinem. « Dixit enim, in- » quit, matri suæ : Est frater meus vir hispidus, ego autem » vir lævis : ne forte contrectet me pater meus, et ero ante » eum quasi contemnens, et inducam mihi ipsi maledictio- » nem, non benedictionem [1]. » Magna pueri honestas, et in patrem reverentia. « Timeo, inquit, ne in diversum eve- niant studia mea, ne videat adversari patris sententiæ, et pro benedictione maledictionem mihi adducam. » Quid igi- tur Rebecca, admirabilis illa et amans filii? Quia non ex sua tantum sententia faciebat, sed et divino ministrabat oraculo, ideo omni studio conatur eximere puero metum, et addere animos, ut consilium perficiat : nec promittit ei quod possit deludere patrem, et latere. Sed quid? « In me » recidat maledictio hæc, fili mi, tantum obedi voci meæ, » et vadens affer mihi [2]. » Et si fuerit aliquid tale, inquit, nihil tibi nocebit. Ne igitur timeas, sed bene fidens obedi voci meæ, et fac quæ tibi consuluntur. » Hæc vere materna dilectio est, ut pro puero parata sit omnia ferre. His dictis filium a timore liberavit. « Cum igitur abiisset, sumpsit et » attulit matri suæ, et fecit edulia, sicut amabat pater ejus. » Et ut sumpsit Rebecca, inquit, stolam filii sui senioris » pulchram, quam habebat apud se domi, induit Jacob » filium suum juniorem, et pellibus hædorum brachia ejus, » et nuda colli ejus circumdedit, et dedit edulia, et panes, » quos fecerat, in manus Jacob filii sui, et obtulit patri » suo [3]. » Vide, obsecro, hic Rebeccæ cum magna dilec- tione conjunctam raram sapientiam. Nam quia superius dixit illum quidem hispidum esse, hunc vero lævem : « Stola, inquit, Esaü induit eum, et pellibus circumdedit eum, et cum undique eum ad deceptionem instruxisset, datis eduliis et panibus in manus, effecit ut patri afferret. »

[1] Gen. XXVII, 11, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. 14-17.

Considera hic rursum quomodo omnia superna gratia evenerint. Nam quando quod a nobis est offerimus, largiter divinam cooperationem consequimur. Nam ut ne desides et supini simus, vult etiam nos aliquid conferre; quo sic illa sua exhibeat, et non totum sit superni auxilii, sed oporteat etiam nos aliquid simul afferre. Neque a nobis iterum exigit totum, sciens infirmitatis nostræ magnitudinem; sed pro sua benignitate, et volens occasionem aliquam accipere, ut suam declaret liberalitatem, expectat ut afferamus quæ a nobis sunt: id quod et nunc factum est. Nam quia Jacob et Rebecca fecerunt ea, quæ a se fieri oportebat, et ille quidem obedivit consilio matris, hæc autem omnia, quæ ad se attinebant, implevit: tunc ultra bonus Dominus magna facilitate perfici curavit quod omnium erat difficillimum, ne fraudis hujus fabula nota esset Isaaco. « Nam postquam attulit edulia patri, dixit ad » eum: Quis tu es, fili? Et dixit Jacob ad patrem suum: » Ego sum Esaü primogenitus tuus: feci tibi sicut locutus » mihi es. Surge ergo, sede, et comede de venatione mea, » ut benedicat me anima tua[1]. » Considera hic, obsecro, quanta cum anxietate verba hæc locutus sit Jacob. Qui enim principio dixerat matri: « Timeo ne inducam super » me maledictionem, et non benedictionem, » nunc expende in quanto timore constitutus fuerit, qui tantam fabulam ageret? Verum quia Deus erat, qui cooperabatur iis, quæ fiebant, omnia opere sunt impleta. « Quid igitur, dicet aliquis, cooperatus-ne Deus est mendacio? » Dilecte, ne indages tantum quod fit, sed attende etiam scopum, et quod id non factum sit temporalis commodi vel avaritiæ causa, sed quod ille patris benedictionem sibi comparare studeret. Alioqui si ita simpliciter quæ fiunt examinaturus es, neque semper scopum exquiras, vide ne et Patriarcham filii in-

[1] Gen. xxvii, 19.

terfectorem, et Phineem homicidam dicas : verum neque Abraham filii homicida fuit, sed et valde ei affectus erat, si quis alius : neque Phinees homicida, sed zelo plenus. Uterque enim quod Deo probabatur faciebat : quamobrem ille per obedientiam multam a Deo remunerationem promeruit, hic vero propter zelum prædicatur ; dicitur enim : « Stetit Phinees, et placavit [1]. » Si igitur homicidium, et filii cædes placuerunt, quia secundum Dei sententiam fiebant, nec attendimus ad facta, sed ad scopum eorum, quæ gerebantur, et ad voluntatem eorum, qui fecerunt : multo magis et hic perpendendum istud fuerit.

III. Ne igitur hoc considera, quod falsa fuerint ea, quæ dicebantur a Jacobo : sed illud cogita volentem Deum prædictionem impleri, omnia ut sic fierent dispensavisse. Et ut scias Deum omnia facilia reddidisse, etiam ea, quæ difficilia erant, vide quomodo Justus non potuerit suspicari fraudem, sed persuasus sit dictis Jacob, et cum edulia ista comedisset, benedictionibus eum remuneret. Et non prius a venatione rediit Esaü, quam omnia essent impleta, ut per omnia sciamus voluntate Dei hæc gesta fuisse. « Dixit autem, inquit, Isaac : Quid hoc, quod tam » cito invenisti, fili? Ille autem dixit : Quod tradidit Do» minus Deus tuus coram me [2]. » Adhuc in angustiis stabat Jacob, augebaturque plurimum timor ejus. Verum hæc omnia propterea facta sunt, ut discamus rebus ipsis Dominum non simpliciter suam declarare sollicitudinem et providentiam, nisi viderit et nostrum accedere fervorem. Ne enim prætereas obiter hunc agonem, dilecte, sed consideres de rerum summa fuisse periculum, eumque timore ac tremore plenum fuisse, ne propter benedictionem fieret omni maledictioni obnoxius. « Deinde, inquit, dixit Isaac: » Appropinqua mihi, et contrectabo te, fili, an sis filius

[1] Psal. cv, 30. — [2] Gen. xxvii, 20.

» meus Esaü, vel non [1]. » Etenim ob vocem paululum dubitabat Justus : sed quia dispensatio implenda erat, non permisit Deus ut dolus sentiretur. « Appropinquavit autem » et contrectavit eum, et dixit : Vox quidem vox Jacob, » manus autem manus Esaü : et non agnovit eum [2]. » Vide quomodo ostendat totum a Dei gratia manasse, quæ efficiebat ut ipse nihil horum agnosceret, et Jacob paterna frueretur benedictione. « Et non agnovit eum, inquit, erant » enim manus ejus sicut manus Esaü, et dixit : Tu-ne es » filius meus Esaü [3] ? » Vide iterum, quomodo ostendit divina Scriptura quod dubitasset Justus. « Dixit enim, in- » quit : Num tu es filius meus Esaü [4] ? » Ut ex eo quoque sciamus patrem, victum naturali affectione, omnia fecisse : Deum autem, qui futura prævidet, et virtutum nota servos suos insignire solet, omnia hunc in modum dispensavisse. Et dixit Jacob : « Ego. » Postquam enim dixit : « Num tu es » Esaü filius meus ?» et dixit : « Ego, » dixit : « Affer mihi, et » comedam de venatione, fili, ut benedicat te anima mea [5]. » Vix tandem a cura solvitur Jacob, et attulit patri edulia, attulitque vinum, et bibit. « Et dixit ei : Accede ad me, » et osculare me, fili. Et accedens osculatus est eum : et » odoratus est odorem vestimentorum ejus, et benedixit » eum, ac dixit [6]. » Vide divinæ Scripturæ observationem. Postquam interrogavit : « Num tu es Esaü ?» et dixit : «Ego:» iterum contrectavit eum, et subdubitabat, cum ex voce pene simulationem deprehendisset : et iterum interrogavit : « Num tu es filius meus Esaü ?» Et dixit : «Ego.» Et postea attulit ei, et comedit. « Tunc, inquit, osculatus est » eum, et benedixit eum. » Ut ne quis opinetur eum in personam Esaü benedictionem fecisse, sed in illum, quem osculatus est, propterea commemorat divina Scriptura

[1] Gen. xxvii, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Ibid. 23. — [4] Ibid. 24. — [5] Ibid. 25. — [6] Ibid. 26, 27.

quod osculatus est, et benedixit illum, quem osculatus est. « Odoratus est enim odorem vestimentorum ejus : et » benedixit eum, et dixit : Ecce odor filii mei, sicut odor » agri pleni, quem benedixit Dominus. Et dabit tibi Deus » de rore cœli, et de pinguedine terræ, et multitudinem » frumenti et vini[1]. » Det, inquit, Dominus Deus tibi, qui edulia attulisti, qui a me osculum accepisti, et serviant tibi gentes. » Vide quomodo necessariorum copiam ipsi precatus sit, deinde principatum gentium, prædicens et futuram ejus prosperitatem et eorum, qui ab eo nascuntur, incrementum. « Et adorent te principes[2]. » Non solum ei apprecatur gentium subjectionem, sed etiam principum. « Et sis dominus fratris tui[3]. » Vide quomodo servit Justus, etiam ignorans, Dei voluntati. Omnia enim hæc propter hoc dispensabantur, ut hic propter virtutem dignus, recipiat benedictionem. « Et adorabunt te filii patris tui[4]. » Filios consuevit Scriptura vocare omnem generationem : sicut et hic, filios patris tui; ac si quis diceret eos, qui ex semine Esaü futuri erant. Non enim alios filios habuit Isaac, quam hos duos solos. « Qui maledicit te, sit male- » dictus : qui benedicit te, sit benedictus[5]. » Ecce coronidem benedictionis, ecce summam omnium bonorum, esse benedictum. Vidisti Dei clementiam ? Qui timuerat ne maledictionem acciperet pro benedictione, non solum cum tanta largitate benedictiones a patre reportat, sed et illi maledicuntur, qui attentant eum maledicere. Hinc discamus quod, quando quis secundum voluntatem Dei sua dispensare vult, tanto superno subsidio adjuvatur, ut hoc plane reipsa experiatur. Quis enim non admiretur et obstupescat Dei ineffabilem dispensationem, quod non prius Esaü de venatione advenerit, quam solveretur fabulæ illius argumentum, et quando ille, accepta benedictione, a

[1] Gen. XXVII, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid.

patre discessit? Hoc enim nos docere volens beatus Moses adjicit. « Et factum est, postquam cessavit Isaac benedi- » cere Jacob filium suum, et factum est quando exivit Ja- » cob a facie Isaac patris sui, ecce Esaü frater suus venit » de venatione [1]. »

IV. Vide quomodo post illius exitum alter statim advenit. Non hoc absque causa vel temere factum, sed ut ignorans afferret et ipse edulia, et a patre addisceret rem totam, ut acta erat. Nam si in fratrem incidisset, forsitan et ipsum interemisset, victus ira: qui enim hoc postea deliberavit, multo magis dum ageretur negotium id attentasset. Sed manus Dei erat, quæ puerum servabat: et hunc quidem dignum benedictione effecit, illum autem et benedictione privavit et primogenitura. « Ut autem advenit, in- » quit, fecit et ipse edulia, et attulit patri suo, et dixit: » Surgat pater meus, et comedat de venatione filii sui, ut » benedicat me anima tua [2]. » Vide, obsecro, iterum Justum perturbari, et mente cruciari: nam ut audivit, dixit: » Quis es tu? Ille autem dixit: Ego sum filius tuus primo- » genitus Esaü [3]. » Vide quomodo superbe se gerat in re præsenti: non satis ipsi fuit dicere: « Ego sum Esaü: » sed addidit: « Primogenitus. Obstupuit autem Isaac stupore » vehementi, et dixit: Quis igitur venatus est mihi venatio- » nem, et attulit mihi, et comedi de omnibus, antequam tu » venires, et benedixi eum, et sit benedictus [4]? » Vide quomodo in perplexitate constitutus Justus, et narrans factum, addidit tamen, graviter illius animum vulnerans: « Et be- » nedixi eum, et sit benedictus. » Hoc autem faciebat Justus, sapientia Dei illius linguam dirigente, ut cum ille omnia diligenter didicisset, scire posset nihil ei profore vel primogenituram, vel venationem. « Auditis sermoni-

[1] Gen. xxvii, 30. — [2] Ibid. 31. — [3] Ibid. 32. — [4] Ibid. 33.

» bus patris. Esaü clamavit voce magna et acerba [1]. » Quid est, « Voce magna et acerba? » Indignationem significavit per verbum, et iram magnam, qua succensus est, cum hæc didicisset, et dixit: « Benedic, obsecro, et me, pater. Dixit » autem ei: Frater tuus venit cum dolo, et accepit be- » nedictionem tuam [2]. » Prior, inquit, frater tuus benedictionem omnem ubertim et copiose abripuit. » Et ut scias supernam gratiam ad hoc fuisse cooperatam, ut Justus deciperetur, vide quomodo ipse hoc fateatur dicens: « Venit » frater tuus cum dolo: » quasi excuset se apud filium, et illum doceat dicens: « Ignorans illi benedictiones impendi, et paratus eram tibi eas largiri: sed ille venit cum dolo, et accepit benedictionem tuam; quæ tibi præparata erant, ille præripuit: non hoc mea culpa factum est. « Et dixit, » inquit, Esaü: Recte vocatum est nomen ejus Jacob, sup- » plantavit enim me jam secundo: et primogenita mea tu- » lerat, et nunc accepit benedictionem meam [3]. » Non in vanum, inquit, nomen hoc sortitus est: (supplantationem enim interpretamur nomen ejus:) id quod hic in me declaravit, et primogenitura et benedictione me privans. » Quid igitur ad Isaac Esaü: « Non reservasti et mihi benedictio- » nem, pater? Respondit autem Isaac, et dixit Esaü: Disce, » inquit, quod omnes benedictiones in eum effudi, cum » eum fecerim dominum tuum [4]. » Vide quomodo statim ab hoc exorditur, et nihil aliud ei quam servitutem significat et subjectionem, ac dicit: « Si eum feci dominum » tuum et omnes fratres ejus servos, frumento et vino sta- » bilivi eum: tibi autem quid faciam, fili [5]? » Nihil aliud ultra relictum est, cum dominum eum fecerim tuum, et omnes fratres famulos, et rerum necessariarum ubertatem auxerim, quid aliud ultra relictum est? « Dixit autem Esaü

[1] Gen. xxvii, 34. — [2] Ibid. 35. — [3] Ibid. 36. — [4] Ibid. 37. — [5] Ibid.

» ad patrem suum : Num benedictio una tibi est, pater ? be-» nedic, obsecro, et me [1]. » Quoniam audivit patrem di-centem : « Et benedixi eum, et benedictus erit ; » atque om nem illi deinde benedictionem manifestavit, tunc inquit : » Benedic, obsecro, et me, pater : num una tibi benedictio » est ? » Non potes et mihi tuam benedictionem impartiri, qui ita a te diligor, qui primogenitus, qui a te in venationem missus sum ? » Conturbavit patrem verbis. « Compuncto » autem Isaac, inquit, clamavit voce magna Esaii, et fle-» vit [2]. » Vidit patrem consilio destitutum, et non posse, ne que velle revocare quæ facta sunt ; et clamori etiam adje-cit ploratum, ut ad majorem commiserationem patrem flecteret. Misertus itaque ejus Isaac, dixit ei : « Ecce de » pinguedine terræ erit habitatio tua, et de rore cœli de-» super, et in gladio tuo vives, et fratri tuo servies : erit » autem quando depones et exolves jugum ejus a collo » tuo [3]. » Quoniam, inquit, et ipse meam benedictionem desideras, disce non esse possibile ut agam quæ divinæ vo-luntati adversa sunt, sed et tibi quidem apprecor, ut rore cœli fruaris : scias autem te militarem vitam acturum esse, nam « In gladio tuo vives, et fratri tuo servies. »

V. Cæterum nullus hæc audiens miretur, videns post hæc fratrem ejus vagantem ob illius metum, et in terram alienam contendentem : neque initia attendens, existimet vaticinium excidere. Nam quando Dominus aliquid polli-cetur, etsi contraria iis, quæ pollicetur, videamus in princi-pio evenire, non turbemur ; neque enim possibile est ut ad finem usque promissa excidant. Hoc autem fit, ut, dum Justi per omnia fulgidiores redduntur, abundantiam vir-tutis Dei manifestam nobis omnibus faciant. Et in unoquo-que Justorum hoc invenies, si volueris historias singulas diligenter animadvertere : quod sane nunc quoque factum

[1] Gen. xxvii, 38. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 39, 40.

est. Ne hoc attendas, quod nunc statim profugus sit, sed cogita gloriam, quæ posthac sequetur, et quomodo temporis processu hic ipse sic terribilis illi factus, tantam erga eum declaret reverentiam : quomodo item in tantam venerit gloriam post ærumnas, quas in terra aliena tulit, ut qui ex ipso nati sunt, in immensam multitudinem propagentur, et ejus nomine tota gens cognominetur et insigniatur. Nunc autem docens nos divina Scriptura fratris indignationem, qua ad homicidium spectabat, inquit : « Et odio » gravi prosequebatur Esaü Jacob propter benedictionem, » qua benedixerat eum pater suus [1]. » Et ut sciamus non fuisse simplicem subitaneam iram, per dictionem nobis significavit malitiæ ejus excessum. « Gravi odio prosequebatur, » dicit : hoc est, instabat et perseverabat odium, ita ut et mentem in profundo latentem per verba significaret ; « Dixit enim in corde suo : Appropinquent dies luctus patris mei, ut occidam Jacob fratrem meum [2]. » Vere omnino is, qui irascitur, non minus quam ii, qui furiosi sunt, insanit. Considera enim quomodo dæmon ille, sicut insanientes subingressus, mente destituit quos corripit, et suadet ut plane contraria faciant iis, quæ oculis videntur. Neque enim recte vident illi, neque aliud quiddam faciunt : sed quasi hebetatis sensibus, et judicandi vi amissa, faciunt omnia. Ita sane et qui irascuntur, non agnoscunt præsentes; non memores sunt cognationis ; non amicitiam, non consuetudinem, non dignitatem, neque quidquam aliud in mentem admittunt ; sed iræ vi pressi, in præceps miserabiliter feruntur. Quid igitur illis miserius fuerit, quando victi et capti ab ægritudine animi, etiam ad homicidium festinant ? Propterea beatus Paulus radicem hujus mali volens extirpare, admonet, sic scribens : « Omnis ira et » indignatio, et clamor auferatur a vobis cum omni mali-

[1] Gen. xxvii, 41. — [2] Ibid.

» tia[1]. » Non solum, inquit, nolo vos succensere et indignari, et irasci, sed neque cum clamore proximis loqui: clamorem hic dicens, qui ab ira nascitur. Quando enim morbus hic intrinsecus excitatur, et cor tumet, non jam sinit ut lingua placide loquatur; sed affectionem cordis demonstrans, efficit ut clamose cum proximo loquatur. Volens igitur Beatus ille sibi obtemperantes in perpetua versari tranquillitate, dixit: « Omnis ira, » hoc est, a qualicumque causa moveatur: et « Omnis indignatio, et omnis « clamor tollatur a vobis. » Deinde radicem hujus mali volens arefacere, et inutilem reddere, dixit: « Cum omni » malitia. » Nam qui sic afficitur, semper in portu sedet a terrenis fluctibus liber, et neque tempestatem timet, neque naufragium; sed quasi in tranquillitate navigans, vel in placido portu sedens, ita præsentem vitam trahit, non solum ab omni perturbatione liber, sed et immortalium et ineffabilium bonorum fructus sibi per omnia concilians. Qui nobis omnibus concedantur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, et sancto Spiritui sit gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIV.

Rebecca autem, vocato filio suo juniore, dixit ei[2].

I. Vidistis heri Publicani bene affectum animum, et Domini ineffabilem misericordiam, et Judæorum stupiditatem immensam? Vidistis quomodo omnes nos erudierit

[1] Ephes. IV, 31. — [2] Gen. XXVII, 42.

beatus Matthæus, statim obediens, et tantam morum mutationem præ se ferens: quia in voluntate nostra, post supernam gratiam, sitæ sunt et virtutes, et vitia; et quia studio nostro possumus fieri virtutibus conspicui; et contra desides facti, in peccati præcipitium deferri? Hoc enim est quo a brutis differimus, quia ratione insigniti sumus a benigno Deo, et in natura nostra insita est scientia boni et mali. Nullus ergo prætexat se ex ignorantia virtutem negligere, vel quia nullum habeat viæ ducem et commonstratorem. Sufficientem enim magistrum habemus conscientiam, et fieri non potest ut quis illo adjumento privetur. Nam simul cum formatione hominis insita est illi scientia faciendorum: ut rectum suum animum declarans in præsenti vita, quasi in palæstra quadam exercitatus ad virtutum labores, probitatis virtutisque præmia reportet: et brevi tempore in laboribus decurso, perpetuas coronas mereatur, atque in fluxo hoc sæculo virtutem amplexatus, æternis bonis in infinita sæcula fruatur. Id sane scientes, fratres, nostram ne perdamus nobilitatem, ne simus post tantam beneficentiam ingrati: ne sectemur voluptates, quæ tam brevi tempore durant, perpetuum dolorem nobis accersentes: sed ante nos semper intuentes Oculum illum, qui nunquam sopitur, qui et abscondita cordis novit, res nostras ita instituamus et moderemur, et muniti armis spiritus bene affectum animum exhibeamus, ut superno fruentes auxilio, devicto hoste illo et adversario nostro, ejusque machinamentis inutilibus redditis, bonis illis frui valeamus, quæ promisit Dominus diligentibus se. Ne ergo quis spectet ad laborem virtutum, sed lucrum inde partum cogitans prompte labores suscipiat. Nam si ii, qui in terrenis versantur negotiis, et ad colligendas opes insaniunt, omnia prompte suscipiunt facienda, et pericula maris, naufragia, piratarum insidias prospicientes, non fran-

guntur, nec segniores fiunt, quamvis de fine nihil certi habeant, qualem nos habituri sumus defensionem, si non omni studio et alacritate accingamur ad virtutum studia et agones, propter æterna illa bona? Quare ita ingrati sumus benefactori nostro, et neque quæ jam donata sunt versamus animo, neque promissa cogitamus: sed omnium propemodum obliti, frustra et in vanum, quasi pecudes, vitam totam transigimus: animæ quidem nullam habentes curam, ventrem autem solum dirumpentes cibis, atque etiam propter hoc misero corpori perniciem parantes, ac propter intemperantiam et ingluviem innumera nobis negotia faciamus et accersimus, dum animam fame perire sinimus? tametsi præstantior anima sit quam corpus, et ablata illa, hoc mortuum relinquatur. Cum igitur oporteret et huic atque illi congrua et convenientia præbere alimenta, modum neque hic, neque illic servantes, utrique nocemus, hoc plus quam oportet saginantes, illam autem fame perire cogentes. Id quod universorum Dominus loco maximæ indignationis aliquando interminatus est Judæorum populo, dicens: «Dabo vobis non famem panis, neque »sitim aquæ, sed famem audiendi sermonem Domini[1]:» docens nos illam quidem famem corpus macilentum reddere, hanc autem animam attenuare: idipsum, quod Dominus tunc supplicii loco illis minabatur, nunc nos sponte nobis attrahimus; idque postquam Deus tantam nostri curam declaravit, et dispensavit, ut cum sacrarum Scripturarum lectione habeamus et a doctoribus admonitiones. Ideo oro vestram charitatem, ut excussa desidia, paululum expergiscamini, et studium omne in animæ salutem transferatis. Sic enim et a Deo benevolentiam uberem attrahetis, nosque alacriores ad docendum vos erimus, quos videbimus consilio nostro parere. Quoniam et agricola, quando

[1] Amos. VIII, 11.

videt terram fœcundam, culturæ idoneam fructuumque feracem, parat se etiam ipse, ut majori studio illam colat. Eodem modo et nos, si viderimus vestrum in divinis profectum, et vos ea, quæ a nobis dicuntur, factis studiose implere, majorem docendi laborem exhibebimus, utpote scientes non in petris seminare, sed in pingui et profunda terra.

II. Ea enim de causa quotidie vobis concionamur, ut aliquid lucrifaciatis, et virtutes vestræ crescant, nosque lætemur vestrum videntes profectum. Numquid enim temere et in vanum dicere volumus, ut a vobis laudum fructus recipiamus, et ut plaudentes manibus recedatis? non hoc spectamus; absit: sed vestram utilitatem. Mea maxima laus est et summus plausus, si quis a vitiis ad virtutem convertatur; si quis antea deses, nostra adhortatione studiosus fiat; hoc et mihi maximum affert solatium et laudem, et vobis lucrum et divitias spirituales: sed non ambigo quin multum studii exhibituri sitis. Scio enim vos a Deo doctos esse, posseque etiam alios admonere. Propter hoc hic sistens meum consilium, pergam ad solitam doctrinam ex verbis beati Mosis, imo Spiritus sancti per eum loquentis: et ubi pauca quædam proposuero, hodiernum vobis illinc convivium apponam. Audistis nuper quomodo Jacob omnia faciens secundum consilium Rebeccæ, patris benedictionem arripuerit, laudatumque furtum commiserit, ideo et cooperatorem Deum habuit, et conatus ejus bene successit; sed quia Esaü ob id ipsi valde invidebat, et se ad cædem præparabat: ita enim se habet mala hæc affectio, non ante desistit, donec a se captum in præceps dejiciat, ita ut ad homicidii currat scelus. Radix enim homicidii invidia, [et fructus invidiæ homicidium:] ita et a principio fuit inter Caïn et Abel. Ille enim nihil habens vel parvum vel magnum, de quo accu-

saret fratrem, ubi vidit illum Domino probari propter oblationem munerum, se vero ob negligentiam suam rejici, ad invidiam statim provocatus est; et nata homicidii radice in mente ejus, statim perniciosum illum fructum attulit, et homicidium commisit. Ita sane etiam Esaü, cum videret accepisse fratrem benedictionem a patre, ab ira et invidia ad homicidium inductus, meditabatur mortem fratris. Verum admirabilis illa mater hoc sentiens, iterum maternum amorem erga filium declaravit, et consilium attulit quo posset fratris manibus eripi. « Vocato » enim, inquit, filio suo juniore, dixit ei : Ecce Esaü frater » tuus minatur tibi mortem, nunc igitur audi vocem » meam [1]. » Experientia te doceat me tibi utilia consulere. Et sicut jam, audita voce mea, magnas illas a patre benedictiones assecutus es : ita et nunc audi vocem meam, ut effugere possis fratris manus. Sic enim et temetipsum a periculis liberum reddes, et me a luctu. Verisimile enim est illum, si hoc ausus fuerit, pœnam daturum esse, atque ita undique mihi gravis dolor et cruciatus erit. « Audi igi- » tur vocem meam, et surge, statimque vade ad Laban » fratrem meum in Charran, et habita cum eo ad aliquot » dies, usquequo avertatur ira et indignatio fratris tui erga » te, et obliviscatur quæ ei fecisti : et mittam et reducam » te inde, ne forte uno die vobis ambobus orber [2]. Abi, » inquit, ad fratrem meum Laban, et habita illic cum eo. » Verisimile enim est separationem et temporis processum posse aliquid amplius, nempe mitigare iram, invidiam sedare et oblivionem afferre eorum, quæ in furto benedictionis gesta sunt. « Et obliviscatur, inquit, quæ feceris ei. » Verisimile est, inquit, eum irasci : ideo par est ut iram et impetum ejus declines, si forte per tempus rei gestæ obliviscatur, et postea cum libertate possis hic domicilium ha-

[1] Gen. XXVII, 42, 43. — [2] Ibid. 44, 45.

bere. » Et ne filius ejus gravatim ferat, quod cogatur in alienam terram abire, vide quomodo soletur illius animam. Primum quidem dixit : « Abi ad Laban fratrem meum. » Num ad extraneum et alienum ire te jubeo? Ad fratrem meum abi, et habita cum eo ad dies aliquot : breve, inquit, tempus, paucos dies, quousque quiescat ira. Nunc enim fervet indignatio ejus, neque patris habebit reverentiam, ira semel inundante, neque quantum fraternæ necessitudini debeat in mentem accipiet : sed unum hoc aget, ut furorem suum expleat. « Et mittens statim inde reducam » te. » Te, inquit, revocabo : abi igitur bona cum fiducia, te enim nuntiis eo missis reducam : nam de toto mihi certamen est, de utroque anxia sum, ne forte utroque priver. » Vide sapientiam matris, quæ a seipsa mota, imo Dei prædictioni etiam nunc serviens, illa consulit puero quæ Christus Discipulis suis consulebat, ne temere periculis se immiscerent, sed secessu insaniam male affectorum demulcerent : hoc igitur etiam illa filio consulit, primum ejus animo fiduciam indens ut discessum non ægre ferret; tunc deinceps, et causam honestam profectioni ejus excogitat, ita ut ne manifeste videatur propter fratris invidiam recedere, neve pater sciat veram peregrinationis causam, Esaü scilicet indignationem contra illum. « Et ingressa, inquit, » ad Isaac Rebecca, dixit : Gravis mihi vita est propter filias » filiorum Chet. Si acceperit Jacob uxorem de filiabus » terræ istius, ad quid mihi vita[1] ? »

III. Considera quomodo honestum invenit obtentum. Quando enim nobis superna gratia cooperatrix est, et difficilia facilia fiunt, et gravia levia. Quia igitur et hæc habuit Deum sententiæ suæ annuentem, omnia quæ ad futuram dispensationem et ad salutem filii conducere poterant, suggessit ejus menti. « Gravis mihi, inquit, est vita mea

[1] Gen. XXVII, 46.

» propter filias filiorum Chet. Si acceperit Jacob uxorem » de filiabus terræ hujus, ad quid mihi vita? » Hic mihi significare videtur pessimos uxorum Esaü mores, quæ eis fuerint multæ amaritudinis causa. Etenim de Esaü superius narravit nobis divina Scriptura, quod acceperit a Chettæis et Evæis uxores, quæ exasperabant Isaac et Rebeccam. Hæc igitur in memoriam ei suggerere volens, ita fere loquitur: « Scis quomodo vitam meam exacerbarunt uxores Esaü, et quomodo propter illarum malitiam in omnes filias filiorum Chet male afficior, et propter illas omnem illam gentem exosam habeam; si igitur contingat et Jacob ex illis uxorem ducere, quæ mihi postea salutis spes? ad quid mihi tum vita? Nam si illas ferre non possumus, si etiam Jacob ex filiabus terræ hujus uxorem acceperit, actum est de vita nostra. » Quibus auditis Isaac, atque malitiæ illarum recordatus, « Advocans Jacob, benedixit eum, » inquit, et præcepit ei, dicens: Non sumes uxorem de » filiabus Chananæorum, sed surge et vade in Mesopotamiam, in domum patris matris tuæ, et accipe tibi inde » uxorem de filiabus fratris matris tuæ [1]. » Neque his contentus verbis, voluit et alacriorem eum reddere in peregrinatione, et eum iterum benedictionibus confirmat ac dicit. « Deus autem meus benedicet te, et augebit te, et » multiplicabit te, et eris in congregationes gentium, et » dabit tibi benedictionem Abrahæ patris mei, tibi et semini tuo post te: ut in hæreditatem accipias terram pere» grinationis tuæ, quam dedit Deus Abrahæ [2]. » Vide quomodo Justus prædicit ei omnia, ac bona ei viatica dat et solatia: prædicit enim ei reditum hæreditatemque terræ, futurum esse dicens ut non solum in multitudinem crescat, sed etiam congregationes gentium ex semine ejus egrediantur. Quæ ut audivit filius, implevit jussa patris, et

[1] Gen. xxvIII, 1, 2. — [2] Ibid. 3, 4.

profectus est in Mesopotamiam ad Laban matris fratrem. Et iterum, ut hoc didicit Esaü, nempe Jacobum benedictum fuisse a patre, et mandatum accepisse ne duceret uxorem ex filiabus Chananæorum, sed contendisse in Mesopotamiam, quasi corrigere volens erratum suum et placare patrem, « Addidit, inquit, et accepit uxorem ad duas » uxores suas, filiam Ismaël filii Abrahæ [1]. » Vidisti, dilecte, quanta prudentia filium suum Jacob e periculis amantissima mater eripuerit, speciosam obtendens peregrinationis causam, et neque Esaü malitiam prodens, neque patri causam manifestam reddens, sed et filio conveniens dans consilium, ut ex metu ad suam amplectendam sententiam adduceretur, dum etiam patri congruentem causam suggessit? Unde et Justus ejus dictis assensum præbens, viatico benedictionis instructum Jacob dimisit. Cæterum si placet, et non defatigamini, videamus quomodo peregrinationem obierit Jacob. Non parvum enim et hinc fructum accipere possumus, si attenderimus. Justorum enim conversatio et vita totius philosophiæ continet doctrinam. Vide igitur hunc juvenem, qui domi educatus, qui antea nunquam peregrinationis cujuspiam periculum fecerat, nunquam in extranea regione versatus fuerat, neque grave aliquid expertus erat, quomodo iter arripiat, et disce philosophiæ illius excellentiam. « Et egressus Jacob a fonte ju- » ramenti, profectus est in Charran, et occurrit loco, et » dormivit illic. Occidebat enim sol, et accepit de lapidi- » bus loci, et posuit ad caput suum, et dormivit in loco [2]. » Vidisti ineffabilem philosophiam? vidisti quomodo Veteres iter faciebant? Vir domi educatus, rursus enim ea dicam, tantoque assuetus famulitio : « Simplex enim erat, inquit, » et domi habitans : » peregrinaturus neque jumentis egebat, neque ministris, neque viaticis : sed apostolicum

[1] Gen. xxviii, 9. — [2] Ibid. 10, 11.

morem imitatus, iter facit : et cum occumberet sol, ibi dormivit, ubi eum nox comprehendit. « Accepit, inquit, » lapidem, et posuit ad caput suum. » Vide pueri robur, lapide pro pulvinari usus est, et super pavimentum dormivit. Igitur quoniam bene moratam animam habebat, et virilem spiritum, ab omni sæculari vanitate liberum, admirabilem visionem illam meruit. Hoc enim more agit Dominus noster, quando videt animam bene affectam, præsentia non magni facientem plurimam sibi illius curam esse declarat.

IV. Vide igitur Justum illum in solo cubantem, et visionem videntem, imo visione Domini dignum habitum : dicit enim : « Obdormivit, et ecce scala erat firmata super » terram, cujus caput pertingebat in cœlum : et Angeli » Dei ascendebant et descendebant super eam. Dominus » autem innixus erat super eam, et dixit : Ego Deus Abra » ham, et Deus Isaac patris tui : ne timeas [1]. » Considera, obsecro, hic eximiam curam clementis Dei. Quia videbat eum secundum consilium matris propter timorem fratris peregrinationem suscipere, et quasi erronem quemdam iter facere, solum atque ab aliis abstractum nullamque habentem consolationem ullo ex loco, sed totum in supernum auxilium projicientem : statim in ipso initio volens confirmare alacritatem ejus, ei apparet, ac dicit : « Ego » sum Deus Abraham, et Deus Isaac patris tui. » Ego et Patriarcham et patrem tuum in tantum splendorem evexi. Ne igitur timeas, sed crede me, qui implevi illis promissiones, et te mea cura et providentia dignaturum. Ne timeas ergo, sed confide : et omni timore depulso, crede iis, quæ a me dicuntur. « Etenim terram, in qua tu dormis, » tibi dabo et semini tuo, et erit semen tuum sicut arena » maris [2]. » Ne putes, inquit, quia in terram alienam nunc

[1] Gen, xxviii, 12,13. — [2] Ibid. 14.

vadis, privandum te terra, in qua natus es, ubi educatus, ubi adolevisti. Etenim tibi dabo eam et semini tuo, quod sicut arenam maris augeri curabo. « Et dilatabitur ad » mare, et africum, et septentrionem, et orientem : » hoc est, ubique propagabitur. « Et BENEDICENTUR in te omnes » tribus terræ, et in semine tuo [1]. » Vide quomodo jam omnia ei, quæ post longum tempus eventura erant, prædicit. Hic enim mos est omnium Domino, ut singulis quidem Justis se id facturum polliceatur, non autem continuo promissiones impleat, sed exerceat Justorum obedientiam et patientiam, atque sic multa cum liberalitate impleat promissa. Deinde ubi pollicitus est ei futura, cum indigeret Justus in rebus præsentibus non vulgari consolatione, vide quomodo benignus Dominus futura polliceatur, et per illa ipsa, quæ nunc in eum declarat, de illis fiduciam indit. Dicit enim : « Ne putes me hæc sola tibi polliceri : « Sed et » nunc tecum sum, custodiens te in omni via quo vadis [2]. » Ne igitur putes, inquit, te solum iter facere : me habebis itineris comitem, me habebis custodem in omni via, omnia tibi difficilia facilia reddentem. » Exinde magis augens consolationem, jam prædicit ei reditum ad sua. « Et re- » verti faciam te, inquit, in terram hanc. » Ne formides, inquit, quasi in aliena terra versaturus : « Et reducam te » in terram hanc, et minime te derelinquam, donec fecero » omnia, quæ locutus sum tibi [3]. » Non despiciam te, neque te consilii inopem sinam : sed hæc quæcumque tibi promisi in opus adducam. Quomodo quis pro dignitate admirabitur et obstupescet divinam benignitatem et inæstimabilem indulgentiam? Vide enim quantum pondus promissionum dat Justo, et quomodo animum ejus erexit. Cogita item et Justi hujus gratum affectum, et quomodo post illas promissiones apud Laban viginti annis laboribus afflic-

[1] Gen. XXVIII, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid.

tus, non gravatim tulit, non segnior fuit tam diuturno tempore : sed omnia fortiter sustinuit, expectans promissionum tempus, et sciens non posse intercidere quæ a Deo dicta sunt : maxime si et nos afferre nostra studeamus, fidem et patientiam, et ita bene fidamus iis, quæ a Domino promissa sunt, atque si jam impleta essent. Hæc enim vera fides est, non attendere ea, quæ videntur, etiamsi omnino sint adversa promissioni, sed soli promittentis potentiæ confidere. Jam vero videamus Justi hujus gratum animum. « Et evigilavit, inquit, Jacob de somno suo, et » dixit : Dominus est in loco isto, ego autem nesciebam. » Et timuit, et dixit : Quam terribilis est locus iste ! Non » est hoc aliud, quam domus Dei : et hæc est porta cœli[1]. » Stupescens Justus propter magnam misericordiam Dei, timuit, inquit, et dixit : « Non est hoc nisi domus Dei, et » ista est porta cœli. » Hic locus mihi posthac pro domo Dei reputabitur. Tanta igitur visione dignus habitus, et cum ipsam, ut ita dicam, quasi cœli portam viderim, justum fuerit ut debitam hic gratiarum actionem Domino reddam et offeram. « Et surrexit Jacob, et accepit » lapidem, quem posuerat ad caput suum, et statuit eum in » columnam, et infudit oleum super summum ejus, et vo- » cavit Jacob nomen loci illius, Domus Dei[2] ; » aliud enim erat nomen loco antea. Postquam autem per visionem tam magna consecutus fuit, vocabulo memoriam loco inscribere vult, posterisque eum facere celebrem, lapide pro columna erecto, superfusoque oleo ; verisimile enim est quod illud solum secum tulerit, utpote iter faciens, votumque offert benigno Deo, omni plenum philosophia.

V. Et si vultis, etiam ipsa audiamus verba : « Vovit enim » votum, dicens : Si fuerit Dominus Deus mecum, et cus- » todierit me in via hac, qua ego ambulo[3]. » Quoniam di-

[1] Gen. xxviii, 16, 17. — [2] Ibid. 18, 19. — [3] Ibid. 20.

xerat: « Ego tecum sum, et custodiam te in via hac, qua » ambulas: » propter hoc et ipse dicit: « Si illa mihi eveniant, quæ scilicet te daturum promisisti. » Deinde et petitionem affert, dicens: « Si dederit mihi Dominus panem ad man- » ducandum, et vestem ad tegendum [1]. » Non divitias, non abundantiam quamdam petivit, sed panem et vestem: et hanc ad contegendum corpus, illum vero in necessarium alimentum. Considera quomodo nobis apostolicum charactercm petitione sua significavit, tanto sapientiæ studio plenus erat Justi animus. Nam id quod Christus dicebat; « Ne possideatis aurum, vel argentum, vel duas tunicas [2]; » hoc iste nondum a quoquam doctus, sed a seipso, et ab insito naturæ nostræ magistro didicit, et optavit a Domino suo præberi panem ad comedendum, et vestem ad tegendum. « Si hæc mihi fuerint, inquit, in terra aliena, et reduxerit » me Dominus salvum in domum patris mei, sicut promisit, » erit Dominus mihi in Deum, et lapis iste, quem erexi in » columnam, erit mihi domus Dei: et omnium quæ mihi » dederis, decimas tibi offeram [3]. » Vide Justi probum affectum: petebat quidem, at nihil pretiosum, sed panem et vestem: promittebat autem et sua Domino; gnarus quam certet muneribus, et quam nostras cogitationes retribuendo transcendat, aitque: « Et columnam hanc in » domum Dei habebo, et omnium quæ mihi a te suppedita- » buntur decimas dabo. » Vidisti mentem piam ac religiosam? nihil adhuc acceperat, et promisit se Deo decimas eorum, quæ sibi donanda erant, oblaturum. Ne simpliciter, dilecti, prætereamus quæ dicta sunt, sed æmulemur omnes hunc Justum: et nos qui in gratia, eum qui ante legem: et nihil temporale petamus a Domino. Neque enim expectat donec a nobis admoneatur, sed et non petentibus nobis largitur ea, quæ ad usum pertinent; « Oriri enim facit solem super

[1] Gen. xxviii, 20. — [2] Matth. x, 9. — [3] Gen. xxviii, 21, 22.

» malos et bonos, et pluit super justos et injustos [1]. » Et credamus ei admonenti, et dicenti : « Quærite primum » regnum Dei, et hæc omnia apponentur vobis [2]. » Vides ipsum nobis etiam illa in domum præparavisse, et hæc in lucri et auctarii parte daturum se promittere? Ne igitur ea, quæ tanquam auctarii loco accepturus es, quasi primaria pete : ne invertamus ordinem, sed quæramus illa sicut præcepit, ut et his, et illis frui liceat. Ea enim de causa in orationis nostræ verbis limites et regulas nobis Dominus præscripsit, quatenus petenda sint temporalia. Verba illa jubet nos dicere, quæ omni philosophia sunt referta : « Panem » nostrum quotidianum da nobis hodie [3] : » diei alimentum inquit. Id quod Justus iste, tametsi nihil horum audierat, precatus est, dicens : « Si dederit mihi Dominus panem ad » comedendum, et vestem ad tegendum. » Ne igitur temporale aliquid aliud ab eo petamus. Indignum enim valde est a tam liberali et tanta virtute præstanti hujusmodi petere, quæ cum præsenti vita dissolvuntur, et magnam vicissitudinem et mutationem experiuntur. Id genus enim sunt humana omnia, sive divitias dixeris, sive potentiam, sive humanam gloriam : sed petamus semper manentia, sufficientia, vicissitudinis nescia. Et scientes Domini nostri bonitatem, nihili pendamus præsentia, sed omne nostrum studium in cœlestium desiderium transferamus. Nam si « Solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit su» per justos et injustos, » multo magis abstinentes a malitia, et injustitiam fugientes non despiciet : sed multa dignos ducet providentia, et sua sollicitudine omni tempore dignabitur. Id scientes, dilecti, ne increduli simus divinis pollicitationibus, neque contraria iis, quæ ille jussit, faciamus. Enimvero quantum ad ea, quæ nunc a nobis fiunt, nihil ab infidelibus differimus. Quando enim ipse quidem futura

[1] Matth. v, 45. — [2] Id. vi, 33. — [3] Ibid. 11.

nobis promittit, nos autem nolumus fidere illius promissionibus, sed præsentibus sumus affixi, quod aliud incredulitatis indicium adhuc requiritur, rebus ipsis tam clara voce attestantibus? et rursum Christo jubente nos nihil a se petere fragilium horum et temporalium, sed potius illa postulare; nos ei repugnantes, quæ petere prohibuit, illa quærimus : et quæ jussit quæri, illa non quærimus. Et hæc facientes, et tam pigre segniterque nostra instituentes, et exacerbantes mitem et humanum Dominum, quasi obliti eorum, quæ nos fecerimus, causam quærimus ejus erga nos indignationis, et quare nos sæpe despiciat, cum in varias incidimus tentationes, et non cogitantes peccatorum nostrorum magnitudinem, nosmetipsos ultro decipimus. Idcirco obsecro ut, iis omnibus repulsis, nihil saluti nostræ præferamus. « Quid enim prodest homini, si totum mun» dum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur[1] ? » Et supervacuas divitias jam evacuemus in pauperes, magnumque sapientiæ studii specimen in omnibus exhibeamus, vanam gloriam despicientes, humanum fastum conculcantes, et omne charitatis studium alii in alios mutuo impendentes : ut et præsentibus et futuris bonis perfrui mereamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre, et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xvi, 26.

HOMILIA LV.

Et dixit Laban ad Jacob : Quoniam frater meus es tu, non servies mihi gratis, dic mihi quæ merces tua [1].

I. Satis heri, ex præludiis peregrinationis Justi, edocti sumus quanta fuerit ejus philosophiæ magnitudo, propter quam causam tantam promissionem a Deo consecutus est. Iterum autem per preces et votum, quæ fecit universorum Domino, sufficientem doctrinam nobis omnibus dedit, si vellemus ad imitandam virtutem illius excitari. Etenim admiratione dignum est, quomodo virtutem sciens promittentis, et audiens magnitudinem sibi promissorum, neque sic magnum aliquid et sublime postulare attentaverit : sed illa duntaxat petiit, quæ audistis heri, nempe ea, quæ ad quotidianum alimentum sibi sufficere possint, et vestimentum ad corpus tegendum : et promittit si, reditum sibi in sua concedat Deus, sicut sibi promiserat, daturum se illi omnium, quæ ab eo accipiet, decimas : per omnia monstrans religionem suam, et ipsum ascribens omnium Largitorem; docetque nos ut ei tantum habeamus gratiam. Noverat enim Justus ineffabilem ejus benignitatem, hoc conjectans ex iis, quæ in patrem suum exhibuerat, sciebat eum sibi magnam abundantiam concessurum esse : et horum quidem ipse nihil petit a Domino, neque vult de iis precari; sed cum decimas omnium daturum se pollicetur, ostendit quantum in omnibus confidebat ejus potentiæ, qui promiserat. Propterea et ipse, quando cum eo loquebatur,

[1] Gen. XXIX, 15.

dicebat : « Ego sum Deus Abraham et Isaac patris tui, ne »timeas [1]. » Cogita, inquit, et Patriarcham quasi peregrinum et ignotum in terram hanc advenisse, et in tantam venisse gloriam, ut omnium ore celebretur. Cogita item et patrem tuum, in extrema senectute patri suo natum esse, atque ita opibus auctum fuisse ut invidiosus fieret indigenis. Eadem igitur et ipse expecta, omnemque timorem et anxietatem deponens, peregrinationem obi. » Hæc secum cogitans Justus, non ad præsentem respiciebat statum : nihil enim omnino secum afferebat ; quomodo enim potuisset qui solus erat, et iter facere cogebatur? Sed jam fidei oculis non multo post futuram prævidens abundantiam, suam declarabat gratam voluntatem : et qui nihil adhuc acceperat, vovet, digniorem fide existimans promissionem Domini, quam rerum possessionem. Neque enim ita fidere debemus his, quæ in manibus habemus et videmus, ut promissionibus Dei, etiamsi non eveniant statim primo tempore. Justus igitur sumpta iis, quæ Deus dixerat, fiducia maxima, peregrinationem obiit. Quo pacto enim non fisurus esset, cui dictum erat : « Ecce ego tecum sum, custo- »diens te in omni via, qua iturus es : et multiplicabo se- »men tuum, et reducam te iterum in terram hanc : et non »te derelinquam [2], » usquequo compleantur promissa omnia? Verum, ut heri dixi, cogita et omnipotentem Dei sapientiam, et Justi illius magnam patientiam et gratum animum. Surrexit enim post promissiones illas, et in Charran contendit. Et iterum agit ut peregrinus et vagus, et in omnibus divina gratia fruitur, benigno Deo ipsi viam ubique parante, et suam promissionem adimplente. Qui enim dixerat : « Tecum sum, custodiens te in omni via, qua iturus es, » is duxit Justum ad fontem aquæ, ubi aquabant pastores terræ incolæ : a quibus cum interrogasset de Laban fra-

[1] Gen. xxvi, 24. — [2] Id. xxviii, 15.

tre matris suæ, et didicisset omnia, quæ circa illum gerebantur : deinde cum et hujus filiam, et greges oculis spectasset, videretque indigenas non sufficere ut lapidem a fonte ipsi amoverent et aquarent oves, accurrit, et id quod illi facere non valebant, ipse superno auxilio roboratus, præveniens beneficiis Laban, amovit lapidem et adaquavit oves, quas pascebat Rachel. Dein ubi osculatus est puellam, et significavit quis esset, et unde venisset, mansit ipse apud fontem. Verum quia Deus erat, qui Justo disponebat omnia, hic et puellam excitavit ut celeriter curreret, atque hæc annuntiaret patri, qui frater erat hujus matris, narraretque beneficium, quod ab eo præstitum esset et in ipsam et in greges, et se neque peregrinum esse, neque ignotum, sed sororis filium. Considera, obsecro, dilecte, divinæ Scripturæ diligentiam, quomodo nobis omnia manifeste recenseat, docendo nos mores Veterum, et quantæ in excipiendis hospitibus fuerint alacritatis. Nam ut puellæ indicaret alacritatem, non simpliciter dixit eam abiisse et annuntiasse quæ facta fuerant, sed cucurrisse, hoc est, magno cum gaudio. Deinde et de Laban, qui pater illius erat, dicit quod, auditis his a virgine, cucurrerit et ipse in occursum Jacob, et osculatus sit eum, et induxerit in domum suam.

II. Postquam autem Laban omnia diligenter didicit ab eo, « Dixit, inquit, ei : Ex ossibus meis et ex carne mea es » tu [1]. » Sororis, inquit, meæ cum sis filius, nihil aliud quam caro nostra es et frater noster. « Et erat cum eo, » inquit, ad mensem dierum [2]. » Dein quasi in domo propria apud eum impavide et ab omni cura liber agebat. Cæterum quoniam Deus erat, qui omnia ad utilitatem hujus Justi dispensabat, et in omnibus ei suam præbebat cooperationem, ipse alacritatem Laban excitavit : et videns viri

[1] Gen. xxix, 14. — [2] Ibid.

mansuetudinem, dicit ei : « Quoniam enim frater meus es » tu, non servies mihi gratis : dic mihi, quæ merces tua » sit [1]. » Vide quomodo ipse quidem petebat nihil, Laban autem a se hoc proponit Justo. Et attende, obsecro, quomodo cui divina manus assistit, ei omnia feliciter succedant. « Non servies mihi, inquit, gratis : indica mihi quæ » merces tua sit. » Quamvis Beatus ille magnæ charitatis loco haberet vel simpliciter quotidiano alimento frui, multamque pro eo gratiam redderet : verum quia miram humanitatem præ se ferebat, ideo Laban mercedem ei pollicetur, quam ipse proposuerit. Quid igitur Justus? Vide, obsecro, et hic excellentem ejus sagacitatem, et quomodo nullam congregandarum opum habuerit curam. Non enim sicut mercenarius aliquis cum Laban convenit, et operam suam exquisitiore mercede locat, et aliud quid petit : sed memor matris et præceptorum patris, et mirificam continentiam præ se ferens, dicit Labano : « Serviam tibi septem annis » pro Rachel filia tua juniore [2]. » Hanc enim mox ut apud fontem vidi, amavi. » Et vide benevolentiam viri, sibi ipsi et tempus præscribit, et tanto tempore sufficiens argumentum suæ continentiæ præbet. Et quid admiraris, dilecte, audiens eum septem annis se serviturum promisisse pro dilecta puella? Ut enim ostendat nobis Scriptura, quomodo amor magnus et laborem et temporis longitudinem succidit, et ut breve videretur effecit, dicit : « Et servivit » Jacob pro Rachel annis septem, et erant coram eo quasi » dies pauci, eo quod ipse illam diligeret [3]. » Septem, inquit, anni pauci dies videbantur ob ingentem erga puellam amorem. « Quando enim quis sauciatur charitatis desiderio, nihil difficile spectat ; sed id quod fuerit plenum periculis et multa miseria, leviter fert, ad hoc unum respiciens, quomodo suo potiatur voto et desiderio. Audiamus nos

[1] Gen. xxix, 15. — [2] Ibid. 18. — [3] Ibid.

ignavi et supini, ingratum erga Deum animum exhibentes. Nam si Justus ille propter puellæ amorem septennium servire, ferreque pastoralium laborum ærumnas decrevit, et non sensit vel labores, vel temporis longitudinem : sed omnia ei levia et facilia videbantur, expectationeque et spe fruendi fultus, ita ut dies paucos longum illud tempus putaret : qualem nos habebimus excusationem, qui non pari studio erga Dominum nostrum et benefactorem et curatorem, et qui nobis sit omnia, afficimur ? Sed ubi proponitur lucrum temporale, omnia alacriter sustinere volumus, etiamsi quid laboriosum sit, et valde ærumnosum et sordidum, et pœnam in præsenti et futuro sæculo præbens : propter nostram autem salutem, et ut supernum nobis favorem conciliemus, remissi et supini et dissoluti videmur. Et qualis nobis erit venia, qualisve excusatio sic negligentiæ deditis, qui neque quantum Beatus ille in puellam declaravit amorem, tantam in Deum charitatem habemus : idque cum tanta possimus numerare beneficia in nos collocata, et quæ quotidie collocantur ? Sed etsi nos tam ingrati sumus, non ita certe beatus Paulus, qui tam fervebat et ignitus erat charitate in Deum, ut verba illa tanto animo digna loqueretur et clamaret, dicens : « Quis nos separabit a charitate Christi [1] ? » Vide dictionis emphasim, et latentem vim : vide amoris violenti fervorem, vide charitatem incensam. « Quis nos separabit ? Quid, inquit, est, quod possit nos a charitate Dei separare : quid inter visibilia, quid inter invisibilia ? »

III. Deinde volens et particulatim omnia enumerare, et omnibus nobis manifestum facere insuperabile desiderium, quod erga Dominum possidebat, subdidit dicens : « Tribu-»latio ? an angustia ? an fames ? an persecutio ? an nudi-»tas ? an periculum ? an gladius [2] ? » O animam, insania,

[1] Rom. VIII, 35. — [2] Ibid.

quæ continentiæ mater est, furentem! Quid, inquit, ex iis quæ nobis inferri possunt, nos avocare a charitate, quæ est in Deum, poterit? Afflictiones quotidianæ? minime. Angustiæ? neque illæ. Num persecutiones? neque illæ. Sed quid? num fames? num nuditas? num pericula? Verum quid dico famem, et nuditatem, et pericula? num gladius? ne mors quidem ipsa, si infligatur, hoc poterit efficere? id enim prorsus impossibile est. Nullus alius sic dignatus est diligere Dominum, ut beata illa anima. Quasi enim liberatus a corpore, et sublimis factus, ut sic dicam, neque super terram ambulare se putans, ita loquitur. Amor enim in Deum et succensa charitas mentem ejus a sensibilibus ad spiritualia transtulit, et a præsentibus ad futura, et a visibilibus ad non visibilia. Talis enim res est fides et charitas in Deum. Et ut discas magnum ejus cordis affectum, vide eum, qui sic Dominum dilexit, et in ejus charitatem exarsit, fugari, persecutionem pati, flagellari, innumera gravia ferre, et dicere : « In laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter : a Judæis quinquies » quadragenas una minus accepi : ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in » profundo maris fui, in itineribus sæpe, periculis flumi- » num, periculis latronum, periculis in falsis fratribus, in » labore et ærumna [1] : » et talia patiens, gaudebat et exultabat. Sciebat enim, et argumentis multis certus erat labores præsentes maxima sibi præmia conciliare, et pericula coronas parere. Nam si Jacob propter amorem in Rachelem quasi pauculos dies septennium putabat : multo magis Beatus ille omnia nihili faciebat, succensus simul amore in Deum, et propter Christum dilectum omnia ferens. Studeamus igitur, obsecro, et nos diligere Christum. Nihil enim aliud, inquit, Christus requirit a te, quam ut ipsum

[1] 2 Cor. xi, 23, 27.

diligas ex toto corde, et facias mandata ejus. Qui enim diligit sicut oportet Deum, manifestum quod et mandata ejus implere nitatur. Quando enim quis erga aliquem fraterne afficitur, omnia facere studet, ut dilectum attrahere possit in amorem suum. Et nos quoque, si Dominum sincere dilexerimus, mandata ejus implere, nihilque eorum, quæ exacerbare poterunt dilectum, facere studebimus. Hoc fuerit regnum cœlorum, hoc bonorum fruitio ; hoc infinita bona continet, si germane et sicut oportet eum dilexeris : illum autem sincere diligimus, si propter charitatem in eum, et erga conservos multam exhibeamus dilectionem. « In his enim duobus mandatis, inquit, universa » lex et Prophetæ pendent : » nempe ut « Diligas Dominum » Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex » omnibus viribus tuis, et proximum tuum sicut teipsum [1]. » Hæc omnium virtutum summa, hoc fundamentum. Simul enim cum charitate in Deum, ingreditur dilectio proximi. Nam qui Deum diligit, non despiciet fratrem : neque opes pluris, quam membrum suum, faciet, sed magnam præ se feret benignitatem, memor ejus qui dixit : « Qui fecerit ali- » quid uni horum minimorum, mihi fecerit [2]. » Et cogitans propter ministerium in conservum, Deum ipsum esse, qui, ut sibi præstitum officium ascribat, magna cum alacritate omnia operabitur, magnamque liberalitatem exhibebit circa eleemosynam : non ad utilitatem respiciens pauperis, qui apparet, sed ad magnitudinem ejus, qui promisit se habiturum perinde ac si sibi facta essent, quæcumque illi facta fuerint. Ne igitur prætereamus simpliciter, oro, lucrum nostrarum animarum, et remedium nostrorum vulnerum. Hoc enim, hoc maximum pharmacum ita curabit et abolebit ulcera animarum nostrarum, ut neque vestigium, neque cicatrix aliqua apparitura sit : id quod in cor-

[1] Matth. xxii, 37-40. — [2] Id. xxv, 40.

poris vulneribus non est possibile. Nam licet quis millies cataplasmata accepta a medicis superponat, necesse est cicatricem in corpore manere, et merito : corpus enim est quod curatur. Hic autem quia anima est quæ curatur, quando quis bonam suam voluntatem declarat, multam in melius mutationem accipit : et sic omnia ulcera depellit, ut ventus vehemens pulverem deturbat. Atque horum omnium exemplis plenæ sunt Scripturæ. Ita Paulus Apostolus factus est ex persecutore, et qui prius impugnabat Ecclesiam, postea factus est ejus pronubus.

IV. Vidisti quanta rerum vicissitudo? vidisti quanta transmutatio? Sic et latro, qui multa fecerat homicidia, in uno temporis puncto, propter pauca illa verba ita omnia abluit peccata, ut audiret a Domino : « Hodie mecum eris » in paradiso [1]. » Sic et Publicanus, qui percusserat pectus, et sua peccata confessus erat, descendit justificatus magis, quam Pharisæus [2]. Verum omnes hi animæ suæ bonum affectum declararunt, et priora confessi peccata, remissionem obtinuere. Videamus autem et hujus mandati robur, et quantam abundantiæ vim possideat larga eleemosyna, ut cum didicerimus lucrum, quod inde nascitur, alacriter eam largiamur. Forte enim tanta ejus est potestas, ut non solum peccata purgare, sed et mortem fugare valeat. Et quomodo? Ego dicam. Et quis, dicet aliquis, eleemosynam faciens, superior morte factus est? sane omnes videmus sub mortis tyrannidem venisse. Ne turberis, dilecte, sed rebus ipsis disce quomodo eleemosynæ vis et mortis vicit tyrannidem. « Tabitha erat mulier, cujus nomen, si quis in» terpretatur, dicitur Dorcas : hæc quotidie dabat operam, » ut colligeret ex eleemosyna divitias. Et vestiebat, inquit, » viduas, et alios omnes sumptus eis præbebat. Factum est » autem ut infirmata ipsa moreretur [3]. » Sed vide quomodo hæ,

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] Id. XVIII, 13. — [3] Act. IX, 36, 37.

quæ ab illa curabantur, et quas vestiebat, beneficam opportune remunerarint « : Stantes circa Apostolum, monstra» bant, inquit, ei vestes, et cuncta quæ faciebat, cum adhuc » in humanis ageret, Dorcas [1]: » et alumnam requirebant, lacrymas profundebant, et ad magnam miserationem Apostolum provocabant. Quid igitur beatus Petrus? « Genibus » positis, inquit, oravit, et conversus ad corpus, dixit: Ta» bitha, surge. Illa autem aperuit oculos suos, et ut vidit » Petrum, resedit. Data autem ei manu, erexit eam, et ac» cersitis sanctis et viduis, commendavit illis eam vivam [2].» Vidisti virtutem Apostoli, imo operantis per eum Domini? vidisti quanta retributio beneficentiæ in viduas, etiam in præsenti? Quid enim tantum, quæso, præbuit illa viduis, quantum illæ ei rependerunt? Vestes præbuit et alimenta, sed illæ ad vitam hanc reduxerunt, et mortem ab ea fugarunt : imo non illæ, sed clemens Dominus noster propter curam, quam illis impenderat. Vidistis pharmaci potentiam, dilectissimi? Hoc omnes nobis ipsis paremus : neque enim sumptuosum est, quamvis tantæ sit virtutis, sed et vili emitur, nec multo sumptu indiget. Magnitudo enim eleemosynæ non in multitudine pecuniarum vel opum sita est, sed ex alacritate dantium judicatur. Propter hoc et qui potum aquæ frigidæ dedit, acceptus est [3] ; necnon ea, quæ duo minuta in corbonam misit [4], ut discamus ubique rectam mentem requiri ab universorum Domino. Fieri potest ut qui parum habet, magnam præ se ferat liberalitatem, si magna valet alacritate, et qui multa possidet, minor videatur iis, qui parum habent, propter sordidi animi tenacitatem. Effundamus igitur, quæso, facultates nostras in egenos mente liberali, ex iis quæ nobis Dominus dedit : et quæ ab eo data sunt, ipsi iterum demus, ut sic iterum nostra cum lucro fiant. Tanta enim ejus est liberalitas, ut licet acci-

[1] Act. IX, 39. — [2] Ibid. 40, 41. — [3] Matth. X, 42. — [4] Marc. XII, 42, 43.

piat de iis, quæ ipse dedit, non putet tamen propria se accipere, sed magna munificentia nobis ea redditurum se pollicetur, tantum si nos quæ nostra sunt facere velimus, et sic pauperibus erogemus, quasi deponentes ea in manus Domini : scientes quæcumque acceperit manus illa, ea non solum reddituram, sed multiplicata nobis iterum largituram, suæ liberalitatis gloriam declarantem. Et quid assero, ea reddere multiplicata ? manus illa non ea solum reddit, sed cum illis regnum cœlorum donat, et celebrat, atque coronat, innumeraque bona largitur, modo ex iis, quæ ab ipso data sunt, parvum quiddam inferre voluerimus. Num grave aliquid et onerosum a nobis requirit ? Ea, quæ abundant et supervacanea sunt nobis, necessaria nobis facere vult, et quæ frustra et in vanum in promptuariis reposita sunt, ea vult a nobis bene distribui, ut occasione accepta, hinc nos splendide coronet. Festinat enim et urget, atque omnia facit et molitur, ut dignos nos reddat iis, quæ ille promisit.

V. Ne igitur, quæso, nos ipsos privemus tantis bonis. Nam si laboriosi agricolæ penum suum evacuant, et semina terræ concredunt, et olim collecta dispergunt, idque cum voluptate faciunt, spe majora recipiendi se solantes : et quamvis sciant sæpe aëris intemperiem, nonnunquam et terræ sterilitatem aliaque multa accidentia, ut locustarum exercitum, et rubiginis incursum, expectationem suam fefellisse; attamen bona spe sese alentes, ea quæ in promptuariis collecta sunt, terræ concredunt : multo magis nos quæ absque usu recondita sunt, dispergere in pauperum usus et educationem convenit, ubi nunquam spes eluditur, neque timenda aliqua terræ sterilitas. Dicit enim : « Dispersit, dedit pauperibus ; » sed audi etiam quæ secuntur : « Justitia ejus manet in sæculum sæculi[1]. » O mi-

[1] Psal. cxi, 9.

rabilem sementem ! Brevi tempore distribuit, et in perpetua sæcula justitia ejus permanet. Quid hoc beatius unquam fuerit ? idcirco oro ut justitiam, quæ ex eleemosyna est, nobis acquiramus, ut et de nobis dicatur : « Dispersé» runt, dederunt pauperibus, justitia eorum manet in sæcu» lum sæculi. » Postquam enim dixit : « Dispersit, dedit, » ne putes dispersa periisse, ideo statim subdidit : « Justitia ejus » manet in sæculum sæculi. » Illis, inquit, dispersis, justitia maneat inexpugnabilis, et in omne sæculum se extendat, nunquam finem habitura. Atque cum eleemosyna etiam alias virtutes diligenter curemus, et affectiones carnis reprimamus, et eliminemus ex anima omnem illicitam concupiscentiam, omnem malam cogitationem, iram, indignationem, invidiam; et ornemus omnibus modis animæ pulchritudinem, ut claritate pulchritudinis ejus conciliemus nobis cœlorum Dominum, et apud nos habitare dignetur. Nam ubi viderit animæ venustatem, statim adveniet. Dicit enim : « Super quem alium respiciam, quam super man» suetum et quietum et humilem, et trementem sermones » meos[1] ? » Vidisti quomodo nos docuit omnes spirituales colores, quibus animæ pulchritudo potest decorari ? « Su» per mansuetum, inquit, et quietum, et humilem. » Deinde quod hæc omnia efficit, addidit : « Et trementem sermo» nes meos. » Quid est, « Trementem sermones meos ?» obedientiam Dei mandatis per ipsa opera implentem, quod et alibi dicit : « Beatus qui timet omnia propter pietatem[2]. » Nam si nos, cum videmus famulum, qui mandata nostra cum diligentia timoreque multo ac tremore implere curat, majorem erga illum declaramus benevolentiam et commiserationem : multo magis bonus Dominus erga nos id declarabit. Propter hoc dicebat : « Super illum respiciam » mansuetum et quietum et trementem sermones meos. »

[1] Isaï. LXVI, 2. — [2] Prov. XXVIII, 14.

Tremamus igitur, oro, et cum magno timore sermones ejus impleamus; nam ejus sunt sermones nobis ab illo tradita mandata, et cum didicerimus quæ illi placent, et quæ probat, ea obeamus, et tales fieri studeamus; quietem, mansuetudinem, humilitatem magnam exhibeamus, et omnia, quæ ab eo mandata sunt, cum reverentia et timore adimpleamus, ut cum approbarit affectum mentis nostræ, placatus nostra obedientia, respicere etiam super nos dignetur. Quod si nobis continget, erimus per omnia securi; dicit enim: «Respiciam,» hoc est, providentia mea dignabor, manum porrigam, in omnibus auxiliator ero, ubertim in eum meam liberalitatem profundam.» Hæc igitur omnia faciamus, obsecro, ut respiciat super nos Dominus, quo et præsentem vitam absque tristitia transigamus, et futura bona consequi possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVI.

Dixit autem Jacob ab Laban: Da mihi uxorem meam: impleti sunt enim dies, ut ingrediar ad eam[1].

I. Heri a dilectione Jacob, quam erga Rachelem exhibuit, ad Pauli charitatem et magnitudinem amoris, quem erga Christum gerebat, transeuntes, quasi ab impetuoso quodam torrente rapti, non potuimus ad seriem et contextum sermonis regredi. Ideo, si placet, hodie sequentia aggressi, ea quæ tunc relicta sunt impleamus: ut ex iis,

[1] Gen. XXIX, 21.

quæ hodie dicuntur, percepta utilitate aliqua, domum repetamus. « Igitur postquam impletus est septem annorum » numerus, et fuerunt, inquit, coram Jacob quasi dies » pauci tot anni ob amoris vehementiam, dixit ad Laban : » Da mihi uxorem meam, impleti enim sunt dies mei, ut » ingrediar ad eam. Congregavit autem Laban omnes vi- » ros loci, et fecit nuptias : et factum est vespere, et acce- » pit Laban Liam filiam suam, introduxitque eam ad Ja- » cob [1]. » Vidisti cum quanta olim honestate nuptias egerint? Audite qui satanicas pompas admiramini, et statim ab initio nuptiarum honestatem dedecore afficitis. Num tunc tibiæ? num tunc cymbala? num tunc choreæ diabolicæ? Quare enim, dic mihi, tantum statim ab initio damnum inducis in domum tuam, et eos, qui in scenis et orchestris operam locant, vocas, ut cum intempestivo sumptu virginis lædas continentiam, et juvenem impudentiorem facias? Optabile enim et arduum erat, absque illis fomitibus illam ætatem potuisse moderate ferre tempestatem affectionum : cum autem et hæc accedant, tam quæ videntur, quam quæ audiuntur, dum majus accenditur incendium, et fornax concupiscentiarum magis inflammatur, quomodo non pessum it adolescentis anima? Hinc enim omnia pereunt et corrumpuntur ; quia ab initio castitas eorum, qui inter se conventuri sunt, oppugnatur, et sæpe primo die juvenis oculis videns incontinentibus, telo diabolico in anima vulneratur et puella per ea, quæ audit et videt, captiva fit, et ab eo die postea crescunt vulnera, majusque fit malum. Etenim illinc statim et mutuam concordiam dilacerant, et amorem debilitant. Quando enim ille mentem ad aliam vertit, hinc et inde dividens animum, a diabolo ipsos ductus, multa amaritudine domum implet. Quod si et illa comperitur ita affecta esse, ex ipsis funda-

[1] Gen. XXIX, 20-23.

mentis omnia, ut ita dicam, subvertuntur: postea alter ab altero occultatur, et ille quidem suspiciose observat uxorem, et similiter illa virum. Atque ubi oportebat concordiam esse et copulam, quique debebant esse caro una; «Erunt enim, inquit, duo in carnem unam[1];» hi in tanta vivunt dissensione, quasi sejuncti essent. Diabolus enim subingressus tantam in eis perniciem operatur, ut quotidianæ pugnæ inter eos nascantur, et a malis nunquam habeant quietem. Quid enim quis dixerit quomodo postea a famulis contemnantur, quomodo a vicinis rideantur, quam fœda operentur? Nam sicut quando gubernatores inter se dissident, etiam qui navi vehuntur, una periclitantur, ac timent ne cum navi submergantur: ita et hic, si discordes sint vir et mulier, consequens est omnes, qui apud illos sunt, participes esse malorum. Propterea oro ut hæc omnia prævidentes, consuetudinem ne sectemini. Scio enim multos receptum morem obtendere, neque patienter ferre ut hæc a nobis dicantur: attamen necesse est ut nos utilia dicamus, et quæ illos a futuro supplicio liberent. Ubi enim tantum animæ damnum, qua de causa mihi consuetudinem prætexere audes? Ecce enim et ego tibi consuetudinem meliorem objicio, quæ apud Veteres erat, quando nondum tanta piæ religionis erat agnitio. Et ne justum hic Jacob tantum cogites, sed et Laban adhuc idolorum cultui deditum, nec vel minimam veræ religionis notitiam habentem, et tamen tantam præ se ferentem philosophiam. Neque enim hoc honestas ejus erat, qui ducturus puellam, sed patris eam tradentis. Ideo et illum feci sermonem, non ad sponsos tantum spectans, quantum ad parentes, et ad patrem, qui virginem locat. Quomodo enim non absurdum, si nos, qui tantam accepimus misericordiam, et tam terribilium ineffabiliumque sacramentorum participes

[1] Gen. II, 24.

sumus, hac in re inferiores simus Labano, qui cultui idolorum adhuc erat deditus? Annon audis Paulum dicentem sacramentum esse nuptias, et imaginem dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam exhibuit[1]? Ne igitur confundamus nos ipsos, et honestatem nuptiarum corrumpamus. Nam si quidem bonum et utile fuerit consilium, etiamsi non sit consuetudo, fiat : sin damnosum et perniciosum est id quod a vobis efficitur, etiamsi consuetudo sit, rejiciatur. Nam si hoc admiserimus, et fur et adulter et quantumvis malus alius consuetudinem obtendet : at nullum hinc illis lucrum est vel venia, sed major potius accusatio, quod malam consuetudinem superare non valuerint.

II. Si enim voluerimus vigilare, et curam habere nostræ salutis, possumus et a mala consuetudine desistere, et in bonam consuetudinem nos reducere : sicque posteris nostris non parvam dabimus occasionem eadem imitandi, et accipiemus etiam nos mercedem eorum, quæ ab iis aguntur. Nam qui initium bonæ viæ præbuerit, hic auctor est eorum, quæ et ab aliis recte fiunt, et duplicem recipiet mercedem, tam pro iis, quæ ipse recte facit, quam quibus alios in optimam illam inducit philosophiam. Ne prætexatis, obsecro, frigida et ridicula verba hæc, dicentes legitima quædam esse hæc, et propterea impleri oportere. Non enim hæc legitimum faciunt conjugium, sed si secundum leges Dei cum castitate et honestate fiat conventus, et si concordia magna cohæreant ii, qui conveniunt. Noverunt hoc etiam externæ leges, et audies eos, qui his studuerunt, dicere conjugium nihil aliud constituere quam consuetudinem. Ne igitur divinas leges cum humanis transgrediamur, nec præferamus diabolicas leges et perniciosam hanc consuetudinem. Illius enim lex sunt hæc, qui gaudet de interitu nostro. Quid igitur hac consuetudine magis ridiculum,

[1] Ephes. v, 32.

quando vir et uxor innumeris convitiis et scommatis a servis nulliusque pretii hominibus incessuntur, ac nemo est qui increpet: sed licet cuivis volenti ad vesperam omnia loqui, et convitia jacere in sponsum et sponsam? Et in alio die si quis conaretur ita salibus mordere, periclitaretur, ad tribunal abduceretur et puniretur. Tunc autem quando plurimam oportebat esse reverentiam, majoremque honestatem et castitatem, tanta obscœnitate implentur omnia illa, ut probabile sit, diabolo duce, hæc omnia inventa esse. Verum ne ægre feratis, oro: non enim absque causa in hunc sermonem digressi sumus, sed curam habens vestræ salutis et honestatis, vellem optimam hanc mutationem fieri, vosque optimæ hujus consuetudinis esse duces. Nam si solum principium et via fiat operis, paulatim uno alterum laudabili hac æmulatione æmulante, omnes laudatores habebitis, et non tantum qui civitatem incolunt, imitabuntur optimam hanc innovationem, sed et eos, qui procul habitant, conciliabitis, et imitatores vestros constituetis: atque insuper longe ampliorem a Deo reportabitis coronam, quod propter Dei timorem et ejus mandatum, diabolicam hanc superaveritis consuetudinem. Sed quod suscepturi sitis magna alacritate hoc nostrum consilium, et opere impleturi, valde confido. Videns enim vos magna cum voluptate audire ea, quæ dicuntur, id ex applausu et laudibus conjecto vos etiam operibus idem ipsum comprobaturos esse: propterea contentus dictis, ad contextus seriem regrediar. «Et facta est, inquit, vespera, et acce»pit Laban Liam filiam suam, et introduxit eam ad Jacob.» Ne obiter etiam hoc prætereamus: nam hic quoque multa considerari possunt: primum simplicitas Jacob, et quomodo ab omni malitia alienus deceptus sit: secundum, quod tanta facilitate omnia fiant, et nusquam lampades, choreæ, facesque præter usus necessitatem: ita ut et decep-

tio Laban locum habuerit. Possumus autem et hic videre quomodo Laban magna affectione dilexerit Jacob. Hoc enim commentus est, ut diutius apud se Justum retineret. Sciebat quidem quod alterius amore flagraret, atque si voti compos fieret, non eligeret posthac servitutem propter Liam sustinere, nec vellet cum eo habitare: et propterea quia vidit Laban virtutem viri, et cogitavit se non aliter eum vincere et persuadere posse, ita eum decepit, imposuit, et dedit ei Liam cum Zelpha ancilla. Deinde cum argueretur a Justo quod eum decepisset, honestam attulit excusationem. Nam postquam dixit Jacob: «Quare »mihi hoc fecisti? nonne propter Rachel servivi tibi? et »quare decepisti me[1]. » Quid ergo Laban? «Non est sic »in hoc loco ut elocetur junior priusquam major natu. »Perfice igitur hebdomadam istius, et dabo tibi etiam »hanc pro labore et opere, quod operaberis apud me ad»huc annis septem[2]. » Vides illum ea de causa hæc omnia commentum esse. Nam quia vidit amorem, quem erga puellam habebat, inquit: «Ne putes injuria te affici: quoniam hæc apud nos lex est, ut primum nuptiis tradatur major natu; propterea hoc quidem factum est: accipies autem et hanc, quam amas, si similes septem annos pro ea servieris.» Quibus auditis, Justus omnia prompto animo suscepit. Et post hos alios annos septem, dedit, inquit, Laban Rachel filiam suam ei uxorem.

III. Vides iterum nuptias fieri cum magna honestate. Sed audiens eum accepisse majorem natu, et postea minorem, ne turberis; neque secundum statum qui nunc est, opera quæ tunc facta sunt judices. Tunc enim, quia principia erant, permissum fuit cum duabus vel tribus vel pluribus uxoribus misceri, ut humanum genus propagaretur. Nunc vero, quia per Dei gratiam humanum genus valde

[1] Gen. xxix, 25. — [2] Ibid. 26, 27.

multiplicatum est, virtus quoque incrementum accepit: adveniens enim Christus, et virtutem in hominibus plantans, Angelosque, ut ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem consuetudinem abolevit. Vides quomodo non oporteat consuetudinem prætexere, sed quod justum est inquirere? Ecce enim quoniam mala erat hæc consuetudo, explosa est, et non licet ulli eam prætexere. Nusquam igitur, obsecro, consuetudinem inquiras; sed quod sit utile quære, non quod animæ perniciosum; et si quid est bonum, etiamsi non sit consuetudo, id fiat a nobis: si vero perniciosum est, etiamsi consuetudo sit, fugiamus et aversemur. « Et dedit, inquit, Jacob Rachelem » cum Balla ancilla [1]. » Vidisti quanta sit hæc philosophia. Num servorum greges? num syngrapha? et pacta, atque conditiones illæ ridiculæ: « Si hoc fuerit, si hoc evenerit? » Et priusquam conveniant, nescientes an usque ad vesperam maneant, quæ post multa tempora ventura sunt, in litteris suis consignant: « Si liberis carens, inquit, defunctus fuerit: si filios habuerit, » et quæcumque talia. At hic nihil tale, sed cum utrique suam ancillam dedisset, filias elocavit pater. « Dilexit autem, inquit, Rachel magis quam » Liam, et servivit ei septem annis aliis [2]. » Quia enim ab initio adamavit puellam propter venustam formam, et vix eam consecutus est, ideo eam magis dilexit quam Liam. Etenim illius venustas allexit eum ad eam amandam. Verum hic iterum vide Domini ineffabilem misericordiam, et quomodo quæ ab ipso fuerant promissa paulatim compleat. Nam qui dixit: « Ero tecum, custodiens te in omni via, qua » ambulaveris: et augebo et multiplicabo te, » ipse etiam nunc omnia dispensat. Et ut id scias, audi ipsam divinam Scripturam hoc manifeste dicentem: « Ut vidit autem Do- » minus Deus quod odio haberetur Lia, aperuit vulvam

[1] Gen. XXIX, 28, 29. — [2] Ibid. 30.

» ejus : Rachel autem erat sterilis, et concepit Lia, et pe-» perit filium Jacobo[1]. » Vide solertem Dei sapientiam : quoniam illa quidem pulchritudine sua conciliarat sibi gratiam viri, hæc vero minime formosa odio haberi visa est; hanc idoneam facit partui, illam vero inutilem : hæc ambo sua misericordia dispensans, ut et hæc per liberos, qui ex ea nascebantur, solatium haberet, in sui amorem virum alliciens ; et illa ne propter pulchritudinem et formositatem adversus sororem insurgeret. « Et aperuit, inquit, vulvam » ejus. » Disce hic, dilecte, Conditorem omnium omnia moderari ac dispensare, et naturam ipsam ad partum excitare, nullamque esse concubitus utilitatem, si absit divina cooperatio. Propterea enim dixit : « Aperuit vulvam » ejus, » ut sciamus voluisse Dominum Liam procreandis liberis aptam fieri, quo ejus mœror leniretur. Ipse enim est qui in vulva figurat et animat fœtus, sicut et David dicit : « Suscepisti me de utero matris meæ[2]. » Et vide quomodo monstrat nobis divina Scriptura naturæ Conditorem utraque sua virtute efficientem; nempe alterius vulvam idoneam reddentem, Rachelis autem constringentem. Siquidem naturæ Dominus cum sit, omnia facile operatur. » Et concepit, inquit, Lia, et peperit filium Jacobo, voca-» vitque nomen ejus Ruben, dicens : Quia vidit Dominus » vilitatem meam, nunc diliget me vir meus[3]. » Vide quam grata mulier dicit : « Dominus, visa humilitate mea, præbuit mihi partum, propter quem diligar. » Et specta hic iterum quomodo Deus muneribus certare contendit cum eo, et beneficia accumulat, simul et Justi semen augeri, et hanc magis Jacobo amabilem reddi volens. « Et concepit, in-» quit, iterum, et peperit filium secundum Jacobo, et » dixit : Audivit Dominus quod odio habeor, et apposuit » mihi et hunc : et vocavit nomen ejus Symeon[4]. » Attende

[1] Gen. XXIX, 31. — [2] Psal. CXXXVIII, 13. — [3] Gen. XXIX, 32. — [4] Ibid. 33.

quomodo per singulos pueros gratias agit Domino, et ob beneficia gratum animum declarat. « Audivit enim, inquit, » Dominus quod odio habeor, et apposuit mihi etiam » hunc : propterea vocavit nomen ejus Symeon. »

IV. Vidisti quomodo non simpliciter, neque temere nomina natis indiderit? Vocavit enim eum Symeon, quoniam audivit Dominus. Nobis siquidem hebraïco idiomate per hoc nomen signatur, quod audita sit. « Et concepit iterum, » et peperit filium, et dixit : Nunc temporis apud me erit » vir meus, peperi enim ei tres filios : propter hoc vocavit » nomen illius Levi [1]. » Videtur mihi hic significari eam, natis duobus filiis, nondum potuisse allicere virum, qui adhuc in Rachelem propensior erat : ideo dicit : « Nunc » temporis apud me erit vir meus. » Fortassis accessio tertii virum meum reddet benevolum, et melius mihi affectum. Ecce enim tres filios ei peperi. « Et concepit adhuc » filium, ac peperit et dixit : Nunc adhuc istud confitebor » Domino : propterea vocavit nomen ejus Judam [2]. » Quid est, « Istud confitebor Domino? » Confitebor hic idem est ac, « Gratias agam, et glorificabo eum, quia et quartum mihi adjecit filium, et tantam mihi abundantiam concessit, et quæ ob corporis deformitatem de viri erga me benevolentia periclitatura eram, nunc procreatione filiorum a Deo mihi data, et mœroris excessu discusso, me, quæ ob deformitatem odio habebar, consolatus-est, odiumque transtulit in sororem meam. « Ut peperit autem Judam, inquit, cessavit » parere [3]. Cum autem vidisset Rachel quia non peperisset » Jacobo, æmulata est Liam sororem suam, et dixit Jacobo : » Da mihi filios : sin minus, moriar ego [4]. » Inconsiderata et muliebris est hæc petitio, animæque zelotypia impugnatæ. « Da mihi filios. » Non audisti quod non viri concubitus illi partum præbuerit, sed Dominus Deus, qui ut vidit,

[1] Gen. xxix, 34. — [2] Ibid. 35. — [3] Ibid. — [4] Id. xxx, 1.

inquit, quod odio haberetur, aperuit vulvam ejus ? Quare a viro petis ea, quæ supra naturam sunt, et relicto naturæ Domino, virum arguis, qui ad hoc nihil conferre tibi poterit ? « Da mihi filios : sin minus, moriar ego. » Grave malum est zelotypia, et desinit in insipientiam ; id quod et huic evenit. Videns enim chorum filiorum sororis, et cogitans suam solitudinem, non ferebat hanc contumeliam, neque continere poterat cogitationem, quæ se turbabat, sed illa insipientiæ plena verba loquebatur : « Da mihi filios : sin » minus, moriar ego. » Fortassis vidit viri erga illam amorem, et putabat ea de causa illam tot filios habuisse, et se nondum peperisse ; unde dicit : « Da mihi filios. » Deinde terrere volens virum, subdidit : « Quod si minus, moriar » ego. » Quid igitur pius et religiosus Jacob ? « Succensuit, » inquit, ad verba hæc, et dixit ei : Numquid pro Deo ego » sum, qui fructu ventris te privavit [1] ? » Quare, derelicto naturæ Domino, reprehensionem mihi inducis ? Ille est qui privavit te fructu ventris. Quare non ab illo petis, qui potest aperire naturæ officinam, et fœcundam facere vulvam ? Disce igitur illum esse qui te privavit fructu ventris tui, et sorori tuæ tantam fœcunditatem præstitit : ne igitur a me quæras quæ præbere non possum, et quorum non sum dominus. Nam si hoc in me fuisset, omnino te sorori prætulissem, majorem erga te benevolentiam habens. At quando etiamsi in infinitum majori te complectar benevolentia, nihil tibi in hoc prodesse potero : ab illo quære, qui et sterilitatem afferre et solvere potest. » Vide Justi prudentiam, quomodo etiam ob illius dicta succensens, responsum illi dat sapientissimis verbis, docens diligenter omnia, causamque manifestans, ut non, relicto Domino, quærat ab alio ea, quæ ille solus præstare potest. Igitur ut didicit quod sterilis facta esset a Deo, et videns sororem li-

[1] Gen. xxx, 2.

beris florere, vel mediocre solatium requirens, dicit ad Jacob : « Quoniam nunc docuisti me non culpa tua liberis carere, saltem ancillam meam accipe, filiosque ex ea procrea, ut parvum aliquod solatium invenire possim, ea mihi vindicans quæ ab illa nascentur. « Et dedit ei, inquit, » Ballam ancillam suam uxorem : et intravit ad eam, et » concepit, et peperit filium Jacobo, et dixit Rachel : » Judicavit mihi Deus, et exaudivit vocem meam, deditque » mihi filium; propter hoc vocavit nomen ejus Dan [1]. » Habuit aliquo modo, pariente ancilla, vel brevem consolationem : ideo ipsa nomen puero imponit, gratiasque agit Domino pro nato. « Et concepit, inquit, iterum Balla, et peperit fi- » lium, et dixit Rachel : Adjuvit me Deus, et conversata sum » cum sorore mea, et invalui; et vocavit nomen ejus Neph- » thalim [2]. » Et didicit postea manifeste, per ancillam, Jacobum non in causa fuisse quare liberis careret. Ideo natos quasi suos filios educavit, et nomina eis imposuit, maximam inde sibi ipsi consolationem esse rata. « Ut au- » tem vidit Lia quod cessasset parere, et ipsa ancillam » suam Zelpham dedit Jacobo uxorem, et concepit, et » peperit. Et dixit Lia : Fortunata fui, » hoc est, voti compos facta sum. « Et vocavit nomen ejus Gad [3]. » Et quoniam reipsa evenit quod optabat, vocavit nomen ejus Gad. « Et concepit adhuc, et peperit alium : dixitque Lia, » Beata ego, quia beatam me dicent mulieres : et vocavit » nomen ejus Aser [4]. »

V. Vidisti quomodo et hæc natos ex ancilla ut sibi proprios haberet, et beatam se esse dicat, et beatitudine dignam ob procreationem filiorum. Sed vide ea quoque, quæ post hæc gesta sunt, ut discas quomodo zelotypiæ affectio huc et illuc transibat, et nunc hæc, nunc illa impugnaba-

[1] Gen. xxx, 4-6. — [2] Ibid. 7, 8. — [3] Ibid. 9-11. — [4] Ibid. 12, 13.

tur. « Et ivit, inquit, Ruben in diebus messis triticeæ, et » invenit mala mandragorarum in agro, et attulit ea matri » suæ. Dixitque Rachel Liæ : Da mihi de mandragoris filii » tui. Dixit autem Lia : Non satis tibi quod accepisti virum » meum ? num et mandragoras filii mei accipies [1] ? » Vide quomodo ægritudinem animi verbis manifestam facit : « Non » satis tibi, inquit, quod accepisti virum meum ? num et » mandragoras filii mei accipies ? Dixit autem Rachel : » Non sic : dormiat tecum nocte hac pro mandragoris filii » tui [2]. » Da mihi de mandragoris, et accipe hodie tecum virum. » Vide quomodo exhibetur affectui Rachelis omnino deditus. Nam si tanto choro filiorum Liæ nato, fuit adhuc amore magis propensus in Rachelem, si hoc non fuisset factum, quomodo ferre potuisset Lia sororis contubernium ? ut enim omnem viri potestatem habens, ita permittit ei pro mandragoris, et dicit : « Dormiat hodie tecum pro man- » dragoris. » Satisfac, inquit, meo desiderio, accipe virum. « Adveniente autem, inquit, Jacob, egressa in occursum » ejus Lia dixit : Ad me ingredieris hodie, mercede enim » conduxi te mihi pro mandragoris filii mei : et dormivit » cum ea nocte illa. Et exaudivit Deus Liam, et concepit ac » peperit Jacobo quintum filium. Et dixit Lia : Dedit mihi » Deus mercedem meam, eo quod dedi ancillam meam viro » meo : et vocavit nomen ejus Issachar, quod est merces [3]. » Exaudivit, inquit, Deus Liam, » quia videbat eam dolen- tem, neque valde marito acceptam. Exaudivit eam, inquit, Deus, et peperit, ac dixit : « Tuli mercedem, eo quod dedi ancillam meam : » propterea vocavit nomen ejus Issachar. » Et concepit adhuc Lia, et peperit filium sextum. Et dixit » Lia : Donavit mihi Deus donum bonum. Nunc temporis » me eliget vir meus ; peperi enim ei filios sex : et vocavit » nomen ejus Zabulon [4]. » Posthac, inquit, amabilis ero et

[1] Gen. xxx, 14, 15. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 16-18. — [4] Ibid. 19, 2

ego, quia peperi sex filios, ideo vocavit nomen ejus Zabulon. « Peperit autem ei filiam, et vocavit nomen ejus Dina. » Recordatus est autem Deus Rachelis, et exaudivit eam, » et aperuit ejus vulvam, et concepit et peperit filium Ja- » cobo. Dixit autem Rachel : Abstulit a me Deus opprobrium » meum. Et vocavit nomen ejus Joseph, dicens : Apposuit » mihi Deus filium alium [1]. » Abstulit, inquit, opprobrium, solvit sterilitatem : propitius factus est mihi, et idoneam fecit ad procreandum filios vulvam, liberamque fecit ab opprobrio meo : « Et vocavit nomen ejus Joseph, dicens : » Apposuit mihi Deus filium alium. » Vides quomodo paulatim promissiones Dei in opus egressæ sunt? Ecce enim quantum repente chorum filiorum circa se habuit Justus, propter manifestam Dei erga se providentiam. Quoniam enim magnam præ se tulit patientiam, quatuordecim annis servitutem ferens, propterea et universorum Dominus remunerans Justi pietatem, in tantum eum crescere fecit, ut et posthac invidiosus aliis fieret, sicut ex sequentibus discemus, quæ vellem pertractare.

VI. Verum ne prolixius sermonem extendamus, neve molestus esse videar charitati vestræ, si placet, quæ reliqua sunt in sequentem concionem reservaturi, finiamus hic sermonem; illud interim charitatem vestram admonentes, ut eorum quæ dicta sunt memores, imitemini Priscorum virtutem, filias elocando, pueros nuptui tradendo, vestra virtute Dei gratiam conciliare vobis studendo. Nam cum ille nobis amicus fuerit, etiamsi in aliena terra fuerimus, etiamsi ab omnibus destituti, etiamsi nullis cogniti, omnibus erimus clariores. Nihil enim beatius viro superna manu adjuto. Etenim beatus Jacob, illo fretus præsidio, in tantam paulatim gloriam evectus est, ut et iis, qui tam amice exceperant, invidiosus sit factus. Hoc

[1] Gen. xxx, 21-24.

igitur et nos studeamus, ut supernum acquiramus auxilium, et non ad humanos confugiamus principatus, neque illorum præsidium sectemur : nihil enim periculosius, id quod rerum experientia satis discimus. Etenim videmus quotidie res se tanta velocitate ad mutationem inclinare, et verti in diversum omnia, cumque, qui in summa prosperitate paulo ante erat, subito in extremam infelicitatem dejici, ac reum sæpe agi. Quantæ igitur insipientiæ fuerit, horum quærere præsidium, qui in tam incerto statu versantur, ac ne sua quidem possunt in tuto collocare? Ideo ab omni humano præsidio desistamus, memores etiam Prophetæ dicentis : « Maledictus homo, qui spem ponit in ho» mine [1]. » Vides talem hominem non solum insipientem, sed etiam maledictum esse : utpote qui, relicto Domino omnium, ad conservum currit, qui semetipsum juvare nequit? Fugiamus igitur maledictionem hanc, oro, et omnem spem in Deum transferamus. Ista enim solida est et immobilis et nescia vicissitudinis, cujus plena est illa, quam in hominibus habemus. Vel enim mors tollit humanum præsidium, et eos, qui ad hoc confugiunt, solitarios nudosque relinquit : et vel etiam ante mortem mutatio rerum ambobus omnia vana reddit. Plena est hæc vita exemplis talibus. Ideo ii post tantam experientiam nulla venia sunt digni, qui adhuc humano nituntur præsidio, et sæpe ab illis, qui eis opitulari videbantur, infinita mala ferunt. Eo usque enim crevit malitia, ut mala rependant etiam iis, qui ipsos summopere colebant. Verum apud universorum Deum secus res se habet : nam licet quotidie ingrati simus, benefacit tamen, suoque præsidio nos non destituit, non ad ingratum nostrum respiciens animum, sed in omnibus pro sua agens clementia. Qua nobis omnibus frui concedatur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi,

[1] Jer. XVII, 5.

cum quo Patri simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVII.

Factum est autem, postquam peperit Rachel Joseph, dixit Jacob ad Laban : Dimitte me, ut abeam in locum meum et in terram meam [1].

I. Reliquias heri dictorum nostrum est hodie vestræ charitati reddere, ut ex his, quæ nunc dicuntur, discentes et providentiam Dei, quam erga Jacob declaravit, et Justi pietatem spectantes, imitemur ejus virtutem. Neque enim absque causa sancti Spiritus gratia scriptas nobis reliquit hasce historias : sed ut ad æmulationem et imitationem tantorum virorum provocet. Quando enim audimus hujus quidem obedientiam, istius autem continentiam, illius vero in hospitibus colligendis sollicitudinem, magnamque singulorum virtutem, ac quomodo claruerint, ad similia facienda excitamur. Age igitur ad ea, quæ relicta sunt in historia illius Justi, hodie accedentes, finem imponamus sermoni. « Factum est autem, inquit, postquam peperit Ra» chel Joseph, dixit Jacob ad Laban : Dimitte me, ut abeam » in locum meum et in terram meam. Redde mihi uxores » et filios meos pro quibus servivi tibi [2]. » Vide Justi magnam in affectu probitatem, quomodo videns manifeste Deum sui habere curam, non superbivit contra Laban, sed cum magna mansuetudine dixit : « Dimitte me, ut

[1] Gen. xxx, 25. — [2] Ibid. 26.

» abeam. » Vere nihil mansuetudine validius, nihil potentius. Vide igitur quomodo primum mansuetudine usus, effecit ut et Laban magna ei benevolentia responderit. « Dixit enim ei, inquit, Laban : Si inveni gratiam coram » te ; siquidem conjectare certo possum quod benedixerit » me Deus in ingressu tuo ; indica mihi mercedem tuam, » et dabo [1]. » Non ignoro, inquit, post adventum tuum locupletiorem mihi divinam benevolentiam contigisse : igitur quia sentio beneficia, quæ mihi propter adventum tuum data sunt, quantam vis mercedem indica, et ego prompte præstabo. » Considera quantum valeat mansuetudo, ne perfunctorie dictum transeamus : sed attende quomodo Justus neque cogitaverit, neque mentionem fecerit, neque requisierit mercedem laborum, sed hoc solum dixerit : « Redde » mihi uxores et liberos pro quibus servivi tibi, ut abeam. » Ille reveritus Justi magnam æquitatem, inquit : « Dic quam » vis tibi mercedem a me dari, et illam prompte dabo. » An non cum ipso erant mulieres et pueri ? Quare igitur dixit : « Redde mihi uxores et pueros ? » Digno honore eum prosecutus est, suumque morem per omnia observat, et libere discedere vult. Vide igitur ex verbis ipsis quomodo attraxit Labanum, ut se mercedem daturum sponte promittat, atque electionem ei permittat. Quid igitur Justus ? Vide excellentem ejus mansuetudinem, quomodo neque sic onerosus et molestus est Labano. Sed quid ? ipsum testem facit sui affectus et officiorum suorum, et suæ omni tempore in illo serviendo benevolentiæ. « Tu nosti, » inquit, qualiter tibi servierim, et quanta fuerint pecora » tua mecum. Parva enim erant coram me, et aucta sunt » in magnam multitudinem, et benedixit te Dominus ad » pedem meum : nunc igitur quando faciam et ego mihi » ipsi domum [2] ? » Te voco testem laborum meorum. Vidisti

[1] Gen. xxx, 27, 28. — [2] Ibid. 29, 30.

enim quanto studio et fide omnia administrarim, ac quomodo in parvo numero acceperim pecora tua, quæ diligentia vigilantiaque mea in tantum numerum crescere curavi.» Deinde monstrans suam religionem, inquit: «Benc» dixit enim te Dominus ad pedem meum: nunc igitur » quando faciam et ego mihi domum?» Vidisti etiam ipse post meum adventum gratiam divinam tuas auxisse facultates? Nunc igitur quoniam et ego quæ meæ erant facultatis omnia magna animi alacritate faciens, ministerium perfeci, et gratia Dei manifesta visa est, justum est ut et ego mihi ipsi faciam domum.» Quid est, «Mihi faciam domum?» id est, in libertate postea verser, et curam domus meæ habeam.» Hæc ut audivit Laban, dixit ei: «Quid tibi dabo [1]?» quid vis a me tibi dari? Confiteor enim, et inficias non eo, scio enim quanta mihi fuerint a Deo data, et quod benedixerit me Deus ad ingressum tuum. «Dixit autem ei » Jacob: Non dabis mihi quidquam. Si vero feceris verbum » istud, iterum pascam oves tuas [2].» Nihil volo a te mercedis nomine reportare, sed hoc tantum quod dico suscipere, et iterum pasco oves tuas: quod autem volo, hoc est.» Vide Justum, quia speravit in auxilio divino, qualia proponat Labano. «Prætereant, inquit, oves tuæ hodie, » et segrega illinc omnem ovem fuscam in agnis, et omnis » subalbicans et maculosa in capris erit mihi merces, et » exaudiet me justitia mea in die crastino, quia est merces » mea coram te: omne quod non fuerit maculosum et varie » albicans in capris, et quod rufum in agnis, furto sublatum erit a me [3].»

II. Considera Justi prudentiam: quoniam sciebat quanta sibi superne gratia affulgeret, et videbatur sibi secundum naturæ ordinem vel difficile esse, vel omnino impossibile: rarum enim est varium esse colorem pecudum recens na-

[1] Gen. xxx, 31. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 32, 33.

tarum; hæc petit ab eo, unde petitioni ejus Laban statim annuit, et inquit : « Sit juxta verbum tuum : et divisit in » die illa hircos maculosos et subalbicantes, et omnes ca- » pras maculosas et subalbicantes, et omne quod erat in » eis candidum, et omne quod erat fuscum in ovibus, et » dedit per manum filiorum suorum; et fecit distare viam » trium dierum inter ea et inter Jacob [1]. » Separavit, inquit, greges secundum propositionem Jacob, et dedit filiis suis : « Jacob autem pavit pecudes Laban reliquas. » Qualesnam hæ? nullam scilicet habentes coloris varietatem. Hoc autem totum factum est, ut Justus reipsa compertam haberet Dei erga se providentiam, et Laban videret quantum Dei auxilium haberet Jacob. « Accepit autem Jacob, » inquit, sibi virgam styracinam viridem et amygdalinam » et platani, et decorticavit Jacob eas in decorticationem » albam, abradens quod viride : apparebat autem in virgis » album, quod decorticarat varium, et apposuit virgas, quas » decorticavit, in canales aquatorias, ut cum venirent pecu- » des ad bibendum, conciperent pecudes secundum virgas: » et concipiebant pecudes secundum virgas, et pepererunt » pecudes subalbas, maculosas et cinericio colore sparsas [2]. » Hæc faciens Justus non a seipso movebatur, sed inspirante menti ejus superna gratia : neque secundum naturæ ordinem erat quod fiebat, sed valde admirabile, et naturæ modum transcendens. « Et agnos, inquit, distinxit, et sta- » tuit coram ovibus arietem subalbicantem, et omne va- » rium in ovibus : et separavit oves suas, et non miscuit » eas cum ovibus Laban [3]. » Postea quia omnia, quæ nascebantur, erant talia qualia proposuit, separavit ea, et fecit sibi greges separatos : « Factum est autem in tempore quo » concipiunt oves gravidæ, posuit Jacob virgam coram ovi- » bus in canalibus, ut conciperent juxta virgas. Quando

[1] Gen. xxx, 34-36. — [2] Ibid. 37-39. — [3] Ibid. 40.

» autem pariebant oves, non ponebat. Facta autem sunt » non signata Laban, signata vero Jacob; et ditatus est » homo valde valde[1]. » Quid vult sibi illa repetitio? abundantiam multam significat : et eum non modo ditatum, sed et admodum ditatum fuisse. « Fuerunt enim ei, inquit, » pecora multa et boves et servi et ancillæ[2]. » Sed vide hic iterum Justo invidiam nasci. « Audivit enim, inquit, verba » filiorum Laban dicentium : Accepit Jacob omnia, quæ » sunt patris nostri, et ex his, quæ sunt patris nostri, fecit » omnem hanc gloriam[3]. » Vide quomodo invidia ingratos illos reddidit : non illos autem solum, sed et ipsum Labanum. « Vidit enim, inquit, Jacob faciem Laban, et ecce » non erat erga se sicut heri et nudiustertius[4]. » Verba enim filiorum illius mentem ejus turbaverant, et oblivionem induxerant eorum, quæ pridem Laban dixerat ad Jacob his verbis : « Benedixit me Deus ad ingressum tuum, » et gratias egerat Domino, quod propter adventum Justi facultates suæ auctæ fuerant : nunc mutato per filiorum dicta animo, et invidia flagrans, forte quia videbat Justum valde abundare, non talem se illi exhibebat, qualem antea. « Vidit enim, inquit, Jacob faciem Laban, et ecce non » erat erga se sicut heri et nudiustertius. » Vidisti Justi magnam mansuetudinem, et illorum ingratum animum, ac quomodo cum invidiam ferre non possent, patris mentem perturbaverunt? Vide, obsecro, nunc et Dei ineffabilem misericordiam, et quanta attemperatione utatur, cum videt nos quæ nostra sunt facere. Videns enim Justum ab illis odio haberi, dicit ad Jacob. « Revertere in » terram patrum tuorum, et ad generationem tuam, et » ero tecum[5]. » Satis diu versatus es, inquit, in terra aliena. Nam quæ pridem tibi promisi, dicens : « Reducam te in

[1] Gen. xxx, 41-43. — [2] Ibid. — [3] Id. xxxi, 1. — [4] Ibid. 2. — [5] Ibid. 3.

» terram tuam [1], » ea nunc opere implere volo : revertere igitur nihil timens, ego enim ero tecum. » Ut igitur Justus segnior non fiat in proficiscendo, sed magna fiducia iter arripiat, ideo dicit : « Ego ero tecum ; » qui huc usque res tuas gubernavi, et augeri curavi semen tuum, ego et in posterum ero tecum. » Hæc ut audivit Justus a Deo, non fuit negligens, sed ad iter se accinxit. « Misit enim, inquit, » et vocavit Liam et Rachel in campum ubi erant greges, » et dixit eis [2]. » Proponere vult mulieribus profectionis negotium, et significare eis mandatum Dei, et patris erga se odium. « Dixit enim, inquit, eis : Video ego faciem patris » vestri, quod non sit erga me sicut heri et nudiustertius : » Deus autem patris mei fuit mecum. Ipsæ autem scitis, » quod servivi patri vestro pro omni virili mea. Pater autem » vester circumvenit me, et mutavit mercedem meam de- » cem agnis, et non dedit ei Deus, ut me affligeret. Et cum » sic diceret : Varia erunt merces tua : et pariebant omnes » oves varia. Cum autem diceret : Candida erunt merces » tua : et pariebant omnes oves candida : et tulit Deus » omnia pecora patris vestri, et dedit mihi ea [3]. »

III. Vide quomodo utrumque docet, et patris ingratum erga se animum, et suum studium, quod in servitute declaravit. « Vidistis enim, inquit, me pro virili mea servivisse » patri vestro. » Et declaravit quantam sui curam Deus habuerit, monstrans supernum auxilium omnia operatum fuisse, et facultates Labani in se transtulisse. « Tulit enim » Deus omnia pecora patris vestri, inquit, et dedit mihi ea. » Quando autem concipiebant oves, et vidi oculis meis in » somno, et ecce hirci et arietes ascendebant super oves et » capras, subalbicantes et varii, et cinericio colore sparsi. » Et dixit mihi Angelus Dei in somno : Jacob. Ego autem » dicebam : Quid est ? Et dixit : Aspice oculis tuis, et vide

[1] Gen. xxviii, 15. — [2] Id. xxxi, 4. — [3] Ibid. 5-9.

» hircos et arietes ascendentes super capras et oves, subal-» bos et varios, et cinericio colore sparsos : vidi enim quæ-» cumque Laban tibi facit [1]. » Vides omne quod tunc fiebat, superna contigisse operatione, quæ Justi labores remunerabatur? Nam quoniam ille ingratus erga eum erat, benignus Dominus Justum ubertim remunerat. « Vidi enim » quæcumque Laban tibi facit. » Hinc discimus quomodo, quando injuria nobis infertur, si mansueti et mites ac tolerantes fuerimus, majori et largiori auxilio divino fruamur. Ne igitur obluctemur iis, qui nos premunt, et calumniari volunt : sed feramus generose, scientes omnium Dominum nos non despecturum esse, dummodo nos gratum affectum et benevolentiam demonstremus. « Mihi enim, » inquit, vindictam, ego retribuam, dicit Dominus [2]. » Propter hoc et Jacob dicebat : « Non dedit ei Deus, ut » affligeret me. » Nam quia ipse privare me laborum mercede voluit, Dominus tam uberem in me declaravit misericordiam et providentiam, ut omnis ejus substantia in me translata fuerit. Sciens enim me omni studio serviisse, illum autem non respondisse mihi officio suo, tantam nostri habuit curam. Et quod non hæc absque causa et vane dicam, neque temere accusem, etiam Deum habemus testem eorum, quæ pater vester egit erga me. « Vidi enim, inquit, » quæcumque tibi Laban fecit : » quod non solum mercedem abstulerit, sed et quod non ut antea erga te nunc affectus sit, « Sed alienaverit animum. Ego sum Deus, qui apparui » tibi in loco ubi inunxisti mihi columnam [3]. » In memoriam ei referre vult, quæ ipsi tunc pollicitus fuerit, dicens : « In » multitudinem te crescere faciam, et custodiam te, ac » reducam te in terram tuam [4]. » Ego igitur, inquit, qui tunc apparui tibi, et promissiones tibi feci : ego etiam

[1] Gen. XXVIII, 10-12. — [2] Rom. XII, 19. Deut. XXXII, 35. — [3] Gen. XXXI, 13. — [4] Id. XXVIII, 3 et 15.

nunc, quando tempus venit quo ea, quæ tunc promisi, opere complenda sunt, regredi te jubeo absque omni mentis angore : tecum enim ero. « Ego sum Deus, qui apparui »tibi in loco, in quo inunxisti mihi columnam, et vovisti »mihi votum[1]. » Memoriam ipsi refricat voti, et promissionis quam receperat. Quodnam autem erat votum? « De »iis quæ mihi dederis, decimas tibi offeram[2]. » Quoniam tunc nihil tecum afferebas, quasi profugus iter faciens : cum autem tibi apparerem, vovisti votum, dicens : « De »omnibus quæ mihi dederis, decimas dabo tibi, » voto et promissione potentiam meam præsignans, et fidei oculis prævidens futuram tibi rerum abundantiam : nunc quia evenerunt et impleta sunt quæ a me prædicta, justum fuerit ut et votum tuum impleas. « Nunc ergo, inquit, surge, et »egredere de terra ista, et vade in terram nativitatis tuæ, »et ero tecum[3]. » Ego te ubique comitabor, ego tibi facilem ostendam viam, et nullum a quopiam damnum feres; dextera enim mea ubique te proteget. « Hæc audientes »Rachel et Lia, dixerunt ei : Numquid est nobis pars vel »hæreditas in domo patris nostri? Nonne ut alienæ repu»tatæ sumus apud eum? vendidit enim nos, et devorando »comedit pretium nostrum. Et quas omnes Deus abstulit »divitias et gloriam a patre nostro, tibi dedit : nunc igitur »quæcumque dixerit tibi Deus tuus, fac[4]. » Vide et has sequentes Dei arbitrium, et afferentes rationem cui contradici non potuit. «Non est aliquid commune nobis, aiunt, cum patre nostro? semel enim nos vendidit. « Divitias et »gloriam, quam abstulit Deus a patre nostro, et dedit tibi, »nos habebimus, et filii nostri. » Ne cessa igitur, neque differ, sed fac quæ tibi a Deo sunt imperata : « Nunc igitur »quæcumque dixit tibi Deus tuus, fac. » Hæc ut audivit

[1] Gen. xxxi, 13. — [2] Id. xxviii, 22. — [3] Id. xxxi, 13. — [4] Ibid. 14-16.

» Jacob, surrexit et accepit uxores suas, et filios, et ascen-» dere fecit super camelos : et abduxit omnia quæ habebat, » et supellectilem suam, quam acquisierat in Mesopotamia, » et omnia sua, ut abiret ad Isaac patrem suum[1]. »

IV. Considera, obsecro, fortitudinem animæ Justi, et quomodo, repulso omni mentis angore ac metu, mandato dominico obtemperavit. Quoniam enim vidit male sanam mentem Labani, non ultra, sicut prius, interrogare eum voluit : sed quod imperatum erat a Domino, implebat, et acceptis mulieribus et pueris, iter arripuit. « Laban » autem, inquit, abierat ad tondendum oves suas. Furata » autem est Rachel idola patris sui[2]. » Neque hoc absque causa nobis propositum est, sed ut sciamus quomodo adhuc paternam habentes consuetudinem, idolorum cultui addictæ erant. Animadverte enim quantum illa in hoc studium impenderit, cum nihil aliud a patre auferre voluerit, quam idola ejus, idque faciebat, ignorante viro : neque enim ille hoc permisisset fieri. « Occultavit autem, inquit, » Jacob a Laban Syro, ne annuntiaretur ei quod fugeret : » et abscessit ipse et omnia ipsius, et, transito fluvio, con-» tendit ad montem Galaad[3]. » Vide, obsecro, etiam hic magnam Dei providentiam, quomodo, donec Justus procul aufugisset, non permisit ut Laban illius secessum sciret. « Tribus enim diebus, inquit, præteritis, ipsi Laban » innotuit. Et assumptis omnibus fratribus suis, persecu-» tus est eum via dierum septem, et consecutus est eum » in monte Galaad[4]. » Obsecro hic quoque attendas Dei providentiam. Nam qui dixit : « Revertere in terram tuam, » et ero tecum, » ille etiam nunc suam declarat providentiam. Quia enim vidit Laban cum multa indignatione persequi Justum, et pœnam furtivi secessus, ut ita dicam,

[1] Gen. xxxi, 17, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 20, 21. — [4] Ibid. 22, 23.

sumpturum, apparuit Laban nocte in somno. « Venit enim, » inquit, Deus ad Laban Syrum in somno nocte, et dixit » ei [1]. » Vide Dei indulgentiam, quomodo ob suam in Justum providentiam cum Laban colloquitur, ut territa ejus mente, impetum ejus a Jacob coërceat. « Cave tibi, ne » loquaris cum Jacob mala [2]. » Magna Domini benignitas : quia enim sciebat eum ad pugnam contendere, et contra Justum insurgere velle, hoc verbo mentem ejus compescit, et dicit : « Cave tibi, ne loquaris cum Jacob mala : » perinde ac si diceret : « Cave ne vel verbis offendere Jacob coneris : sed serva teipsum, contine malum hunc tuum impetum, comprime furorem, refrena iratum tuum animum, ac ne vel verbo ipsum contristare velis. » Et considera Dei clementiam : non imperavit Labano ut ad propria reverteretur, sed solum prohibet ne quid durum vel molestum cum Justo loquatur. Quare, et propter quid? ut discat per negotia et per opera ipsa Justus, quantam sui curam gerat Deus. Nam si reversus fuisset Laban, unde illud scivisset Jacob, aut ejus uxores? Ideo permittit ei ut abeat, et lingua sua confiteatur quæ Deus dixit ad se, quo et Justus majorem alacritatem habeat proficiscendo, fiduciamque accipiat, et ut hujus uxores discant quanto studio Deus, omnium Dominus, Jacobum curet, rejiciantque errorem paternum, et imitentur Justum, atque ad cognoscendum Deum sufficientem doctrinam inde accipiant. Neque enim sic fide digna erant quæ Jacob dicebat, ut quæ a Laban dicebantur, qui adhuc idola colebat. Semper enim infidelium et adversantium veræ religioni testimonia majorem habent fidem. Et hoc est ex omnipotenti sapientia Dei, cum inimicos veritatis ipsius testes veritatis efficit, et sua lingua ipsam firmare satagunt. « Consecutus est autem Laban Jacobum. Jacob autem

[1] Gen. XXXI, 24. — [2] Ibid.

»fixit tabernaculum suum in monte : Laban vero consti-»tuit fratres suos in monte Galaad. Dixit autem Laban ad »Jacob : Cur hoc fecisti [1] ?» Vide quomodo præceptum Dei magnum illius calorem repressit, et furorem refrenavit : et idcirco cum magna mansuetudine colloquium habet cum eo, quasi se excusans, et paternam dilectionem erga illum declarans. Quando enim superna providentia nobis assistit, non solum malorum hominum insidias effugere possumus, sed etsi in bestias ipsas incidamus, nihil adversi nobis evenit. Omnium enim Dominus suæ virtutis præstantiam declarans, bestiarum mutat naturam, easque in oves mansuetas transformat : non quod bestialem eis naturam immutet, sed relictas in natura eas ovium mores et naturam exhibere satagit. Idque non solum in feris quis videre poterit, sed et in elementis ipsis : quando enim vult, tunc et elementa ipsa virtutis suæ obliviscuntur, et neque ignis facit quod ignis solet. Et hoc quoque discere poterit aliquis tam in tribus pueris, quam in Daniele. Nam hunc leones sicut oves circumdabant, et superno auxilio retusa eorum ferocitate, nihil illi incommodi dabant [2]. Nam quod ferocitatem non exercentes feræ, eam tamen retinuerint, ii, qui feris truculentiores erant, reipsa experti sunt.

V. Hoc autem ad majorem illorum accusationem factum est, quia ratione insigniti, crudelitate bestias ratione carentes vincebant. Tandemque reipsa didicerunt quomodo, ex Domini providentia, feræ ipsæ Justum sint reveritæ, neque ausæ fuerint ejus corpus attingere; illi vero feras immanitate superarunt. Et ne putarent hæc ex visu solo ac specie facta esse, per eos, qui postea in lacum injecti sunt, agnoverunt eas cum Justo viro ovium mansuetudinem imitatas, et naturæ suæ oblitas esse; cum iis autem, qui postea injecti sunt, ferociam suam exhibuisse. Similiter

[1] Gen. xxxi, 25, 26. — [2] Dan. vi, 22.

et in fornace ignis factum est: nam eos, qui intus erant, reverebatur elementum, et non urebat ignis : sed quasi ligata operatione sua, ita nihil nocebat puerorum corporibus, et neque capillos eorum attingere ausus fuit, quasi mandato alicujus elementum propriam declarare virtutem prohiberetur : eos autem, qui extra fornacem erant, absumpsit. In utroque magna Dei potentia declaratur, et quia illi intus manserunt illæsi, et quia qui foris erant, perierunt. Sic quando superno auxilio munimur, non solum effugimus inimicorum insidias, sed etsi in bestias ipsas incidamus, nihil patimur grave. Dei enim manus potentior est omnibus, ipsa nos undique satis munit, et invictos facit : id quod et in Justo hoc declaratum est. Nam qui tanto impetu comprehendere Jacobum, et pœnam fugæ de eo sumere volebat; non solum nihil asperum et durum adversus eum loquitur, sed sicut pater filium compellans, ita blandis verbis convenit, dicit enim : « Cur hoc fecisti? quare clam » abscessisti? » Vide quanta mutatio : vide quomodo is, qui ut bestia insaniebat, ovium imitatur mansuetudinem. « Quare clanculo discessisti, et mea furtim abstulisti, et » abduxisti filias meas quasi captivas gladio[1]? » Quare, inquit, hoc fecisti? quid tandem in proposito habuisti? quare sic occulte parasti discessum? « Nam si annuntiasses mihi, » cum magno honore et lætitia fuissem te prosecutus[2]. » Enim vero si hoc scivissem : « Cum musicis, et tympanis » et cithara prosecutus fuissem te : non sum dignus ha» bitus osculari filias meas[3] : » nunc autem insipienter egisti. » Vides quomodo nunc semetipsum arguit, et per linguam suam fatetur sese quidem Justum male afficere paratum fuisse, Dei autem providentiam a molimine suo ipsum impedivisse. « Potest, inquit, manus mea te affligere, » Deus autem patris tui heri mihi dixit : Cave tibi ipsi, ne

[1] Gen. xxxi, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 28.

» forte loquaris cum Jacob mala[1]. » Cogita hic quanta cum consolatione Justi emissa fuerint hæc verba, et considera quomodo hic effatur quæ adversus Justum decreverit, et qualiter eum comprehendere voluerit, seque timore Dei a malis consiliis cohibitum fuisse. « Deus patris tui, » inquit. » Vide quomodo ipse Laban non parum utilitatis hinc perceperit, maximam ex iis, quæ sibi dicta fuerunt, virtutis Dei accipiens demonstrationem. Verum quia et tu, inquit, hoc decrevisti, et Deus est, qui tantam tui curam gerit, « Nunc igitur vade. Magno enim desiderio desiderasti » abire in domum patris tui. Quare furatus est deos meos[2]? » Esto, inquit, hoc decreveris ut abeas in domum patris tui : quare deos meos furatus es? » O ingentem insipientiam? Tales-ne sunt dii tui, ut quis eos furari queat? Non erubescis dicens : « Quare furatus es deos meos? » Vide quanta fuit erroris gravitas, dum ii, qui ratione prædíti erant, colebant lapides et ligna. Hi sunt dii tui, o Laban, qui neque cum furaturi se quidam erant, juvare se potuerunt? Quî enim possent qui e lapide sunt confecti? Deus autem Justi, ignorante Justo, impetum tuum coërcuit : et non cogitas erroris magnitudinem, et Justum furti arguis? Quare enim Justus illos furari voluisset, quos abominabatur, imo quos sciebat esse sensu vacuos lapides? Porro hæc cum audisset Jacob, primum magna mansuetudine de objectis criminibus se purgat, et tunc ut inquirantur dii jubet. « Dixi enim, inquit : Ne forte auferas filias tuas » a me, et omnia mea[3]. » Quia, inquit, videbam te non bene erga me affectum, anxius fui, ne forte conareris auferre filias tuas et facultates meas, atque privare me meis, sicut quondam fecisti. Ista igitur causa timoris fecit, ut clam te abirem. Cæterum, « Apud quem inveneris deos » tuos, non vivet coram fratribus nostris[4]. » Vides ignorasse

[1] Gen. xxxi, 29. — [2] Ibid. 30. — [3] Ibid. 31. — [4] Ibid. 32.

Jacob furtum a Rachele commissum. Vide enim quanta austeritate supplicium decernit ei, qui furtum admiserat. « Apud quem, inquit, inventi fuerint, non vivet coram » fratribus nostris. » Non solum, inquit, quia ablatum est, sed et quia furtum qui fecerit, manifestum sui flagitii indicium proferet. Scias si quid est tuorum apud me, et accipe. Scrutare, inquit, num quid abstulerim quod ad me non pertinuerit. Nihil aliud in me arguere poteris, quam quod clam abierim; et hoc non sponte feci, sed supicatus injustitiam, et timens ne velles auferre filias tuas, et alias meas facultates, si id rescires. « Et non agnovit apud eum » aliquid. Nesciebat autem Jacob quod Rachel uxor sua furata fuisset eos. Ingressus autem Laban scrutatus est domum Liæ, et non invenit. Ingressus est autem et in domum » Rachel. Rachel vero accepit idola, et posuit ea subter » stramenta camelorum, et sedit super ea. Et dixit patri » suo : Ne graviter feras, domine mi : non possum surgere » coram te, quia secundum consuetudinem mulierum mihi » est. Scrutatus autem est Laban in tota domo ejus, et non » invenit [1]. »

VI. Magna Rachelis solertia, per quam deludere potuit Labanum. Audiant qui adhuc erroribus sunt addicti, et idololatriam magni faciunt. « Posuit ea subter stramenta » camelorum, inquit, et sedit super ea. » Quid his magis ridiculum? Qui ratione prædíti erant, et tantam misericordia Dei assecuti fuerant dignitatem, lapides sensu vacuos putant colendos; nec pudet eos, nec tantam secum reputant absurditatem, sed a consuetudine quasi oves abducuntur? Idcirco Paulus quoque scribens dicebat : « Scitis » quando gentes eratis, ad idola muta utcumque ducebamini euntes [2]. » Et recte dixit : « Muta. » Qui vocem, inquit, habetis et aures, et rationis estis participes, ad ea,

[1] Gen. xxxi, 33-35. — [2] 1 Cor. xii, 2.

quæ nullum sensum habent, sicut bruta abducimini. Et qualem qui tales sunt veniam merentur? Sed videamus quomodo Justus nunc fiduciam acceperit, partim ex iis, quæ Laban confessus est, partim quoniam nullum crimen contra se invenerat reprehensione dignum, quid dicit? « Iratus est autem, inquit, Jacob, et contendit cum Laban, » et dixit [1]. » Vide quomodo etiam expostulando animæ suæ virtutem detegit. « Quæ injustitia mea, vel quod peccatum « meum, inquit, quod persecutus es me [2]? » Quare, inquit, tanto impetu insectatus es me? qualem injustitiam mihi potes exprobrare? quale peccatum? Neque id satis, nisi et tantam superinduxisses contumeliam, ut scrutareris omnia quæ in domo mea. « Quid invenisti de omnibus vasis quæ » in domo tua? pone hic coram fratribus tuis et fratribus » meis, et judicent inter nos duos [3]. » Tanto, inquit, scrutinio facto, potuisti-ne aliquid invenire quod ad me non attineat, vel quod tuum sit? Si invenisti, profer in medium, ut qui hic adsunt apud me et te, judicium reddant. Quoniam vidit se inculpatum in omnibus, magna sumpta fiducia, enumerat beneficia, quæ illi per omne tempus exhibuit, et inquit : « Hi sunt viginti anni quibus tecum sum [4]. » Pro labore tot annorum, haccine dignus eram contumelia? « Hi mihi viginti anni. » Hodie viginti annorum complevi in domo tua numerum. « Oves tuæ et capræ tuæ steriles non » fuerunt, arietes ovium tuarum non comedi : captum a fera » tibi non attuli; ego satisfeci de meo furta diei et furta » noctis. Die urebar æstu, et nocte gelu, et discedebat » somnus ab oculis meis [5]. » Oblitus es, inquit, laborum quos exantlavi pascens oves tuas et capras? Num potes arguere quod unquam oves vel capræ tuæ fuerint steriles? » Vide quantam demonstrat a Deo benevolentiam contigisse

[1] Gen. xxxi, 36. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 37. — [4] Ibid. 38. — [5] Ibid. 39, 40.

domui Laban propter suum adventum. Hoc enim est id quod et supra dicebat : « Benedixit te Deus ad pedem » meum. » Hoc enim nullus a pastore exigeret. Neque enim pastoralis artis hoc opus est, sed naturæ. Propterea ante omnia hoc ponit, providentiaque superna factum hoc fuisse in pecudibus ostendit. « Arietes ovium tuarum » non comedi. » Num potes, inquit, dicere quod aliquando comederim arietem de gregibus tuis? qui scilicet multorum pastorum mos est. « A bestia captum » non attuli tibi. » Neque ipse, inquit, aliquando comedi, neque bestia aliquando rapere potuit. Num attuli aliquid a bestia captum? Annon quotidie vides eos, quibus greges crediti sunt, capta a bestiis afferre dominis? At tu nihil tale vel demonstrare vel objicere factum potes in viginti annis. Et quid dico captum a fera? sed neque si furto ablatum quid, ut sæpe contingit, ad notitiam tuam venire curavi : sed ego pro iis, quæ furtim ablata fuerunt, satisfeci, sive die sive nocte accidisset. Et cum æstus flagraret, ferebam fortiter similiter et frigus noctis, ut illæsi conservarentur greges tui : ac non hoc solum, sed et ipse somnus propter multam curam discedebat ab oculis meis. » Vidisti pastoris vigilantiam? vidisti intentum studium? Qualem habebunt excusationem ii, quibus rationales greges crediti sunt, magnamque præ se ferunt negligentiam, et quotidie, secundum Prophetam, pecudes alias mactant : alias a bestiis captas contemnunt : alias vero ab aliis raptas reducere non curant, tametsi minor sit labor, et cura facilior? Anima enim est quæ docetur; illic autem multus est et corporis et animæ labor.

VII. Vide enim quid dicat : « Die urebar æstu, et gelu » nocte, et discedebat somnus a me. » Quis hæc nunc potest dicere, se propter eorum salutem quos pascit, tot ferre

[1] Ezech. xxxiv, 4.

labores et pericula? Et hoc quidem nunc nullus dicere audet. Paulo autem soli orbis magistro licet hoc fidenter dicere, atque his majora. Et ubi, inquis, Paulus hæc sustinuit? audi eum dicentem : «Quis infirmatur, et ego non »infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror[1]. » O pastoris dilectionem! Alienæ ruinæ, inquit, meos dolores augent, aliena scandala fornacem doloris mei succendunt. Hunc omnes imitentur, quibus rationales oves concreditæ sunt, et ne deteriores fiant illo, qui tantæ in brutis pecudibus custodiendis vigilantiæ fuit, idque tot annorum numero. Et illic quidem, si incuria quædam acciderit, nullum damnum : hic autem, si vel una ovis rationalis perierit, vel a bestia fuerit capta, grave damnum, maximum detrimentum, ineffabilis pœna. Nam si Dominus noster sanguinem suum proprium effundere pro illa non declinavit, qua venia dignus fuerit, qui sic honoratam a Domino despicere voluerit, et non omnia quæ potest in curanda ovicula adimpleverit? Cæterum ad seriem sermonis redeamus. «Hi mihi, inquit, viginti anni, quibus sum in domo tua. »Servivi tibi quatuordecim annis pro filiabus tuis, et sex »annis pro ovibus tuis, et fraudasti mercedem meam »decem agnabus : et nisi Deus patris mei Abrahæ, et »Deus Isaac fuisset mihi adjutor, nunc forte me vacuum »dimisisses. Humilitatem meam et laborem manuum mea»rum vidit Deus, et arguit te heri[2]. »Vide quomodo ea, quæ confessus est Laban, animarunt Justum, ut cum fiducia illum reprehenderet. « Vidisti, inquit, quomodo viginti annorum numero servivi tibi; pro filiabus quatuordecim annis, reliquis autem pro ovibus : tamen privare me voluisti mercede, et non te super hoc argui? Verum ex illis ipsis, quæ tu confessus es, scio quod nisi Deus Abraham et Isaac fuisset mihi adjutor, nunc me vacuum dimi-

[1] 2 Cor. xi, 29. — [2] Gen. xxxi, 41, 42.

sisses et nudum, omnia forte abstulisses a me, et injustitiam, quam proposueras, opere complevisses. « Sed Deus » qui scit humilitatem meam, et laborem manuum mearum. » Quid est, « Humilitatem, et laborem manuum mearum ? » Quoniam, inquit, scit Deus quomodo ego magno studio servitutem meam perfecerim, et quantum laborem sustinuerim, pascens oves, die noctuque in curis versatus; ad illa, inquam, respexit benignus Dominus cum heri arguit te : coërcuit injustitiam, quam adversum me struebas, et irrationabiles tuos conatus. » Satis tetigit defendendo se Labanum, et postquam reprehendisset illius in se injustitiam, sua in illum beneficia recensuit. Ideo ille erubescens de iis, quæ dixerat, nunc in timorem versus est, et fœdera inire vult cum Justo. Vide providentiam Dei : qui tanto impetu ad persequendum exierat, tanto timore affectus est, ut ab eo fœdera quæreret. « Respondens autem Laban, » dixit ab Jacob : Filiæ tuæ, filiæ meæ : et filii tui, filii mei : » et pecora tua, pecora mea : et omnia quæcumque tu vides, mea sunt, et filiarum mearum : quid facerem illis » hodie, vel pueris qui ab eis sunt nati [1] ? » Scio, inquit, quod filiæ meæ sunt, et omnia quæcumque habes, ex substantia mea accesserunt. « Quid igitur facerem illis hodie, » vel pueris qui ab eis nati ? Nunc igitur veni, et ineamus » fœdus ego et tu, et erit in testimonium inter me et te [2]. » Pacta, inquit, faciamus; « Et erunt in testimonium inter » me et te, » in judicium et demonstrationem. Dixit autem ei : « Si quis transgredi attentaverit quæ nunc a nobis sunt proposita : « Ecce nullus nobiscum, Deus autem testis » inter me et te. »

VIII. Considera quomodo paulatim et Laban ad cognitionem Dei ducitur. Nam qui ante hoc arguebat Justum de furto deorum suorum, et tantam propter eos scrutationem

[1] Gen. xxxi, 43. — [2] Ibid. 44.

faciebat, nunc inquit : « Quia nullus est inter nos, qui possit, si quid posthac novatum fuerit, testis esse fœderis nostri, Deus testis sit inter me et te. Ille, inquit, adest, qui omnia videt, quem nihil latere potest, qui uniuscujusque mentem agnoscit. « Sumens autem, inquit, Jacob erexit columnam, » et fecit collem, et comederunt super collem. Et dixit ei » Laban : Collis hic testatur inter me et te [1]. » Quid est, « Collis hic? » id est, verba quæ fiunt in hoc colle, memoria perpetua nobis erunt. « Et vocavit nomen ejus loci, Collis » testimonii [2]. » Deinde inquit : « Aspiciat Deus inter me et » te. » Attende quomodo pœnam iterum a Deo deprecatur Laban. « Aspiciat, inquit, Deus inter me et inter te, quia » secedemus alter ab altero [3]. » Nunc, inquit, separabimur, et tu quidem ibis in terram propriam, ego autem redibo in domum meam : « Si humiliaveris filias meas, si accepe- » ris uxores ad filias meas, vide, nullus nosbiscum est qui » videat, Deus testis [4]. » Considera quomodo semel et iterum atque sæpius Deum in testem vocat. Quia providentia, quam expertus erat Jacob, docuit eum quanta esset Domini potentia, et quod impossibile sit aliquid occultum esse Oculo, qui dormitare nequit, propterea inquit : « Etiamsi separemur, etiamsi nullus alius adsit qui testificari possit, ille testis erit ubique præsens. » Per singula verba docet ipsum totius terræ esse Dominum. « Et dixit Jacob, » Ecce collis ille testatur. Deinde iterum Laban inquit : Si » enim ego non transiero ad te, neque tu transeas ad me » collem hunc et columnam hanc in malitia : Deus Abra- » ham, et Deus Nachor judicet inter nos [5]. » Vide quomodo cum patre et avum suum conjunxit, qui frater fuit Patriarchæ, ipsius autem avus. « Deus Abraham, et Deus Nachor » judicet inter nos. Et juravit Jacob per timorem Dei patris

[1] Gen. xxxi, 45-47.—[2] Ibid. — [3] Ibid. 49.— [4] Ibid. 50.— [5] Ibid. 51, 52.

» sui Isaac, et sacrificavit sacrificium in monte : et vocavit » fratres suos : et comederunt, et biberunt, et dormierunt » in monte [1]. Sacrificavit sacrificium in monte, » gratias, inquit, egit Deo, ob ea quæ acciderant : « Et comederunt, » et biberunt, et dormierunt in monte. Surrexit autem La- » ban mane, et osculatus est filios suos et filias suas, et be- » nedixit eos : et reversus Laban abiit in locum suum [2]. » Vidisti, dilecte, quanta Dei sapientia, quomodo uno facto et suam erga Justum declaravit providentiam, et illum ab injustitia abduxit, et in divinæ notitiæ viam paulatim induxit Labanum, interminando ei ne quid mali contra Jacob loqueretur : et qui quasi fera accurrebat et comprehendere atque interficere volebat, desinit in defensionem, et in filiorum filiarumque deosculationem, et sic domum redit? Forte prolixius sermo se extendit, sed ignoscite : non hoc sponte admisimus, sed coëgit nos historiæ ratio. Ideo hic missum facientes sermonem, oramus vestram charitatem, ut omnia faciamus et tractemus, quo supernam nobis conciliemus benevolentiam. Nam si Deum habuerimus amicum, omnia nobis facilia erunt, et nihil nos in præsenti vita contristare poterit, quamvis injucundum esse videatur. Tanta enim ejus virtutis est excellentia, ut etiam ea, quæ tristia sunt, jucunda facere queat : sic et Paulus in afflictionibus existens gaudebat et exultabat, expectatione repositorum bonorum animatus. Propterea et Propheta dicebat : « In afflictione dilatasti mihi [3]; » docens nos Deum se in ipsa afflictione liberum et tranquillum constituisse. Talem igitur habentes Dominum, tam potentem, tam sapientem, tamque misericordem, quod nostrum est afferamus, virtutisque magnam habeamus rationem, ut non solum præsentia, sed et futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri,

[1] Gen. xxxi, 53, 54. — [2] Ibid. 55. — [3] Psal. iv, 2.

simul et Spiritui sancto sit gloria, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LVIII.

Et elevatis oculis Jacob vidit castra Dei metata, et occurrerunt ei Angeli Dei; quos cum vidisset, dixit Jacob: Castra Dei sunt hæc, et appellavit nomen loci illius, Castra [1].

I. Scio vos heri defatigatos fuisse, nobis sermonem prolixius extendentibus: sed bono estote animo, labor vester non est inanis; in Domino enim factus est, propter quem et brevis labor magnam mercedem vobis allaturus est. Nam licet corpus fatigaretur, anima tamen magis confirmabatur. Ideo et ipse videns vestrum fervens desiderium et studium, volebam contrahere doctrinæ sermonem; sed antequam finiretur historia, nolui, sciens me vobis hac ratione magis gratificaturum. Multitudo enim dictorum satis declarabat inexplebile vestrum desiderium et studium audiendi avidum: propterea et ipse cum majori alacritate vos docere incipio, videns vestram quotidie appetentiam crescere. Age et hodie quæ sequuntur hesternam lectionem pro virili nostra pertractemus, consuetum vestræ charitati convivium proponentes, et videamus, post discessum Laban, quomodo Justus iter arripiat. Nihil enim supervacaneum in divina Scriptura positum est, sed omnia quæ a Justis fiunt, maxima utilitate plena sunt. Quoniam enim universorum Dominum continuo habuerunt comitem, et

[1] Gen. xxxii, 1, 2.

itineris difficultates reddentem faciles, multum etiam nos utilitatis ex parvo eorum itinere possumus percipere. Nam postquam Laban in domum suam abiit, « Et Jacob viam » suam perrexit, et elevatis oculis vidit castra Dei castra- » metata esse, et occurrerunt ei Angeli Dei [1]. » Postquam enim cessavit, et finem habuit timor Labani, excepit eum timor fratris : propter hoc clemens Dominus animare Justum volens, et omnem ejus metum discutere, fecit ut Angelorum videret castra. « Occurrerunt enim, inquit, ei » Angeli Dei. Et dixit Jacob : Castra Dei sunt hæc. Et vo- » cavit nomen loci ejus, Castra [2], » ut ex ea appellatione perpetua maneret memoria visionis quæ illic ei contigerat. Deinde post visionem hanc, « Misit, inquit, ante se nun- » tios ad Esaü fratrem suum, et mandavit eis, dicens : Sic » dicetis domino meo Esaü [3]. » Vide et post visionem, quantus adhuc timor urgebat Justum. Timebat enim fratris violentiam, et angebatur animo, ne forte memoria eorum, quæ olim facta sunt, impelleret illum ad insidias. « Dicite, » inquit, domino meo Esaü : Sic dicit servus tuus Jacob : » Peregrinus fui cum Laban, et longo tempore ibi moratus » sum usque nunc, et contigerunt mihi boves, et asinæ et » oves, et servi, et ancillæ, et misi ut annuntiaretur do- » mino meo Esaü, ut inveniat puer tuus gratiam coram te [4]. » Attende quomodo timeat fratrem, et propterea placare eum volens, præmittat significans ei et reditum suum, et substantiam, quæ sibi contigerat, et ubi tanto tempore moratus fuerit, ut placato ejus furore, clementem reddere possit : id quod et factum est, Deo cor illius demulcente, et illum tractabilem, extincta ira, faciente. Nam si Labanum, qui tanta concitatione persequebatur, deterruit per ea quæ ad ipsum dicebat : multo magis fratrem mansuetiorem erga Justum reddidit. « Reversi sunt autem, inquit, dicen-

[1] Gen. xxxii, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4, 5.

» tes : Venimus ad fratrem tuum, et venit in occursum » tuum, et quadringenti viri cum eo [1]. » Vide quomodo et istuc ipsum auget metum Justi. Neque enim sciebat evidenter mentem fratris ; sed ut didicit multitudinem venientium cum illo, formidavit, suspicans ne quasi in bellum contra se veniret, et ita vellet occurrere. « Timuit enim, » inquit, Jacob, et perplexus erat [2] ; » formido mentem ejus turbaverat, et nesciebat quid faceret, sed mansit perplexus : propterea timuit quasi de salute sua, et mortem ante oculos habens. « Divisit autem in duas turmas omnem popu- » lum qui secum erat. Dixit enim : Si venerit ad turmam » unam, et percusserit eam, erit adhuc altera, quæ salva- » bitur [3]. » Talia suggerebant ei timor et magna formido. Videns autem se quasi in reti comprehensum, ad invictum Dominum confugit, et promissiones, quæ ei factæ erant, repetit ab omnium Deo : quasi dicens ad eum : « Nunc venit tempus in quo et propter primogenitorum virtutem, et propter promissionem, quæ a te facta est mihi, dignus habear qui tuo adjuver præsidio. « Dixit enim Jacob : Deus » patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac, tu qui » dixisti mihi : Vade in terram nativitatis tuæ [4]. » Qui evocasti me, inquit, de terra aliena, et præcepisti ut redirem ad patrem meum, et in terram nativitatis. « Satis mihi sit » de omni justitia et veritate, quam fecisti puero tuo [5]. » Sufficiat mihi, inquit, ad subsidium in præsenti tempore. Qui enim usque ad præsens tempus tantam erga me declarasti providentiam, potes etiam nunc eripere me ab urgentibus periculis. Non enim ignoro « Quod in isto ba- » culo meo transivi Jordanem [6] : » sed propter tuam de me sollicitudinem qui baculum solum gestans abivi in terram alienam, « Nunc cum duabus turmis adveni [7]. » Tu igitur,

[1] Gen. xxii, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9. — [5] Ibid 10. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

Domine, qui tantam mihi substantiam largitus es, qui tantum incrementum dedisti, « Nunc eripe me de manu fra» tris mei Esaü : quia timeo ego eum, ne forte perculiat » me et matrem cum pueris. Tu dixisti : Benefaciam tibi, » et ponam semen tuum sicut arenam maris, quæ nume» rari nequit præ multitudine [1]. »

II. Vide Justi religiosum animum, et probum affectum : quomodo non aliud Dominum precatur, quam ut suas promissiones adimpleat. Et de prioribus exhibita gratiarum actione, confessusque se nudum et omnibus destitutum in tantam pervenisse abundantiam, supplicat ut de periculo se liberet. « Dixisti enim, inquit : Ponam semen tuum » sicut arenam maris, quæ dinumerari nequit. » Cum igitur orationem suam ad Deum fecisset, et supplicationem precum obtulisset, facit et suum officium. Et acceptis muneribus, inquit, ex iis quæ afferebat, misit fratri, cum segregasset quæ mitterentur, et mandata dedisset, ita ut placaretur etiam per verba animus fratris, et suus nuntiaretur adventus. « Dicite enim, inquit : Ecce puer tuus advenit » post nos [2], » ut primum redderetur amicus, et tunc in faciem ejus occurreret. « Posthac enim, inquit, videbo fa» ciem ejus. Forte enim accepta erit ei facies mea, et an» tecedebant dona secundum faciem ejus [3]. » Verum vide, obsecro, ineffabilem Dei clementiam, et quomodo semper congruo tempore suam declarat providentiam. Nam de Laban quidem, quoniam Justus nihil tale suspicabatur, neque sciebat Labanum cum tanta vi invadere se velle, ut clam susceptum ab se discessum ulcisceretur, dictum est apparuisse Angelum noctu Labano, et repressisse ejus impetum, mandatumque dedisse ne vel asperum verbum loqueretur Jacob ; dicebat enim : « Ne loquaris cum Jacob » mala [4] : » et hoc ita dispensabat, quo per illius linguam

[1] Gen. xxxii, 11, 12. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. — [4] Id. xxxi, 29.

notum fieret Justo, ut fidentiori esset animo, comperta tanta Dei in se providentia. Nunc autem, quia frater temporis longitudine mitigatus erat, quieveratque ira et indignatio contra Jacob, hic autem anxius erat, timens et tremens fratris occursum : bonus Dominus non jam Esaü præcipit, nihil enim contra fratrem meditabatur, sed Justum solatur. « Nam postquam misisset offerentes munera, » et dormivisset, surrexit in nocte illa, et uxores duas et » filios transmisit in transitu Jaboch, et accepit eos et tran- » siit torrentem. Relictus est autem Jacob solus, et lucta- » batur homo cum eo [1]. » Magna Domini clementia, quoniam occursurus erat fratri, ut sciret reipsa quod nihil asperum laturus esset, in figura hominis luctari cum Justo voluit : deinde videns se vinci, « Apprehendit, inquit, lati- » tudinem femoris ejus [2]. » Totum autem hoc factum est, ut se illius humilitati attemperaret, formidinem ex anima Justi eximeret, et persuaderet ei, ut citra angorem fratri occurreret. « Nam cum tenuisset latitudinem femoris » Jacob, emarcuit latitudo femoris Jacob, cum colluc- » taretur ille cum eo [3]. » Deinde ut sciret Jacob virtutem ejus, quem secum luctari putabat, dicit ad eum : « Dimitte me, ascendit enim aurora [4]. » Sentiens igitur Justus magnitudinem virtutis ejus, qui hæc sibi dixerat, dixit : « Minime te dimittam, nisi me benedixeris [5]. » Magna consecutus sum, et quæ supra meam sunt dignitatem ; non prius te relinquam, donec benedictionem a te accipiam. » Deinde dicit : « Quod nomen tuum est [6] ? » Vide iterum quantum sese humiliet et attemperet. Num si non interrogasset, nescivisset Justi nomen ? Sciebat utique : sed interrogatione vult ejus fiduciam solidare, et docere quis sit, qui ei loquatur. « Et postquam dixit, Jacob, inquit :

[1] Gen. xxxii, 22-24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 26. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 27.

» Non vocabitur nomen tuum Jacob, sed Israël erit nomen » tuum. Quoniam si contra Deum fortis fuisti, multo magis » contra homines potens eris [1]. » Vidisti quomodo ostendit totam causam, propter quam adeo se demisit, et simul docuit Justum per nominis impositionem quis esset, quem viderit et comprehenderit : « Non ultra enim vocaberis Jacob, sed Israël erit nomen tuum. » Israël autem, si quis interpretetur, sonat, Videns Deum. « Quoniam sicut videre homini possibile est, Deum videre meruisti; propterea et hanc appellationem tibi impono, ut omnibus posteris manifestum sit quam visionem assecutus fueris. » Et subjicit : « Quoniam prævaluisti contra Deum, et contra homines » potens eris : » nihil amplius time, neque damnum aliquod expectes, quod ab aliquo feras. Nam qui tantam virtutem accepisti, ut cum Deo luctari valueris, multo magis homines superabis, et invictus omnibus eris. »

III. His auditis, Justus obstupescens magnitudinem ejus, qui secum colloquebatur, dicit ei : « Annuntia mihi nomen » tuum. Et dixit : Cur quæris nomen meum ? Et benedixit » eum [2]. » Intra tuos limites, inquit, mane, et ne transgrediaris mensuram tuam. Vis meam benedictionem obtinere ? ecce eam tibi do ; » dicit enim : « Et benedixit eum, » Et vocavit, inquit, Jacob nomen loci illius, Speciem Dei. » Vidi enim Deum facie ad faciem, et salva facta est anima » mea [3]. » Vides quantum ei fiduciæ a visione sit inditum ? « Salva facta est anima mea, » quæ erat propemodum mortua præ timore; quoniam videre mihi datum est Deum facie ad faciem, « Salva facta est anima mea. Ortus est au- » tem ei sol, quando præteriit visio Dei [4]. » Vidisti quomodo infirmitati humanæ Dominus sese attemperans, omnia agit et tractat, ut suam benignitatem declaret ? Et ne admireris, dilecte, quod tanta sit indulgentiæ illius magnitudo :

[1] Gen. xxxii, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Ibid. 30. — [4] Ibid. 31.

sed cogita quomodo et Patriarchæ, cum apud quercum sederet, in hominis figura cum Angelis hospes fuerit, præsignans nobis jam multo antea et ab initio se humanam naturam suscepturum esse, ut sic omnem humanam naturam a diaboli tyrannide liberaret, et ad salutem reduceret. Verum tunc quidem, quoniam initia et principia erant, in figura unicuique illorum apparebat, sicut ipse per alium Prophetam dicit : « Ego visiones multiplicavi, et in manibus Prophetarum assimilatus sum [1]. » Quando autem dignatus est Dominus humanam formam suscipere, et primitias nostras recipere, non in figura neque apparentem tantum carnem, sed veram induit. Et ea propter voluit per omnia nostra transire, ex muliere nasci, infans fieri, panniculis involvi, et lacte pasci, aliaque omnia ferre, ut dispensationis veritas credibilior esset, et hæreticorum ora obturarentur. Propterea et dormit in navi, et iter facit, et fatigatur, et omnia humana sustinet, ut per res ipsas certisque argumentis persuadeat omnibus. Propter hoc etiam tribunali astat, et crucifigitur, mortemque sustinet ignominiosissimam, et in sepulcro ponitur, ut sua incarnatio per omnia fiat manifesta. Nam si non vere carnem nostram assumpsit ; neque crucifixus est, neque mortuus, neque sepultus, neque resurrexit. Quod si non resurrexit, omnis de incarnatione sermo subversus est. Vides in quantam absurditatem incidunt qui divinæ Scripturæ canonem sequi nolunt, sed suis cogitationibus permittunt omnia ? Verum sicut hic perspicua est veritas, ita apud Justum illum figura quædam erat, per quam Justus multis argumentis certior fieret quantam sui curam Deus haberet, et invictum se futurum esse omnibus qui sibi insidiarentur. Deinde, ut posteritati nota fieret ejus visio, « Claudicavit, » inquit, femore suo. Propter hoc non comedunt filii Israël

[1] Osc. XII, 10.

» nervum qui emarcuit, qui est super latitudinem femoris, » usque in hunc diem ; quia attigit nervum super latitudi- » nem femoris Jacob, et emarcuit [1]. » Quoniam enim Justus, impletis vitæ suæ annis, emigraturus erat ex hac vita, oportebat autem providentiam Dei in illum, et tantam Dei attemperationem omni hominum generi declarari : « Ideo, » inquit, non comedunt filii Israël nervum latitudinis fe- » moris, qui emarcuit : » scieus eorum admodum ingratam mentem, et quam facile obliviscantur Dei beneficia, perpetuo artibus quibusdam efficit ut monumenta habeant eorum, quæ a se facta sunt, providetque ut illa monimenta per hujusmodi observationes custodiantur ; id quod per Scripturam totam invenies. Hæc enim maxima causa est plurimarum observationum, quod velit perpetuo futuras generationes meditari beneficia Dei, et non oblivione unquam oblitterantes ad suos errores recurrere ; qui mos fuit Judæorum maxime genti peculiaris. Nam qui de beneficiis sæpe summam præ se tulerunt ingratam voluntatem, multo magis, nisi hoc fuisset factum, omnia, quæ a Deo in ipsos facta sunt, e mente sua abjecissent. Cæterum videamus nunc quomodo fratri suo Jacob occurrerit. Postquam enim ex iis, quæ facta sunt, idoneam accepit consolationem et promissionem quod fortis futurus esset, et potens etiam contra homines. « Elevatis oculis vidit, et ecce » Esaü frater ejus, et quadringenti viri cum eo. Et divisit » Jacob pueros ad Liam et Rachel, et duas ancillas. Et po- » suit duas ancillas et pueros earum in principio, et Liam » et pueros ejus postea, et Rachel ac Joseph postremos, » ipse autem præcessit ante eos, et adoravit super terram » septies, donec appropinquavit ad fratrem suum [2]. » Vide quomodo, divisione facta, ipse præ omnibus occurrit : « Et » adoravit super terram, inquit, septies, donec appropinqua-

[1] Gen. xxxii, 32. — [2] Id. xxxiii, 1-3.

» vit ad fratrem suum : » per gestus, et per adorationem fra trem in sui benevolentiam provocans : id quod et factum est. « Nam Esaü accurrens, inquit, amplexatus est eum, et oscu- » latus est, procidítque in collum ejus : et flebant uterque [1].»

IV. Vide dispensationem Dei. Quod enim heri dicebam, id etiamnum dicam. Quando vult omnium Dominus suam erga nos declarare providentiam , eos etiam , qui atroci in nos animo sunt, ovibus mansuetiores facit. Considera igitur quantam mutationem declarat Esaü. « Accurrit enim, » inquit, in occursum ejus , et amplexatus eum osculatus » est , et fleverunt ambo. » Vix tandem Justus respiravit, et timorem excussit , animosior factus. « Elevatis autem » oculis , inquit , Esaü vidit mulieres et pueros , et dixit : » Quid hæc tibi sunt [2] ?» Videns enim fratris facultates , in admirationem adductus est , ideo et rogare voluit. Quid igitur Justus ? « Filii , inquit , sunt , quibus misericorditer » donavit Deus servum tuum [3]. » Vide quantum mansuetudinis robur , et quomodo per verborum modestam humilitatem illius indignationem fregit et mitigavit. « Et appro- » pinquaverunt , inquit , ancillæ et filii, et adoraverunt Lia » et Rachel. Et dixit : Quid hæc tibi sunt , omnia castra » illa quæ mihi obviam venerunt ? Ille autem dixit : Ut in- » veniat servus tuus gratiam coram te [4]. » Considera , obsecro , quomodo humilitate ingenti fratrem devicerit , et quem putabat affici erga se hostiliter et atrociter , ita invenerit mansuetum, ut voluerit in ministerium ejus omne officium suum declarare. « Dixit enim , inquit : Sunt mihi » multa, frater; sint tibi tua [5]. » Verum neque hoc permisit Jacob, sed monstrans quanti faciat ejus amicitiam, inquit : » Si inveni gratiam coram te , accipe dona de manibus meis. » Nam propter hoc videbam faciem tuam , quasi aliquis vi-

[1] Gen. xxxiii, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 6-8. — [5] Ibid. 9.

»deat vultum Dei [1]. » Accipe, inquit, dona quæ a me tibi offeruntur. Cum tanta enim jucunditate vidi faciem tuam, cum quanta quis viderit Dei faciem. » Hoc magni obsequii gratia dictum est a Justo, ut eum demulceret, et ad fraternam benevolentiam duceret. « Et beneplacitum mihi »facies,» hoc est, gratum mihi facies. « Accipe igitur be»nedictiones quas attuli tibi, quia misertus est mei Deus, »et sunt mihi omnia [2]. » Ne detrectes, inquit, accipere. Hæc enim omnia a Deo mihi donata sunt, et hic mihi horum omnium suppeditator factus est. » Per quæ placide et illum docuit quanta erga se fuerit Dei providentia, et effecit ut magnam sibi reverentiam exhiberet. « Et coëgit eum, »et accepit [3]. » Vide nunc mutationem. « Et dixit Esaü, »Profecti eamus in rectam [4]: » hoc est, nunc simul iter faciamus. Ille autem causatus honestum prætextum: « Do»minus meus, inquit, scit quod filii mei teneriores, et oves »et boves fœtæ sint: si igitur sequi ea cogam uno die, mo»rientur [5]. » Non possum, inquit, acceleratius facere iter, sed cogor lente et pedetentim progredi, tam propter pueros, quam propter pecudes, ut non labore plurimo percant. Vade igitur, inquit, tu: ego autem parcens labori puerorum et pecudum, conveniam te in Seïr. » Quibus auditis, frater: « Si vis, inquit, relinquam aliquos meorum apud »te [6]. » Faciebat hoc in signum magni honoris et officii. Ille autem nihil tale accepit. « Sufficit enim mihi, inquit, quod vere inveni gratiam coram te. Hoc unum mihi curæ erat, ut amicum te invenirem. Quoniam igitur hoc assecutus sum, non alterius cujuspiam indigeo. « Et profec»tus, inquit, Jacob fecit sibi ipsi et jumentis suis taber»nacula: propterea vocavit locum illum, Tabernacula [7]. »

V. Hæc audientes imitemur Justum illum, et eamdem

[1] Gen. xxxiii, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 12. — [5] Ibid. 13. — [6] Ibid. 15. — [7] Ibid. 17.

exhibeamus humilitatem animi : et si qui sunt qui male erga nos afficiantur , non magis eorum accendamus iram, sed magna mansuetudine et humilitate tam verborum quam operum reprimamus eorum inimicitias , et indignatas eorum curemus animas. Vide enim sapientiam hujus Justi, quomodo magna verborum efficacia ita Esaü demulsit, ut et ad eum colendum festinaret, et facere vellet omnia, quæ ad ejus pertinebant honorem. Hoc vere summæ virtutis est , ut non solum eos, qui bene in nos afficiuntur, magno studio diligamus, et eis omnibus modis serviamus : sed ut etiam eos, qui nobis infesti esse volunt, assiduitate officiorum nobis conciliemus amicos. Nihil enim mansuetudine violentius. Nam sicut rogum vehementer incensum aqua injecta restinguit : ita et animum camino magis exardescentem verbum cum mansuetudine prolatum extinguit , et duplex inde nobis lucrum accrescit, tum quod nos mansuetudinem exhibemus, tum quod fratris indignationem sedamus , et mentem ejus a turbatione liberamus. Quid enim, dic mihi ? Annon reprehendis fratrem tuum et accusas ejus indignationem , quod hostiliter sit affectus erga te ? Cur igitur non diversa via studes incedere , sed ipse magis irasci vis ? Num potest igni ignis extingui ? Repugnat hoc naturæ. Sic neque furor furore alio demulceri poterit unquam. Etenim quod igni est aqua, hoc est iræ mansuetudo et moderatio. Propterea et Christus dicebat Discipulis : « Si diligentes vos diligitis , quam mercedem habe- » tis [1] ? » Deinde magis ad hoc cohortari et reprehendere negligentes volens , dicit : « Nonne et Publicani idem fa- » ciunt [2] ? » Quemcumque enim ignavorum sumpseris, nonne hoc facit ? Nonne et Publicani magno studio hæc faciunt ? Quid autem Publicano deterius ? attamen inveniens eum hoc omnibus modis observare, et non est possibile ut non

[1] Matth. v, 46. — [2] Ibid.

redamet qui amatur. Ego autem quia et excelsiores vos esse volo, et aliquid amplius habere, non hoc admoneo, sed ut inimicos diligatis. Id quod Beatus ille ante legem, ante doctrinam ab aliis acceptam sponte sua fecit : et propter excellentem mansuetudinem prius superavit Laban, nunc autem et fratrem. Nam licet superno præsidio fretus fuerit, attamen quod suum erat prius exhibuit. Ita sane et nos persuadeamus nobis, licet millies enitamur, nihil tamen prorsus recte agere posse, nisi superno auxilio adjutos. Sicut enim nisi illo subsidio fruamur, nihil unquam possumus recte agere : ita nisi quod nostrum est attulerimus, non poterimus supernum auxilium obtinere. Demus igitur operam ut et nostra afferamus, et supernum favorem alliciamus, ut et ex nostro studio, et ex Dei benignitate virtutes nostræ quotidie crescant, multaque superna fruamur gratia. Quod nobis omnibus concedatur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LIX.

Et venit Jacob in Salem civitatem Secimorum, et emit partem agri ab Emor patre Sychem centum agnis : et erexit ibi altare, et invocavit Deum Israël [1].

I. Vidistis heri et nostri omnium Domini eximiam clementiam, et Discipulorum philosophiam, et Judæorum ingratum animum? Vidistis quanta cum patientia eorum im-

[1] Gen. XXXIII, 18.

pudentem audaciam obmutescere coëgit, cum suos excusaret Discipulos, monstrans ipsos, qui legem vindicare volebant, legis voluntatem ignorare, et irradiante veritate, adhuc umbræ assidere velle? Vidistis quomodo jam inde ab initio observationes legales auferre studebat, docens eos, exorto Sole justitiæ, lucernæ lumen nihil jam efficere posse? Jubar enim solaris luminis quod accedit, hoc tegit, et videri non sinit. Didicistis quomodo possibile sit, ut feriæ perpetuæ agantur, et a temporum observatione liberemur. Nam propter hoc venit Dominus noster, ut nos liberaret a temporum necessitate, et efficeret ut altius evolaremus, et jam in cœlo haberemus municipatum, et cum adhuc homines sumus, Angelorum imitaremur vitam, ac res humanas omnes irrideremus. Age hodie, si videtur, seriem verborum beati Mosis sequentes, ea quæ superioribus diebus dicta sequuntur, tractemus, et inde vobis apponamus convivium. Scitis enim nos, cum rediisset ex Mesopotamia Jacob, et occurreret fratri, et iterum ab eo separaretur, et ille quidem in Seïr montem contenderet, Jacob autem tabernacula figeret, et locum ab eventu Tabernacula vocaret, sermonem hic missum fecisse: ideo opus est ut sequentia pro viribus nostris tractantes, doctrinam vobis relinquamus spiritualem. Securus enim tandem factus Justus, et ab omni mentis angore liberatus, « Venit, in» quit, in civitatem Secimorum, et emit partem agri ab » Emor patre Sychem centum agnis: et erexit ibi altare, » et invocavit Deum Israël [1]. » Ne prætereamus obiter ea quæ in divinis Scripturis sunt contenta. Nam si qui auri ramenta e terra effodiunt, nulli labori parcunt, et omnia gravia ferunt, ut possint aurum a terra separare: multo magis justum fuerit ut scrutemur eloquia Spiritus, et utilitatem, quæ inde est, percipiamus, et sic hinc exeamus.

[1] Gen. XXXIII, 18-20.

Cogita, obsecro, eximii istius viri philosophiam, quomodo tanto auxilio superne fruens, et videns augeri facultates suas, pecora dico, et tantum numerum filiorum circumstantem, non in extruendis ædificiis amplis et præclaris fuit occupatus, neque agros et villas emere curavit, quæ sufficere possent ut distribuerentur filiis. Hæc enim et similia agere solent qui nos opibus antecellunt; et sæpe qui unum tantum habet filium, decem millia talentorum auri colligere quærit, ut agros emat, et domus claras extruat: et utinam ex justis laboribus, et sine injustitia tantas opes colligeret; sed quod grave est, et omnium gravissimum, ab aliis rapit, alios circumvenit, aliis lites movet, et ita alienas facultates suas facit. Et si quis dixerit: « Ad quid tanta ad colligendas opes insania? » ille statim filium prætexit, et dicit se talia operari ob suum in illum amorem. Et ille quidem tametsi puerum prætexat, hæc utcumque expiat, frustra tamen et incassum. Sunt autem qui neque pueros habent, et insaniunt ut pecunias colligant, et mallent gravissima ferre, quam unum obolum indigentibus erogare. Sed Justus ille nihil simile consultavit, neque cogitavit, sed cum parvo opus haberet agro, centum agnis datis, partem agri emit ab Emor patre Sychem. Et vide pietatem, religionemque viri, qua de causa agrum emere studuerit. « Et erexit ibi, inquit, altare, et invocavit Deum » Israël: » et agri partem emit nulla alia de causa, quam ut gratias ageret communi nostri omnium Domino. Illum oporteret imitari omnes qui sub gratia sunt, qui fuit ante legem, et non sic insanire in pecuniarum collectionem. Quare enim, dic mihi, et tibi ipsi hæc onera spinarum congregas, filiisque tuis materiam et occasionem malitiæ te relinquere non advertis? Nescis Dominum majorem, quam tu habeas, filii tui curam gerere, tu autem tanquam illius majorem curam gerens, occasiones illi relinquere studes,

quæ submergere animam ejus valeant? An nescis juventutem per seipsam ad ruinam proclivem esse, et ad malitiam levi momento inclinari? quando autem et opum affluentiam acceperit, multo magis ad malum proruit. Sicut enim ignis cum fomitem invenit, validioribus flammis exurgit : ita et quando in juvenem materia pecuniarum inciderit, tantam accendit fornacem, ut animam juvenis totam inflammet. Quandonam poterit talis homo continentiæ curam habere, et intemperantiam fugere, ac laborem pro virtute, vel aliud spirituale quiddam suscipere?

II. Annon audis Christum dicentem : «Curæ hujus sæ»culi et deceptio divitiarum suffocant mentem, ac sterilis »fit, » quæ omnia spinas nominavit? Nam cum dixisset, in parabola seminis, aliud ex seminibus in spinas incidisse, deinde Discipulis interpretans quænam sint spinæ, inquit : « Sollicitudo hujus sæculi et deceptio divitiarum »suffocant mentem, et sterilis fit [1]. » Et bene spinis comparavit sollicitudinem hujus sæculi. Sicut enim spinæ non sinunt semen emicare, sed densitate sua seminatum supprimunt : ita et curæ temporales spirituale semen, quod in anima seminatur, non sinunt fructum afferre, sed adurunt et suffocant sicut spinæ, nec sinunt spirituale semen crescere. «Et deceptio divitiarum.» Recte dixit deceptionem divitiarum : etenim vere deceptio est. Quæ enim utilitas tot talentorum, et tantæ pecuniæ? Profecto, inquit, magnam præbet lætitiam possessio. Qualem lætitiam? Et quid dico lætitiam? Nonne maxime intempestivam tristitiam et mœrorem multum parit? nondum dico magnam illam et in futuro repositam propter ipsas pœnam : sed de his loquor, quæ in præsenti vita contingunt, nempe ne voluptatem quidem ullam hanc vere habere posse, sed potius quotidianas turbationes et amaritudines. Nec mare flucti-

[1] Matth. XIII, 7-22 et Luc. VIII, 7-14.

bus ita intumescit, ut talem animam a cogitationibus et affectionibus infestari, et in omnes tam suos quam alienos male affici videmus. Et si quando partem illorum auferat aliquis; multa enim accidunt, et multi insidiantur, nempe famulorum malignitas, potentiumque violentia; tunc utique invenies illos vitam sibi acerbam ducere. Qualibus igitur lamentis tales non fuerint digni, qui omnia facere student quæ sibi noceant, et in perniciem animæ suæ talia colligere volunt? Verum, si videtur, talibus relictis, ad historiam Justi hujus redeamus, et videamus sequentium seriem. «Erexit, inquit, altare in parte agri, et invocavit »Deum Israël,» et postea in Secimis domicilium habere voluit. Sed vide iterum quomodo Justus et hic suam mansuetudinem declarat. Et quid accidit? «Egressa est autem, »inquit, Dina filia Liæ, ut videret filias indigenarum. Et »ut vidit eam Sychem filius Emor, dormivit cum ea, et »dilexit virginem, et locutus est ei juxta mentem virginis[1].» Vidisti quantum sit juventus malum, quando recte rationis freno caret? Vidit enim virginem, et totus propter aspectum amore correptus, concupiscentiam opere complevit, «Et locutus est ei juxta mentem virginis.» Quid est, «Juxta mentem virginis?» Quoniam juvenis erat puella, ejusmodi verba, inquit, cum ea locutus est, quæ sufficiebant ad conciliandum sibi eam. Et inquit ad patrem: «Accipe mihi puellam hanc in uxorem[2].» Audivit autem Jacob factum, et tunc leviter tulit, expectans fratrum ejus adventum; erant enim in pascuis. «Et siluit, inquit, Jacob, »donec venirent illi. Cum autem venisset Emor ad Jacob, »venerunt et fratres Dinæ, et cum audivissent quæ facta »erant sorori suæ, compuncti sunt[3].» Quid est, «Compuncti »sunt?» contristati sunt, remque intolerabilem esse putaverunt et gravissimam, eratque eis mœrendi magna oc-

[1] Gen. xxxiv, 1-3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5-7.

casio. « Magna enim, inquit, eos tristitia afficiebat, quod » rem turpem fecerat in Israël Sychem, qui dormiverat » cum filia Jacob[1]. » Vides filiorum continentiam? turpitudinem maximam hoc factum reputabant? Vidisti quomodo Justus pueros suos erudiit ad virtutem? Quomodo item filius Emor, suam concupiscentiam opere complens, fit patri et toti civitati perniciei auctor? Sed prius audiamus quæ Emor ad eos dixerit, et postea scietis fratrum Dinæ versutiam, et quomodo vindicare studuerunt injuriam sorori illatam. « Et locutus est eis Emor dicens: Sy- » chem filius meus præelegit anima filiam vestram[2]. » Vide quomodo jam præsignat perniciem se comprehensuram. « Præelegit enim, inquit, anima: » hoc est, animam suam exposuit pro filia vestra. » Ille quidem dicebat concupiscentiam ejus, quam erga puellam habebat: paulo post autem didicit hanc suæ et omnium, qui ibi erant, perditionis fore occasionem. Quia igitur ille virginem sic deperibat, « Date, » inquit, istam illi uxorem, et affinitatem contrahite nobis- » cum: filias vestras date nobis, et filias nostras accipite » filiis vestris, et inter nos habitate. Et ecce terra lata est » coram vobis, habitate et negotiamini in ea, et in ea pos- » sessiones habete[3]. » Vide patrem, quantam propter filii amorem habet erga peregrinos benignitatem, et quomodo eos conciliare sibi vult, data eis in omni regione sua potestate. Et hæc quidem egit pater: filius autem, quia vidit patris erga se studium, et quomodo omnia facere paratus fuerit, ut impleretur quod cupiebat, adjicit quod suum est, dicitque ad Jacob et ad fratres puellæ: « Inveniam gra- » tiam coram vobis, et quidquid dixeritis, dabimus: mul- » tiplicate dotem, et dabo secundum quod dixeritis mihi, et » dabitis mihi puellam hanc in uxorem[4]. » Vidisti patrem propter studium et curam in filium obnixe precari, juve-

[1] Gen. xxxiv, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9, 10. — [4] Ibid. 11, 12.

nemque prompte omnia promittere, ut puella potiretur?

III. Hæc enim, hæc perniciosa affectio omnia suscipienda libidine diffluenti persuadet, donec in inferni profundum ducat. Et vide, obsecro. Senior quidem Jacob hæc audiens silet, et pro sua mansuetudine nihil loquitur: sed vim filiæ factam patienter fert. « Filii autem Jacob dixe- » runt Sychem et Emor patri ejus dolose, et locuti sunt » illis, quod coinquinarint Dinam sororem suam[1]. » Considera hic quomodo propter unius intemperantiam universi civitatem habitantes pœnarum socii fiant. Sicut enim accensa pyra, qui prope habitant periculi sunt participes, igne omnia depascente: eodem modo et nunc adolescentis intemperantia non solum patrem, sed et omnes urbis cives simul perdidit. Quid igitur filii Jacob? dolose eis responderunt. Dignum est auditu, ut discatis quantum propter sororem doluerunt. « Dixerunt enim, inquit, Symeon et » Levi fratres Dinæ, filii autem Liæ. Non poterimus facere » verbum hoc, ut demus sororem nostram homini, qui ha- » bet præputium. Si igitur circumcidamini carne præputii » vestri, dabimus filias nostras vobis, et de filiabus vestris » accipiemus, et erimus quasi genus unum[2]. » Hæc quidem propositio honesta erat, et rationi consentanea, sed cum dolo, inquit, dicta est. « Et si nolueritis, inquit, hoc fa- « cere, accepta filia nostra, abibimus[3]. » Hæc quidem Symeon et Levi cædem omnium secum meditantes proposuerunt. Illi autem respicientes ad quod expectabant, puellamque habere cupientes, consenserunt in dicta, et placuerunt eis proposita, dicit enim: « Placuit coram eis » sermo, et non tardavit adimplere dicta adolescens. De- » peribat enim filiam Jacob[4]; » hoc est, totum se in puellæ amorem dediderat. « Et venerunt, inquit, ipse et pater

[1] Gen. XXXIV, 13. — [2] Ibid. 14-16. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. 18, 19.

» ejus ad portam, et locuti sunt omnibus qui in civitate » habitabant [1]. » Et consuluerunt ut circumcisionem susciperent secundum oblatam ab illis conditionem, et ut illos ad cohabitationem acciperent. Implebant illi statim quæ ab Emor et Sychem dicta sunt, et omnes simul circumcisionis signum in corpore accipiebant. Hoc ubi resciverunt Symeon ac Levi, quæ jam dudum secum meditabantur, opere compleverunt. « Et acceptis singuli gladiis suis, in- » gressi sunt civitatem secure [2]. » Quid est, « In civitatem se- » cure? » quia cum solum duo essent, tantæ multitudini se opposuerunt. Sed magnam eis securitatem præstitit, quod omnes illi saucii jacerent. Quod ut nobis manifestaret divina Scriptura : « Factum est, inquit, in die tertio, » quando erant in dolore. » Hoc illos securos reddidit, et duos fortiores multis fecit. « Occiderunt, inquit, omne » masculinum [3], » hoc est, omnes viros, qui propter circumcisionem jacebant, paratique erant, ut ita dicam, ut occiderentur : et cum aliis etiam juvenem ulti sunt, qui puellam vitiaverat. Et non contenti hac vindicta, etiam oves, inquit, eorum et omnia pecora, omniaque corpora in captivitatem duxerunt, ac civitate viris destituta et direpta, redierunt. Vidisti, dilecte, quantum malum operata sit unius juvenis temeritas? Vidisti quantam attulit perniciem omnibus civitatem habitantibus? Hæc scientes refrenemus filiorum nostrorum impetus, magnumque furorem absterrendo et admonendo compescamus, et curemus eorum castitatem, omniaque faciamus et tractemus, ut absurdas concupiscentias juvenilis ætas effugere possit. Nam propter hoc et communis Dominus noster sciens humanæ naturæ infirmitatem, nuptias dedit et sancivit, ut ab illicito concubitu abstineretur. Ne igitur negligamus juvenes, sed scientes fornacis incendium, priusquam in luxuria im-

[1] Gen. XXXIV, 20. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid.

plicentur, studeamus eos secundum legem Dei nuptiis copulare, ut et continentiam suam custodiant, nullumque damnum lasciviæ suæ habeant, remedio illinc sumpto, ut possint carnis indomitos motus reprimere, et pœnam effugere. Sed videamus quomodo ea, quæ a pueris facta sunt, senem affecerint. « Dixit enim, inquit, Jacob : Sy» meon et Levi, exosum me fecistis, ut molestus ego sim » habitatoribus terræ [1]. » Quare, inquit, tantam fecistis vindictam? Nam quæ a vobis facta sunt, odium mihi maximum parient apud omnes habitatores terræ hujus. Deinde monstrans timorem in quo erat constitutus : « Mihi » autem, inquit, parvus numerus est, et congregati contra » me, percutient me, et exterar [2] : » Quasi diceret : « Nescitis quod pauci sumus? facile eadem et nos patiemur, quibus vobis illos afficere placuit. Et sicut Sychem patri et omnibus civitatem habitantibus hujus interitus fuit auctor, ita et vos mihi. Nam propter vos et ego exosus ero, et nihil prohibet quin delear propter vestram audaciam. « Illi » autem dixerunt, inquit : Numquid ut scorto abutentur » sorore nostra [3]? » Vide pueros continentiæ gratia ultionem sumpsisse. Excusant enim se patri, et dicunt : « Infamia nos affecerunt, veluti scorto abusi sunt sorore nostra : propterea hoc facere coacti sumus, ut et cæteri discerent similia non audere. »

IV. Sed vide, obsecro, hic ineffabilem Dei curam erga Justum. Nam quia vidit eum formidantem regionis incolas propter filiorum facinora, dixit ei Deus : « Surge, et ascen» de in locum Bæthel, et ibi habita [4]. » Quia, inquit, eos qui hic habitant times, recede hinc, et habita in Bæthel, « Et fac illic altare Domino, qui apparuit tibi cum fugeres » a facie Esaü fratris tui. Et dixit Jacob domui suæ, et » omnibus suis : Tollite deos alienos e medio vestri, et pu-

[1] Gen. xxxiv, 30. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 31. — [4] Id. xxxv, 1.

» rificamini, et mutate stolas vestras, et surgite, et ascen-» damus in Bæthel, et faciamus illic altare Domino, qui » exaudivit me in die afflictionis, qui fuit mecum, et sal-» vavit me in via, qua ambulavi[1]. » Animadverte hic Justi obedientiam et pietatem in Deum, quia audivit : « Ascende » in Bæthel, et fac altare : » vocatis, inquit, omnibus suis, dixit : « Tollite deos. » Quales, dixerit quis, deos ? Nusquam enim videmus ipsum habuisse deos. Ab initio enim Dei cultor fuit Justus. Significans forte deos Laban, quos Rachel subtraxerat, ideo dixit : « Quoniam gratias acturi sumus vero Deo, qui semper tantam mei curam gessit, auferte si qua sunt in vobis idola, « Et purificamini, et mutate » stolas vestras, » et sic ad civitatem pergemus, et intus et foris mundati simul ibitis. » Non solum vestium nitore puritatem declarate, sed cum abjectione idolorum purificatis cogitationibus mentis, ascendamus ad Bæthel. « Et dede-» runt, inquit, Jacob deos alienos; » non enim erant ipsorum; « Et inaures quæ in auribus eorum. » Forte enim et hæc signa quædam erant istorum idolorum, ideo et hæc cum diis afferunt Jacob. « Et abscondit ea subtèr terebin-» thum in Secimis, et perdidit ea usque in præsentem » diem[2]. » Abscondit, inquit, ea, et perdidit, ut ipsi erroris servi, errorem effugerent, et nullus etiam alius ex iis damnum acciperet posthac. « Et cum hæc omnia fecisset » Justus, abiit, inquit, a Secimis, et contendit ad Bæthel[3]. » Iterum hic attende quantam ejus curam habuerit Deus, et quam diligenter Scriptura nos omnia doceat. « Cum egres-» sus enim esset Justus ex Secimis, factus est timor Dei » super omnes civitates in circuitu eorum, et non persecuti » sunt filios Israël[4]. » Vides quanta providentia, et quam evidens ejus subsidium ! « Irruit enim, inquit, super eos » metus, et non persecuti sunt illos. » Nam quia timebat

[1] Gen. xxxv, 1-3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid.

hoc Justus, et dicebat : « Mihi parvus numerus est, et delebor : » narrat quomodo timore eos invadente, ipsos persecuti non sint. Nam quando Deus suum auxilium afferre voluerit, invalidos fortiores potentibus, et paucos potentiores pluribus facit, nihilque beatius est eo, qui supernum auxilium assecutus est. « Et abiit, inquit, Jacob in Lu» zam, quæ est in terra Chanaan, quæ est Bæthel, et omnis » populus qui erat cum eo : et ædificavit ibi altare, et vo» cavit nomen loci illius, Bæthel : ibi enim apparuit ei Deus, » cum fugeret a facie Esaü fratris sui [1]. » Postquam venit, inquit, in Bæthel, fecit sicut ei præceptum erat, et ædificato altari, vocavit nomen loci, Bæthel. « Mortua est au» tem, inquit, Deborra nutrix Rebeccæ, et sepulta est ad » radices Bæthel subter quercum : et vocavit Jacob nomen » ejus, Quercus luctus [2]. » Vides quomodo semper ab eventibus nominat loca, ut perpetua servetur memoria? Et quomodo, dixerit quispiam, nutrix Rebeccæ fuit cum Jacob jam primum veniente a Mesopotamia, priusquam occurreret patri suo? Forte hoc dicendum eam, quando a Laban ille rediit, simul cum Jacob venire cupivisse, ut post longum tempus Rebeccam inviseret : sed priusquam illi occurreret, defunctam esse.

V. At nos etiam, si placet, hic finiamus sermonem, contenti iis, quæ dicta sunt. Illud autem vestram charitatem rogaverimus, ut et vos virtutis curam geratis, et juvenum continentiam curetis. Hinc enim, ut ita dicam, omnia mala nascuntur. Consuetudo enim mali processu temporis invalescens tantam affert perniciem, ut postea non possit aliqua vinci admonitione; et cum semel a malitia fuerint occupati, quasi in captivitatem essent abducti, quoquo diabolus jusserit aguntur. Ille enim eis imperat, et perniciosa illa dat mandata, quæ juvenes libenter per-

[1] Gen. xxxv, 6, 7. — [2] Ibid. 8.

ficiunt, præsentem tantum voluptatem spectantes, et futurum dolorem non cogitantes. Ideo oro ut præbeamus manum filiis nostris, ut ne etiam pro iis, quæ illi peccarunt, nos pœnas sustineamus. An nescitis quid seni Eli acciderit, cum non debite emendaret filiorum delicta[1]. Quemadmodum enim medicus, si morbum sectione indigentem, unctione aut emplastro curare voluerit, cito morbum incurabilem efficiet, cum congruam non adhibeat medicinam : ita et senex ille, cum deberet filios suos pro peccatorum ratione emendare, nimia lenitate illos arguens, supplicii et ipse consors fuit. Proinde oro, exemplum hoc timeamus, et habentes filios provideamus eis de honesta educatione, et in summa unusquisque curam eorum agat, qui apud se habitant, et lucrum maximum ducat utilitatem proximi, ut unusquisque discens ea, quæ ad virtutem pertinent, et peccati periculum effugere, et virtutem amplexatus supernum auxilium sibi conciliare valeat. Quod nobis omnibus concedatur, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LX.

Et ædificato altari; vocavit nomen loci, Bæthel : illic enim apparuit ei Deus, cum fugeret a facie Esaü fratris sui[2].

I. Age et hodie, si libet, repetitis iis, quæ nuper diximus, ad sequentia vobis exponenda accedamus. Nam etiam

[1] 1 Reg. IV, 18. — [2] Gen. XXXV, 7.

hodie historia Jacob apta est ad nos docendum multiplicem Dei in illum providentiam, et quomodo illum suis promissionibus iterum firmaverit remunerans ejus probitatem. Postquam enim superius narravit nobis quomodo secundum præceptum Dei, relictis Secimis propter facinora filiorum suorum, ad Luzam contendit : « Et ædificato altari, » inquit, vocavit nomen loci, Bæthel : illic enim apparuit » ei Deus, cum fugeret a facie Esaü fratris sui. » Quo imperio Deus Justum liberavit a timore quo tenebatur propter occisos Secimitas : immisit, inquit, in habitatores illarum civitatum metum, ita ut illum non persequerentur. Vide providentiam Dei, et quantam habeat sollicitudinem pro Jacob. Concussit, inquit, timore animas eorum, qui vicinas civitates inhabitabant, ut ne persequerentur illum: nam fortassis ulcisci volebant Secimitas. Sed quoniam illa præter Justi sententiam facta fuerant, et Symeon ac Levi sororis violatam continentiam ulciscentes hæc fecerant, non solum eum et filios ejus a nimio timore liberavit, sed illos etiam timore concutiens, a conatu persequendi retraxit. Vidistis quantum sit niti divino præsidio? Nam quando Deus nobis bene affectus est, e medio tolluntur terribilia omnia. Sicut enim Justo fiduciam dedit, ita illis dedit metum. Enimvero Dominus cum sit, omnia prout voluerit vertit, et omnipotentem suam sapientiam in omnibus declarat. Ac nihil fortius est eo, qui supernam sibi conciliavit opem, sicut etiam nihil infirmius eo, qui illa privatus est. Ecce enim Justus ille, paucos numero secum habens, quia custodiebatur a Deo, et fiduciam accepit, et insidias effugit : illi autem, cum multi essent, et conglobati conspirassent, nihil eorum quæ volebant operibus complere potuerunt. « Factus est enim, inquit, timor Dei » super civitates in circuitu eorum. » Postquam igitur Justus a timore istorum liberatus est, vide iterum eximiam

Dei clementiam, quam erga eum declaravit. « Visus est »enim ei Deus iterum in Luza[1]. » Quare adjicit hoc verbum, « iterum? » Non absque causa, sed ut discas eum prius etiam in hoc loco ei apparuisse, quando fugiens fratrem in Mesopotamiam contendebat. Itaque et nunc ait : « Sicut tunc visus est ei abeunti, » ita et nunc redeunti appareret in eodem loco, et confirmat promissiones, quas, quando abiit, cum eo fecit, hoc præstans ut Justus firmius suis promissionibus confidat, et ne propter tempus medium fluctuet. « Et benedixit eum, et dixit ei : Nomen tuum non »vocabitur ultra Jacob, sed Israël erit nomen tuum[2]. » Quanquam jam pridem hoc nomen ei dederat, cum transiret in Jaboch, verum majoribus indiciis certiorem volebat Justum reddere, et nunc eamdem benedictionem ei dat, et dicit : « Israël vocabitur nomen tuum, et cresce, »et multiplicare : et gentes et congregationes gentium erunt »ex te, et reges ex lumbo tuo prodibunt[3]. » Vide magnitudinem benedictionis : non solum dicit eum in tantam multitudinem propagandum, sed et gloriosum fore ejus semen. « Reges enim, inquit, ex lumbis tuis egredientur, » prædicens ei gloriam eorum, qui ex ipso ortum ducturi erant. « Et terram, inquit, quam Abrahæ et Isaac dedi, tibi dedi »eam, et semini tuo post te dabo terram hanc[4]. » Quoniam propter facta in Secimis a Symeone et Levi, dicebat: « In parvo numero sum ego, et congregati super me per»cutient me, et delebor ego et domus mea : » et per omnia monstrabat pusillanimitatem et metum quo tenebatur : propterea benignus Dominus nunc dicit ad eum : « Quoniam dixisti : « In parvo numero sum, » disce futurum esse ut crescas, et multiplicetur semen tuum, et ita sit gloriosum, ut congregationes gentium et reges ex eo prodituri sint; atque futurum esse, ut non solum non delearis, sed

[1] Gen. xxxv, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Ibid. 12.

et tu et semen tuum omnem terram hanc in hæreditatem accipiatis. » Et factis ei promissionibus istis, « Ascendit » Deus ab eo, ex loco ubi est locutus cum illo [1]. » Vide quantum attemperant se nostræ infirmitati divinæ Scripturæ verba. « Ascendit enim, inquit, Deus ab eo. » Non ut loco concludi existimemus Deum, sed ut per hoc etiam ejus ineffabilem discamus clementiam. Spiritus enim gratia se ad infirmitatem nostram demittens omnia narrare solet. Descendere enim, et ascendere, indignum Deo est; sed quia maximum est ineffabilis ejus clementiæ indicium, quod propter nostram eruditionem talibus uti verbis dignetur, propterea humanis dictionibus utitur, quia alioquin impossibile erat humanas aures ferre verborum sublimitatem, si secundum dignitatem Domini dicta essent.

II. Quod cogitantes, nunquam in humilitate verborum hæreamus, sed et propter hoc admiremur ineffabilem ejus bonitatem, quod neque ab hac humilitate abhorreat propter imbecillitatem naturæ nostræ. Sed vide Justum illum iterum grati animi signa dantem. « Erexit enim, inquit, » Jacob columnam lapideam in loco, in quo locutus est » cum eo Deus, et libavit ei libationem, et superfudit » oleum, et vocavit nomen loci, in quo locutus est cum eo, » Bæthel [2]. » Considera, oro, quomodo in nominibus locorum memoriam immortalem beneficiorum reponat, ut et posteris manifesta fiat visio, qua Justus ibi dignatus fuit. « Et profectus, inquit, Jacob fixit tabernaculum suum ul» tra turrem Gader [3]. » Ulterius iterum procedit Justus, anhelans paulatim venire ad locum ubi habitabat Isaac. Deinde, inquit : « Quando appropinquavit ut intraret in » Ephrata, Rachel laborabat in partu, et factum est cum » difficulter pareret, dixit ei obstetrix : Confide, etenim hic » tibi est filius. » Ne sis anxia, inquit, paries enim filium

[1] Gen. xxxv, 13. — [2] Ibid. 14, 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 17.

Nam licet te crucient dolores, verumtamen habebis filium. « Factum est autem, inquit, cum exhalaret animam suam, »moriebatur enim, vocavit nomen pueri, Filius doloris »mei : pater autem ejus vocavit eum Benjamin [1]. » Illa quidem nomen ei dedit ex iis, quæ sibi acciderant, pater autem Benjamin ipsum vocavit. « Et postquam peperit, in- »quit, mortua est, et sepulta in via Ephrata : hæc est »Bethlehem. Et erexit Jacob titulum super sepulcrum [2]. » Mœrorem, quem ex morte Rachelis conceperat, mitigavit natus puer, et effecit ut Justus Rachelis mortem æquo ferret animo. Sed hinc succedit Ruben temeritas. « Abiit »enim, inquit, et dormivit cum Balla concubina patris »sui, et audivit Israël, et malum visum est coram eo [3]. » Erat enim valde nefarium facinus. Ideo postea legislator Moses prohibuit ne pater et filius cum eadem rem habeant [4]. Nam ut ne sensim progrediendo res illis in consuetudinem verteret, jam antea legislator reprimit eos, pœnæ obnoxios eos, qui talia auderent, denuntians. Attamen id nunc mansuete tulit Justus, naturali amore victus. Postea autem, cum emigraturus esset ex hac vita, filium vituperat, et flagitium ejus scripto tradi curat, maledicens ei, ut et cæteri illius pœna emendarentur. Hic nobis postea enumerat filios Jacob beatus Moses ; ac per ea, quæ narrat, Justi virtutem nos docet : enimvero ne putes fortuito simpliciterque, ut contingere solet, ipsum concubuisse cum Rachel et Lia duabusque ancillis ; monstrat se ex dispensatione quapiam cum illis rem habuisse, ut duodecim tribus ex eo nascerentur : propterea non ultra meminit Scriptura ei alium natum esse filium : ut discas hoc non simpliciter, neque absque causa factum esse. « Erant autem, » inquit, filii Jacob duodecim [5]. » Distinguit vero postea, et

[1] Gen. xxxv, 18. — [2] Ibid. 19, 20. — [3] Ibid. 22. — [4] Levit. VIII, 8. — [5] Gen. xxxv, 22.

primum eos, qui Liæ erant, dein eos qui Rachelis, denique et eos, qui ancillarum erant, numerat, et dicit : « Hi sunt » filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia [1]. » Atqui tunc natus est Benjamin, quando venit Bethlehem. Quare igitur dicit Scriptura : « Qui nati sunt ei in Mesopotamia ? » fortasse quia Rachel ante egressum ex Mesopotamia conceperat. « Et venit, inquit, Jacob ad Isaac patrem suum [2]. » Considera, obsecro, hic quomodo in omnibus certis indiciis misericors Deus Justos confirmare volebat. Quia enim venit post tot annos ad patrem suum Jacob, maxima utrisque fuit consolatio, et filio ex patris conspectu, et patri videnti tantam filii substantiam, chorumque filiorum ex eo natorum. « Tunc, inquit, mortuus est Isaac senex, et plenus die- » rum [3]. » Nam cum Jacob benedictionem suffuraretur, hebetes erant oculi ejus, unde factum est ut deciperetur : cogita post tot annos quantum senuerit. « Et sepelierunt » cum, inquit, Esaü et Jacob [4]. » Sed jam sepultura patris facta, « Esaü, acceptis uxoribus et filiis et omnibus suis, et » omnibus quæ possidebat in terra Chananæorum, profectus » est. Non poterat enim eos ferre terra peregrinationis præ » multitudine facultatum, et habitavit postea in monte » Seïr [5]. » Et ubi narravit nobis divina Scriptura eos, qui ex Esaü nati sunt, et gentes, quæ ex eo sunt ortæ, dicit : « Peregrinus autem fuit Jacob in terra, qua peregrinatus » fuit pater ejus, in terra Chanaan [6]. » Sed hinc excipit nos alia narratio, qua de admirabili Joseph agitur.

III. Et si libet, hic finiemus sermonem, historiam filii Jacob in aliud concionis initium remittentes. Illud tamen rogaverim vestram charitatem, ut ea quæ dicuntur diligenter auscultetis, et ex singulis Scripturæ dictis maxima vobis accrescat utilitas, nullumque eorum temere prætermit-

[1] Gen. xxxv, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. — [5] Id. xxxvi, 6-8. — [6] Id. xxxvii, 1.

tatur. Thesaurus enim spiritualis sunt divina eloquia; et sicut aliquis de sensibili thesauro sæpe unam gemmam recipiens, magnas sibi parat divitias : ita et hic Justorum virtutes, modo attendere voluerimus, tantam nobis utilitatem afferre possunt, ut ad imitandum eos incitemur. Sic enim poterimus et nos eumdem, quem illi, favorem Dei consequi. Neque enim personarum acceptor est Deus, sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus ei est : ita ut, si voluerimus, nihil sit quod prohibeat quin tanto vel etiam majori potiamur auxilio. Nam si nos duntaxat viderit afferre quæ ex nobis sunt, et præferre humanis ea, quæ sibi placent, tantam et ipse nostri curam declarabit, ut in omnibus invictos reddat. Hostem enim habemus perpetuum, et implacabili in nos odio flagrantem. Unde nobis magna vigilantia opus est, ita ut ejus fraudes vincere, ac superiores ejus telis constitui possimus. Non aliter autem vincemus, quam si per optimam conversationem supernum nobis auxilium conciliemus. Optimum vero institutum est vita pura. Hoc enim basis et fundamentum est virtutis, quod qui recte jecerit, facile alia omnia devincet ; neque illum superabit vel pecuniarum cupiditas, vel gloriæ amor, vel invidia, vel aliqua affectio mala. Et quomodo? ego dicam. Quando enim quis munda fuerit conscientia, et ab omni libera macula, poterit Dominum universi habere inhabitantem. « Beati enim, in» quit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt [1]. » Quod si quis illum inhabitatorem habere mereatur, quasi frustra et sine impedimento corpore vestitus esset, ita postea afficietur, et humanarum omnium rerum superbiam facile contemnet. Humana enim omnia umbra illi somniumque apparebunt, et sicut cœlestis civis præsentium nihil optabit. Talis erat beatus Paulus doctor orbis ;

[1] Matth. v, 8.

propterea clamabat, dicens : « Num experimentum quæ-»ritis ejus qui in me loquitur, Christi [1] ? » Et iterum : « Vivo autem, non jam ego, vivit autem in me Christus [2].» Et iterum : « Quod autem nunc vivo in carne, in fide »vivo [3]. » Vidisti virum corpore circumdatum, quasi incorporea quiete fruentem loqui omnia ?

IV. Hunc omnes imitemur, mortificemus membra carnis, et ad male operandum inefficacia reddamus : sic enim potissimum valebimus ipsa Deo offerre sacrificium beneplacitum. Vidisti quam novum et admirabile hoc sacrificium ? Quando mortua fuerint membra, tunc magis gratum erit Deo sacrificium. Quare et quomodo hoc ? Quoniam spirituale sacrificium est, et nihil habet sensibile. Nam in sensibili quidem sacrificio non solum id, quod mortuum est, abjicitur : sed neque vivum, quod vitiatum fuerit, sacrificiis idoneum esse ab initio lege cautum fuit [4], nec sine causa : sed ut per irrationabilium observationem paulatim inducamur ad spiritualem hanc et rationalem hostiam cum magna cautela offerendam. Quod enim illic est vitiosum, nempe privatum auribus, vel mutilatum cauda, idipsum hic est mala concupiscentia, luxuria, opum amor et omnis nequitia : et quod est illic sanum et ab omni macula alienum esse, idipsum est hic mortuum mundo, ita ad spirituale sacrificium semetipsum idoneum exhibere. Hæc non simpliciter prætereamus, sed bene figentes ea in mente nostra, studeamus ne simus deteriores Judæis, qui in umbra tantam exhibent observationem. Sicut enim illi adhuc lucernæ assidentes tantopere illa observarunt : ita nos postquam Sol justitiæ nos illustrare dignatus est, relictaque umbra ad veritatem adducti sumus, similem observationem circa hoc spirituale sacrifi-

[1] 2 Cor. XIII, 3. — [2] Galat. II, 20. — [3] Ibid. — [4] Levit. XXII 23.

cium exhibeamus. Et neque peccata, quæ nobis videntur parva, perfunctorie prætereamus, sed quotidie a nobis rationes repetamus et verborum, et aspectuum; pœnasque de nobis ipsis sumamus, ut nos a futuro supplicio liberemus. Propter hoc quippe Paulus inquit : « Nam si nos ipsos » judicaverimus, non utique judicaremur [1]. » Ita si nos ipsos hic condemnaverimus propter quotidiana peccata, imminuemus severitatem judicii, quod illic futurum est. Quod si ignavi fuerimus, « Qui judicamur, inquit, a Domino eru- » mur [2]. » Prius igitur nosmetipsos condemnemus magna cum sinceritate, et nullo sciente, in tribunali conscientiæ sedeamus : sicque examinemus nostras cogitationes, et rectam sententiam proferamus, ut mens, imminente illo errore percussa, non patiatur amplius decipi, sed impetum refrenet, ac prospiciens illum insomnem oculum, præcludat diabolo ingressum. Propter ignaviam enim ferimus omnia, ut ipsa rerum experientia clamat. Nam quemadmodum si vel parum excitari voluerimus, omnes illius insidias quasi pulverem repellemus : sic quando supplantamur, non propter illius tyrannidem hoc sustinemus, sed propter ignaviam nostram. Neque enim vi sua et necessitate nos vincit, sed deceptione sola. Ne decipiamur autem in nobis est, si parum esse vigiles voluerimus, et nobismetipsis attenderimus : non quod ex nobis solis tanta sit potestas, sed quia tunc supernum auxilium nobis affulget. Nam si quæ a nobis sunt fecerimus, sequentur etiam omnino quæ Domini sunt. Vigiles igitur simus, obsecro, et scientes artes maligni, perpetuo caveamus nobis, et oremus Deum ut nos adjuvet ad certandum nostrum cum diabolo certamen. Sic enim et nos invicti erimus, et machinationes illius effugiemus, et divinam consequemur gratiam, bonaque æterna adipiscemur. Quæ nobis omnibus

[1] 1 Cor. xi, 31. — [2] Ibid. 32.

contingant, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto sit gloria, imperium et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXI.

Hæ autem sunt generationes Jacob : Joseph septemdecim annorum erat pascens cum fratribus suis pecora [1].

I. Iterum pro consuetudine mea ad mensam vos inducere volo, et prosequens ea, quæ pridem vobis dicta, ex his quæ nunc lecta sunt, convivium vobis hoc proponere spirituale. Sufficiunt enim quæ hodie lecta sunt, ad docendum nos omnes quantum invidiæ damnum sit, et quomodo invidiæ pernicies etiam usque ad cognatum magna vi se extenderit. Verum ut videatur ex consequentia sermo progredi, operæ-pretium fuerit initium lectionis tangere. « Hæ » autem sunt, inquit, generationes Jacob. » Vide admirabilem hunc Prophetam, quomodo cum promittat nobis genealogiam Jacob, statim ad historiam pueri recurrat, et postquam dixisset : « Hæ sunt generationes Jacob, » derelicta confestim narratione, quinam scilicet ex illo nati, et iterum qui ex natis ab eo geniti ; sicut supra, cum de Esaü sermo esset, fecit ; ad Joseph statim festinaverit, adolescentem, omnium fratrum fere postremum ; nam dicit : « Joseph decem et septem erat annorum pascens cum fra» tribus suis oves. » Quam ob causam nobis annorum designat numerum ? ut scias adolescentiam non esse virtutis impedimentum, et ut plenius scias adolescentis erga

[1] Gen. XXXVII, 2.

patrem obedientiam, et in fratres benevolentiam, illorum autem inhumanitatem, et quomodo ne id quidem cohibere eos potuit, quod ita in eos affectus esset; nec in tam tenera ætate, quæ debebat eos ad commiserationem provocare, fraternum amorem servarunt : sed mox ab initio videntes et pueri bonam indolem, et patris erga illum benevolentiam, in invidiam contra eum excitati sunt. « Detu» lerunt enim, inquit, Joseph de pessimo crimine apud Is» raël patrem suum [1]. » Vide malitiæ eminentiam : patris charitatem perturbare attentabant, et quæ non erant fingunt contra fratrem, id solum efficientes, ut ipsorum invidia manifesta redderetur. Et ut discas eos nihil aliud lucrifecisse, quam quod prius latentem pravam mentem palam fecerint, vide patrem etiam post eorum accusationem magis hærentem filio, et jam præferre cum omnibus. « Jacob autem, inquit, dilexit Joseph supra omnes filios » suos, quoniam filius senectutis erat ei. Fecit autem ei tuni» cam variam [2]. « Quid est, » Dilexit Joseph super omnes filios » suos, quoniam filius senectutis erat ei? » quia postremus, et in ipsa senectute natus est ei, propter hoc magis dilexit. Nam magis amabiles videntur filii, qui in senectute ipsa generantur, majoremque patrum benevolentiam assequuntur. Sed ut sciamus non hoc solum fuisse quod patrem illi conciliabat, ita ut eum aliis præferret, docet nos Scriptura etiam post illum alium quoque natum esse filium : et si secundum naturalem amorem dilectio fuisset, postremus fuisset magis dilectus, utpote vere senectutis filius, et unc natus, quando ad postremam senectutem pervenit Justus. Quid igitur est dicendum? supernam quamdam gratiam fuisse, quæ juvenem amabilem reddebat, et propter animæ virtutem ut cunctis præferretur faciebat : hanc autem in Scriptura proponi causam, quod filius senectutis

[1] Gen. xxxvii, 2. — [2] Ibid. 3.

fuerit, et ideo magis eum dilexerit, ut non manifeste augeret odium fratrum. Gravis enim hæc animi ægritudo est, et quando animam invaserit, non prius eam relinquit, donec in extremam absurditatem eam induxerit, et lædens animam, a qua nata est, omnino aliter eum, cui invidet, afficit, quam vult : nempe clariorem, nobiliorem, illustriorem illum reddit ; unde iterum alia gravior invido plaga nascitur. Hic consideres igitur admirandum illum juvenem, rerum quæ agebantur ignarum, repræsentari cum illis ut cum fratribus, et quasi eodem utero natis, omni cum fiducia et simplicitate loquentem, illos autem invidiæ malo captos odio eum persequentes. « Videntes enim, inquit, » fratres, quod pater præ omnibus filiis diligebat eum, ode» rant eum et non poterant ei loqui quidquam pacifice [1]. » Vide quomodo odio prosequuntur eum, qui in nullo offenderat. « Et nihil, inquit, poterant ei loqui pacifice. » Quid » est, « Nihil poterant loqui ei pacifice ? » Quia affectus dominabatur eis et quotidie augebatur odium, ceu capti tyrannide hujus mali in dolo loquebantur, et nihil ei pacifice loqui poterant. Vide autem quomodo causam odii significavit, quod nempe ab invidia exordium habuerit. « Ut viderunt enim, inquit, fratres, quod pater eum præ » omnibus filiis suis diligeret. » Amor patris invidiam ei peperit, sed patris benevolentiam virtus filii sibi conciliavit. Cum igitur oporteret illos imitari fratrem, et æmulari mores ejus, ut sic et ipsi patrem sibi conciliarent, ne hoc quidem illis in mentem venit, sed communi odio filium a patre dilectum prosequebantur. Et illi quidem, quasi hostes facti, intus latentem malitiam parientes, nihil pacifice ei, sed cum dolo loquebantur : ille autem admirabilis, fraternam benevolentiam cum eis servans, nihilque suspicans, ut fratribus bene fidens, omnia quæ in se erant faciebat.

[1] Gen. XXXVII, 4.

II. Hic morbus ab initio et Caïn, ut fratrem occideret, armavit. Et sicut isti propter benevolentiam patris, quam erga filium declarabat, odio illum prosequebantur, et impugnare moliebantur, et quotidie ipsius cædem parturiebant : eodem sane modo et ille, ut vidit fratris dona Deo magis accepta fuisse, ad eum occidendum provocatus est, et inquit, « Egrediamur in campum [1]. » Vides hunc etiam nihil suspicatum, confidisse fratri, et exiisse, ac præter animi sententiam in nefariam illam dextram incidisse? Sic sane et admirabilis Joseph, nesciens malum fratrum suorum consensum, tanquam cum fratribus cum eis loquebatur, et insomnia ipsa, quæ sibi Deus revelaverat, præsignando gloriam sibi obventuram et fratrum subjectionem, in medium proponebat. « Cum enim somniasset, somnium, » inquit, annuntiavit fratribus suis, et dixit eis : Audite som» nium hoc meum. Putabam nos manipulos ligare in me» dio agro, et surrexit manipulus meus, et erectus est : cir» cumstantes autem manipuli vestri adoraverunt manipu» lum meum. Dixerunt autem ei fratres : Num regnans » regnabis super nos, aut dominans dominaberis nostri? » Et apposuerunt adhuc eum odio prosequi propter somnia » et verba sua [2]. » Propterea prius quoque docuit illos odium erga eum antea exhibuisse, ut ne putemus eos hinc sumpsisse odii sui contra eum exordium. «Apposuerunt enim » adhuc eum odio prosequi : » hoc est, multo magis augebant odium et inimicitias contra eum. Et vide miram illorum cæcitatem : ipsi enim somnium exponunt. Non enim est dicendum eos propter ignorantiam eorum, quæ futura erant, invidiam gessisse contra eum ; sed ut futura ex somniis didicerunt, auctum est odium eorum. O ingentem amentiam ! Oportebat hoc scientes majorem erga illum benevolentiam declarare, e medio tollere odii causam, at-

[1] Gen. IV, 8. — [2] Id. XXXVII, 5-8.

que effugare invidentiæ affectum : obtenebrati mente, et non videntes se contra semetipsos omnia facere, multo majore odio in eum exarserunt. Quare, o miseri et calamitosi, tantam declarastis invidiam, non cogitantes et fraternum vinculum, et somniorum revelationem manifestam Dei erga illum declarare benevolentiam? Nolite enim existimare quæ a Deo præsignata sunt, posse subverti. Nam sicut somnium dijudicastis, ita erit non post multum temporis, etiamsi innumera excogitare volueritis. Solers enim et sapiens cum sit omnium Dominus, ut suæ virtutis declaret potentiam, sæpe multa permittit interponi impedimenta, ut iis, quæ sibi pridem visa erant, perfectis, summam virtutis suæ declaret eminentiam. Verum ita se habet invidia, nihil eorum cogitare potest : sed omnino, ut ita dicam, ubi invidus captus ab hoc morbo fuerit, contra suam ipsius salutem facit omnia. Et illi quidem narratione somnii odium auxerunt ; admirabilis autem Joseph, ubi et aliud somnium vidit, non ipsis solum, sed et patri narrat. « Quasi sol et luna, et undecim stellæ adorabant me. » Et increpavit eum pater suus, et dixit ei : Quod est som- » nium hoc, quod somniasti? Numquid euntes ibimus ego » et mater tua, et fratres tui, ut adoremus te super terram? » Æmulati autem sunt eum fratres sui, pater vero obser- » vavit verbum [1]. » Sciens pater quod fratres inviderent ei, propter hoc increpavit puerum, et exposuit etiam ipse somnium, ac conjectans a Deo revelationem ei factam, observabat verbum. Verum non ita faciebant fratres. Sed quid? Iterum multo magis æmulabantur. « Cur insani fuistis? cur stupidorum opera fecistis? Non cogitastis, secundum insomnium non temere, neque fortuito factum esse : sed ut cum didiceritis omnino futura esse quæ prædicta sunt, cessetis meditari fratricidium, utpote rem molientes

[1] Gen. XXXVII, 9-11.

impossibilem? Igitur oportebat quidem vos, cum cogitaretis, et in mentem acciperetis fraternam vestram conjunctionem, futuram fratris gloriam pro vestra ducere. Quoniam autem ad hoc non respiciebatis, consequens fuit illud cogitare vos non contra eum, sed contra omnium Dominum, qui hoc ei jam revelavit, bellum gerere. » Verum illi quidem, sicut dixi, neque naturæ vinculum reveriti, neque in mente capientes quanta ille superna benevolentia muniretur, odium quotidie auxerunt, et occulte intra semetipsos rogum accenderunt, neque patre, neque filio tale quidpiam suspicantibus, neque cogitantibus eos in tantam insaniam esse properaturos. Ideo ubi profecti sunt fratres ad greges; « Dixit, inquit, pater ad Joseph: Nonne fratres tui pascunt » oves in Sychem? Veni, mittam te ad eos. Dixitque ei: » Ecce ego [1]. » Vidisti patris erga filios dilectionem? vidisti filii obedientiam? Dixit autem ei: « Vade, et vide num sani » sint fratres tui, et oves, et annuntia mihi [2]. »

III. Hæc autem omnia facta sunt, ut et Josephi erga fratres monstraretur benevolentia, et illorum sanguinaria mens fieret manifesta. Factum est autem et in figuram futurorum, ut in umbra multo antea veritatis res describerentur. Et sicut Joseph ad fratres abiit invisum eos, et illi neque fraternitatem, neque adventus causam reveriti, primum quidem de occidendo illo deliberabant, postea autem vendiderunt barbaris: ita et Dominus noster, suam servans misericordiam, advenit invisens humanum genus, et suscepta nostræ formæ carne, dignatus fieri frater noster, sic advenit. Et clamat Paulus dicens: « Non enim An» gelos assumpsit, sed semen Abrahæ: unde debuit per » omnia fratribus similis fieri [3]. » Sed ingrati Judæi, animarum corporumque Medicum, innumera miracula quotidie patrantem, occidere conati sunt, et opere compleverunt

[1] Gen. xxxvii, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Hebr. ii, 16, 17.

animo suo decretam cædem, ac crucifixerunt eum, qui propter nostram salutem servi formam suscipere dignatus est. Et isti quidem apprehensum, et cruci traditum occiderunt : illi autem consultabant quidem, sed opere quod consulebant non impleverunt. Oportebat autem figuram minus habere, quam veritatem ; quia alioqui non fuisset figura eorum, quæ posthac futura erant. Propterea illic quidem quasi in umbra præsignata sunt. Et considera negotium. Non occiderunt, sed vendiderunt, et vestem hœdi sanguine inquinantes dederunt patri, persuadere volentes occisum fuisse filium suum. Vides omnia hæc facta esse, ut quasi in umbra imago illa rerum fieret, et veritas custodiretur? Sed ad seriem sermonis redeamus. « Et misit » eum, inquit, pater, et venit in Sychem, et invenit eum » homo errantem in agro. Rogavit autem eum homo dicens: » Quid quæris? Ille autem dixit : Fratres meos quæro. An- » nuntia mihi ubi pascant oves[1]. » Considera quomodo hic magno studio de fratribus suis inquirit, et curiose perlustrat, et omnia facit ut eos videre possit. « Dixit autem ei, » inquit, homo : Audivi eos dicentes : Eamus in Dothaïm. » Et ivit Joseph, et invenit eos. Prius autem viderunt eum » a longe antequam appropinquaret ad se, et maligne cogi- » tabant, ut occiderent eum[2]. » Considera hic, quæso, Dei providam sapientiam, quomodo illi quidem concitati erant in cædem ejus : ipse autem omnia faciens et transmutans permittit interim omnia impedimenta objici, ut athleta suo clariore facto, postremum somniorum adducat eventum. « Prius autem viderunt eum, inquit, et maligne co- »gitabant, ut occiderent eum. Dicebat autem unusquisque » ad fratrem suum : Ecce somniator ille venit : nunc igitur » venite, occidamus eum, et projiciamus eum in lacum » unum ex his, et dicemus : Mala bestia devoravit eum, et

[1] Gen. xxxvii, 15, 16. — [2] Ibid. 17, 18.

» videbimus quid erunt somnia ejus [1]. » Vidisti eos, somniorum eventum expectantes, occidere eum conatos esse? Sed ut discant non esse possibile ea, quæ a Deo sunt prædicta, non opere compleri, consultant et attentant, et suam declarant malitiam : at sapiens et sagax Deus insidiatores ministrare etiam invitos cogit dispensationi futurorum. Quoniam enim conspiraverant in mortem ejus, et in proposito jam occiderant : « Ut audivit, inquit, Ru» ben, eripuit eum ex manibus eorum, et dixit : Non per» cutiamus eum in animam : non effundite sanguinem, » abjicite eum in lacum illum in solitudine, manum autem » non injicite in eum : ut eum criperet ex manibus eorum, » et redderet eum patri suo [2]. » Vide et istum, quomodo non audet manifeste eripere fratrem, sed jam occidendi conatum et impetum refrenare volens, dicit : « Non effun» dite sanguinem, sed abjicite eum in lacum. » Docere enim nos volens divina Scriptura scopum et mentem Ruben, dicit : « Hæc autem faciebat, ut eriperet eum, et » redderet patri suo. » Et cum illi hæc consultarent, nondum Joseph advenerat, sed postquam colloquium hoc absolverunt : « Venit, inquit, Joseph ad fratres suos [3]. » Cum igitur oportuisset illos occurrere fratri, et amplexari, et quomodo se pater haberet inquirere, illi vero quasi feræ quædam, ubi agnum conspicatæ fuerint, assiliunt. « Et exuerunt, inquit, Joseph veste varia, et acceptum » eum projecerunt in lacum. Lacus autem erat vacuus, » aquam non habens : quemadmodum consuluerat Ruben, » ita fecerunt. Et injecto illo, sederunt ad comedendum » panem [4]. » O crudelitatem ! o inhumanitatem ! Ille quidem tantum itineris confecerat, et tanto studio de eis inquisierat, ut videret et annuntiaret patri quomodo se ha-

[1] Gen. XXXVII, 19, 20. — [2] Ibid. 21, 22. — [3] Ibid. 23. — [4] Ibid. 24.

berent res illorum : illi vero quasi barbari et inhumani, quia consulucrat eis Ruben ne effunderent sanguinem, fame occidere volebant. Sed benignus Deus statim eum liberavit ab insania fratrum. « Cum enim consedissent ad » comedendum panem, viderunt Ismaëlitas viatores ve- » nientes, et Ægyptum versus euntes. Et dixit Judas : Quid » prodest si occiderimus fratrem nostrum, et occultaveri- » mus sanguinem ejus ? Venite, vendamus eum Ismaëlitis » istis. Manus autem nostræ non sint super eum, quia fra- » ter noster et caro nostra est [1]. »

III. Vide quomodo et prius Ruben minore malo majus prohibuit, et nunc quoque Judas consulit ut vendatur frater, quo eum ab interitu eripere queat. Hoc autem totum ita gestum est, ut etiam invitis illis, quæ a Deo prædicta fuerant, evenirent, et dispensationi divinæ servirent; « Et probato, inquit, consilio Judæ, eduxerunt eum de » cisterna, et vendiderunt Ismaëlitis viginti aureis [2]. » O iniquam permutationem ! o damnosum lucrum ! o injustissimam venditionem ! Eum, qui vobis sanguine conjunctissimus erat, quem pater maxime amabat, qui ad visendum vos venerat, qui nunquam vos vel in parvo, vel in magno offenderat, vendere audetis, et vendere hominibus barbaris, et in Ægyptum descendentibus ? Quæ tanta insania ? quæ invidia ? quis livor ? Nam si hoc metu somniorum facitis, ut persuasi hæc omnino eventura esse, quare impossibilia attentatis, et factis vestris contra Deum bellum assumitis, qui hæc ei prædixerat ? Quod si nihili facitis somnia, sed existimatis esse delirium, quare hæc agitis quæ perpetuam vobis maculam inurant, et luctum indesinentem patri vestro afferant ? Sed o gravissimum morbum, imo mentem sanguinariam ! Cum enim quis nefarium opus aggreditur, et obruitur a cogitationibus absur-

[1] Gen. xx, 85, 27. — [2] Ibid. 29.

dis, is neque proponit ante oculos oculum illum, qui non quiescit ; neque reveretur naturam ipsam ; neque attendit aliquid quod ad commiserationem se possit inducere, id quod et illis evenit. Non enim cogitabant quod frater esset, neque quod adolescens, neque quod tam amabilis patri, neque quod nunquam in terra aliena vixisset, et apud externos nunquam ante conversatus, nunc in terra tam semota inter barbaros habitaturus esset : sed omni honesta cogitatione abjecta, unum duntaxat curabant, quomodo invidiam suam, ut putabant, opere explerent. Et illi quidem mente fratricidæ erant : qui autem ab eis passus est, omnia fortiter tulit. Custodiebat enim eum manus superna, et omnia difficilia faciebat ei facilia et levia. Quando enim superna benevolentia fruimur, etiam inter medios barbaros, et in aliena regione melius et commodius versari possumus, quam ii qui domi habitant, et quibus summa cura ministratur. Sicut etsi in domo versemur, et omnibus deliciis frui videamur, destituti autem simus superno præsidio, omnibus sumus miseriores. Magnum enim est virtutis robur, et malitiæ infirmitas ; et hoc maxime ostendit nobis historia, quam in manibus habemus. Dic enim quos miseros et innumeris lacrymis dignos esse putas, illos-ne, qui tanta mala fecerunt, an fratrem, qui in potestatem barbarorum venerat? Manifestum quod illos. Cogita enim, obsecro, hic admirabilem illum, qui tanta ministrorum cura educatus, et in ulnis paternis semper habitus fuit, quomodo repente coactus est ferre gravem servitutem apud viros barbaros, non meliores ipsis bestiis. Sed omnium Dominus erat, qui et illos humanos reddebat, et isti in omnibus patientiam indebat. Et cum vendidissent fratrem, quasi perfecissent propositum suum affecti fuere, illo ablato videlicet e medio, cui invidebant. « Reversus » est autem, inquit, Ruben ad cisternam, et non vidit Jo-

» seph, et disrupit vestimenta sua, et rediit ad fratres suos, » et dixit : Puer non est, ego vero quo ibo ultra [1] ? » Quoniam enim supra docuit divina Scriptura eum propterea consuluisse eum in cisternam conjiciendum, ut ex sanguinariis manibus illum eriperet, et redderet patri : nunc, inquit, ubi vidit se voti compotem non esse, discidit vestimenta sua, et dixit : « Puer non est, ego autem quo va- » dam? » Qualem habebimus defensionem, et maxime ego, qui vobis præesse videor ? » Putabat enim eum occisum fuisse. At postquam factum est quod quærebant, et in alienam terram miserunt eum, quem odio habebant, atque invidiam suam aliquo modo mitigarunt, postea magna industria cogitarunt ut deluderent patrem, ne mala sua conspiratio illi manifesta fieret. « Et occiso hœdo capra- » rum, inquinaverunt vestem sanguine, et attulerunt ves- » tem patri suo, et dixerunt : Cognosce num vestis filii tui » sit, nec-ne [2] ? » Quid decipitis vosmetipsos, o insensati? nam licet patrem decipere possitis, non tamen latebitis Oculum illum, qui sopiri nequit, quem maxime omnium formidare oportebat. Sed ita se habet humana natura, imo ita se habet multorum nequitia, ut humanum timorem et præsentis vitæ infamiam tantum maxime caveant, in mente autem non versent terribile illud tribunal, et intolerabilem pœnam ; sed hoc unum curent, quomodo effugere possint humanam reprehensionem : id quod et illi egerunt, dum patrem suum decipere molirentur. « Agnovit enim, » inquit, vestem pater, et dixit : Vestis filii mei est, fera » mala devoravit eum, fera rapuit Joseph [3]. » Etenim vere quasi in malas bestias incidisset, omnia crudeliter passus est. « Discidit autem vestimenta sua, et posuit saccum » super lumbos suos, et luxit filium suum diebus multis [4].» Quantis fuerint illi digni lacrymis, qui non solum fratrem

[1] Gen. xxxvii, 30. — [2] Ibid. 31, 32. — [3] Ibid. 33. — [4] Ibid. 34.

barbaris vendiderunt, sed et patrem in extrema senectute in tantum luctum injecerunt? « Congregati autem sunt filii » ejus et filiæ ut consolarentur eum, et noluit dicens : Des- » cendam ad filium meum lugens in infernum[1]. »

IV. Opinor et hoc illis aliam fuisse plagam. Videbant enim patrem tantum tamque ferventem amorem exhibere erga eum, qui non aderat, imo et putabatur a bestiis discerptus, et majori tabescebant invidia. Sed illi quidem erga fratrem et erga patrem crudeles, nulla fuerint venia digni : Madianitæ autem et ipsi divinæ serviunt dispensationi, et denuo Josephum vendunt Petephre archimagiro Pharaonis. Vidisti quomodo paulatim procedit, et per omnia suam virtutem et patientiam declarat, ut sic quasi athleta fortiter certans, redimiretur corona regni, et eventus somniorum implerentur : quo docerentur ii, qui eum vendiderant, se nihil commodi ex sua malitia reportasse? Tantum enim robur habet virtus, ut clarior fieri soleat cum infestatur. Nihil enim ea robustius, nihil validius : non quod ipsa sola tantum habeat robur, sed quia is, qui eam possidet, et supernum auxilium habet, quo præsidio et ope cum fruatur, omnibus est potentior et invictus, ac capi nequit, non solum hominum insidiis, sed et dæmonum machinationibus. Id scientes, ne fugiamus male affici, sed male agere; hoc enim est vere male affici. Nam qui proximum affligere tentat, illi quidem omnino nihil nocet: licet enim ad parvum tempus noceat, in hoc tantum sæculo id facit, sibi autem immortalia tormenta recondit, et pœnas intolerabiles, quas non aliter effugere possumus, nisi paraverimus nos ad ferendas afflictiones, et secundum doctrinam Domini, precemur pro iis, qui nobis injurias inferunt. Hoc enim nobis magnam parabit mercedem, et concedet dignos effici regno cœlorum. Quod nobis utinam

[1] Gen. XXXVII, 35.

concedatur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXII.

Et vidit Judas hominis Chananæi filiam, quæ vocabatur Sava, et duxit eam, et ingressus est ad eam: et concipiens peperit filium, et vocavit nomen ejus Er[1].

I. Satis nuper ex historia Joseph didicimus quantum damni nascatur ex invidia, et quomodo perniciosus ille morbus animam primum corrumpat, a qua nascitur. Vidistis quomodo per hanc ægritudinem fratres Joseph et cognationis obliti sunt, et bestiarum crudelitatem erga eum, qui in nullo ipsos offenderat, exercuerunt, malitiam quidem suam potius manifestam reddentes, quam fratri nocentes. Malitia enim sua fratri suo non tantum nocuerunt, quantum seipsos ignominia affecerunt. Nam licet barbaris eum vendiderint, et illi iterum vendiderint archimagiro Pharaonis, nihilominus, quia habuit supernum auxilium, a quo juvabatur, omnia ipsi levia et facilia visa sunt. Et volebam etiam hodie eamdem historiam tractare, indeque vobis contexere doctrinæ sermonem: verum in medio alia quædam narratio interjacet, quam non æquum est nos præterire; sed opus est ut quantum possibile est perscrutemur, et sic iterum ad argumentum Josephi redeamus. Quænam igitur illa quæ interseritur narratio?

[1] Gen. xxxviii, 2, 3.

Illa de Juda. Hic enim, accepta in uxorem filia Chananæi, Sava nomine, susceptisque ex illa tribus filiis, duxit, inquit, primogenito suo Er uxorem Thamar. Quia autem ille malus erat coram Domino, occidit eum Deus. Et præcepit Aunan ut, ducta uxore fratris sui, excitaret semen fratri suo. Id enim lex jussit, quæ dicit: « Mortuo fratre sine libe» ris, frater, ducta uxore, excitet semen fratri [1]. Verum et » hunc, quia malus erat, occidit Dominus [2]. » Hoc Judam terrore perculit, videntem duos filios tam cito interiisse: et volens Thamar consolari, promisit se alium filium ei daturum: sed non implebat promissa, veritus ne et ipse eamdem pœnam ferret, quam fratres. Talibus promissionibus pascebatur Thamar, inque domo patris sui sedebat, expectans quando soceri promissio impleretur, et videns Judam non velle implere promissa, interim mansuete tulit, non sustinens aliorum conjugia, sed amplexa viduitatem, et tempus congruum expectans; festinabat enim ut filios procrearet ex socero. Et quia vidit socrum mortuam, et Judam venire in Thamna ad tondendas oves, furari voluit soceri concubitum, et ex illo filios procreare, non libidinem explere concupiscens; absit hoc; sed ne videretur esse sine nomine. Alioquin et dispensatio erat id quod fiebat, unde et opere completa sunt ea, quæ illa deliberavit. » Depositis enim, inquit, vestibus viduitatis suæ, et induta » theristro, et ornata sedit apud portas [3]. » Deinde quasi excusans eam Scriptura, dixit: « Vidit enim quod creve» rat Selom, ipse autem non daret ipsam ei uxorem [4], » et propterea ad deceptionem illam properavit. Judas enim cum putaret eam esse scortum; velaverat enim illa faciem, ne agnosceretur: « Divertit ad eam. Illa autem dixit: Quid » mihi dabis? Ille autem pollicitus est hœdum ex gregibus » se missurum. At hæc dixit: Si dederis arrhabonem, do-

[1] Deut. xxv, 5. — [2] Gen. xxxviii, 7. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid.

» nec mittas. Et dedit annulum et armillam, et baculum, » et intravit ad eam, et gravida facta est ex eo [1]. » Nullus hæc audiens condemnet Thamar; nam, ut dixi, dispensationi ministravit, propterea neque ullam inde reprehensionem meretur, neque Judas criminibus fuit obnoxius. Etenim hac via procedens, invenies ex pueris inde natis Christum secundum carnem ducere genus. Præterea duo isti filii, per eum nati, duorum populorum figura fuerunt, et prædictio quædam vitæ tum judaïcæ, tum spiritualis. Sed nunc videamus, post recessum Judæ, quomodo parvo exacto tempore, et opere in apertum producto, Judas semetipsum condemnat, illam a criminibus liberans. Nam postquam implevit Thamar quod voluit, iterum mutato habitu, inde quidem recessit, et venit in domum suam. Judas autem nihil eorum sciens, promissionem implevit et hœdum misit, ut arrhabonem suum illi datum reciperet: sed nusquam inventa muliere, rediit puer, significans Judæ se nusquam invenire mulierem potuisse. Quibus compertis, Judas dixit, inquit: « Ne forte damnemur, ut habiti ingrati. » Neque enim sciebat factum. Verum præteritis mensibus tribus, et sarcina ventris partum prædicente, et nullo alio furtivum sciente concubitum, « Annuntiatum, » inquit, est Judæ quod uterum gereret ex adulterio. Et » ut didicit: Educite eam, inquit, et comburatur [2]. » Magna indignatio, gravis pœna, quia et peccatum grande esse videbatur. Quid igitur Thamar? Productis iis, quæ in arrhabonem Judas reliquerat, inquit: « Si quis est cujus hæc » sunt, ab illo ventris sarcinam accepi [3]. »

II. Attende quomodo silens fide dignos testes affert qui loquantur, et satis eam criminis innoxiam demonstrent. Quia enim tribus testibus egebat, quæ in tali causa arguebatur: idcirco et hæc quasi claro testimonio dato, tres ar-

[1] Gen. xxxviii, 16-18. — [2] Ibid. 24. — [3] Ibid. 25.

rhabonum species mittit, annulum, armillam, et baculum: et domi sedens tacensque in causa vicit. «Judas enim, cum »agnovisset, dixit: Justificata est magis quam ego, prop»terea quod non dedi eam filio meo Selom[1].» Quid est, »Justificata est ipsa magis quam ego?» Illa quidem, inquit, innoxia est, ego autem meipsum condemno, et nullo arguente, meipsum prodo; imo abunde me redarguunt quæ data sunt illi in arrhabonem. Et deinde iterum Thamarem excusans, dicit: «Quia non dedi eam Selom filio »meo?» Forte autem hoc factum est ob hanc, quam dicturus sum, causam. Nam quia Judas putabat illius causa mortuos Er et Aunan, idque metuens, eam non dedit Selom, quamvis ei promisisset, ut manifeste ac evidenter sciret ipsam non istis causam fuisse mortis, sed eos propter suam malitiam pœnas dedisse: «Occidit eum, inquit, »Deus: «et iterum,» Occidit eum[2],» inquit etiam de secundo; propterea ignarus ipse cum nuru sua rem habet, et clare didicit ipsam non in causa fuisse, sed illorum malitiam eos reos pœnæ fecisse; et confessus peccatum suum, etiam illam a supplicio liberavit. «Non adjecit, in»quit, ut cognosceret eam[3],» quod declarat neque primum cum ea rem habiturum fuisse, si agnovisset eam. Deinde postquam diligenter narravit nobis divina Scriptura deceptionem quam fecerat Thamar, consequenter docet nos qui filii ei sint nati. «Factum est autem, inquit, cum »pareret, erant gemelli in ventre ejus. Et cum pareret, »unus protendit manum: apprehensam autem obstetrix »coccino ligavit, dicens: Hic egredietur primus[4].» Vide hic, obsecro, sacramentum et prædictionem futurorum. Nam postquam ligavit obstetrix manum coccino, ita ut cognosci posset exiturus, tunc «Retraxit manum, et exiit

[1] Gen. xxxviii, 26. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 26. — [4] Ibid. 27, 28.

» frater ejus[1]. » Cessit, inquit, fratri, ut prior egrederetur, et qui posterior putabatur, prior exiit, et qui prior existimabatur, posterior egressus est. « Et dixit obstetrix : Quare » divisa est propter te sepes ? et vocavit nomen ejus Phares[2]. » Dissectionem enim et quasi partitionem hoc nomen significat. « Et post hunc egressus est frater ejus, qui signum in » manu dextera acceperat, et vocavit nomen ejus Zara[3], » quod intepretatur Oriens. Et quod non temere et absque causa hæc facta sint, sed figura futurorum fuerint, res ipsæ declarant. Neque enim secundum naturæ ordinem hoc factum est. Quomodo enim erat possibile ut, postquam manus ligata fuit coccino, ipsa iterum contraheretur, et daret posteriori transitum, nisi divina quædam virtus hæc prius dispensasset, et sicut in umbra quadam præfigurasset, quod statim ab initio Zara, quod est Oriens, (hic enim figura erat Ecclesiæ;) prospectare cœpit; quo paulisper procedente, ac mox retrocedente, legalis observatio per Phares significata subintravit, quæ postquam diu regnum tenuisset, eo qui prius cesserat, Zara videlicet, rursus procedente, cessit Ecclesiæ omnis judaïca consuetudo ? Sed forte nunc fuerit necessarium idem brevius et clarius dicere. Fuerunt, sicut Zara qui manum protulit, Noë et Abraham, imo ante Noë Abel et Enoch, quibus magnum studium fuit ut placerent Deo. Deinde postquam in multos propagati, multa peccatorum onera collegerunt, opus autem erat ut vel parvam aliquam consolationem haberent : data est lex ut umbra aliqua, non peccata tollens, sed ea demonstrans, et manifesta eis faciens, ut tanquam imperfecti filii qui lacte pascuntur, adolescere possent. Verum quia neque hoc his profuit, sed vel lege peccatorum magnitudinem monstrante, ipsi iterum iisdem inquinati sunt, adveniens communis Dominus noster, spiritua-

[1] Gen. xxxviii, 29. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 30

lem hanc et virtutibus claram vitam humano generi largitus est, cujus figuram Zara implebat. Et idcirco Evangelista etiam meminit Thamar, et eorum qui ex illa nati sunt, et dicit : « Judas autem genuit Phares et Zaram de » Thamar [1]. »

III. Ne igitur temere prætereamus ea, quæ in divinis Scripturis sunt prodita ; neque ea, quæ dicuntur, a superficie salutemus; sed ingressi ad ipsum profundum, cum divitias quæ ibi latent didicerimus, glorificemus Dominum nostrum, qui cum tanta sapientia dispensat omnia. Nam si noluerimus mentem et causam omnium, quæ facta sunt, exquirere, non solum hanc condemnabimus, quod cum socero suo concubuerit, sed et Abraham reprehendemus, puericidam animo factum, et Phineem ut gemini simul homicidii reum. Sin autem uniuscujusque causam diligenter didicerimus, et illos a crimine liberabimus, et nos multam inde utilitatem percipiemus. Cæterum nos quæ ad historiam hanc attinent, pro virili nostra pertractavimus charitati vestræ. Quod si non fatigamini, et volueritis, etiam sequentia attingemus, et iterum ad narrationem admirabilis Josephi veniemus, ut discatis ex iis, quæ hodie dicta sunt, quæ generosus ille athleta, post somnia illa regnum et principatum fratrum sibi promittentia, sustinuerit, et quomodo certaminibus certamina, tentationibus tentationes successerint ; ita ut increbrescerent naufragia, nec submergeretur gubernator : et cum validior insurgeret tempestas, quasi ad gubernacula sedens, navim regeret. E re autem fuerit verba ipsa audire, ut diligenter omnia discere possimus. « Joseph autem deduc- » tus est in Ægyptum, et emit eum archimagirus Pharao- » nis de manu Ismaëlitarum [2]. » Deinde postquam illi moribus barbari, qui fratribus eum emerant, Ægyptio archi-

[1] Matth. I, 3. — [2] Gen. XXXIX, 1.

magiro Pharaonis vendiderunt, varios dominos sortitus est ille, qui inter ulnas patris educatus fuerat : ut ne admiremur quomodo tulerit gravem illam servitutem adolescens, et omnino duræ hujusmodi vitæ inexpertus, domique magna patris benevolentia enutritus, subdidit Scriptura dicens : « Et erat Dominus cum Joseph, et erat vir asse-» quens[1]. » Quid est, « Erat Dominus cum Joseph ? » Comitabatur eum, inquit, divina gratia, et reddebat ei facilia omnia, quæ gravia erant. Hæc dispensabat omnes ejus res, hæc mansuetiores ei reddidit negotiatores, et vendere archimagiro coëgit, ut palatim hac via procedens, et per tentationes illas vadens, ad regium solium ascendere valeret. Verum tu, dilecte, audiens eum sustinuisse servitutem apud negotiatores, deinde servivisse apud archimagirum, cogita quomodo non turbatus sit, neque cogitaverit, neque hæsitaverit secum dicens : « Quæ somniorum illorum deceptio, quæ tantam gloriam pollicebatur ? Ecce enim post somnia illa servitus, et servitus gravis, ac domini varii : ab hoc transeo ad illum ; ab illo ad alium : et cogor barbarorum assuescere moribus. Numquid derelicti sumus ? numquid contempti sumus a superno præsidio ? » Nihil tale vel dixit vel cogitavit, sed tulit omnia mansuete et fortiter. « Erat » enim Dominus cum Joseph, et erat vir assequens. » Quid est, « Assequens ? » Omnia ei prospere succedebant, ubique præcedebat eum superna providentia, et ita manifesta erat gratia, quæ florebat super eum, ut etiam domino ejus archimagiro manifestum hoc fieret. « Sciebat enim, inquit, » dominus ejus quod Dominus esset cum eo, et omnia » quæcumque faciebat, Dominus prospera reddebat in » manibus ejus. Invenit autem Joseph gratiam coram do-» mino suo, et constituit eum super domum suam, et om-» nia quæcumque habebat, dedit in manus Joseph[2]. » Vi-

[1] Gen. XXXIX, 2. — [2] Ibid. 3, 4.

disti quantum sit superna manu adjuvari ? Ecce enim et juveni et peregrino et captivo servoque, a domino tota domus creditur. « Et omnia quæ habebat, dedit in manus »ejus. » Quare ? quia cum superno auxilio et suos attulit mores; gratus enim ei erat, hoc est, cum magna gratia faciebat omnia. Deinde volens eum benignus Deus in majori securitate constituere, non liberavit a servitute, neque libertatem ei dedit. Hic enim mos est Deo, ut non liberet a periculis viros virtute claros, neque e tentationibus eximat; sed in ipsis tentationibus tantum suum ostendat auxilium, ut tentationes ipsæ eis fiant occasio festivitatis. Propter hoc et beatus David dicebat : « In tribulatione di»latasti me[1]. » Non tribulationem, inquit, abstulisti, neque ab ea liberatum in tranquillitate esse voluisti, sed id quod est miraculum, et perquam rarum, in medio tribulationis constitutum, absque pavore esse me fecisti : illud sane et hic fecit benignus Dominus. « Benedixit enim do»mum Ægyptii propter Joseph[2]. » Et didicit postea barbarus eum, qui ut servus habebatur, Deo peculiariter gratum esse, « Et permisit omnia quæ habebat in manibus »Joseph, et non sciebat quidquam, præter panem quem »comedebat[3]. » Quasi dominum totius domus constituit. En servus et captivus sub manu sua habet omnia quæ erant domini. Tanta res est virtus : nam ubicumque illa apparuerit, omnibus dominatur et prævalet. Etenim sicut, oriente sole, tenebræ discutiuntur, ita et nunc, apparente virtute, e medio tollitur omnis malitia.

IV. Sed mala bestia diabolus, ut primum vidit Justum gratum esse, et per ea, quæ putantur esse adversa, clariorem fieri, fremit dentibus et insanit : neque videre potest Justum quotidie magis ac magis clarescere, sed profundum barathrum effodit, et præcipitium parat, quo illum

[1] Psal. IV, 1. — [2] Gen. XXXIX, 5. — [3] Ibid. 6.

maximo, ut arbitratur, damno afficiat, et tempestatem excitat, quæ possit violentum ipsi naufragium parere: sed didicit non post longum tempus se contra stimulum calcitrare, et contra suum caput operari omnia. «Et erat Joseph, inquit, pulcher specie, et formosus aspectu[1].» Quare nobis corporis pulchritudinem narrat? ut discamus eum non solum anima pulchrum fuisse, sed et corpore. In ipso enim flore ætatis erat: «Juvenis erat, et pulcher specie, et formosus facie.» Hæc autem prius narravit de eo Scriptura, ut doceat nos Ægyptiam, adolescentis pulchritudine captam, ad illicitum eum concubitum incitasse. «Et factum est post hæc.» Quid est, «Post hæc?» Postquam ei concredita potestas totius domus, postquam tantum honorem a domino suo consecutus est, «Injecit uxor domini sui oculos suos in Joseph[2].» Vide intemperantiam lascivæ mulieris, non subiit illi in mentem se haberi dominam, non cogitavit illum esse servum, sed a formositate capta, et diabolico incendio suscepto, in juvenem postea insilire tentat: malamque illam cogitationem in mente servans, tempus inquirebat et solitudinem, quæ possent ei cooperari ad illicitum suum conatum. Verum ille noluit, neque paruit, neque verba illius suscepit. Sciebat enim hinc sibi magnam perniciem enasci, et non solum res suas spectabat, sed operam dabat ut et illam, quantum possibile erat, ab insania hac liberaret, et ab illicita ista concupiscentia; atque consilium ei affert, quod sufficiebat ei ut pudefieret, et quid sibi esset profuturum cognosceret. «Dixit enim, inquit, uxori domini sui: »Domina a servo consilium accipit. « Si dominus meus propter me nihil scit »in domo sua; sed omnia quæcumque habet, dedit in »manus meas[3].» O gratum viri animum! Vide quomodo enumerat beneficia domini, ut doceat quantum illa se in-

[1] Gen. xxxix, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

gratam erga conjugem ostendat. « Si enim ego, inquit, qui famulus sum, qui peregrinus, qui captivus, tanta fruor apud eum libertate, ut omnia sua sub manu mea tradiderit, et nihil est quod excepit de manu mea, præter te: et omnibus aliis ego præsum, soli autem tibi subjicior, esque extra meam potestatem. » Deinde ut letalem ei plagam daret, et in mentem revocaret viri benevolentiam, persuaderetque ei ne tam ingrata esset erga conjugem suum, inquit : « Et tu propterea extra potestatem meam es, eo » quod tu uxor ejus sis. Cum igitur uxor ejus sis, quomodo » faciam hoc malum verbum, et peccabo coram Deo [1] ? » Quoniam enim illa solitudinem observabat, et tempus expectabat quo latere posset virum, et omnes qui in domo erant, dicit : « Quomodo potero facere malum hoc, et pec» cabo coram Deo ? » Quid enim putas ? etiamsi fecerimus ut res clam sit omnibus, Oculum tamen illum qui dormitare nequit, latere non poterimus : illum solum timere oportet, et tremere ac pavere, ut ne in conspectu ejus male quidpiam faciamus. Et ut discamus Josi excellentem virtutem, et eum non semel neque bis, sed et sæpius certamen hoc sustinuisse, et colloquium hoc tulisse, consulereque non cessavisse, subdit Scriptura : « Cum autem lo» queretur de die in diem, et non obediret ei [2] : » ubi observavit in domo facientem aliquid, assiliit in juvenem, sicut fera dentibus frendens, et apprehensis vestimentis tenuit eum. Non simpliciter hoc prætereamus, sed cogitemus quantum certamen sustinuerit Justus ille. Non enim erat tam admirabile, ut mihi videtur, in fornace Babylonis versari tres pueros et illæsos permanere, nihilque ab igne pati [3], ut admirabile hoc et rarum, nempe admirandum illum juvenem retineri vestimentis a scelesta illa et lasciva, nec tamen illi cedere, sed et vestibus relictis in manibus

[1] Gen. xxxix, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Dan. iii, 50.

illius, resilire. Sicut enim tres pueri illi propter suam virtutem superno freti auxilio, igne præstantiores visi sunt : ita et ille, quia quod in se erat afferebat, et continentiæ certamina cum magna exhibebat constantia, magno supernoque præsidio muniebatur. Neque enim potuisset, dextera Dei non cooperante, ei tantum certamen certare, et a retibus illius libidinosæ mulieris aufugere. Et licebat postea videre admirabilem illum, nudum quidem vestibus exire, indutum autem continentiæ vestimentis, et quasi ab incendio et fornace illæsum effugere, ac non solum non adustum, sed et multo fulgidiorem et clariorem factum.

V. Sed vide post tantam victoriam, postque tantam fortitudinem, cujus causa illum oportebat coronari, et cujus causa oportebat illum prædicari, iterum quasi reum et obnoxium innumera sustinentem mala. Nam Ægyptia illa non ferens pudorem et opprobrium, in quæ seipsam injecerat impossibilia attentans, primum quidem convocavit eos, qui in domo erant, accusans adolescentem; testificaturque illum dixisse ea, quæ ab ipsa magno furore proposita fuerant, atque ita omnes decipere tentat. Hic enim mos est malitiæ, semper contra virtutem pugnat, et ei sua peccata ascribere satagit : id quod et hæc faciebat, adolescentem quasi intemperantem criminans, et se continentiæ larva tegens, dicensque propter hoc et illum vestes reliquisse, et se retinuisse illas. Benignus vero Deus hæc fieri permittit, ut per omnia famulum suum clariorem efficiat. Nam hæc omnia venienti viro cum magna malitia dixit, et adolescentem accusavit dicens : « Intravit ad me puer He» bræus, quem duxisti ad nos, ut illuderet mihi[1]. » O misera et calamitosa ! non ipse introduxit ut illuderet tibi : sed diabolus te induxit, ut non solum adultera fieres, sed et ut, quantum in te fuit, homicidium patrares. Et ostendit

[1] Gen. xxxix, 17.

postea ad comprobationem eorum, quæ dicta erant, adolescentis vestes. Considera, obsecro, hic communis omnium Domini clementiam : sicut enim a fratribus illum eripuit, volentibus eum interficere : et effecit primum quidem ut secundum consilium Ruben in cisternam immitteretur, et postea iterum secundum consilium Judæ negotiatoribus venderetur, ut somniorum eventus complerentur, fidemque facerent Justo non frustra neque temere hæc præsignata fuisse : ita et nunc superna manus erat quæ barbarum detinuit, et non permisit ut statim ad cædem Justi festinaret. Quid enim prohibuisset eum hoc facere, cum intelligeret illum violare suum lectum tentavisse ? Verum providus Deus ideo tantam curavit ab illo exhiberi clementiam, ut injectus in carcerem, etiam illic suam declararet virtutem, et sic ad principatum regni perveniret. « Succensuit » enim, inquit, dominus ejus, et misit eum in custodiam, » ubi vincti regis detinebantur [1]. » Sed si quidem non credebat, non oportebat eum in carcerem conjicere : sin credebat verum esse quod Ægyptia finxerat, tunc neque carcere dignus erat, sed plecti capite et extremam pœnam pati debebat. Verum quando suum auxilium dextra superna ostendit, omnia levia et facilia fiunt; et feroces mansuetiores se præstant. Tunc autem supernum præsidium ubertim nobis assistit, quando multam et nos ostenderimus virtutem. Nam hic quoniam multum certavit, propterea etiam magnas retributiones consequitur, et post tantam fortitudinem abducitur in carcerem, et silenter fert omnia. Scitis enim quanta ii, qui non sunt sibi conscii malitiæ, quando sicut rei condemnantur, utantur sæpe fiducia, dicendique libertate instructi, ingenti animo insurgant contra eos, qui insontibus crimen intentant. Verum ille non sic ; sed silet, et omnia mansuete fert, et magna cum patientia

[1] Gen. xxxix, 19, 20.

Dei expectat subsidium. Vide enim quomodo et in carcere principatum omnem accipiat a custode carceris, idque merito. « Erat enim Dominus cum Joseph, inquit, et » effundebat ei suam misericordiam [1]. » Quid est : « Effun» debat ei suam misericordiam? » Ad miserationem inflectebat præfectum carceris, et mire erga illum benevolentiam suam declarari curabat. « Dedit enim ei gratiam coram illo. » Vere nihil beatius eo, qui Dei benevolentia fruitur. « Dedit » enim, inquit, præfectus carceris carcerem in manum » Joseph [2]. » Vide quomodo custos carceris aliquid honoris ei defert, auctoritatemque ei permittit, atque omnes, qui in carcere erant, esse jubet sub potestate ejus. « Et nesciebat præfectus carceris aliquid; omnia enim erant in manu » Joseph; eo quod Dominus erat cum eo, et omnia quæ » ipse faciebat, Dominus prosperare faciebat in manibus » ejus [3]. » Vide quomodo comitabatur eum perpetuo superna gratia, et omnia quæ faciebat, erant plena gratia. Hoc igitur et nos studeamus, ut nobiscum semper habeamus Dominum, et ut quæ a nobis fiunt, ab illo prosperentur. Nam qui illius auxilium assequitur, etiam in mediis malis existens ridebit, ac nihili putabit omnia, Domino omnium faciente et disponente cuncta, ut prospere succedant omnia, atque ardua facilia reddente. Quomodo autem poterimus nobiscum habere Dominum, ita ut ipso dirigente prospere agamus in omnibus? si sobrii vigilantesque fuerimus, et imitati fuerimus juvenis illius continentiam et alias virtutes, animumque generosum, ac viderimus sic omnia fieri diligenter oportere, ut nunquam a Domino condemnemur; sed sciamus possibile non esse ut occultetur aliquid ab Oculo illo qui dormitare nequit, verum necesse omnino esse ut is, qui peccat, suppliciis obnoxius fiat. Neque majoris faciamus timorem hominum,

[1] Gen. XXXIX, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Ibid. 23.

quam indignationem Dei, sed memores simus semper verborum Joseph dicentis : « Quomodo faciam verbum hoc »malum, et peccabo coram Deo? »Igitur quando nos aliqua cogitatio perturbat, hoc in mente versemus verbum, et statim effugiet omnis illicita concupiscentia. Itaque sive quis corporum concupiscentia capiatur, sive pecuniarum amore, sive alia quadam absurda voluptate, statim hoc cogitet, illum nempe esse qui nos condemnet, a quo non est possibile occultare etiam ea, quæ in mente nostra versantur ; et omnino effugiemus etiam diabolicas machinationes, magnoque adjutorio superno juvabimur, quo nobis frui contingat omnibus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXIII.

Et nesciebat aliquid præfectus carceris propter Joseph[1].

I. Reliquias eorum, quæ a nobis heri dicta sunt, volumus hodie reddere charitati vestræ, et iterum attingere historiam Josephi. Scitis enim hesterno sermone, prolixius extenso, nos non potuisse ulterius progredi, sed sermoni finem imposuisse, quando propter Ægyptiæ calumniam ab archimagiro in carcerem est conjectus. Ideo hodie operæpretium fuerit docere vestram charitatem, quæ in carcere ei acciderint. Nam postquam in carcerem est conjectus, et traditus præfecto carceris, etiam illic tantum Dei subsi-

[1] Gen. XXXIX, 23.

dium assecutus est, ut totius carceris principatus a præfecto carceris ipsi concederetur. « Et nesciebat aliquid præ» fectus carceris propter Joseph. » Vidisti quomodo in ipsis ærumnis versans, adversitatem ne senserit quidem; sed provida sapientia Dei omnia aspera verterit in jucunda. Et sicut, licet quis margaritam luto obruat, nihilominus nativam retinet pulchritudinem : sic et virtus, quocumque eam projeceris, suam vim exerit, etiam in servitute, etiam in carcere, etiam in afflictione, etiam in prosperitate. Quoniam igitur et in carcerem conjectus sibi conciliavit præfectum carceris, et super omnes, qui ibi erant, potestatem ab eo accepit : videamus et hic quomodo vim gratiæ sibi concessæ manifestarit. « Factum est enim, inquit, post verba hæc. » Qualia? quæ narravit post factam calumniam, postquam condemnatus est ad carcerem; et non hoc solum, sed et postquam significatum est nobis Dominum cum illo fuisse, et præfectum carceris omnia quæ ibi erant ipsi commisisse, ut per illum administrarentur. « Factum est, inquit, post » verba hæc, postquam injectus est in carcerem, cum pec» cassent præfectus pincernarum et præfectus pistorum, » condemnati sunt a rege, ut in carcerem mitterentur, » quos præfectus carceris Josepho commendavit [1]. » Neque enim ut vincto usus est illo, sed ut curarum participe, imo ut eo qui ibi detentorum miserias solari posset. « Et as» titit eis [2], » inquit. Quid est, « Astitit eis? » hoc est, consolatus est, roboravit eorum mentes, erexit eorum animos, et non permisit absorberi præ tristitia. « Erant autem diebus » multis in carcere, et viderunt uterque insomnium in nocte » una, præfectus pincernarum et præfectus pistorum [3]. » Sed Beatus ille, cui curæ erat quomodo consolaretur illos, ut vidit eos ob visionem insomniorum turbari, et mente confundi, dicit : « Cur facies vestræ hodie tam obnubilæ et

[1] Gen. XL, 1-4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 5.

» mœstæ [1] ? » Ostendebant enim facies eorum intus latentem perturbationem. Propterea et Sapiens quidam dicebat : « Corde lætante floret facies : in tristitia autem exis- » tente, mœret [2]. » Igitur quia vidit eos tristitia affectos propter insomniorum visionem, causam discere volens rogavit. Vide quomodo et in carcere existens suam ostendit virtutem, et aliorum mœrores alleviare studuit? Quid igitur illi? « Somnium vidimus, et non est qui conjectet » illud [3]. » Ignorabant sapientiam ejus, cum quo loquebantur, sed vulgarem aliquem esse existimabant, et propterea somnium ei non narrant, sed tantum se vidisse dicunt, et » addunt: «Nullus est qui conjectet illud.» Verum admirabilis ille vir dicit eis : « Nonne a Deo manifestatio ejus est? Nar- » rate igitur mihi [4]. » Num a me ipso promitto vobis aliquid me dicturum? Deus est qui revelat. « Narrate igitur mihi. » Vide intelligentiam et humilitatis excellentiam; non dixit : « Ego vobis dijudico, ego vobis dico somniorum eventum. » Sed quid? « Narrate igitur mihi. » Deus enim est solus qui talia revelat. « Et narravit præfectus pincernarum. Ut au- » tem audivit Joseph, inquit: Hæc est interpretatio ejus. » Tres propagines, tres sunt dies : adhuc tres dies, et re- » cordabitur Pharao tuæ pincernarum præfecturæ, et hinc » restituet te, et dabis poculum Pharaoni in manum ejus, » juxta pristinum officium tuum, ut solebas, vinum infun- » dens. Sed recordare mei per temetipsum, quando tibi » bene erit, et facies mihi misericordiam, et memor eris » mei apud Pharaonem, et educes me ex carcere hoc; quia » furtim abductus sum ex terra Hebræorum, et hic feci » nihil, et immiserunt me in hunc lacum [5]. » Quia prædixerat ei bona eventura, et reconciliandum regem, dicit : « Memor esto mei per temetipsum, » quando felicitatem

[1] Gen. XL, 7. — [2] Prov. XV, 13, et XVII, 22. — [3] Gen. XL, 8. — [4] Ibid. 50. — [5] Ibid. 9-15.

tuam obtinueris, mentionem faciendo ejus, qui hæc tibi prædixit, et facies mihi misericordiam. »

II. Hoc audiens, dilecte, ne condemnes pusillanimitatem Justi : sed hac ratione potissimum obstupesce, quod cum tam multa essent molesta, tam fortiter et æquo animo tulit illam inhabitationem. Nam licet magnam a custode carceris potestatem accepisset, attamen gravabatur in tanto pædore cum sordidis et squallidis agendo. Nam vide ejus philosophicam mentem, quomodo fortiter tulerit omnia, in omnibus magnam declarans animæ humilitatem. « Et facies, inquit, in me misericordiam, et re» cordaberis mei apud Pharaonem, et educes me ex carcere » hoc. » Attende, obsecro, hic quomodo nihil dicat contra scelestam illam adulteram, neque arguat dominum, neque narret fratrum in se inhumanitatem, sed tectis omnibus, dicit : « Recordare mei, et fac educi me ex carcere hoc : » Quia furtim abductus sum de terra Hebræorum, et hic » nihil feci, et immiserunt me in lacum hunc. » Ne perfunctorie hoc prætereamus, sed consideremus quam philosophica mente præditus fuerit, et quomodo inventa opportunitate temporis, et sciens præfectum pincernarum in felicem statum restitutum posse omne negotium suum regi significare, non Ægyptiam reprehendit : iterum enim eadem dicam : non dominum affert in medium, non fratres, non dicit causam, propter quam condemnatus sit in carcerem, neque scelus in se commissum narrare studet : sed hoc unum curat, non ut illos condemnet, sed ut pro se solo dicat. Et fratrum quidem causam occultavit, dicens : « Furto abductus sum ex terra Hebræorum : » quæ autem Ægyptia illa fecerat, non profert in medium, neque injustam domini sui erga se indignationem. Sed quid dicit ? « Hic feci nihil, et immiserunt me in carcerem hunc. » Hæc audientes, discamus, si in talia inciderimus, ut

caveamus ne convitiis illos, qui nos vexarunt, incessamus, et ad accusationem illorum linguam acuamus : sed solum demonstremus in mansuetudine et lenitate nos innoxios esse, et imitemur illum admirabilem, qui neque in calamitate existens voluit vel verbis petulantiam et libidinem Ægyptiæ divulgare. Scitis enim multos criminibus etiam obnoxios, magna impudentia in alios sua delicta transferre conari : hic autem sole clarior existens, et qui poterat omnia cum veritate dicere, et illius insaniam manifestam facere, et semetipsum clariorem demonstrare, nihil illorum in medium affert. Neque enim humanam venabatur gloriam, sed sufficiebat ei benevolentia superna, et Oculum illum solum qui non dormit, habere volebat laudatorem factorum suorum. Ideo silente eo, et omnia obtegere moliente, clemens Dominus in tantam eum gloriam perduxit, quando vidit athletam suum recte certasse. Jam autem discamus et ex iis, quæ postea sequuntur, viri patientiam, et quomodo non gravatim fert dilationem, neque a sua alacritate excidit : sed æquo animo omnia fert, et prompte gratias agit Domino suo, qui hæc fieri permittebat. His auditis, princeps pistorum ratus et suum sibi somnium boni aliquid præsignare, narrat ei somnii visionem. Quod ut audiit Joseph, accepta etiam ex superna revelatione ejus interpretatione, prædicit illi interitum imminentem, et dicit : « Adhuc tres dies, auferet Pharao » caput tuum a te, et suspendet te in ligno, et comedent » volucres cœli carnes tuas a te [1]. » Propter hoc prius dicebam, inquit, non a meipso vobis prædico, sed quæcumque Deus revelaverit; ut sive bonum aliquid, sive malum præsignet somniorum visio, non mihi ascribatis. Non enim a me hæc loquor, sed illa vobis declaro, quæcumque superna gratia mihi manifestarit. » Cæterum cum adessent

[1] Gen. XL, 19.

statuti dies, opere impleta sunt quæ Joseph dixerat; et sicut ipse interpretatus erat, ita contigit utrique, et ille quidem ad pristinam rediit felicitatem, hic autem pœnam luit. « Porro præfectus pincernarum, » qui tantam consolationem acceperat, « non est recordatus Joseph, sed obli» tus est ejus [1]. » Vide iterum Justum in palæstra aliqua certantem, et suæ virtutis exhibentem specimina, non perturbari, neque commoveri, neque ægre ferre. Nam si quis ex vulgaribus fuisset, ita fortassis intra se dixisset: « Quid hoc rei? præfectus pincernarum, mox ut interpretatus sum ei somniorum visionem, pristinam felicitatem accepit, et non est memor ejus, qui sibi prædixit. Ille quidem solita felicitate fruitur, ego autem, qui nihil mali operatus sum, hic concludor cum homicidis, cum furibus, cum latronibus, cum iis, qui innumera mala commiserunt. » Nihil horum vel dixit, vel cogitavit; sciebat enim ampliora sibi stadia parari, ut legitime certando clariori redimiretur corona.

III. Considera enim quomodo post restitutionem illius duo anni præterierint. Oportebat enim expectari tempus opportunum, ut majori cum gloria inde educeretur. Si enim præfectus pincernarum ante somnia Pharaonis recordatus, eum subsidio suo liberasset, fortassis non tam perspicua fuisset aliis ejus virtus. Nunc autem solers et sapiens Deus sciens, sicut optimus artifex, quanto tempore in igne debeat aurum teneri, et iterum inde reduci, permittit ad tempus duorum annorum præfectum pincernarum illius oblivisci, ut et tempus somniorum Pharaonis veniat, et compellente necessitate ipsa, Justus ille in toto regno Pharaonis notus fiat. « Nam post duos annos, vidit, inquit, » somnia Pharao [2]: Et factum est mane, et turbata est anima » ejus. Et misit, et vocavit omnes conjectores Ægypti, et

[1] Gen. XL, 23. — [2] Id. XLI, 1.

»omnes sapientes suos, et narravit eis Pharao somnium, »et non erat annuntians illud Pharaoni[1]. » Vide multiplicem Dei dispensationem; prius permittit omnes, qui ibi habebantur sapientes, tentari, ut demonstrata eorum ignorantia, tandem hic vinctus, captivus, servus, Hebræus, in medium adductus nota faceret ea, quæ multis ignota erant, quo omnibus manifestaretur superna gratia in illo refulgens. Cum igitur omnes sapientes venissent, et neque dicere aliquid, neque os aperire possent, tunc princeps pincernarum recordatus recensuit Pharaoni ea, quæ sibi in carcere contigerant, et inquit: « Peccatum meum remi- »niscor hodie[2]. » Et narrat statim quomodo in carcerem conjectus sit ipse et præfectus pistorum, et viderint somnia, et interpretationem eorum a Joseph acceperint, et quomodo secundum illius prædictionem ipsis evenerint omnia. « Hæc cum audisset rex, misit ad Joseph, et eduxit eum »ex carcere, et totonderunt eum, et mutaverunt vesti- »mentum ejus, et intravit ad Pharaonem[3]. » Vide statim ab initio quantus nunc honor. Postquam enim purgatus est per patientiam, sicut aurum rutilans exiit de carcere, et ductus est ad Pharaonem. Vidisti quantum sit a superna gratia adjuvari? vide nunc quanta dispensata sint, ut res Josephi complerentur. Nam postquam summum illud certamen certasset, et scelestæ illius Ægyptiæ pedicas effugisset, et in carcerem conjectus esset, permisit ut præfectus pincernarum et præfectus pistorum Pharaonis per illud tempus in carcerem illum injicerentur, et per interpretationem somniorum discerent viri sapientiam, et eorum alter nunc tempestive illius mentionem faciens, eum in medium proferret. « Dixit autem, inquit, Pharao ad »Joseph: Somnium vidi, et non est qui interpretetur illud: »ego autem audivi de te dicentes, quod cum audieris som-

[1] Gen. XLI, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 14.

» nia, ipsa interpreteris [1]. » Vide quomodo confusus Pharao non dicit manifeste nullum suorum sapientium potuisse dijudicare somnia. Sed quid? « Somnium vidi, et non est » qui interpretetur illud. Audivi autem de te dicentes, » quod si audieris somnia, ipsa interpreteris. » Considera, obsecro, hic magnam prudentiam et pietatem Joseph, quomodo Pharaoni respondeat. « Ne suspiceris, inquit, me aliquid a me dicturum, vel secundum humanam sapientiam dijudicaturum. Neque enim possibile est sine superna revelatione talium notitiam habere. Scias igitur sine Deo non posse me respondere tibi. « Sine Deo, inquit, non res- » pondebitur salutare Pharaoni [2]. » Cognosce universorum Dominum esse qui revelat, et ne ab hominibus quære quæ solius Dei est manifestare. » Vide quomodo responso suo docet Pharaonem quam sint infirmi et inutiles sapientes ejus, et quanta sit potentia Dei. « Igitur quoniam cognovisti ex me, neque ex humana sapientia, neque ex propriis rationibus hæc me loqui, dic quæ a Deo tibi sunt manifestata. » Pharao ubi hæc audiit, narrat somnia et primum et secundum, et inquit : « Dixi conjectoribus, et non » erat qui annuntiaret mihi [3]. » Non audisti, inquit, a me, non esse humanæ sapientiæ talia significare? Ne igitur illis succenseas : nunquam enim poterunt talia comprehendere, quæ superna egent revelatione. « Et dixit Joseph, » inquit : Somnium Pharaonis unum est [4] : Ut autem credas » quod verum erit, quod a Deo tibi præsignatum est, et » quod accelerabit Deus istud facere, repetitum est secun- » do [5]. » Repetitio enim, inquit, confirmatio est visorum, et copiosior probatio quod omnino hæc futura sint. » Et postquam distinxit numerum septem boum et septem spicarum, ac dixit magnam futuram abundantiam, et postea

[1] Gen. XLI, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 24. — [4] Ibid. 25. — [5] Ibid. 32.

gravem secuturam esse famem, deinde optimum consilium affert, et dicit : « Constitue virum super Ægyptum, qui possit colligere redundantes fructus septem annorum, ac sic dispensare, ut possit in tempore famis solatium inveniri, et non fiat omnimoda consumptio. « Placuerunt hæc »Pharaoni et omnibus servis ejus[1]. » Tuncque ministravit Pharao exitui somniorum Joseph, quæ viderat quando apud patrem agebat. Et ipse quidem somnia Pharaonis dijudicabat : Pharao autem somniorum eventum ignorans ad finem ducebat. Nam ut hæc audivit, dixit servis suis : « Num inveniemus hominem talem, qui habet spiritum »Dei in semetipso[2]. »

IV. Vidisti quomodo cognovit et ipse, ex superna revelatione hæc ei manifestata fuisse? « Quem enim, inquit, inveniemus, qui tantam consecutus sit gratiam, ut spiritum Dei in se habeat? « Et dixit, inquit, ad Joseph : Quia »monstravit tibi Deus omnia hæc, non est homo prudentior »quam tu[3]. » Attende hic quomodo, quandocumque voluerit providus Deus opere complere quæ sibi visa fuerint, nihil eorum, quæ in medio obstare videntur, impedire possit. Ecce enim a fratribus prope occisus fuerat, postea autem venditus, accesserat item calumnia in extremum periculum adducens, et in carcere tanto tempore fuerat, et post hæc omnia ad ipsum, prope dixerim, regis solium evectus est. « Quoniam ostendit tibi Deus hæc omnia, non est homo »prudentior et intelligentior te. Tu igitur eris super do»mum meam, et in ore tuo obediet omnis populus : verum»tamen throno ego te antecellam[4]. » Vide quomodo captivus repente constituitur rex totius Ægypti, et qui ab archimagiro in carcerem conjectus fuerat, a rege in summum locum exaltatus est, ac qui fuerat ejus dominus, repente vidit quem ut adulterum in carcerem miserat,

[1] Gen. XLI, 37. — [2] Ibid. 38. — [3] Ibid. 39. — [4] Ibid. 40.

totius Ægypti suscepisse imperium? Vidisti quantum sit ferre cum gratiarum actione tentationes? Propterea Paulus dicebat: « Afflictio patientiam operatur, patientia probatio-» nem, probatio spem, spes non pudefacit[1]. » Vide igitur; afflictiones patienter tulit, patientia probatum eum fecit, probatus factus in magna spe agebat, spes non pudefecit. « Dixit autem ad eum: Ecce constituo te hodie super om-» nem terram Ægypti. Et Pharao, ablato annulo de manu » sua, posuit eum in manu Joseph, induitque eum veste » byssina, et circumdedit collum ejus torque aureo, et fecit » eum ascendere super currum suum secundum. Et pro-» mulgavit coram eo præco, et constituit eum super totam » Ægyptum[2]. » Nam Deus, quem habebat secum, antea ei omnia bene disposuerat, atque eum in tantum gloriæ culmen evexit. « Dixit autem Pharao: Absque te nullus leva-» bit manum suam in omni terra Ægypti. Et vocavit Pharao » nomen Joseph Psomthomphanech[3]: » appellatione volens sapientiam ejus perpetua memoria testatam esse: hoc enim significat, «Occultorum cognitor:» eo quod ea, quæ omnibus occulta erant, manifestaverit, ideo ex re gesta appellationem ei imponit. Et ut accumularet honorem, dat ei filiam Petephræ in uxorem. Deinde quia iste ejusdem nominis erat cum eo, qui dominus ejus fuerat, dicit: « Sacerdotis Helio-» poleos[4]. » Et ut discamus in qua ætate fuerit admirabilis ille, qui tantam assecutus est mercedem, tantaque certamina exhibuit, inquit: « Joseph autem erat triginta anno-» rum, quando stetit coram Pharaone[5]. » Ne temere putemus assignatum esse numerum annorum, sed ut discamus negligenti virtutem nullam esse excusationem; neque enim licet alicui objicere juventutem, ubi virtus exercenda est. Ecce ille non solum juvenis erat, sed etiam pulcher specie,

[1] Rom. v, 4. — [2] Gen. XLI, 41-43. — [3] Ibid. 44, 45. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 46.

et formosus facie. Contingit enim aliquando juvenem esse, et nulla corporis pulchritudine præditum. Hic autem et juvenis et pulcher erat specie, facieque decorus, ac quasi in ipso juventutis flore servus et captivus factus est. Decem enim et septem habebat annos, quando deductus est in Ægyptum. Deinde in ipsa fornace juventutis positum sollicitavit intemperans Ægyptia domina ejus, neque sic superavit Justi viri fortitudinem : denique in carcere tanto tempore ærumnosus fuit, et mansit quasi adamas, non solum non factus infirmior, sed et plus roboris assumens. Habuit enim roborantem se supernam gratiam. Quoniam prius quod suum erat totum attulerat, propterea e carcere ad principatum totius Ægypti accersitus est.

V. Hæc audientes, in afflictionibus animum nunquam despondeamus, neque propria ratiocinia sequentes ægre feramus : sed magnam patientiam exhibentes spe bona foveamur, scientes solertiam Domini nostri, qui sinens nos aspera experiri, non deserit nos, sed vult ut certantes clariori corona redimiamur. Ita omnes Sancti probati sunt. Propterea et Apostoli dicebant : « Per multas afflictiones » oportet nos in regnum Dei intrare [1]. » Et ipse Christus dicebat Discipulis suis : « In mundo afflictionem habebitis [2]. » Ne igitur mœreamus in afflictionibus, sed audiamus Paulum dicentem : « Qui volunt pie vivere in Christo Jesu, perse- » cutionem patientur [3]. » Et ne admiremur, neque ægre feramus, sed omnia cum fortitudine et patientia toleremus : non ad afflictiones respicientes, sed ad lucrum quod inde congregamus ; spiritualis enim quædam negotiatio est. Et sicut pecunias colligere volunt, atque hujus sæculi negotiationem exercent, non aliter possunt augere suas opes, nisi multa pericula terra marique sustinuerint ; necesse est enim ut ferant latronum et piratarum insidias ; attamen

[1] Act. XIV, 21. — [2] Joan. XVI. 33. — [3] 2 Tim. III, 12.

omnia magna alacritate suscipiunt, et ob expectationem lucri, ærumnarum sensum nullum habent : eodem modo et nos cogitantes divitias et spirituales merces, quas nobis hic colligere licet, oportet gaudere et exultare, et non contemplari quæ videntur, sed quæ non videntur, sicut et Paulus admonet, dicens ; « Non considerantibus nobis ea » quæ videntur [1]. » Fidei enim est, non corporalibus oculis contentos esse, sed oculis mentis imaginari ea quæ non videntur. Nam illa fide digniora credenda sunt, quam ea quæ corporalibus oculis videntur. Sic Patriarcha gratus fuit Deo, quia credidit promissioni ejus, et superior natura factus, humanisque rationibus, ideo « Reputatum est ei in » justitiam [2]. » Considera justitiam esse credere iis quæ a Deo dicuntur. Quando enim ille aliquid promiserit, ne mihi secundum humanam consequentiam res expende, sed superior hujusmodi rationibus sis, ac confide potentiæ ejus qui promisit. Ita unusquisque Justorum probatus fuit : ita et admirabilis ille Joseph, cum post illa somnia tanta interjecta fuerint impedimenta, non turbatus est animo, non commotus est, sed robusta mente fortiter tulit omnia, sciens non esse possibile ea, quæ Deus decrevit, non evenire. Ideo post servitutem, post carcerem, tantamque calumniam principatum suscepit totius Ægypti. Hæc igitur omnia cogitantes, fortiter suscipiamus ea quæ inferuntur, gratiasque agamus pro omnibus clementi Deo, et ejus expectemus opitulationem. Quæ nobis omnibus concedatur, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre, et sancto Spiritu sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 2 Cor. IV, 18. — [2] Rom. IV, 3.

HOMILIA LXIV.

Exivit autem Joseph a facie Pharaonis, et peragravit omnem terram Ægypti, et fecit terra annis septem fertilitatis manipulos, et congregavit frumentum sicut arenam maris [1].

I. Vultis ut et hodie historiam Josephi tractemus, et videamus quomodo vir ille, suscepto totius Ægypti principatu, per innatam sibi intelligentiam omnes consolatus fuerit. « Exivit enim, inquit, a facie Pharaonis, et transivit » per omnem terram Ægypti, et fecit terra annis septem » fertilitatis manipulos, et congregavit frumentum sicut » arenam maris. » Suscepta prius a rege potestate omni, collegit, inquit, fruges, et in civitatibus reposuit, providens jam multo antea quæ futuræ penuriæ succurrere possent. Vidisti quales retributiones fortitudinis et patientiæ, et aliarum virtutum etiam hic acceperit Justus, cum a vinculis ad regia palatia ascendit? « Nati sunt autem illi, inquit, » duo filii, priusquam advenirent anni penuriæ : et vocavit » nomen prioris Manasse : quoniam oblivisci me fecit Deus » omnium laborum meorum, et eorum quæ sunt patris mei [2]. » Attende hic viri religionem et pietatem, quomodo per filii appellationem memoriam omnium servaverit, ut perpetuo gratias ageret, et qui ex se natus erat, per suam appellationem scire posset certamina et patientiam, quæ Justus perferens in tantam pervenisset gloriam : « Quia obli- » visci me fecit Deus omnium laborum meorum, et omnium

[1] Gen. XLI, 47 et 49. — [2] Ibid. 50, 51.

» quæ sunt patris mei. » Quid est, « Omnium laborum meo-» rum? « Hic subindicare mihi videtur primam et secundam servitutem, et miseriam quam in carcere tulit. « Et omnium » quæ sunt patris mei : » segregationem significat, quam sustinuit abreptus ab ulnis paternis, quia immatura ætate, tam liberaliter educatus, libertatem cum servitute commutavit. « Et nomen secundi vocavit Ephraïm, quia crescere fecit » me Deus in terra humilitatis meæ [1]. » Vide et hujus nomen gratiarum actione plenum. Non solum enim, inquit, adversitatis oblitus sum, sed et auctus sum in terra, in qua tantam sustinui humiliationem, utpote in extremis periculis etiam de vita anxius. Verum nunc auditu digna sunt quæ sequuntur. Nam post fertilitatem septem annorum, venerunt et septem anni penuriæ et famis, secundum prædictionem Josephi. Rerum enim eventus concessam viro sapientiam omnibus detegebat, idque efficiebat, ut omnes ei sese submitterent. Et cum fames valida facta esset, primum eos penuriam sentire non permisit. In omni enim terra Ægyptiorum erant panes. Sed cum molestia famis invalesceret, clamavit populus ad Pharaonem, magna pressus indigentia ; a fame enim coacti, ad regem cucurrerunt. Porro vide hujus benevolentiam. « Dixit autem Pharao » Ægyptiis : Ite ad Joseph, et quidquid dixerit vobis, facite [2]. » Quasi diceret : « Quid me suspicitis? non videtis me regis habitum duntaxat gestare, illumque nobis omnibus salutis auctorem factum? ne igitur, illo relicto, ad me curratis, sed abite ad illum, « Et quæcumque dixerit vobis, facite. » Aperuit autem Joseph horrea, et vendidit Ægyptiis [3]. » Et quoniam omnes consumebat famis necessitas : « Omnes, » inquit, provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent » frumentum : invaluerat enim, inquit, fames super omnem » terram [4]. » Vide, obsecro, quomodo paulatim eventum

[1] Gen. XLI, 52. — [2] Ibid. 56. — [3] Ibid. 57. — [4] Ibid. 58.

accipere incipiant somnia Joseph. Nam ubi fames invaluit, et occupavit terram Chanaan, in qua habitabat Jacob hujus pater, qui « Postquam didicit in Ægypto frumentum ve» nundari, dixit, inquit, filiis suis : Quare segnes estis? » Ecce audivi quod frumentum sit in Ægypto. Descendite, » ut comparetis nobis pauca cibaria, ut vivamus, et non » moriamur [1]. » Quid, inquit, hic sedetis? abite in Ægyptum, et alimenta nobis afferte. » Hæc autem omnia facta sunt, ut fratres Joseph visioni ejus omnia ministrarent, et interpretationem somnii, quam ipsi conjectaverant, cum audirent Joseph somnium narrantem, implerent. « Descen» derunt enim, inquit, decem fratres, et Benjamin non » acceperunt [2], » qui erat frater Joseph ex eadem matre. « Dicebat enim pater ejus : Ne forte accidat ei languor [3] : » parcens puero, eo quod ætate immatura erat. « Venerunt » autem, et Joseph sicut principem Ægypti adoraverunt su» per faciem suam in terra [4]. » Et nunc ignorantes quidem hæc omnia faciunt. Nam quia multum temporis intercesserat, faciem fratris non agnoverunt. Verisimile enim est, juvenem olim, nunc immutatum forma fuisse. Idque totum opinor divinæ dispensationis fuisse, ita ut non potuerint vel ex sermone, vel ex aspectu fratrem agnoscere. Unde enim unquam in hanc opinionem venissent? Etenim putabant eum apud Ismaëlitas factum servum, servireque apud barbaros, unde nihil simile illis vel in mentem venire poterat, et non agnoverunt Joseph. Ipse vero, statim ut vidit, agnovit eos, et ut ignoraretur studuit, ac cum eis quasi cum alienis agere voluit. « Abalienabat enim se ab eis et » locutus est eis dura, et dixit : Unde venistis [5]? » Simulat omnimodam ignorantiam, ut omnia diligenter ab eis discere queat. Desiderabat enim scire quæ ad patrem et ad fratrem spectabant.

[1] Gen. XLII, 1, 2. — [2] Ibid. 3, 4. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7.

II. Et primum quærit ex qua regione sint, et dicunt ex Chanaan se venisse ut emerent frumenta. « Famis, inquiunt, necessitas in causa est quare id itineris confecimus, et propterea, relictis propriis, huc venimus. « Et recordatus » est, inquit, Joseph somniorum quæ ipse viderat [1]. » In mentem venerunt ei somnia, et videbat evenire ea, ideoque volebat diligenter omnia discere, et magna cum austeritate eis respondet, ac dicit : « Exploratores estis, et ad consi- » deranda vestigia terræ venistis [2]. » Non recta, inquit, mente advenistis. Videmini arte et malignitate quadam huc profecti. » Illi autem anxii dixerunt : « Non, domine. » Et id quod discere studebat Joseph, hoc a semetipsis docent et dicunt : « Servi tui venimus, ut emamus escas. Omnes » filii sumus unius viri, pacifici sumus, non sunt servi tui » exploratores [3]. » Adhuc de seipsis tantum rationem reddebant, et præ timore attoniti mente, nondum quæ ad Joseph pertinebant, dixerant : ideo ille perseverans dicebat : « Non, sed venistis ut vestigia terræ exploretis [4]. » Supervacue, inquit, hæc mihi dicitis; etenim vel ipsa adventus vestri ratio declarat vos malo quodam proposito motos huc venisse. » Illi autem, necessitate coacti, et volentes eum ad misericordiam flectere, dicunt : « Duodecim sumus fra- » tres servi tui [5]. » O verborum deceptionem ! etiam eum, quem negotiatoribus vendiderant, in numero suo recensent. Nec dicunt : « Duodecim fuimus, » sed « Duodecim » sumus fratres, et ecce junior cum patre nostro. » Hoc enim erat quod scire cupiebat, num et fratrem similiter afflixissent. « Et ecce junior cum patre nostro, alius autem non super- » est [6]. » Nec dicunt rem manifeste, sed tantum, « Non super- » est. » Ex hoc cum suspicaretur ne forte et Benjamin simili modo affecissent, « Hoc est, inquit, quod dixi vobis, quod

[1] Gen. XLII, 9. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 10, 11. — [4] Ibid. 12. — [5] Ibid. 13. — [6] Ibid.

» exploratores sitis. Nequaquam hinc enim exibitis, quous-» que frater vester junior venerit huc[1]. » Illum videre volo, cupio videre eum, qui ex eodem utero natus est : suspicor enim ex his, quæ adversus me egistis, mentem vestram fraterno odio laborare. « Si igitur vultis, mittite unum ex » vobis, et adducite eum [2], » vos autem manete in carcere, donec ille venerit. Ille enim cum advenerit, docebit nos vera sint quæ dicitis, et liberabit vos ab omni suspicione. Nam si hoc non fuerit, manifestum est vos exploratores esse, et propterea huc venisse. » Et hoc cum dixisset, « Po-» suit eos in carcere [3]. » Vide quomodo ipsorum probat animum, et per ea, quæ in illos agit, suam erga fratrem declarat benevolentiam. « Post tres autem dies, vocatis illis, » dixit : Hoc facite, et vivetis, Deum enim ego timeo. Si » pacifici estis, unus fratrum vestrorum detineatur hic in car-» cere, vos autem proficiscimini, et avehite emptionem fru-» mentationis vestræ, et fratrem vestrum juniorem ducite ad » me, et credibilia erunt verba vestra : quod si minus, » moriemini [4]. » Considera sagacitatem. Volens suam erga illos benevolentiam declarare, et patris penuriam consolari, deque fratre veritatem discere, uno retento, alios abire jussit. Sed vide nunc quomodo conscientia eorum, incorruptus ille judex, adversus eos insurgat, et nullo arguente, vel in medium quidpiam afferente, ipsi sui ipsorum accusatores fiant. « Dixit enim, inquit, unusquisque ad fratrem » suum : Merito ; in peccatis enim sumus propter fratrem » nostrum, quia despeximus afflictionem animæ ejus, quando » deprecabatur nos, et non exaudivimus eum, propter hoc » venit super nos omnis afflictio hæc [5]. » Ita enim se habet peccatum, quando consummatum est, et opere perfectum, tunc suæ absurditatis ostendit excessum. Et sicut ebrius,

[1] Gen. XLII, 14, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. 18-20. — [5] Ibid. 21.

quando multo vino se ingurgitat, nullum sentit a vino damnum, postea autem sentit experimento quantum sit detrimentum : ita et peccatum, donec consummetur, obtenebrat mentem et quasi densa nubes, ita mentem excæcat : deinde conscientia insurgit, et quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti. Enimvero vide nunc hos in peccati sensum venientes, et cum de summa salutis periculum immineret, tunc tandem confitentes quæ fecerant, et dicentes : « Merito : in peccatis » enim sumus propter fratrem nostrum, quoniam despexi- » mus afflictionem animæ ejus. » Non fortuito, neque sine causa hæc sustinemus, sed juste et valde juste pœnas luimus inhumanitatis et crudelitatis, quam erga fratrem nostrum exhibuimus, « Quoniam despeximus afflictionem ani- » mæ ejus, quando deprecabatur nos, et non audivimus eum. » Quoniam, inquit, absque commiseratione fuimus, et multam exhibuimus crudelitatem, propterea nunc nos eadem experimur, et « Propter hoc venit afflictio hæc super nos. »

III. Et hæc quidem illi inter se disserebant, putantes nihil horum audire Josephum. Nam quasi ignorans, et nesciens eorum linguam, per interpretem loquebatur eis, qui ea, quæ illi loquebantur, et ea quæ ille eis, explicaret. « Audiens autem hæc Ruben, dixit eis : » Nonne locutus sum vobis, dicens : Ne injuria affi- » ciatis puerum, et non exaudistis me? et ecce sanguis » ejus exquiritur [1]. » Nonne tunc, inquit, consulebam, nonne obsecrabam, ne quod peccatum in eum admitteretis? propterea nunc sanguis ejus exquiritur. Nam quantum ad propositum vestrum, occidistis : licet enim non per jugulum gladium transmiseritis, barbaris tamen viris eum vendidistis, et morte difficiliorem ei servitutem excogitastis : ideo nunc sanguis ejus exquiritur. » Cogita

[1] Gen. XLII, 22.

quantum sit a conscientia sua accusari, habereque perpetuo urgentem, et clamantem accusatorem, et scelus commemorantem. « Et hæc audiit quidem Joseph, ipsi autem » nesciverunt, eo quod interprete uteretur [1] : » sed non ultra ferre potuit, fraterna natura et commiseratione ipsum arguente. « Et aversus, inquit, ab eis, flevit, » ut non agnosceretur ab eis. « Et iterum accessit ad eos, et locutus est » eis. Et accepit Symeonem, et vinxit eum coram eis [2]. » Vide quomodo omnia faciat quo incutiat eis terrorem ; ut videntes vincula Symeonis, indiciis se proderent, an fratris aliquam commiserationem haberent. Hæc enim omnia facit probans eorum mentem, et scire volens num et contra Benjamin tales fuerint : propterea et Symeonem coram eis vinciri jubet, ut diligenter eos probet, et sciat num quam dilectionem erga illum haberent. Nam misericordia in illum faciebat, ut citius Benjamin adducerent : quod fieri volebat, ut adventu fratris securus redderetur. « Et mandavit, inquit, ut sacci eorum implerentur fru- » mento, et reponeretur pecunia uniuscujusque in saccum » suum, et daretur eis viaticum in itinere : et cum impo- » suissent asinis suis abierunt [3]. » Vide quanta liberalitate utatur, dum etiam invitis eis benefacit, non frumentum solum dans, sed etiam pecuniam. « Cum autem unus ex eis » aperuisset saccum, ut daret pabulum asinis, vidit pecu- » niam, et dixit fratribus suis. Propter hoc attonitum est » cor eorum, et turbati sunt mutuo, dicentes : Cur hoc » fecit nobis Deus [4] ? » Iterum magis anxii facti sunt, suspicantes ne et hoc augmentum eis esset criminationum, et a conscientia accusati, omnia tribuebant peccato quod in Joseph admiserant. Cum venissent autem ad patrem, et omnia ei manifeste declarassent, narraverunt indignationem principis Ægypti, quam experti sunt, et quod posuisset

[1] Gen. XLII, 23.— [2] Ibid. 24, 25.— [3] Ibid. 26. — [4] Ibid. 27, 28.

eos in custodia, quasi exploratores. « Diximus autem ei, in-» quiunt, quod pacifici simus, et quod duodecim simus fra-» tres, et quod unus non supersit, minimus autem sit cum » patre nostro. Dixit autem nobis : In hoc declarabitis » quod pacifici sitis, si fratre uno hic relicto, adducetis » fratrem vestrum minorem, ut sciam quod non sitis explo-» ratores [1]. » Hæc iterum exasperaverunt Justi mœstitiam. Post narrationem autem hanc tristem, cum evacuassent omnes saccos suos, invenit unusquisque pecuniam suam, et timuerunt ipsi et pater eorum. Et vide, oro, iterum hic senem plorantem. Et quidnam dicit eis ? « Me absque libe-» ris esse fecistis : Joseph non est, Symeon non est, et hunc » Benjamin accipietis ? Super me facta sunt hæc omnia [2]. » Non sufficiebat mihi, inquit, luctus Joseph, sed adjecistis ei et Symeonem ; et neque hic dolorum meorum finis est, sed et Benjamin accipere vultis. « Super me facta sunt hæc » omnia. » Sufficiunt hæc verba, ut videatur quam disrupta fuerint patris viscera. Quemadmodum enim ipsi omnis spes de Joseph adempta erat; putabat enim eum a bestiis devoratum ; ita et neque de Symeone spem sibi pollicebatur : nunc quoque idem de Benjamin formidat. Verumtamen reluctabatur adhuc, et non dabat puerum. « Dixit au-» tem ei Ruben primogenitus ejus : Duos filios meos occide, » si non reducam eum ad te. Da eum in manum meam, et » ego reducam eum ad te [3]. » Mihi, inquit, eum crede, mihi trade, et ego tibi eum reducam.»

IV. Hoc autem faciebat Ruben, cogitans non esse possibile, nisi puer simul descenderet, ipsos ad Ægyptum redire, et quæ ad alimenta pertinebant emere. Non cedit tamen pater, sed dicit : « Nequaquam descendet filius meus » vobiscum. » Deinde et causam dicit, quasi rationem reddens filiis, « Quia frater ejus mortuus est, et ipse solus est

[1] Gen. XLII, 31-34. — [2] Ibid. 36. — [3] Ibid. 37.

»relictus. Et continget cum utpote valde juvenem in iti-»nere languere, et deducetis senectutem meam cum tris-»titia ad inferos [1]. » Timeo, inquit, ætati adolescentis, et suspicor ne etiam hac consolatione privatus, cum dolore vitam finiam. Quandiu enim ille mecum est, videor mihi habere aliquam consolationem, et hujus consuetudo minuit mihi dolorem, quem ex fratre ejus concepi. »Et amor quidem ejus erga Benjaminum non concedebat ut illum dimitteret. « Violentior autem fiebat fames, et deficiebant »eis cibi. Et dicit eis pater : Abite iterum, afferte nobis »pauca edulia. Dixit autem ei Judas : Testando attestatus »est nobis homo, dicens : Non videbitis faciem meam, nisi »frater vester junior vobiscum fuerit. Itaque si mittis no-»biscum fratrem nostrum, descendemus, et ememus tibi »frumenta : sin minus, non ibimus. Nam homo ille dixit »nobis : Non videbitis faciem meam, nisi frater vester junior »fuerit vobiscum [2]. » Ne putes, inquit, sine fratre nos posse descendere illuc. Si enim vis nostrum descensum irritum, et nos omnes periculis involvi, viam nostram abeamus : scias autem illum protestatum fuisse nos non visuros esse faciem ejus, nisi frater junior nobiscum advenerit. » Angustiæ undique erant Jacob, ideo plorans dicit ad eos : « Quare »afflixistis me, annuntiantes viro quod sit vobis frater [3] ?» Cur me afflixistis ? quare mihi horum malorum auctores facti estis ? Nam si hoc ipsi non significassetis, nequaquam Symeone privatus essem, nec illum a vobis requisivisset.» « Illi autem dixerunt : Interrogavit nos homo, num adhuc »pater noster vivat, et num sit nobis frater, et annuntia-»vimus ei. Num sciebamus quod dicturus esset nobis : »Adducite fratrem vestrum [4] ?» Ne putes, inquit, sponte nos confessos esse viro, ut se habeant res nostræ. Quoniam enim quasi exploratores in suspicionem cum venissemus,

[1] Gen. XLII, 38. — [2] Id. XLIII, 1-5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7.

nos detinuit, interrogavit autem diligenter de rebus nostris; volentes eum vere omnia docere, talia diximus. « Dixit » autem rursus Judas ad patrem suum : Mitte puerum me- » cum, et surgentes ibimus, ut vivamus, et non moria- » mur [1]. » Meæ, inquit, fidei illum credito, ut accingamus nos itineri. Consumptis enim cibis, nulla nobis salutis spes erit, neque aliunde consuli nobis poterit. « Ego accipio eum » a te, nisi reduxero eum, et statuero coram te, ero ille qui » peccavi tibi omnibus diebus. Nisi enim tamdiu morati » fuissemus, jam secundo revertissemus [2]. » Commiseratio, quam exhibes puero, inquit, nobis omnibus erit causa interitus. Fame enim peribimus, nisi eum nobiscum velis dimittere. » Vide tandem hic, dilecte, quomodo famis necessitas patris amorem vicerit. Videns enim non aliunde famem sedari posse, eamque in dies magis ac magis increscere : « Si ita est, inquit, et oportet hoc omnino fieri, nec potestis descendere, nisi hunc acceperitis, debetis et dona afferre viro, et referre pecuniam, quam in saccis vestris invenistis. Accipite autem et pecuniam aliam, ut emere possitis frumenta, et fratrem vestrum accipite. « Surgite » igitur, et descendite ad hominem. Deus autem meus det » vobis gratiam coram homine illo, et mittat fratrem ves- » trum unum et Benjamin. Ego autem quemadmodum li- » beris orbatus fui, liberis orbatus sum [3]. » Vide quomodo eximiam suam dilectionem declarat, quam erga Joseph habuit. Ne quis enim existimet de Symeone, vel de Benjamin hoc esse dictum, « Ego sicut filiis orbatus fui, filiis orbatus » sum, idcirco præmisit : Deus autem meus det vobis gra- » tiam, et mittat fratrem vestrum illum unum et Benjamin. » Nam licet illi, inquit, salvi fuerint, sed ego quasi liberis caream, orbus sum. » Cogita hic quomodo totus amori Joseph deditus sit. Videns enim tantum chorum liberorum

[1] Gen. XLIII, 8. — [2] Ibid. 9, 10. — [3] Ibid. 13, 14.

se circumstantem, absque filiis se esse putavit, quia illo privatus erat. « Acceperunt autem, inquit, viri dona, et pe- » cuniam duplicem, et Benjamin, et descenderunt in Egyp- » tum, et steterunt coram Joseph. Vidit autem eos Joseph, » et Benjamin fratrem suum [1]. » Quod desiderabat, vidit tam optatum sibi. Vidit satis esse factum suo desiderio. « Et » dixit, inquit, præfecto domui suæ : Introduc homines in » domum, et occide victimas : mecum enim comedent viri. » Ut viderunt autem quod introducti sunt in domum Jo- » seph, dixerunt : Propter pecuniam, quæ rediit in saccos » nostros in principio, inducimur, ut calumniam nobis in- » tentet, et imponat nobis, et accipiat nos in servos, et asi- » nos nostros [2]. » Joseph quidem suam erga illos benignitatem declarans, omnia disponebat : illi autem anxii fuerunt, suspicantes ne pecuniarum gratia pœnas luant, tanquam etiam in hoc male fecissent. Propterea cum accessissent, causam formidinis proferunt præfecto domus, et narrant quomodo pecuniam in saccis invenerint, et dicunt : « Propterea duplicem nunc attulimus pecuniam » nobiscum, ut et priorem restituamus, et nunc denuo ema- » mus frumenta [3]. »

V. Vide quomodo calamitates eorum animum mitigarint, eosque reddiderint mansuetiores. « Dixit autem eis : Pro- » pitius vobis : Nolite timere, Deus vester, et Deus patris » vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris, pecuniam » vestram bene probatam habeo [4]. » Ne timeatis, inquit, neque hujus gratia anxii sitis. Nullum vobis inde crimen imponetur, pecuniam plene accepimus. A Deo putate hoc esse factum, et thesauros vobis in marsupiis vestris esse monstratos. « Et cum hæc dixisset, eduxit Symeonem, et » attulit aquam, ut lavarentur pedes eorum, et pabula de-

[1] Gen. XLIII, 15, 16. — [2] Ibid. 17, 18. — [3] Ibid. 22. — [4] Ibid. 23.

» dit asinis eorum [1]. » Vide quomodo preces patris omnia eis prospera facerent, et sicut ille eis apprecatus est, cum dixit : « Deus patris mei gratiam vobis det ; » ita omnia facta sunt : et præfectus domus, etiam ante adventum Joseph, omnem eis benignitatem exhibuit. « Paraverunt autem dona » Joseph. Et obtulerunt ei cum ingressus esset, et adoravе- » runt eum super terram. Et iterum interrogavit eos : Num » bene habet pater vester senior, quem dixistis vivere ? At » illi dixerunt : Sanus est servus tuus pater noster. Et dixit : » Benedictus homo ille Deo, et curvati adoraverunt. Vidit » autem fratrem suum uterinum, et dixit : Hic est frater » vester junior, de quo dixeratis mihi, ut duceretis ad me? » et dixit : Deus misereatur tui, fili [2]. » Considera quantam constantiam præ se ferat, et adhuc ignorantiam simulet, ut per sequentia experimentum animi ipsorum accipere possit, quomodo sint affecti erga Benjamin. Et quia vin- cebatur a natura sua, « Conturbabantur, inquit, viscera » ejus, et quærebat ut fleret. Ingressus autem in cubicu- » lum, flevit illic : et abluta facie, exivit [3] ; » et postea suam demonstrat benignitatem, et dicit : « Apponite panes. Et » apposuerunt ei soli ; » ut pote tanquam regi et principi totius Ægypti ; « Et illis seorsum, et Ægyptiis, qui simul cœ- » nabant cum eo seorsum. Non enim possunt Ægyptii co- » medere cum Hebræis : abominatio enim est Ægyptiis. Se- » derunt autem coram eo, qui primus, secundum antiqui- » tatem suam, et junior secundum juventutem suam [4]. » Hoc illos in stuporem adduxit; et valde dubio animo fuerunt undenam ei cognitio diversæ illorum ætatis. Et cum daret omnibus partes, Benjamino quintuplices dat. Neque tamen adverterunt quid rei esset, sed putabant for- tuito quodam eventu ab eo fieri, et huic tanquam juniori

[1] Gen. XLIII, 24. — [2] Ibid. 25-29. — [3] Ibid. 30-31. — [4] Ibid. 32-33.

plura dari. Cumque finitum esset convivium, « Vocavit, in- » quit, Joseph eum, qui domui suæ præerat, et mandavit » ei, dicens : Imple saccos hominum frumentis, quanta » ferre poterunt, et pecuniam similiter in saccos singulo- » rum, et scyphum argenteum mitte in saccum junioris [1]. » Vide iterum qualem artem excogitet, ut diligentissime mentem fratrum exploret, quam erga fratrem suum Benjamin habeant. « Et his factis, dimisit eos. Et cum jam » arripuissent iter, dixit præfecto domus suæ : Surge, per- » sequere eos, et dices : Quare retribuistis mala pro bonis ? » Quare furati estis scyphum meum argenteum ? Nonne » hic est e quo bibit dominus meus ? Ipse autem auguratur » in eo, male acta sunt ea quæ fecistis [2]. » Postquam autem invenit eos, inquit, dicit eis : « Quare benefactori mala re- pendistis ? quare malitiam vestram eo usque extendistis, ut ad eum quoque pertingeret qui erga vos tantam ostendit benignitatem ? Quare non reveriti estis viri erga vos mag- nanimitatem ? Quæ hæc tanta malitia ? quæ insania qua insanitis ? Nescitis quod hoc sit vas, in quo dominus meus auguratur ? Malum est hoc opus vestrum, perniciosum propositum, venia indignus conatus, magna audacia, et omnem transcendens malitiam. « Illi autem dixerunt : » Quare loquitur dominus juxta verba hæc [3] ? » Quare, in- quit, objicis nobis hoc crimen, a quo omnino sumus im- munes ? Absit ut servi tui secundum verbum hoc faciant, absit a nobis ut tale quid unquam attentemus. « Nam qui » pecuniam duplicem attulimus, quo pacto furaremur argen- » tum vel aurum ? Quod si hoc putas, apud quem inven- » tum fuerit vas quod inquiris, ille quidem moriatur, ut qui » tale fecerit opus, nos autem servi erimus [4]. » Conscien- tiæ bonæ fiducia eos ad tam fidenter loquendum induce- bat. « Ille autem, inquit, dixit : Et nunc sicut dixistis, erit.

[1] Gen. XLIV, 1, 2. — [2] Ibid. 3-5. — [3] Ibid. 7. — [4] Ibid. 8, 9.

» Apud quem inventum fuerit poculum, hic solus meus » servus erit, vos autem dimittemini [1]. » Et cum hæc dixissent, permiserunt ei ut scrutinium faceret : « Et scrutatus » est initio a seniore facto, donec veniret ad Benjamin, et » illius aperto sacco, invenit poculum [2]. » Hoc tenebris offudit eorum mentem : « Et disruperunt, inquit, vestimenta » sua : et imposuerunt jumentis iterum saccos, et reversi » sunt in civitatem. Et ingressus Judas, et fratres sui ad » Joseph, ceciderunt coram eo super terram [3]. » Vide quoties adorationem faciunt. « Dixit autem eis Joseph : Quare » hoc fecistis ? nesciebatis quod augurando in hoc auguror ? » Dixit autem, inquit, Judas : Quid contradicemus, vel » quid loquemur domino, vel quomodo justificabimur ? » Deus autem invenit injustitiam servorum tuorum [4]. » Iterum revocant sibi in memoriam ea quæ olim contra illum fecerunt. « Ecce sumus servi domino nostro et nos, et ille » apud quem inventum est poculum [5]. » Jam magnam declarant benevolentiam, et seipsos cum fratre in servitutem subjiciunt. « Dixit autem Joseph : Absit ut hoc faciam ; » homo, apud quem inventum fuerit poculum, ille erit meus » servus, vos autem ascendite cum salute ad patrem ves- » trum [6]. »

VI. Vide quomodo id quod timebat pater, hoc eis contigit, et in tam magnam devenerunt turbationem, ut quid facerent nescirent. « Appropinquavit autem Judas, inquit, » et dixit : » Quia ipse erat ille qui et a patre eum acceperat, et dixerat : « Nisi reduxero eum ad te, ero tibi peccato » obnoxius omnibus diebus ; » idcirco et propior factus diligenter narrat ei omnia, ut in commiserationem eo adducto, libertatem puero conciliaret. « Appropinquavit enim, » inquit, ei Judas, et dixit : Oro, domine, loquatur servus

[1] Gen. XLIV, 10. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13, 14. — [4] Ibid. 15, 16. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 17.

» tuus [1]. » Attende quomodo per omnia ut domino servus loquitur, et in memoria habe somnia manipulorum, propter quæ majorem erga eum invidiam acuerant, et obstupesce solertem Dei sapientiam, quomodo tantis obstaculis in medio positis, omnia opere sunt impleta. « Loquatur, in» quit, servus tuus coram te, et ne irascaris servo tuo, do» mine. Tu interrogasti servos tuos, dicens : Habetis-ne fra» trem vel patrem ? et diximus domino : Est nobis pater » senex, et filium senectutis juvenem habet, et frater ejus » mortuus est [2]. » Cogita hic quomodo se habuerit Joseph hæc audiens. « Ille solus relictus est matri suæ, pater autem » eum diligit [3]. » Quare autem et hic mentitur, sic dicens : « Frater ejus mortuus est ? » Atqui eum negotiatoribus vendiderant. Verum quia sic patri persuaserunt, quasi occisus esset, et a bestiis devoratus : alioquin etiam putaverunt eum non ferentem barbarorum servitutem, jam esse mortuum, et idcirco dicit : « Frater ejus mortuus est. » Dixisti autem servis tuis : Deducite eum ad me, et curam » habebo ipsius. Et dixisti : Nisi descendat frater vester vo» biscum, non apponetis ut videatis faciem meam. Factum » est autem, quando ascendimus ad servum tuum patrem » nostrum, annuntiavimus ei verba domini. Dixit autem » pater noster nobis : Ite iterum, emite nobis pauca ciba» ria. Nos autem diximus ei : Non poterimus descendere, » nisi frater noster descendat nobiscum. Dixit autem servus » tuus pater noster : Vos scitis quod duos peperit mihi » uxor, et egressus est unus a me, et dixistis quod a bes» tia sit devoratus [4]. » Considera quomodo per excusationem Judæ, Joseph omnia diligenter didicerit quæ post suam venditionem egerint domi, et qualia patri de se narraverint. « Nunc igitur, inquit, si et hunc tuleritis, et acci» derit ei languor in via, deducetis senectutem meam cum

[1] Gen. XLIV, 18. — [2] Ibid. 19, 20. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 21-28.

» mœrore ad inferos [1]. » Ita ergo patre nostro erga puerum affecto, quomodo poterimus faciem ejus videre, puero non existente nobiscum ? « Pendet enim anima ejus ex hujus » anima, et deducent servi tui senectutem patris nostri » servi tui cum mœrore ad infernum. Servus enim tuus » accepit puerum a patre suo, dicens : Nisi ipsum ad te re- » duxero, peccato abnoxius ero tibi omnibus diebus [2]. » Has promissiones feci patri, ut puerum possim adducere, et ea implere quæ tu jusseras, monstrareque quam vere dixerimus, et nullum mendacium a nobis esse prolatum. « Nunc igitur manebo servus pro puero, famulus domini, » puer autem ascendat cum fratribus. Quomodo enim as- » cendemus ad patrem, cum non sit nobiscum puer ? et ne » videam mala, quæ invenient patrem meum [3]. » Hæc Jo- sephum animo commoverunt, et satis ei demonstrarunt illos et patrem digne colere, et fratrem multum amare. « Et non ultra potuit ferre, neque tolerare astantes sibi, sed » repulsis omnibus, solus inter eos relictus, emissa voce » cum fletu, notum se fecit fratribus. Et hoc innotuit in toto » regno, et in domo Pharaonis, et dicit fratribus suis : Ego » sum Joseph. Vivit-ne adhuc pater meus [4] ? » Admirari hic subit et Beati hujus constantiam tantam, et quod huc usque simulationem sustinuerit, et quod quis esset non declaraverit : atque vehementer obstupesco, quomodo illi potuerint stare, vel os postea aperire, quomodo non avola- rit ab eis anima, quomodo eorum mens tota non obstupue- rit, quomodo non se abdiderint intra terram. « Et non po- » tuerunt, inquit, fratres ejus respondere ei : turbati enim » erant [5]. » Merito : cogitantes quomodo eum tractaverant, et qualis ipse erga illos fuerat, et cogitantes gloriam in qua constitutus erat, de sua salute propemodum anxii

[1] Gen. XLIV, 29. — [2] Ibid. 30-32. — [3] Ibid. 33, 34. — [4] Id. XLV, 1-3. — [5] Ibid.

erant, propterea volens eos animare, « Appropinquate, in- » quit, ad me [1] : » ne amoveamini vos, ne cogitetis vos pro- prio consilio hæc contra me egisse. Ista non tam vestræ erga me ascribenda sunt iniquitati, quam divinæ sapien- tiæ et ineffabili misericordiæ ; ut huc adveniens, nunc tem- pestive et vobis et toti huic regioni possem suppeditare alimenta « Et dixit : Ego sum Joseph frater vester, quem » vendidistis in Ægyptum. Nunc igitur ne doleatis [2]. » Ne vos, inquit, hoc conturbet ; ne asperum vobis videatur quod factum est. Dei enim dispensatione contigerunt hæc. « Deus enim me misit in vitam ante vos. Nam hic secun- » dus annus famis super terram, et adhuc restant quinque » anni, in quibus non erit aratio, neque messis. Misit enim » me Deus ante vos, ut relinquerentur vobis reliquiæ su- » per terram. Nunc igitur non vos me misistis huc, sed » Deus [3]. »

VII. Vide quomodo semel et iterum et tertio consolatur illos, dicens se non ipsis ascribere causam sui ingressus in Ægyptum, sed Deum hoc fecisse, ut ipse in hanc veni- ret gloriam. « Deus, inquit, misit me, et fecit me quasi » patrem Pharaonis, et dominum totius domus illius, et » principem totius Ægypti [4]. » Illa, inquit, servitus hunc principatum mihi conciliavit ; illa venditio in hanc me gloriam evexit ; illa afflictio hujus mihi honoris occasio fuit ; illa invidia hanc mihi claritatem peperit. » Hæc nos non solum audiamus, sed et imitemur, et ita solemur eos, qui nos afflixere, non imputantes eis quæ in nos admise- runt, et omnia cum magna ferentes benevolentia, sicut ille vir admirandus. » Igitur, inquit, cum persuasum vobis fece- rim me non vobis ascribere ea quæ contra me a vobis facta sunt, sed quod liberem vos criminibus ; Deo autem totum tribuam, qui illa ita dispensavit, ut præsentem glo-

[1] Gen. XLV, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6, 7. — [4] Ibid. 8.

riam sic acquirerem : « Ideo festinantes ascendite ad patrem » meum, et dicite ei : Hæc dicit filius tuus Joseph : Fecit » me Deus dominum totius terræ Ægypti, descende ad me, » et ne differas, et habitabis in terra Gesem, et eris apud » me tu, et filii tui, et fili filiorum tuorum, et oves, et » boves, et quæcumque habes, et alam te. Adhuc enim » quinque annis fames, ut non delearis tu, et filii tui, et » omnis substantia tua. Ecce oculi vestri vident, et oculi » Benjamin fratris vestri, quod ore meo vobis loquor. An- » nuntiate patri meo omnem gloriam meam, quæ est in » Ægypto, et quæcumque vidistis, et festinantes deducite » eum [1]. » Postquam hæc omnia dixit, et satis eos consola- tus est, mandatumque dedit ut de rebus et statu suo pa- trem certiorem redderent, statimque adducerent, cecidit in collum Benjamin fratris sui, et flevit : is namque erat uterinus frater, et ille vicissim flevit super eo, et osculatus est omnes fratres suos, et flevit super eos. Denique post tantum colloquium et lacrymas, et consolationem, et con- silium quod eis dedit, vix potuerunt cum eo loqui. « Post » hæc enim, inquit, loquebantur ei. Hæc autem omnia » divulgata sunt, et celebrata in domo Pharaonis, et ga- » visus est, et omnes qui in domo ejus [2]. » Exhilaravit, in- quit, omnes agnitio fratrum Joseph. « Et dixit, inquit, rex » Joseph : Dic fratribus tuis : Hoc facite ; implete vehicula » vestra frumento, et abite, et assumpto patre vestro, redite » ad me, et dabo vobis de omnibus bonis Ægypti : tu autem » manda ut accipiant plaustra pueris et uxoribus [3]. » Vide et regem, quomodo jam curam agit de reditu Jacob. « Et as- » sumpto, inquit, patre vestro, venite, et ne parcatis oculis » de vasis vestris. Omnia enim bona Ægypti vestra erunt. » Fecerunt autem sic filii Israël. Dedit autem Joseph eis » currus, juxta mandatum regis, et omnibus quidem dedit

[1] Gen. XLV, 9-13. — [2] Ibid. 15, 16. — [3] Ibid. 17-19.

» binas stolas, Benjamin autem dedit trecentos aureos, et » quinque stolas mutatorias, et patri suo misit similiter et » decem asinos ferentes de bonis Ægypti, et decem mulas » ferentes panes patri suo in viam. Quibus omnibus datis, » misit fratres suos, et profecti sunt; dixitque eis: Ne iras- » camini in via.[1] » Vide mentem moribus optimis præditam: non solum ipse dimisit iram, et a criminibus liberavit, sed et ipsos admonet ne irascantur in via, neque sese mutuo de factis accusent. Nam si nuper cum steterant ante Joseph, dicebant inter se: « Merito; in peccatis enim » sumus propter fratrem nostrum, quia despeximus ejus » afflictionem, et exurgens Ruben, dicebat: Nonne dixi » vobis, ne injuria afficiatis puerum, et non exaudistis » me[2]? » multo magis verisimile erat illum in via cum aliis rixaturum esse: propterea comprimens eorum iram et contentionem mutuam, dicit: « Ne irascamini in via; » sed cogitantes quod ego non habuerim pro crimine quæ in me admisistis, ipsi etiam vos benevolentia vicissim prosequamini. » Quis pro dignitate admiraretur Justi viri hujus virtutem, qui novæ legis philosophiam magna adimplevit diligentia; atque id quod Christus admonet Discipulos: « Diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus vos[3], » hoc ille et multo magis fecit? Neque enim solum tantam exhibuit charitatem erga eos qui se, quantum in eis erat, occiderant; sed omnia facit, ut demonstret nihil eos in se peccati admisisse. O philosophiæ excellentiam! o ingentem probitatem, et dilectionis Dei magnitudinem! « Non vos, inquit, hæc mihi fecistis, sed Dei erga me providentia hæc fieri permisit, ut mihi somniorum eventus concedatur, et vobis salutis causa esse possim. » Ita ut in afflictionibus et in tentationibus esse, si sobrii simus, divinæ sit erga nos providentiæ et benevolentiæ signum. Ne igitur in omnibus

[1] Gen. XLV, 20-24. — [2] Id. XLII, 21, 22. — [3] Matth. V, 44.

prosperitatem et affluentiam inquiramus, sed et sive in prosperitate simus, sive in adversitate, similiter gratias offeramus Domino, ut visa grata mente nostra, largiorem suam erga nos declaret providentiam. Quæ nobis omnibus concedatur gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et sancto Spiritui sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXV.

Et ascenderunt, inquit, ex Ægypto, et venerunt in terram Chanaan ad Jacob patrem suum, et nuntiaverunt ei, dicentes: Filius tuus Joseph vivit, et dominatur toti terræ Ægypti. Et obstupuit Jacob, non enim credidit eis [1].

I. Vidistis ex his, quæ heri dicta sunt, philosophiam Josephi, et inenarrabilem clementiam, quam erga fratres suos exhibuit: nec solum nullam fecit memoriam eorum, quæ in se admiserant, sed et redituros ad parentem admonuit, ipsisque consilium dedit ne inter se jurgentur super his, quæ in ipsum admiserant, sed dimissa omni ira, pacifice ambulent. Operæ-pretium est autem et jam quæ sequuntur recensere, ut videamus et horum ad patrem reditum, et descensum Jacob in Ægyptum, nec non quomodo refloruerit audiens ea quæ Joseph spectabant, atque, ut sic dicam, de sene juvenis redditus sit. Quis enim sermone complecti posset voluptatem in qua tunc fuerit, cum disceret

[1] Gen. XLV, 25, 26.

Joseph vivere, et in tanta dignitate constitutum esse? Inexpectata enim bona majorem voluptatem afferre solent. Quem enim putabat ante tot annos fuisse a bestiis devoratum, ut intellexit tenere imperium totius Ægypti, quomodo non præ magnitudine gaudii mente excessit? Idem enim facere solet immodicum gaudium, quod ingens tristitia. Et videre licet multos effundere lacrymas præ gaudio immenso, alios etiam sæpe obstupescere, quando fieri vident ea, quæ non expectaverant, et quos mortuos esse putabant, repente vivos vident. Sed ut manifestior fiat sermo noster, audiamus quæ lecta sunt. « Et ascenderunt, inquit, ex » Egypto, et venerunt in terram Chanaan ad Jacob patrem » suum, et annuntiaverunt ei, dicentes : Filius tuus Joseph » vivit, et ipse dominatur toti terræ Ægypti. Et excessit » mente Jacob : non enim credidit eis [1]. » Vides id, quod dicebam, incredibile ei visum esse quod de Joseph annuntiabatur, ita ut mente concuteretur, et quæ a fratribus fiebant, deceptionem esse putaret? Qui enim tunc attulerant vestem sanguine hœdi inquinatam, et patri persuaserant eum a bestiis esse devoratum, nunc dicunt eum vivere, et dominari in tota Ægypto. Et turbata mente cogitabat apud se quomodo rationi esset hoc consentaneum. Nam si verum est illud prius dictum, quomodo poterat credi? Si autem hoc credendum et verum, illud necessario fuerit mendacium. Turbavit autem eum maxime, quod aliud a filiis antea audierat, et alia nunc ab eisdem disceret. Videntes igitur patris turbationem, et volentes ei pluribus argumentis persuadere se verum dicere, « Locuti » sunt ei omnia, quæ a Joseph dicta erant [2], » et quæcumque sibi mandaverat, et postea protulerunt plaustra, et dona, quæ a Joseph missa erant, et vix tandem fecerunt fidem patri non esse mendacia quæ a se dicerentur. Nam videns

[1] Gen, XLV, 25, 26. — [2] Ibid. 27.

plaustra quæ missa erant, ut descenderet in Ægyptum, « Primum vigorem recepit[1], » inquit. Senex, decrepitus, terram spectans, alacritate animi confestim juvenescebat. Quid est, « Primum vigorem recepit? » Sicut ignis in lucerna, quando deficit olei alimonia, et jam extinguitur, si parum quis olei infuderit, repente qui extingui putabatur, clariorem emittit lucem : ita et senex ille præ tristitia jam extingui videbatur. « Noluit enim, inquit, consolatio- » nem accipere, dicens : Descendam lugens in infernum[2]. » Ubi autem cognovit vivere filium, et dominari in tota Ægypto, et vidit plaustra, « Primum vigorem recepit, » et juvenis ex sene factus est. Deposuit mœroris nebulam, dispulit cogitationum tempestatem, tranquillus postea fuit : hæc omnia dispensante Deo, ut Justus tam multorum laborum consolationem inveniret, et particeps fieret felicitatis filii, et præterea ut somnium impleretur id quod ipse interpretatus erat, dicens : « Numquid veniemus ego » et mater tua, et fratres tui, ut adoremus te[3]? » Et credidit dictis atque visis : « Et dixit, inquit : Magna mihi sunt, » si adhuc vivit Joseph : ibo igitur, et videbo eum prius- » quam moriar[4]. Magna sunt mihi, » inquit, et excedunt omnem cogitationem, et obscurant omnem humanam lætitiam, si adhuc filius meus Joseph vivit : « Ibo igitur et vi- » debo eum. » Festinemus igitur, ut ejus colloquio potiar, priusquam moriar. Nunc, inquit, nuntius ille erexit animum meum, et fugavit senectutis infirmitatem, et roboravit mentem. Quod si et cum eo colloqui contingat, perfectam lætitiam assecutus moriar. » Et nihil moratus Justus itineri se commisit, festinans et urgens ut videret tam desideratum filium, utque ante tot annos mortuum, et, ut putabat, factum cibum bestiarum, videret nunc regem

[1] Gen. XLV, 27. — [2] Id. XXXVII, 35. — [3] Ibid. 10. = [4] Id. XLV, 28.

Ægypti. « Et cum venisset ad puteum juramenti, » preces, quibus gratias agebat, obtulit Domino, « Et sacrificavit » sacrificium Deo patris sui Isaac[1]. »

II. Hæc audientes, discamus, quando quid facturi, vel negotium aliquod cœpturi, vel peregrinationem suscepturi sumus, ut precibus offeramus Domino sacrificium, et ejus adjutorium invocemus, et sic institutum aggrediamur, imitantes illorum Justorum pietatem; « Sacrificavit sacrifi- » cium Deo patris sui Isaac. » Ut discas eum vestigia patris sui secutum esse, et hoc in cultu divino declarasse, sicut Isaac. Et quia gratum suum affectum prius per gratiarum actionem ostendit, statim subsecuta sunt etiam ea, quæ superni auxilii fuerunt. Nam quia videbat tantum itineris spatium, et cogitabat suam decrepitam ætatem, veritus ne morte præoccupatus, a colloquio et aspectu filii privaretur, precatur Dominum, ut tantam sibi vitæ mensuram concedat, ut perfecta voluptate fruatur. Sed vide quomodo bonus Dominus multis argumentis Justum securum reddat. « Dixit enim Deus Israël in visione noctis : Jacob, Jacob, » ego sum Deus patrum tuorum, ne timeas descendere in » Ægyptum. In magnam enim gentem faciam te illic. Ego » descendam tecum, et reducam te in finem, et Joseph im- » ponet manus super oculos tuos[2] » Vide quomodo ea, quæ Justus ille desiderabat, ea illi Deus polliceatur : imo et multo majora. Liberalitate enim sua nostras petitiones transcendit, servans solitam suam misericordiam. « Ne ti- » meas, inquit, descendere in Ægyptum. » Quoniam anxius erat ob viæ longitudinem, ideo dicit : « Ne respicias ad infirmitatem senectutis, « In gentem enim magnam faciam te » illic, et descendam tecum in Ægyptum, » ego te comitabor, et omnia tua prospera reddam. » Adverte quomodo verba humilitati nostræ attemperet : « Descendam, inquit,

[1] Gen. XLVI, 1, — [2] Ibid. 2-4.

» tecum in Ægyptum. » Quid hoc beatius fuerit, quam Deum ipsum habere comitem itineris? Sequitur postea consolatio, qua plurimum indigebat senex. « Et Joseph, in- » quit, imponet manus super oculos tuos. » Ille dilectus tuus ipse te fovebit, et manus imponet super oculos tuos. Gaudens itaque, et totus securus iter arripe. » Cogita hic, obsecro, quam jucundum fecerit iter Justus, acceptis tam certis Dei promissionibus. « Surrexit enim, inquit, Jacob, » et filii ejus, et acceperunt omnem possessionem suam, » et venerunt in Ægyptum [1]. In sexaginta sex animabus des- » cendit Jacob in Ægyptum : et Joseph cum filiis suis, qui » nati sunt ei in Ægypto novem erant, et ita cum Joseph erant » omnes animæ septuaginta quinque [2].» Quare Scriptura numerum tanta diligentia annotavit? Ut scire possimus quomodo Dei prædictio impleta sit, dicens : « In gentem mag- » nam faciam te illic. » Nam ex iis septuaginta quinque animabus in sexcenta millia genus Israël propagatum est. Vidisti quomodo non frustra, neque temere numerum eorum, qui in Ægyptum descenderunt, nos docuit; sed ut scire possimus quam multi ex tam paucis facti sint, et divinis promissionibus ne minus credamus. Nam quando cogitaveris, post mortem Jacob et Joseph, tanta machinatione usum esse Ægyptiorum regem, ut numerum eorum mi nueret, et parvum faceret, ne in tantam propagaretur mu titudinem, et nihil potuisse, sed magis et magis crevisse po pulum : admirare et stupesce providentiam Dei, et quomodo non sit possibile irrita esse quæ ipse decreverit, etiamsi infinita machinentur alii. Cæterum videamus contextum totum, ut discamus quomodo Jacob cum filio sit congressus. « Quando autem appropinquavit in terram Ægypti, » misit Judam ante se ad Joseph, ut significaret illi patris » adventum. Igitur Joseph ut didicit, junxit currus, et

[1] Gen. XLVI, 5, 6. — [2] Ibid. 26, 27.

» ascendit in occursum patri. Et mox ut vidit eum, cecidit » in collum ejus, et flevit fletu multo [1]. » Hoc erat id quod initio dicebam, ingentem sæpe voluptatem lacrymas excutere. « Cecidit, inquit, in collum ejus, et flevit : » non dixit hoc simpliciter, sed « Fletu magno, » Statim enim in mentem ipsi venerunt quæ ipse passus erat, quæ patri propter se acciderant, et cogitans tam prolixum intercessisse tempus, et quomodo præter omnem expectationem et ipse patrem, et pater filium videret, fontes emisit lacrymarum, simul et magnam declarans lætitiam, et gratias Domino agens pro rebus gestis. « Et dixit, inquit, Jacob » ad Joseph : Moriar exinde, quia vidi faciem tuam. Adhuc » enim tu vivis [2]. » Votorum, inquit, compos factus sum, assecutus sum quod nunquam expectavi; evenerunt mihi quæ nunquam speraveram; deinceps contentus sum vita quam transegi. Vidi enim quem desideravi, et sufficit mihi ad lætitiam omnem, vidisse te adhuc vivere, qui pridem mortuus, et a bestiis devoratus es habitus. » Paterna vox et plena dilectione, satisque affectionem animæ ejus declarans. « Dixit autem Joseph fratribus suis : Descen- » dam, et annuntiabo Pharaoni quod fratres mei venerint, » et sint pastores. Viri autem sunt armentarii, et secum » adduxerunt pecora et boves. Si igitur vocaverit vos Pha- » rao, et dixerit : Quod est opus vestrum? dicite : Pecorum » pastores sumus. Abominatio enim Ægyptiorum est omnis » pastor ovium [3]. »

III. Vide prudentiam, et quale consilium eis det, non simpliciter neque fortuito hæc consulens, sed volens eos simul in majori securitate agere, neque commercium habere cum Ægyptiis. Nam quia illi abominabantur et contemnebant eos, qui pastoritiam agerent vitam, utpote ipsi disciplinis Ægyptiorum vacantes, propterea admonet stu-

[1] Gen. XLVI, 28, 29. — [2] Ibid. 30. — [3] Ibid. 31-34.

dium suum prætexere, ut sic rationabili et honesta occasione optima terræ portio eis segregetur, quo in summa tranquillitate vivere possint. « Et acceptis quinque fratribus » suis, introduxit eos ad Pharaonem. Et interrogavit eos : » Quod est opus vestrum ? Et dixerunt : Armentarii sumus, » nunc igitur habitabimus in terra Gesem. Dixit autem Pha- » rao : Habitent. Si autem scis aliquos ex eis, qui sint viri » industrii, constitue eos magistros meorum pecorum [1]. » Sicut consuluerat Joseph, ita responsum dederunt fratres Pharaoni, et concessum est eis habitare in terra Gesem. Cæterum Pharao declarans suam erga Joseph benevolentiam, dixit : « Si nosti in eis aliquos industrios, etiam » meorum pecorum magistros constitue. Introduxit autem » et patrem ad Pharaonem. Et dixit Pharao ad Jacob : Quot » sunt anni dierum vitæ tuæ [2] ? » Quoniam vidit senem extremæ senectutis, quærit annorum numerum. « Et dixit » Jacob : Dies annorum vitæ meæ, quibus peregrinus sum. » Vide quomodo omnes Justi in hac vita haud secus atque si in peregrinatione versarentur, ita affecti sunt. Audies enim et David post hæc dicentem : « Quia peregrinus ego » sum in terra, et advena [3] : » sicut et hic dicit : « Dies an- » norum vitæ meæ, quibus peregrinus sum. » Propterea et Paulus dicebat de Justis illis : « Confessos illos se quasi pe- » regrinos et advenas esse super terram [4]. « Dies, inquit, an- » norum vitæ meæ, quibus peregrinus sum, centum tri- » ginta anni, pauci et mali fuerunt, et non pervenerunt ad » dies annorum vitæ patrum meorum [5]. Dies, inquit, qui- » bus peregrinus fui, pauci et mali fuerunt. » Significat hic annos servitutis, quam sustinuit apud Laban post fugam, quam propter fratrem fecit : deinde post reditum ab eo loco, luctum quem tanto tempore habuit, propter mortem

[1] Gen. XLVII, 1-6. — [2] Ibid. 7, 8. — [3] Psal. XXXVIII, 13. — [4] Hebr. XI, 13. — [5] Gen. XLVII, 9.

Joseph, et propter alias interjectas miserias. Quantum enim timorem eum habuisse putas, quando propter sororem Symeon et Levi omnes civitatis viros occiderunt, et omnes, qui in Secimis erant, captivos duxerunt? Dicebat enim tunc, indicans animi angorem in quo erat : « Invidio» sum me fecistis, ita ut malus habear inter habitantes ter» ram. Ego autem in parvo numero sum, et congregati » super me, concident me, et delebor et ego, et domus » mea[1]. » Propterea dicit : « Pauci et mali dies annorum » vitæ meæ. Et Joseph habitare fecit patrem suum et fra» tres suos, et dedit eis possessionem in terra Ægypti in » optima terra, in terra Ramesse, sicut præceperat Pha» rao, et frumentum metiebatur Joseph patri et fratribus » suis, et omni domui patris sui, frumentum secundum » corpus[2]. » Hoc erat quod dicebat fratribus : « Misit me » Deus ante vos, ut relinqueretur vobis portio super ter» ram, et in vitam misit me Deus ante vos[3]. Frumenta me» tiebatur, inquit, eis secundum corpus. » Quid est, « Secun» dum corpus? » quantum sufficiebat unicuique. Mos enim est Scripturæ aliquando ab anima totum hominem nominare, aliquando a corpore. Et sicut superius dicebat : « In sep» tuaginta quinque animabus descendit Jacob in Ægyp» tum, » ut diceret septuaginta quinque viros et mulieres : sic et hic « Secundum corpus, » id est, pro singulis hominibus. Et tota quidem Ægyptus et Chananæorum regio fame laborabant, ipsi autem prospere agebant, habentes quasi ex fontibus profluentia frumenta. « Frumentum enim, » inquit, non erat in omni terra. Invaluit enim fames supra » modum. Defecit autem terra Ægypti et terra Chanaan » præ fame[4]. »

IV. Vide ineffabilem Dei sollicitudinem et providen-

[1] Gen. XXXIV, 30. — [2] Id. XLVII, 11, 12. — [3] Id. XLV, 7. — [4] Id. XLVII, 13.

tiam : quomodo antequam invalesceret fames, Justum in Ægyptum deduxerit, ne illam sentiret angustiam quæ ventura erat in Chanaan. Et omnibus illuc decurrentibus, « Congregavit, inquit, Joseph omnem pecuniam, tam eo» rum qui erant in Ægypto, quam eorum qui erant in Cha» naan, et sic frumenta eis dispensavit. Et defecit postea » pecunia. Importavit enim omnem in domum Pharaonis. » Venerunt autem Ægyptii omnes, et dicebant : Da nobis » panes : et cur morimur ante te? Defecit enim pecunia[1].» « Non sunt nobis, inquiunt, plures pecuniæ, ut emamus, et ideo fame perimus. Ne igitur despicias nos, qui a morte ita obsidemur, sed præbe nobis panes ut vivamus, et ne moriamur. « Dixit autem eis Joseph : Afferte pecora vestra, » et dabo vobis panes[2]. » Si enim non suppetit vobis pecunia, inquit, accipio et pecora. Si defecit pecunia, adducite pecora vestra, et accipietis panes. « Adduxerunt autem » pecora, et dedit eis pro equis, et ovibus, et bobus, et » asinis, et aluit eos pro pecoribus suis. Venerunt autem » ad eum et anno sequenti, et dixerunt ei : Ne forte pereamus, neque pecunia nobis suppetit, neque pecora : omnia » enim apud te dominum nostrum sunt, nihil enim nobis » aliud relictum est, quam proprium corpus et terra nostra. » Ut igitur non pereamus, posside nos et terram nostram » pro panibus, et erimus etiam nos et terra nostra servi » Pharaonis, et da semen, ut seminemus et vivamus, et » terra non redigetur in solitudinem[3]. » Seipsos in servitutem subjecerunt, et terram vendiderunt, ita ut ali possent : tanta famis necessitas fuit. « Et acquisivit Joseph ter» ram Ægyptiorum Pharaoni[4]. » Vendiderunt enim eam fame coacti. « Et facta est terra Pharaonis, et populum » sibi in servos subjecit ab extremis finibus Ægypti, usque

[1] Gen. XLVII, 14, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 17-19. — [4] Ibid. 20.

» ad extremos, excepta terra sacerdotum. Illis enim dedit » Pharao cibos, et comederunt, et propterea non vendide- » runt terram suam[1]. » Vide quantus intellectus, et quanta sapientia Joseph fuerit. Illos neque famem experiri permisit, et omnem terram acquisivit Pharaoni, simulque fuerunt Ægyptii omnes in servitutem redacti. Vide, obsecro, hic iterum eximiam diligentiam, et providentiam, quam erga illos habet. « Dixit enim Ægyptiis: Ecce acqui- » sivi vos et terram vestram hodie Pharaoni. Accipite igi- » tur vobis semina, et seminate terram: et si fuerint pro- » ventus, dabitis quintam partem Pharaoni. Quatuor autem » partes erunt vestræ in semen terræ, et in cibum vobis, » et toti domui vestræ[2]. » Magna liberalitas, ingens providentia, ineffabilis sollicitudo. Ideo et illi agnoscentes beneficia, dicunt: « Salvasti nos, invenimus enim gratiam » coram domino nostro, et erimus servi Pharaonis[3]. » Vidisti liberalitatem? Nam quia vidit eos nimia penuria confectos, cogitans quantum laborem et ærumnam sustinere cogantur colendo terram, dicit: « Semen vobis ego suppeditabo, vos autem omnem aliam curam exhibete. Et si fuerint vobis proventus, dabitis partem unam, quatuor autem vestræ erunt, et merces laborum, et alimoniæ sumptus. » Hoc autem mandatum posuit eis Joseph, ut quintam partem darent Pharaoni, excepta sola sacerdotum terra. Audiant qui nunc vivunt, quantam olim sacerdotum idolorum curam habuerint, et discant ut vel saltem parem habeant honorem iis, quibus omnium Dei ministerium creditum, et qui sacerdotio insigniti sunt. Si enim errantes illi, et tantam idolorum curam habentes, quia ex hoc putabant idola magis coli, ita eorum ministros colebant; quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt quod ad illorum spectat cultum? An nescitis ho-

[1] Gen. XLVII, 21, 22. — [2] Ibid. 23, 24. — [3] Ibid. 25.

norem ad Deum ipsum transire? ne igitur respicias eum, cui honos confertur. Non enim propter illum debes quod tuum est facere; sed propter illum, cujus sacerdos est, ut et ab illo retributiones ubertim accipias. Propter quod et dicebat: « Qui fecerit uni horum, mihi fecerit [1]; » et « Qui ac» cipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Pro»phetæ accipiet [2]. » Num enim a dignitate vel vilitate ministrorum tibi retribuet Dominus? Ob alacritatem tuam vel coronat, vel condemnat. Et sicut honor, qui propter ipsum impenditur, multum parit fiduciæ; propria enim sibi facit Deus quæ in servos suos collocantur; ita et illorum contemptus multam e superno pœnam nobis deferet; sicut enim suum esse honorem, ita et contemptum ducit: id quod scientes, nunquam negligamus cultum qui sacerdotibus Dei debetur. Et hæc dico, non tantam illorum rationem habens, quantam vestræ charitatis, cupiens vos in omnibus lucrifacere. Quid enim tantum das, quantum accipis a Domino? Quantum autem cultum affers? Attamen et pro illo vili, et qui in præsenti vita simul dissolvitur, immortales accipies mercedes, et ineffabilia bona.

V. Hæc mente versantes, properemus ad eorum obsequia, non attendentes sumptum, sed lucrum et accessionem, quæ inde nascuntur. Nam si videntes viri alicujus sæculari dignitate insignis familiarem, operam damus ut quantum possibile est illi præstemus obsequium, cogitantes officia, quæ illi exhibentur, ejus domino accedere, et illum familiarem, ubi significarit patrono suo, majorem nobis apud eum favorem conciliaturum esse: multo magis hoc erit apud universorum Dominum. Nam si quando quis in vulgarem aliquem et in foro abjectum, benignitatem et commiserationem aliquam exhibuerit: Dominus quæ fiunt, sibi propria esse ducens, promittit se in regnum introducturum eos,

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Id. 10, 41.

qui aliquid boni illi fecerint, et dicturum : « Venite bene-» dicti Patris mei, quia esurívi, et dedistis mihi manduca-» re[1] : » multo magis eos, qui propter Deum affliguntur, et sacerdotio insigniti sunt, si quis coluerit, non solum parem assequetur retributionem, sed multipliciter majorem, clemente Deo ex abundantia misericordiæ semper ea, quæ a nobis fiunt, vincente. Ne igitur simus deteriores infidelibus, qui propter idolorum errorem adhuc tantum cultum exhibent illorum famulis : sed quantum discrimen est errorem inter et veritatem, atque inter sacerdotes illos et Dei sacerdotes; tantam in honore atque cultu differentiam exhibeamus, ut multo plures supernæ nobis retributiones accrescant. « Habitavit autem Jacob in Ægypto, et aucti » sunt, et multiplicati sunt valde[2]. » Erat enim hæc promissio Dei ipsi facta, « Faciam te illic in gentem magnam. » Et supervixit Jacob decem et septem annis. Et facti sunt » dies Jacob anni centum quadraginta septem[3]. » Propterea Deus dimensus est ei hoc tempus vitæ, ut post miseriam quam toto vitæ tempore sustinuit, consolatione magna accepta hinc migraret. Verum, si vultis, ne multitudine dictorum memoriam vestram obruamus, quæ reliqua sunt reservabimus, et finem orationis faciemus. Vestram autem charitatem hoc rogaverimus, ut diligenter iis, quæ dicuntur, intendatis, et ipsa perpetuæ memoriæ commendetis, continuo in mente vestra versantes, et cogitantes quantam patientiam Justi sustinuerint, quamque longanimitatem et fidem in promissionibus Dei habuerint, non animo fluctuantes propter ea, quæ post promissiones eveniebant : sed fidentes ejus, qui promiserat, virtuti, omnia æquo animo ferebant, et propterea celebres et clari fuerint. Ecce enim et Justus ille Josephum, postquam tot annis luxit quasi mortuum, vidit regnum Ægypti tenere : et admirabilis Jo-

[1] Matth. XXV, 34. — [2] Gen. XLVII, 27. — [3] Ibid. 28.

seph post servitutem, post carcerem, post alia omnia, quæ sustinuit, principatum totius regionis suscepit. Et si adire voluerimus eas, quæ in sacra Scriptura continentur, historias, inveniemus omnes virtute præditos per tentationes ingressos, et sic magnum a Deo assecutos auxilium. Si ergo divinam nobis benevolentiam conciliare volumus, ne simus anxii in tentationibus, nec gravatim feramus quæ nobis obveniunt : sed magis gaudeamus et lætemur fide corroborati, scientes nos hac ratione potissimum divina providentia fruituros esse, si cum gratiarum actione omnia ferre meditemur. Ut autem omnes nos et præsentem vitam in virtutibus transigamus, et futura consequamur bona, concedat nobis per clementiam et gratiam suam Dominus noster Jesus Christus, cum quo Patri et sancto Spiritui sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA LXVI.

Appropinquaverunt autem, inquit, dies Israël ut moreretur, et vocavit filium suum Joseph, et dixit ei : Si inveni gratiam apud te, suppone manum tuam subter femur meum, et facies mecum misericordiam et veritatem, ut non sepeliar ego in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis : et auferes me ex Ægypto, et sepelies me in sepulcro eorum. Ille autem dixit : Faciam secundum verbum tuum. Dixit autem : Jura mihi ; et juravit ei, et adoravit Israël ad fastigium virgæ ejus [1].

I. Age hodie finem imponamus narrationi et historiæ Jacob, et videamus quænam sint illa, quæ jam moriturus disponat et ordinet. Verum nullus ad præsentium rerum statum spectans, talia exigat ab iis, qui tunc fuerunt Justi, qualia nunc in vita sapienter instituta fideles præstare convenit, sed secundum tempora et res judicet. Hæc autem dedita opera prius dixerim, propter ea, quæ a Patriarcha ipsi Joseph dicentur. Qualia autem sint, audiamus. « Appropinquaverunt autem, inquit, dies Israël, ut moreretur, et vocavit filium suum Joseph, et dixit ei : Si inveni gratiam apud te, suppone manum tuam subter femur meum, et facies mecum misericordiam et veritatem, ut non sepeliar ego in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis : et auferes me ex Ægypto, et sepelies me in sepulcro eorum. Ille autem dixit : Faciam secundum verbum tuum. Dixit autem : Jura mihi; et juravit ei, et adora-

[1] Gen. XLVII, 29-30.

» vit Israël ad fastigium virgæ ejus. » Multi abjectioris animi, quando a nobis admonentur, ne magnam curam sepulturæ habeant, neque rem multo studio dignam arbitrentur, ab aliena terra in suam patriam mortuorum reliquias reduci, hanc nobis prætexunt historiam, dicentes etiam Patriarcham hujus rei tantam fecisse curam. Verum primum quidem, sicut dixi, hoc cogitare oportet : tunc non tanta exigebatur philosophia, quanta ab iis, qui nunc vivunt : deinde Patriarcha hoc non simpliciter voluit fieri, sed spem bonam illis pollicens fore ut sui vel sero tandem redirent in terram promissionis. Et quod ob hanc causam hoc præceperit, manifestius nos docet illius filius, dicens : « Visitando visitabit vos Deus, et simul feretis ossa » mea hinc[1]. » Quod enim oculis fidei futura prævideren t, audi illum jam vocare mortem suam dormitionem, dicit enim : « Dormiam cum patribus meis. » Propterea et Paulus dicebat : « Juxta fidem mortui sunt hi omnes, non ac» cepta promissione : sed procul eam viderunt et saluta» runt[2]. » Quomodo? oculis fidei futura videbant. Nullus igitur putet pusillanimitatis esse hoc mandatum, sed et a tempore, et a prævisione futuri reditus, omni culpa excuset Justum. Nunc enim quoniam ea, quæ ad sapientiorem vitam attinent, post adventum Christi aucta sunt, merito quis reprehenderit eum, cui talia sunt curæ. Neque putet quis miserum eum esse, qui in alieno solo vitam finiat, neque eum, qui in solitudine ex hac vita decedat. Neque enim ille dignus ut miser dicatur : sed qui in peccatis mortuus est, etiamsi super lectum, etiamsi præsentibus amicis omnibus mortem obeat. Et ne mihi frigida illa verba, ridiculaque et insipientiæ plena dicat aliquis ; ille talis cane vilius est mortuus, nullo familiarium præsente, neque sepultura et funus ei contigerunt : sed collectitia stipe justa facta

[1] Gen. L, 24. — [2] Hebr. XI, 13.

sunt. Non est hoc, mi homo, cane ignominiosius mortuum esse. Quid enim ille damni sensit? illud unum, si virtutis amictum se tegentem non habuerit. Nam quod id nihil lædat Justum virtute præditum, disce, quia plerique Justorum, Prophetas dico et Apostolos, ubi siti sint, paucis exceptis, ignoramus. Etenim alii quidem capite truncati, alii lapidati mortui sunt, et alii innumeris et variis pœnis seipsos exposuerunt propter pietatem, omnes propter Christum Martyres facti sunt, et nullus de illis dicere audebit ignominiosam esse eorum mortem: sed sequetur divinam Scripturam, dicentem: « Pretiosa in conspectu » Domini mors Sanctorum ejus[1]. » Et sicut mortem Sanctorum pretiosam vocavit, audi quomodo et mortem peccatorum malam vocet. « Mors enim, inquit, peccatorum » mala[2]. » Itaque etiamsi domi suæ moriantur, et uxore et filiis præsentibus, et familiaribus et notis astantibus, virtute autem careant, mala horum mors est. Sic etsi in aliena terra, etsi super pavimentum quis jacens: et quid dico, etsi in aliena? etiamsi in latrones incidat, etiamsi a bestiis devoretur, virtute autem præditus sit, pretiosa ejus mors erit. Dic enim, obsecro, Zachariæ filius nonne decollatus est? Stephanus autem, primus martyrii corona redimitus, nonne lapidatus vitam finiit? Paulus autem et Petrus, nonne ille quidem capite truncatus, hic autem modo contrario quam Dominus crucifixus, ita hac vita excessit? Nonne propter hoc magis in toto mundo celebrantur et prædicantur?

II. Hæc autem omnia cogitantes, neque eos, qui in aliena terra moriuntur, miseros dicamus: neque domi suæ morientes beatos prædicemus: sed divinæ Scripturæ canonem sequentes, claros virtutibus hinc migrantes beatos dicamus: et eos, qui in peccatis moriuntur, miseros prædice-

[1] Psal. cxv, 15. — [2] Id. xxxiii, 22.

mus. Sicut enim qui virtute præditus est in meliorem vitam transit, accipiens laborum suorum præmia : ita et qui illa caret, initia et proœmia suppliciorum jam accipit, et gestorum rationes reddere coactus, intolerabilibus complicatur malis. Ideo oportet hæc cogitantes virtutum habere curam, et in præsenti vita quasi in palæstra certare, ut cum solutum fuerit theatrum, splendida redimiri corona queamus, ne frustra pœnitentes inveniamur. Quandiu enim durat certamen, possibile est, si voluerimus, et desidiam excutere, et virtutem exercere, ut propositam assequamur coronam. Cæterum, si videtur, redeamus ad sermonis seriem. Nam postquam commisit filio de sepultura, et dixit Joseph : « Ego faciam juxta verbum tuum, » addit : « Jura » mihi : et juravit ei. Et adoravit, inquit, Israël ad fasti» gium virgæ illius. » Vide senem, decrepitum, Patriarcham, adoratione honorem in Joseph declarare, et reipsa implere visionis eventum. Quando enim narravit Joseph visionem, dixit, inquit : « Numquid ego et mater tua ve» niemus, et adorabimus te super terram [1] ? » Sed forte dixerit aliquis : « Et quomodo impletum est somnium in matre, quæ jam ante defuncta erat, et filium non adoravit? » Perpetuus Scripturæ mos est a magis principali totum significare. Quoniam, igitur « Caput mulieris vir [2] : » Erunt enim, inquit, duo in carnem unum [3] ; » cum adoravit caput, manifestum est corpus totum caput secutum esse. Si enim pater hoc fecit, multo magis illa, nisi ex hac vita prærepta fuisset, hoc fecisset. « Et adoravit, in» quit, ad fastigium virgæ ejus. » Propterea et Paulus dicebat : « Fide Jacob moriens singulos filios Joseph benedixit, » et adoravit ad fastigium virgæ illius [4] . » Vides eum istuc ipsum fide motum fecisse, prævidentem regii generis fu-

[1] Gen. XXXVII, 10. — [2] 1 Cor. XI, 3. — [3] Gen. II, 25. — [4] Hebr. XI, 21.

turum esse eum, qui ex semine illius nasciturus erat? Itaque cum quæcumque volebat, filio imperasset, non multo post ut didicit Joseph ægrotare patrem suum, et jam in foribus esse mortem, quia « Appropinquaverant dies mor-» tis illius, acceptis duobus filiis suis, venit ad Jacob. An-» nuntiatum est autem hoc Jacob, et corroboratus Israël » sedit super lectum[1]. » Vide quomodo amor erga filium senem firmabat, et alacritas vincebat infirmitatem. Audita enim illius præsentia, inquit, sedit super lectum. Et ut vidit illum, paternam dilectionem ei exhibet, et quia moriturus erat, benedictione sua firmat filios, maximas has facultates relinquens, et divitias, quæ absumi non poterant. Et vide quomodo incipit. Primum narrat benevolentiam quæ sibi a Deo concessa erat, et tunc benedictiones filiis impertit, et dicit : « Deus meus apparuit mihi in Luza, in » terra Chanaan, et benedixit mihi, et dixit mihi : Ego te » crescere faciam, et multiplicabo te, et faciam te in con-» gregationes gentium, et dabo tibi terram hanc, et semini » tuo post te in possessionem æternam[2]. » Promisit mihi, inquit, Deus, quando in Luza a me visus est, tantum se multiplicaturum semen meum, ut congregationes gentium ex eo futuræ sint. Et terram mihi, et semini meo se daturum promisit. « Nunc igitur duo illi filii, qui nati sunt tibi » in Ægypto, mei sunt : Ephraïm et Manasses, sicut Ruben » et Symeon erunt mei[3]. » Hos, inquit, quos habuisti ante adventum meum, ego in meorum filiorum numerum adopto, et parem iis, qui ex me nati sunt, a me benedictionem accipient. « Quoscumque autem postea genueris, ii tui » erunt, in nomine fratrum suorum vocabuntur in illorum » sortibus : Scias autem, quod et mater tua Rachel, quando » appropinquaveram Bethlehem, mortua est, et defodi eam » in via Hippodromi. Et videns duos filios Joseph, dixit :

[1] Gen. XLVIII, 1, 2. — [2] Ibid. 3, 4. — [3] Ibid 5.

» Qui sunt hi? Ille autem : Filii mei, quos dedit mihi Deus. » Et dixit Jacob : Adduc mihi eos, ut benedicam eos. Et » appropinquare eos illi fecit. Et osculatus est eos, et am- » plexatus est eos [1]. » Vide, obsecro, senem, quomodo festinat et urget ut benedicat filios Joseph. Et appropinquare eos fecit illi, inquit, et dixit ad Joseph : « Ecce facie tua » non sum privatus, et ecce monstravit mihi Deus semen » tuum [2]. » Magna mihi, inquit, præstitit Dei clementia, et plura quam expectavi, imo et quæ nunquam expectavi. Non enim solum non sum privatus facie tua, sed ecce etiam vidi eos, qui ex te nati sunt. « Et eduxit eos Joseph a geni- » bus, et adoraverunt eum super faciem, super terram [3]. » Vide quomodo et pueros statim ab initio debitum seni honorem reddere docuit, et Joseph, inquit, secundum dignitatem primogenituræ adduxit Manasses, et tunc Ephraïm.

III. Vide hic quomodo Justus corporis oculos præ senectute nunc infirmos haberet, « Gravati enim erant oculi ejus » præ senio, et non poterant videre [4], » valeret autem oculis mentis, et fide prævideret futura. Neque enim tulit Joseph ordinem, sed mutatis manibus benedicens, dignitatem juniori contulit, præferens Manassi Ephraïm, et dixit : « Deus cui bene placuerunt patres mei [5]. » Attende modestiam Jacob, vide animam religiosam; non audebat dicere : « Deus cui bene placui : » sed quid? « Cui bene placuerunt » patres mei. » Vidisti animam gratam? Tametsi paulo antea narrans dicebat : « In Luza apparuit mihi, et promisit » daturum se mihi et semini meo omnem terram, et in con- » gregationes gentium se facturum semen meum, » et tam evidentia habens indicia divinæ erga se benevolentiæ, adhuc tamen humiliatam habuit mentem. Et dicit : « Deus cui » bene placuerunt patres mei coram ipso, Abraham et Isaac. »

[1] Gen. XLVIII, 6-10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12. — [4] Ibid. 10. — [5] Ibid. 15.

Deinde iterum : « Qui pascit me a juventute mea. » Accipe et ex hoc gratissimum ejus animum. Non dicit propriam virtutem, sed ea quæ sibi a Deo fuerunt facta. « Qui pascit » me a juventute mea usque in diem hanc [1]. » Ipse enim, inquit, est qui ab initio usque ad præsens res meas dispensavit, et moderatus est. Ita et prius dicebat : « In virga » enim mea hac transivi Jordanem : et ecce nunc factus » sum in duo castra [2]. » Et nunc iterum aliis verbis dicit : « Qui pascit me a juventute mea usque in diem hunc, » Angelus qui liberavit me de omnibus malis [3]. » Gratæ animæ, ac piæ, et bene memoris beneficiorum Dei verba : « Ille, inquit, cui patres mei bene placuerunt, qui me a juventute mea usque in præsentem diem educavit, qui me ab initio ab omnibus malis liberavit, qui tantam erga me declaravit providentiam, « Ipse benedicet hos pueros, et » invocabitur in eis nomen meum, et nomen patrum meo- » rum, Abraham et Isaac, et multiplicentur in multitudinem » magnam super terram [4]. » Vidisti simul et intelligentiam, et modestiam? Intelligentiam quidem, quia fidei oculis prævidens Ephraïm prætulit Manassi : modestiam vero, quia nusquam suæ virtutis mentionem fecit, sed ex probata patrum vita, et ex beneficiis in se collatis ipse preces fudit, et benedictionem filiis precatus est. Verum Jacob quidem prævidens futura, ita illis benedixit : « Joseph vero » videns juniorem prælatum seniori, grave et indignum esse » putans, dicit : Hic est primogenitus, pone dexteram tuam » super caput ejus ; et noluit, sed dixit : Scio, fili, scio, et » hic erit in populum, et hic exaltabitur, sed frater ejus » junior major eo erit, et semen ejus erit in multitudinem » gentium [5]. » Ne putes me, inquit, casu ac fortuito hoc fecisse, vel per ignorantiam. Scio enim, et prævidens

[1] Gen. XLVIII, 15. — [2] Id. XXXII, 10. — [3] Id. XLVIII, 16. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 17-19.

futura ita ei benedictionem dedi. Nam licet natura primatum habeat Manasses, sed juvenis ille major eo erit, « Et » semen ejus in multitudinem gentium. » Hoc autem totum factum est, quia hinc regnum demonstrabatur exoriturum : propterea prædicens futura, sic eum benedicit. « Et bene- » dixit eos, dicens : In vobis benedicent Israël dicentes : » Faciat te Deus sicut Ephraïm et Manasse. Et posuit » Ephraïm ante Manassen [1]. » Ita, inquit, ambo erunt gloriosi, ut omnes in optatis habeant ad eamdem cum illis gloriam pervenire : attamen prior erit Ephraïm Manasse. » Vides quomodo gratia Dei præmonstrabat ei futura, ac prophetico afflatus spiritu filiis Joseph benedixerit; et quod tantis temporibus aberat, tanquam præsens et ante oculos situm viderit? Hoc enim modo se habet prophetia. Nam sicut oculi corporales nihil amplius præterquam visibilia spectare possunt, ita et oculi fidei non quæ videntur spectant, sed illa vident, quæ multo post futura sunt. Et hoc manifestius scietis ex benedictionibus, quas suis filiis dat. Cæterum ne longum sermonem faciamus, multoque vos oneremus labore, contenti dictis, in sequentem sermonem reservabimus filiorum ejus benedictionem. Illud tamen obsecraverim vestram charitatem, ut imitemini Justum hunc, et tales hæreditates filiis vestris relinquatis, quæ a nullo unquam damnum accipere possint. Divitiæ enim sæpe etiam accipientibus perniciem pepererunt, et insidias, et multa pericula : hic autem nihil tale suspicari poteris unquam. Thesaurus enim est, qui nunquam exhauriri, nunquam potest consumi; thesaurus, qui non hominum dolis, nec latronum insidiis, non famulorum malitia, non alio quopiam imminui potest, sed perpetuo manet : spiritualis enim est, humanis non cedens insidiis ; sed cum iis, qui illum accipiunt, et sobrii esse volunt ac prudentes, in

[1] Gen. XLVIII, 20.

futuram vitam migrabit, et eis æterna præparabit tabernacula.

IV. Ne igitur operam nostram in colligendas opes collocemus, quas relinquamus filiis : sed doceamus eos virtutem, et benedictionem Dei illis apprecemur. Istæ enim, istæ maximæ sunt facultates : istæ sunt ineffabiles divitiæ, quæ non absumuntur, quæ quotidie substantiam nostram augent. Nihil enim virtuti par, nihil virtute potentius : etiamsi mihi dicas eum, qui regnum habet, ac diadema gerit, nisi hanc habeat, quovis panniculoso paupere miserior erit. Quid enim illi prodesse poterit diadema aut purpura, qui virtutem sua desidia perdit ? Numquid Dominus externarum dignitatum varietatem spectat ? numquid personarum gloria permovetur? Unum est illic quod quæritur, ut per operationem virtutum apertas invenire possimus januas fiduciæ in Deum : nam qui nihil fiduciæ hinc defert, inter ignominiosos et desperantes locum habebit. Hoc igitur omnes consideremus, et nostros filios doceamus, ut virtutem rebus omnibus præferant, nihilique faciant pecuniarum abundantiam. Hæc enim, hæc est quæ virtuti sæpe plurimum obstat, quandoquidem nesciunt pecuniis uti juvenes ut oportet. Et sicut parvi pueri sæpe quando cultellos et gladios arripiunt, eo quod nesciunt bene illis uti, periclitantur, unde matres non permittunt illis eos impune attingere ; ita profecto et juvenes, qui pecuniarum abundantiam susceperint, cum nolunt eis bene uti, in periculum certum se præcipitant, sarcinam peccatorum sibi inde colligentes. Nascuntur enim inde luxus, deliciæ, et absurdæ voluptates et infinita mala : non simpliciter a pecuniis dico, sed ideo quia qui illas receperunt, eis nesciunt recte uti. Propterea et Sapiens quidam dicebat : « Bonæ » divitiæ, quibus non est conjunctum peccatum[1], » Quia

[1] Eccli. xxxi, 8.

et Abraham dives erat, et Job dives erat; et non solum nihil damni eis accidit a divitiis, sed et clariores fuerunt. Quare? quia non in usum suum tantum has possidebant, sed ut iis juvarent etiam alios, quorum succurrerent inopiæ, et esset domus eorum aperta peregrinis omnibus. Audi enim unum eorum dicentem : « Si autem egressus est quis » de domo mea sinu vacuo : cæterum et impotentes viribus, » si quando indigebant subsidio, non privabantur.[1] » Et non solum per pecunias subsidium indigentibus ferebant, sed et sollicitudinem eorum gerebant. « Et eram, inquit, » pes claudis, oculus cœcis, et e medio dentium eripui » prædam.[2] » Vides illum et curam agere eorum, qui injuria afficiuntur, et debilibus membrorum vicem per omnia repræsentare? Hunc omnes oportet imitari, hunc, inquam, qui ante legem fuit, et ante gratiam tam bene moratam vitam gessit : idque cum nec præceptorem habuerit, neque progenitores virtute præditos, sed a semetipso et a sententia recta in bonam hanc vitam prodierit. Nam unusquisque nostrum in natura sua habet insitam scientiam virtutis, et nisi quis eam voluerit per ignaviam suam perdere generositatem, nunquam ea privabitur. Utinam autem eam omnes nos eligamus, et cum diligentia exerceamus, ita ut bona, quæ diligentibus Deum promissa sunt, consequamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Job. XXXI, 16. — [2] Id. XXIX, 15 et 17.

HOMILIA LXVII.

Dixit autem Israël ad Joseph : Ecce ego morior, et erit Deus vobiscum, et reducet vos Deus ex terra hac in terram patrum vestrorum. Ego autem do tibi Secima electa præ fratribus tuis, quæ cepi in gladio meo et arcu [1].

I. Pollicebamur nuper finem nos imposituros historiæ Jacob, sermoneque prolixius se extendente, ad finem quod promittebamus perducere non valuimus. Ideo volo quæ pridem relicta fuerunt in medium proponere, ut nunc saltem, si Deus dederit, finem imponamus. Operæ-pretium fuerit, primum vestram commonefacere charitatem, et ostendere ubi sermonem nuper missum fecerimus. Scitis utique, et memores estis, cum Jacob benedicturus esset filios Joseph, ipsum Ephraïm Manassi præposuisse, idque etiam patre ejus non probante, cui et dixit : « Scio, fili, » verumtamen et hic erit in populum, et hic exaltabitur, » sed frater ejus junior major eo erit, et semen ejus erit » in multitudinem gentium, et benedixit eos in die illa, di- » cens : In vobis benedicent Israël dicentes : Faciat te Deus » sicut Ephraïm et Manassen, et posuit Ephraïm ante Ma- » nassen. » Et huc usque processimus, ac ne sermonum nimia copia vestram obrueremus memoriam, cessavimus a doctrina : sed si videtur, hodie sequentia videamus. « Dixit autem Israël ad Joseph. Ecce ego morior, et erit » Deus vobiscum, et reducet vos Deus ex terra hac in ter-

[1] Gen. XLVIII 21, 22.

» ram patrum meorum. Ego autem do tibi Secima electa » præ fratribus tuis, quæ cepi in gladio meo et arcu [1]. » Postquam filios benedixit, et futura prævidens juniorem præposuit seniori, volens persuadere Josepho se non simpliciter, neque temere hoc fecisse, sed prædicentem futura, prædicit etiam ei suam mortem, et quod redituri sint ex aliena terra in Chanaan, in terram patrum suorum, et bonam eis spem auget, ita ut expectatione solatium habeant. Nam spes bonorum hujus vitæ labores semper imminuit. Et monstrans, etiam tempore mortis, quam dilectionem erga Joseph habeat, dicit ei: « Ego autem do » tibi Secima electa præ fratribus tuis: » quasi per hoc declarans: « Hoc omnino erit, et secundum meam prædictionem redibitis, et in hæreditatem possidebitis terram patrum vestrorum: « Et Secimorum civitatem tibi do hæreditatem » electam præ fratribus tuis, quam cepi de manu Amor- » rhæorum in gladio meo et arcu. » Quidnam hoc est? Quæ a Symeone et Levi facta sunt contra Secimitas in personam propriam transfert, et propter hoc dicit: « Quæ cepi » in gladio meo et arcu. » Sed hic opportune quæsiverit quispiam: « Et quare hoc facinus suum facit, cum postea, testamentum editurus, accusatione clare scripta eos arguat? » Non secum pugnat Justus, sed declarat mansuetudinem mentis suæ, et præter suæ mentis sententiam hoc factum esse. Non solum enim non probavit factum, sed et arguit, postquam id factum fuerat. Propterea volens monstrare suam erga Joseph dilectionem, ei concedit Secima, et dicit: « Quæ cepi in gladio meo et arcu. » Nam licet illorum fuerit opus, in mea tamen potestate positum est. » Si enim filiorum dominus pater, multo magis eorum quæ a filiis possidentur: si autem dominus, et quod voluerit dare possit. Itaque declarare volens suam erga Joseph be-

[1] Gen. XLVIII, 21, 22.

nevolentiam, non solum Ephraïm et Manassen benedicit, sed et Secima electam hæreditatem relinquit filio. «Et »vocavit, inquit, Jacob filios suos, et dixit: Congregamini, »ut annuntiem vobis quid eventurum sit vobis in novissi»mis diebus. Congregamini, et audite Israël patrem ves»trum[1].» Vide Justi intelligentiam, quia præsciebat mortis tempus, vocavit filios suos ad se, et dicit: «Congregamini, »ut vobis jam prædicam quid vobis eventurum sit in ulti»mis diebus. Congregamini, et audite Israël patrem ves»trum:» Venite, inquit, et discite a me, non præsentia, non quæ post parvum tempus eventura, sed quod accidet in ultimis diebus. Et hæc vobis non a memetipso annuntio, sed afflatus a Spiritu: et idcirco quæ multis postea generationibus contingent prædico. Etenim e vita hac migraturus, volo unicuique vestrum quasi in titulo et columna ærea memoriam insculpere.» Considera autem Justum, quomodo, congregatis liberis, natalium servato ordine, unicuique congruentem det vel maledictionem vel benedictionem: et in hoc monstrans suæ virtutis eminentiam, incipiat a primo. «Ruben, inquit, primogenitus, fortitudo mea, et princi»pium filiorum meorum. Durus ad ferendum, durus et per»vicax[2].» Vide quanta sapientia Justi. Volens enim accusationem magis intendi, prius dixit privilegia ei a natura concessa, et dignitatem quam tenebat, eum nempe principium filiorum, et primogenituræ honore clarum esse, et postea peccata illius quasi in ærea columna inscribit; monstrans nihil profutura nobis esse ea, quæ a natura insunt, nisi et voluntatis bona opera sequantur: hæc enim sunt quæ et laudem habent et vituperium. «Durus, inquit, ad feren»dum, durus et pervicax.» Naturæ, inquit, dignitatem tibi datam amisisti propria tua temeritate. «Deinde et speciem peccati bene scriptam relinquit, ita ut quod ille ac-

[1] Gen. XLIX, 1, 2. — [2] Ibid. 3.

cusatus reprehensusque sit, posteris magna sit eruditio, ne similia attentent. « Contumelia affecisti, sicut aqua non » effervescas. Ascendisti enim, inquit, super lectum patris » tui; tunc polluisti stratum quod ascendisti[1]. » Significat concubitum ejus cum Balla.

II. Vide quomodo per sapientiam, a Spiritu sancto sibi datam, prius dixit id quod postea Moses inter leges recensiturus erat, non licere cum eadem muliere patrem et filium rem habere. Et nunc istud ipse, filium suum increpando, sic prohibet. « Polluisti, inquit, stratum, ascendens super lectum patris tui. Rem perversam fecisti. Propter hoc quod ita contumelia me affecisti, sicut aqua non effervescas. Inutilis erit, inquit, ille conatus tuus; quod neque patrem reveritus, polluere ejus lectum ausus fueris. » Ut igitur nunc in sequentibus generationibus talia nemo imitetur, propterea Spiritus sanctus ordinavit, ut litteris commendetur hæc accusatio, et omnes qui audiunt eruditantur, sciantque manifeste nihil prodesse dignitatem naturæ concessam, nisi et voluntatis accedant ornamenta. Deinde quia satis traduxerat nefarium hoc opus, venit ad Symeonem et Levi. « Symeon et Levi compleverunt injustitiam » voluntatis suæ[2]. » Contentio eorum, quam propter sororem suam declararunt, eos in injustitiam illam impulit. Deinde declarans eos, se ignaro, rem fecisse, dicit: « In » consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu eo» rum non firmentur jecora mea[3]. » Absit, inquit, ut communicem eorum sententiæ, et obsequar eis in iis, quæ injuste egerunt. « Quia in furore suo occiderunt homines[4]. » Irrationabilis, inquit, fuit eorum indignatio. Nam licet peccasset Sychem, attamen non oportebat tantam stragem facere et omnes perdere. « Et in concupiscentia sua sub» nervaverunt taurum[5]. » Filium Emor hic significat. Nam

[1] Gen. XLIX, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid.

quia in florenti ætate erat, taurum eum nominavit. Deinde ut dixit ea, quæ fecerant, etiam maledictionem apponit et dicit: «Maledictus furor eorum, quia pervicax, et ira eo-»rum, quia obdurata est[1].» Dolum significat, quo illos circumvenerunt, ac cum dolo ipsos adorti sunt. «Pervicax enim, inquit, furor eorum, temerarius, impetuosus, ratione carens. «Et ira eorum, quia obdurata est.» Quando enim Secimitæ putaverunt eos sibi valde amicos, tunc gravi ira et bello eos oppresserunt. Et dicto eorum peccato, dicit et supplicium quod luituri erant. «Partiar eos »in Jacob, et disseminabo eos in Israël[2].» Ubique, inquit, dispersi erunt, ut istuc ipsum manifestum fiat eos, propter facinus commissum, id passos fuisse. «Juda, te laudent fratres »tui[3].» Benedictio Judæ data mystica est, præsignans omnia quæ ad Christum attinent. «Juda, inquit, te laudent fratres »tui.» Quia ex hac tribu exoriturus erat Christus secundum dispensationis rationem, propterea Spiritu sancto afflatus Jacob, prædicit per ea, quæ in Judam dicuntur, non solum descensum Domini ad homines, sed et mysterium, et crucem, et sepulturam, et resurrectionem et ut semel dicam, omnia. «Juda enim, inquit, te laudent »fratres tui; manus tuæ in tergo inimicorum tuorum, et »adorabunt te filii patris tui[4].» Quibus declarat eos subjiciendos illi esse. «Catulus leonis Juda. De germine, fili »mi, ascendisti[5].» Regnum ejus prædicit. Semper enim Scripturæ mos est per figuram hujus animalis regiam auctoritatem insinuare. «Recumbens dormivisti ut leo, et »sicut catulus. Quis excitabit eum[6]?» Crucem et sepulturam hic significat. «Quis excitabit, inquit, eum?» Sicut enim leonem vel catulum dormientem nullus audet excitare, ita dormivisti ut leo, et ut catulus. «Quis exci-

[1] Gen. XLIX, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 9. — [6] Ibid.

» tabit eum ?» Ipse enim est qui dicit: «Potestatem habeo » ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum re- » cipiendi eam [1]. » Postea et tempus quoque manifeste declarat, quo adventurus sit Christus secundum dispensationis rationem. « Non deficiet, inquit, princeps de Juda, » neque dux de femoribus ejus, donec veniat, cui reposi- » tum est, et ipse erit expectatio gentium [2]. » Tamdiu, inquit, durabunt judaïca et principes Judæorum, donec ille venerit. Et bene dixit: « Donec ille venerit, cui reposi- » tum est. » Quasi dicat: « Ille, cui præparatum est regnum; propterea ipse est expectatio gentium. » Vide quomodo jam dicit etiam gentes salute donandas. « Et ipse erit, inquit, » expectatio gentium. » Hujus adventum gentes expectant. « Ligans ad vitem pullum suum, et ad palmitem pullum » asinæ suæ [3]. » Per pullum iterum gentium significat adductionem. Nam quia asinus immundum erat animal, propterea dicit: « Illæ immundæ gentes cum tanta facilitate adducentur, quasi quis ad palmitem vitis asinum alliget: » simul insinuans et potestatis excellentiam et gentium obedientiam. Magnæ enim mansuetudinis est, quod asinus patiatur se ad palmitem vitis ligari. Viti autem suam doctrinam comparat: « Ego enim sum, inquit, vitis » vera, et Pater meus agricola est [4]. » Palmites autem vocavit teneritudinem præceptorum, et facilitatem legis ferendæ; ut jam præsignet gentes magis credulas fore, quam Judæos. « Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ » amictum suum [5]. »

III. Vide quomodo nobis totum mysterium insinuavit. Sciunt qui initiati sunt, quod dictum est: « Lavabit in vino » stolam suam. » Stolam puto corpus dici, quod propter dispensationem ferre dignatus est. Deinde ut diligenter

[1] Joan. x, 18. — [2] Gen. XLIX, 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Joan. XV, 1. — [5] Gen. XLIX, 11.

discas vinum quid appellavit, subdit : « Et in sanguine uvæ » amictum suum. » Vide quomodo sanguinis nomine crucem nobis et occisionem significet, et omnem mysteriorum dispensationem. « Jucundiores oculi ejus vino, et » candidiores dentes ejus lacte[1]. » Hic gloriam nobis demonstrare vult per metaphoram vini et oculorum. « Et » candidiores dentes ejus lacte. » Justitiam signat et claritatem judicis. Nam per dentes et lac, nihil aliud significare vult, quam fore candidum et manifestum judicium, ut est lactis et dentium conditio. « Zabulon, inquit, in maritimo » habitabit, et ipse apud stationem navium, et extendetur » usque ad Sidonem[2]. » Vide quomodo et huic prædicit ubi domicilium habiturus sit, et quod usque ad Sidonem extendetur. « Issachar bonum desideravit, recumbens in- » ter sortes, et videns requiem quod bona, et terram quod » pinguis, supposuit humerum suum ad laborandum, et » factus est vir agricola[3]. » Laudat hunc quod operationem terræ elegerit, et hanc omnibus aliis prætulerit. « Dan ju- » dicabit populum suum, sicut et una tribus in Israël. Et » fiat Dan serpens in via, insidens in semita, mordens un- » gulam equi, et cadet eques retrorsum, SALUTEM expectans » domini[4]. » Dignum ut quis admiretur et obstupescat, quomodo Justus ille oculis spiritus omnia prævidens, filiis suis prænuntiaverit quid unicuique eventurum sit; nam etiam illa quæ post multum temporis futura sunt prædicit. « Gad, tentatio tentabit eum; ipse autem tentabit illum ad » pedes. Aser, pinguis ejus panis, et ipse dabit cibum princi- » pibus. Nephthalim, virgultum resolutum, dans in germine » pulchritudinem[5]. » Et quia paucis transit illos, venit consequenter ad Joseph, et ait : « Joseph filius auctus, in- » vidiosus; Joseph filius auctus, filius meus junior[6]. » Invi-

[1] Gen. XLIX, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. 14, 15. — [4] Ibid. 16-18. — [5] Ibid. 19-21. — [6] Ibid. 22.

diosus, inquit, factus es ab ipsis initiis. « Quem consilio » communicato convitiis incesserunt [1]. » Fratrum significat conspirationem contra eum. Et id quod supra dicebat Scriptura, eos crimine malo detulisse Joseph apud patrem suum; hoc iste dicit: « Quem communicato consilio convitiis in- » cesserunt. Et intendebant in eum domini sagittationum [2]. » Sanguinarium illorum significat animum. « Et contriti sunt » cum fortitudine arcus eorum [3]. » Vide quomodo postquam dixit ea, quæ contra Joseph attentarunt, dicit et ea, quæ eis contigerunt. « Contriti enim, inquit, arcus eorum, et » dissoluti sunt nervi brachiorum manuum eorum [4]. » Ipsi quidem occidere te conati sunt, et quantum ex ipsis pendebat, opere complessent; sed et arcus eorum contriti sunt, et dissoluti sunt eorum nervi. » Sic enim eis accidit, quando audierunt Joseph dicentem: « Ego sum frater vester » Joseph, quem vendidistis in Ægyptum [5]. » Tunc enim, tunc maxime soluti sunt nervi eorum, « Per manum po- » tentis Jacob. Inde qui corroboravit Israël a Deo patris » tui, et adjuvit te Deus meus [6]. » Qui dissolvit eorum nervos, inquit, potens est. « Ipse enim adjuvit te Deus meus. » Vide germanam Justi erga Dominum dilectionem, quomodo orbis Dominum suum esse Deum dicat, non concludens ejus dominium, neque privans eum potestate universali, sed suum declarans amorem. « Et benedixit tibi » benedictione cœli e supernis [7]. » Non solum, inquit, adjuvit te, sed et benedixit te « Benedictione terræ omnia » continentis propter benedictionem uberum et vulvæ, be- » nedictionem patris tui, et matris tuæ. Prævaluit benedic- » tionibus montium firmorum, et desideriis collium æter- » norum [8]. » Per colles æternos gloriam et majestatem, et regnum Ægypti: per montes et colles, sublimitatem et

[1] Gen. XLIX, 23. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 24. — [4] Ibid. — [5] Id. XLV, 4. — [6] Id. XLIX, 25. — [7] Ibid. — [8] Ibid. 26.

fortitudinem designat, et in summum fastigium principatus evectum esse hic insinuat. « Hæ enim, inquit, benedictio-» nes erunt super caput Joseph, et in vertice fratrum, quo-» rum dux est [1]. » Hæ scilicet, inquit, benedictiones erunt super caput tuum. « Benjamin lupus rapax, mane comedet, » et ad vesperam distribuet escam [2]. » Et hic præsignat ei quod longo post tempore futurum erat, et quod grassaturus esset sicut lupus rapiens, occidens et innumera mala faciens. Quoniam autem omnibus filiis congruentes benedictiones præsignavit, « Et benedixit, inquit, singulis juxta » benedictionem suam, qua benedixerat eis [3] : » hoc est, unicuique prædicebat quæ decebat, et quæ in unaquaque tribu eventura essent prædixit. Postquam autem ordinavit ea, quæ a Spiritu ipsi præsignata fuerant, dicit eis: « Ego » apponor ad populum meum, et sepelietis me cum patri-» bus meis [4]. »

IV. Vide quomodo per mandatum hoc maximam eis consolationem afferat. Considerabant enim Justum hoc non mandaturum fuisse, nisi omnino scivisset reditum ipsorum futurum, et liberandos se a servitute Ægypti. Postea quoque locum nominat: « In spelunca, inquit, quæ » est in agro Ephron Chettæi. Et ut hæc dixit, cessavit im-» perare filiis suis, et sublevavit Jacob pedes suos super » lectum, et defecit, et appositus est ad populum suum [5]. » Vide mortem Justi etiam magno miraculo plenam. Nam postquam imperavit pueris suis, « Sublevavit pedes in lec-» tum suum, » quasi cum voluptate rem reciperet. Ita impletis omnibus, pedes sustulit : hoc est, planos et rectos fecit et extendit. « Defecit, » hoc est, finivit vitam, « et appo-» situs est ad populum suum. Et recidit Joseph super faciem » patris sui, et flevit super eum, et osculatus est eum [6]. »

[1] Gen. XLIX, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 28. — [4] Ibid. 29. — [5] Ibid. 30 et 32. — [6] Id. L, 1.

Vidisti filii dilectionem ? vidisti ignitam charitatem ? Et post animæ recessum « Recidit Joseph super faciem ejus, et os- » culatus est, et flevit super eo. » His factis, Joseph quæ a patre mandata erant exequi curavit. « Et mox mandavit » pollinctoribus, ut sepelirent patrem suum. Et ipse qui- » dem quadraginta diebus, Ægyptus autem septuaginta » diebus eum luxit [1]. » Et postquam justa omnia persoluta sunt, significavit Pharaoni, et iis qui cum eo erant, quæ illi pater adhuc vivus demandarat, et dixit : « Adjuravit me » pater meus, dicens : In sepulcro, quod fodi mihi in terra » Chanaan, illic me sepelies. Nunc igitur ascendam, et se- » peliam patrem meum, et redibo [2]. » Æquum est, inquit, ut quæ ab eo præcepta sunt, impleam. Ubi igitur ea fe- cero quæ jusserit, redibo. » Hæc ut audiit, permisit Pharao. « Et ascendit, inquit, Joseph, ut sepeliret patrem suum, et » simul ascenderunt cum eo omnes servi Pharaonis. Et » cognationem, et boves et oves reliquerunt, et simul as- » cenderunt cum eo currus et equites. Et facta sunt castra » magna valde [3]. » Vide quantum officium declarent Ægyptii in honorem Joseph. « Et venerunt cum Joseph, ita ut fie- » rent castra magna. Et ut venerunt ad locum quemdam, » planxerunt eum planctu magno, et valde vehementi. Et » fecit planctum patri suo septem dies. Et viderunt habita- » tores Chanaan, et dixerunt : Planctus magnus est Ægyp- » tiis. Propter hoc vocavit nomen loci, Planctus Ægypti, » qui est trans Jordanem [4]. » Verum tu hæc audiens, dilecte, ne simpliciter prætercurre, sed tempus cogita, quo facta sunt, et ab omni culpa libera Joseph. Nondum enim fuerant portæ inferni confractæ, neque mortis vincula dissoluta, neque mors dicebatur dormitio. Et idcirco quia timuerunt mortem, hæc faciebant ; nunc autem propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus, consumma-

[1] Gen. L, 2, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 7-9. — [4] Ibid. 10-11.

tio et quies, ac certa multaque sunt resurrectionis indicia, quasi de vita in vitam transferendi, sic exultamus et lætamur. Et quid dico de vita in vitam? de deteriori ad meliorem, de temporali ad æternam, de terrena ad cœlestem. » Et peractis omnibus, inquit, reversus est Joseph in Ægyp» tum, ipse et fratres ejus, et omnes qui cum eo ascende» rant[1]. » Sed vide consequenter fratrum Joseph timorem hic, et terrorem eorum mentem concutientem. « Ut vide» runt autem fratres Joseph quod mortuus esset pater suus, » dixerunt: Ne forte memor sit injuriæ nostræ Joseph, et » retribuat retributionem nobis, et omnia mala quæ in eum » commisimus[2]. » Terror validus eorum mentem perculerat, et a conscientia stimulati, nesciebant quid facerent; propterea dicit: « Cum vidissent patris mortem, veriti ne dignam de se pœnam sumeret Joseph, ob ea, quæ in illum peccaverant, advenientes ad eum dixerunt: « Pater » tuus adjuravit nos prius quam moreretur, dicens: Dicite » Joseph: Dimitte eis injustitiam hanc et peccatum eo» rum[3]. » Vide iterum, quomodo ipsi accusatores sui ipsorum sint. Vide quanta est conscientiæ reprehensio. Omnino scitis vos injustitiam et peccatum operatos esse, malaque ei exhibuisse: « Et nunc accipe injustitiam servorum » Dei patris tui[4]. » Vides quomodo, nullo cogente, sui peccati sunt testes, et dicunt: « Dixit pater tuus: Dimitte eis, quia » mala tibi exhibuerunt, et accipe injustitiam servorum Dei » patris tui. » Sed Beatus hic et totus virtutibus clarus, tantum aberat, ut aliquam memoriam retineret eorum, quæ in se fecerant, ut etiam verbis eorum auditis conturbatus sit. » Et flevit, inquit, Joseph, loquentibus illis secum, et ve» nerunt, et dixerunt: Ecce nos servi tui[5]. » Vide quantum valeat virtus, quam valida et inexpugnabilis sit, et quanta malitiæ infirmitas. Ecce enim ille, qui hæc quidem

[1] Gen. l, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16, 17. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 18.

passus est, regnat; qui autem ita afflixerunt fratrem, famuli ejus esse orant, quem in servitutem exposuerant.

V. Verum tu, audi clementiam Joseph in fratres, non recordantis injuriarum, et quomodo omnibus modis eos consolari velit, et eis persuadere, quasi nihil in se peccaverint, dicit enim : « Ne timeatis, Dei enim sum ego. Vos » cogitastis contra me mala, Deus autem cogitavit pro me » in bona, quomodo factum, sicut hodie videtis, ut pascatur populus multus [1]. » Ne timeatis, inquit, neque anxii sitis : « Dei enim sum ego, » et Dominum meum imitor, ac beneficia rependere studeo iis, qui non ferenda contra me fecerunt : « Dei enim sum ego. » Deinde cum monstrasset quanta cum benevolentia prosecutus esset, dicit : « Vos mala mente hæc contra me fecistis, Deus autem in bonum mihi omnia vertit. » Idcirco et Paulus dicebat : « Diligentibus » Deum omnia cooperantur in bonum [2]. » Omnia, » inquit; quid est, « Omnia? » et adversa, et quæ contristare videntur, etiam ista in bonum mutat. Hoc utique et in hoc Justo factum est. Nam quæ a fratribus facta sunt, ea maxime regnum ei conciliarunt propter Dei sapientiam, quæ omnia mala in bonum commutat. « Ut pascatur, inquit, populus » multus. » Non solum vestra causa hæc in bonum vertit, sed ut et omnis ille populus pasci possit. « Et dixit eis : Ne » timeatis; ego pascam vos, et domus vestras. Et consola» tus est eos, et locutus est in cor eorum [3]. » Quid igitur, inquit, timetis? ego suppeditabo alimenta vobis, et omnibus qui vobiscum sunt. « Et consolatus est eos, et locutus » est in cor eorum. » Non simpliciter eos consolatus est, sed tanto usus est officio, ut eis omnem tristitiam e corde eximeret. « Et habitavit Joseph in Ægypto, ipse et fratres » ejus. Et vidit Joseph filios Ephraïm usque in tertiam ge-

[1] Gen. L, 18. — [2] Rom. VIII, 28. — [3] Gen. L, 21.

» nerationem. Et locutus est Joseph fratribus suis, dicens : » Ecce morior. Visitatione autem visitabit vos Dominus, et » simul deportabitis ossa mea hinc [1]. » Vide quomodo et ille eadem quæ pater, curat : volens ut simul auferrentur inde ipsius ossa, quo magis eorum confirmaretur mens, et bonam spem haberent de reditu suo. Primum hoc prædicit redituros illos esse, et tunc dicit : « Simul feretis ossa mea » hinc vobiscum. » Hoc autem non temere neque frustra faciebat : duo enim agebat ; unum, ne Ægyptii memores beneficiorum ejus, cum pro more suo facile ex hominibus Deos appellarent, corpus Justi haberent in impietatis occasionem : alterum, ut securi et certi omnino essent se redituros. Nam nisi hoc certum fuisset, non jussisset secum reportare ossa. Et videre licebat rem novam et admirabilem, eum, qui omnem Israëlem in Ægypto pascebat, illum et ducem reditus, et in terram promissionis ipsos introducentem. « Et mortuus est Joseph, annos habens centum » et decem [2]. » Quare nobis et illius annos significavit? Ut discas quot annis Ægypti principatum tenuerit. Septem et decem annorum erat, cum veniret in Ægyptum, et triginta annorum factus comparuit coram Pharaone, et interpretatus est somnia. Deinde octoginta annis præfuit toti terræ Ægypti. Vidisti quomodo majora sint præmia quam labores, retributionesque multiplices? Tredecim annis certavit in tentationibus, ferens servitutem, et calumniam illam iniquam, et afflictionem in carcere. Et quia generose et cum gratiarum actione tulit omnia, propterea larga præmia accepit etiam in hac vita. Considera enim eum pro brevi illo tempore, quo servitutem et carcerem sustinuit, octoginta annis regnum administravisse. Quod vero fide omnia disposuerit, et propter hoc etiam de transvectione ossium mandarit, audi Paulum dicentem : « Fide Joseph moriens,

[1] Gen. L, 22-25. — [2] Ibid.

» de egressione filiorum Israël meminit [1]. » Et non fuit his contentus, sed ut discas causam propter quam injunxerit ossium transvectionem, addit : « Et de ossibus suis manda- » vit [2] » Forte pluribus hæc dicta sunt, sed ignoscite. Nam quoniam ad finem libri pervenimus, voluimus cum ejus fine hunc quoque sermonem hodie finire, et solitam exhortationem adjicere, ut scilicet dictorum recordemini, et imitemur Justorum illorum virtutem, et injuriarum oblivionem erga eos, qui nos damno affecerunt, patientiamque erga eos, qui nobis molestiam inferunt, intemeratamque continentiam. Hinc enim Justus tantam sibi Dei gratiam conciliavit. Si ergo volumus nos quoque cœleste auxilium obtinere, summam virtutis habeamus rationem. Sic enim et spiritus gratiam nobis attrahemus, et præsentem vitam magna jucunditate transigemus, et futura bona consequemur. Quæ nobis omnibus concedat Dominus noster Jesus Christus cum quo Patri et sancto Spiritui sit gloria, imperium, et honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Hebr. xi, 22. — [2] Ibid.

FINIS HOMILIARUM IN GENESIM.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

SERMONES IX IN GENESIM.

SERMO I.

Habitus in principio quadragesimæ in illud : In principio fecit Deus cœlum et terram; *ac de jejunio et eleemosyna.*

I. Jucundum nautis est ver, jucundum agricolis; sed neque nautis, neque agricolis ita jucundum ver est, ut volentibus philosophari jucundum est jejunii tempus, animarum ver spirituale, cogitationum vera tranquillitas. Nam agricolis ver ideo jucundum est, quia tunc coronatam vident floribus terram, et herbarum comis velut amictu undique ornatam : nautis item ver jucundum, quia marium dorsa tuto possunt navibus sulcare, sedatis nempe fluctibus, delphinis tranquille ludentibus, et ad ipsa navis latera plerumque exilientibus. Nobis autem jucundum est jejunii ver, quia fluctus nobis, non undarum, sed absurdorum motuum concupiscentiarumque sedare, et coronam nobis, non florum, sed spiritualis gratiæ texere solet : « Coronam gratiarum, inquit, accipies capiti tuo [1]. » Non sic adventans hirundo hiemem solet depellere, ut adventans jejunium turbulentorum animi motuum hiemem a

[1] Prov. 1, 9.

nobis ejicit. Non ultra pugna animæ cum carne; non insurgit adversus dominam ancilla; sed hujusmodi in corpore motum bellum totum solvitur. Quandoquidem igitur magna fruimur pace, ingentique tranquillitate, age et nos quoque doctrinæ scapham trahamus, atque ex portu in bene affectarum aurium vestrarum portum transmittamus. Age subtiliora Scripturæ sensa aggrediamur, ac de cœlo, de terra, de mari, deque tota rerum natura philosophemur. Hæc quippe nobis hodie lecta sunt. Sed quid ad nos, inquies, creationis ratio? Ad nos utique pertinet, dilecti. Nam si ex magnitudine et pulchritudine creaturarum proportione quadam Creator agnoscitur, quanto magis creatarum rerum pulchritudinem magnitudinemque contemplabimur, tanto magis ad ipsius Opificis notitiam adducemur. Magnum bonum est nosse quid sit creatura, quid Creator, quid opus, quid Opifex. Nam si hæc accurate distinguere scirent veritatis hostes, non omnia confunderent, ac sus deque verterent: non quod stellas et cœlum deduxerint, et terram sublimem fecerint, sed cœlorum Regem a regio solio deturbatum cum creatis rebus collocaverint, creaturam vero Divinitatis sedibus honorarint. Si de natura rerum recte scissent philosophari Manichæi, nunquam eam, quæ ex nihilo facta, corruptioni obnoxia, fluxa et mutabilis erat, quasi non factam honorassent. Si de rerum natura recte scissent ratiocinari Gentiles, non a vero aberrassent, neque coluissent adorassentque creaturam potius quam Creatorem. Pulchrum est cœlum, sed ideo creatum est ut adorares Opificem: pulcher sol, sed ideo pulcher ut colas Factorem: sed si in mira rerum forma consistas, et earum pulchritudi inhæreas, lux tibi versa est in tenebras; imo potius luce ad tenebras usus es. Vides quantum bonum sit rerum creatarum nosse rationes? Ne itaque lucrum prætereas, sed dictis accurate animum

adhibe ; non enim de cœlo, de terra, de mari tantum dicturi sumus, sed etiam de origine nostra, atque unde mors orta sit, unde vita laboriosa, unde tristitia et sollicitudines. Nam ut de his deque multis aliis sese purgaret Deus, hunc ad nos librum misit : neque enim sese defendere Deus dedignatur, sed per Prophetam clamat : « Venite, et disputemus, dicit Dominus [1]. » Nec modo sese defendit ac judicio contendit, sed etiam quomodo condemnationem fugere possimus docet : non enim solum dixit : « Venite, » et disputemus ; » sed postquam docuit quid dicendum, quid agendum esset, sic ad tribunal traxit. Audi itaque propheticum sermonem superius prolatum : « Lavamini, » mundi estote, auferte nequitias ab animabus vestris : dis » cite bene facere, judicate pupillo, et justificate viduam [2] ; » et tunc ait : « Venite, et disputemus, dicit Dominus. » Nolo vos, inquit, nudos et defensione vacuos sumere, sed instructos ratiocinio et defensione ad rationem reddendam voco. Si quidem vobiscum disceptare volo, non ut condemnem, sed ut parcam. » Sic et alio loco dicit : « Dic tu prior » iniquitates tuas, ut justificeris [3]. » Habes acerbum et immitem accusatorem ; præveni eum, locum prius occupa, os impudens obtura.

II. Initio certe Deus per se hominibus loquebatur, quantum scilicet hominibus audire fas est. Sic Adamum adiit, sic Caïnum increpavit, sic cum Noë locutus est, sic ab Abrahamo hospitio susceptus. Verum quia natura nostra ad malum declinavit, et quasi in longinquum exilium seipsam transtulit, demum ille nobis, quasi longam peregrinationem susceperimus, Litteras mittit, quasi per epistolam nobiscum veterem renovans amicitiam. Hujusmodi Litteras misit Deus, attulit Moyses. Quid ferunt Litteræ ? « In principio fecit Deus cœlum et terram [4]. » Cur non de

[1] Isaï. I, 18. — [2] Ibid. 16, 17. — [3] Id. XLIII, 26. — [4] Gen. I, 1.

Angelis vel de Archangelis loquitur nobis? Nam si ex creaturis Creator conspicitur, multo magis ex illis nossi potuit: puchrum est cœlum, sed non ita puchrum ut Angelus; splendidus sol, sed non ita splendidus ut Archangelus. Cur itaque, sublimiore dimissa via, per humiliorem nos ducit? Quia cum Judæis loquitur, qui intellectu minus instructi erant, qui sensilibus hærebant, qui ex Ægypto nuper egressi, ubi crocodili, canes, simiæ ab hominibus colebantur; nec licebat sublimiore via illos ad Creatorem ducere. Sublimior utique via illa erat, sed asperior, prærupta, et ardua infirmioribus. Ideo illos per faciliorem ducit, per cœlum, terram, mare, cæteraque visibilia creata. Quod autem hæc vera sit causa, audi quomodo, postquam paulum profecerant, Propheta de illis supernis Virtutibus loquatur: « Laudate Dominum, inquit, de cœ» lis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli » ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus: quoniam ipse » dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt [1]. » Et quid mirum si in Veteri Testamento hic doctrinæ modus reperitur, cum etiam in Novo, quando sublimiorum documentorum tempus erat, cum Atheniensibus loquens Paulus, eamdem tenuerit viam, quam Moyses cum Judæos instituerat. Neque enim de Angelis, deque Archangelis sermonem fecit, sed de cœlo, de terra, et de mari, ita concionatus: « Deus, qui fecit mundum, et omnia quæ in eo » sunt. Hic cœli et terræ cum sit Dominus, non in manu» factis templis habitat [2]. » At cum Philippenses alloquebatur, non hac illos via duxit. Sed ad sublimiorem illos concionem provehit his verbis: « Quoniam in ipso creata sunt universa, » quæ in cœlis et quæ in terra, sive Throni, sive Domina» tiones, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum » et in ipso creata sunt [3]. » Sic et Joannes, quia perfectiores

[1] Psal. CXLVIII, 1, 2 et 5. — [2] Act. XVII, 24. — [3] Coloss. I, 16.

habuit discipulos, universam simul creationem commemoravit. Non enim dixit : « Cœlum, et terram, et mare; » sed, « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil » quod factum est[1]; » sive visibile, inquit, sit, sive invisibile. » Sicut enim apud ludimagistros, alius puellum a matre accipiens, prima ipsum docet elementa; alius deinde excipiens, discipulum ad sublimiora documenta provehit : ita a Moyse, et Paulo, et Joanne actum est. Moyses enim ignaram omnium et nuper ablactatam naturam nostram prima divinæ cognitionis elementa docuit; Joannes autem et Paulus quasi a ludimagistro acceptos homines ad sublimiora documenta deducunt, priora tamen paucis commemorantes. Vidisti utriusque Testamenti affinitatem? vidisti consensum in documentis? Audisti in Veteri sensibilium rerum creationem, et de spiritualibus Davidem dicentem ; « Ipse dixit, et facta sunt[2]? » Sic iterum in Novo, postquam dictum est de invisibilibus Potestatibus, etiam de creatura sensibili sermo habetur. « In principio fecit Deus cœlum et » terram. » Sermo quidem brevis et simplex, ac dictum unum, sed quod omnes adversariorum turres subvertere possit. Hic mentem adhibe. Accedit Manichæus dicens : « Materia non facta fuit. » Responde illi : « In principio fecit » Deus cœlum et terram, » et totam ejus arrogantiam statim subvertisti. Sed non credit Scripturæ dictis, inquit. Ergo ea de causa quasi furibundum illum repelle et aversare. Nam qui Deo non credit palam loquenti, et qui veritatem mendacii accusat, quo pacto insaniæ argumentum non ferat, nempe incredulitatem? « At quomodo, inquit, ex nihilo fieri quid possit? » Tu vero mihi dicas quomodo ex prius existentibus fieri quid possit? Nam quod ex non existentibus terra facta sit ego credo, tu autem dubitas; quod autem ex terra factus sit homo ambo confitemur.

[1] Joan. I, 5. — [2] Psal. XXXII, 9.

Dic igitur illud, quod in confesso et facilius est, quomodo ex terra facta sit carnis natura. Ex terra enim lutum, later, vas fictile, et testa fieri solet. Carnem vero ex terra factam nemo unquam viderit. Quomodo igitur facta est carnis natura? quomodo ossa efformata sunt? quomodo nervi, venæ et arteriæ? quomodo membranæ, adeps, carnes, cutis, ungues, capilli, et tanta diversitas variarum substantiarum ex una subjacente terra? Verum hæc dicere minime possis. Quomodo ergo absurdum non fuerit eum, qui id quod clarius et facilius est ignorat, difficiliora et arcana curiose scrutari?

III. Vis te adhuc ad faciliora ducam, quæ quotidie fieri solent? Attamen ne de his quidem rationem reddes. Panem quotidie comedimus. Quomodo igitur, quæso, panis ipsa natura in sanguinem vertitur, in pituitam, in bilem et in reliquos humores? Nam panis quidem densus durusque est, sanguis vero mollis et fluidus; panis vel candidus vel frumenti colore, sanguis ruber et niger. Cæterarum item qualitatum differentiam si quis persequatur, multum inveniet panem inter et sanguinem discrimen. Quomodo igitur hæc fiunt, rationem reddas velim. Sed nunquam possis. Ergo-ne tu, qui cibi quotidie immutati rationem reddere nequis, a Deo peractæ creationis rationes a me repetes? Annon hoc extremæ dementiæ fuerit? Si nostri similis est Deus, rationem exige operum; imo ne id quidem concedatur: multa quippe humana certe facta quî fiant dicere non possumus, exempli causa, quomodo ex metallica terra aurum fiat, quomodo arena in vitri puritatem mutetur. Multoque plura dici possent humano artificio facta, quorum rationem ignoramus. Verumtamen si nostri similis sit Deus, per me licet rationem repetas; sin immenso spatio a nobis distat, et supra modum antecellit, annon extremæ fuerit insaniæ eos, qui immensam illius sapientiam et vir-

tutem confitentur, eamque divinam et incomprehensibilem, quasi de humana quadam arte, sic per singula factorum rationem expetere? Verum his missis ratiociniis, ad petram illam solidam redeamus : « In principio fecit Deus » cœlum et terram. » Supra illud fundamentum sta, ne quis in te humanarum cogitationum fluctus moveat : « Cogita- » tiones enim mortalium timidæ, et incertæ adinventiones » eorum [1]. » Ne igitur id quod firmum est deseras, ut animæ tuæ salutem infirmis et fallacibus ratiociniis committas : sed mane in iis, quæ didicisti, et quæ tibi concredita sunt, et dic : « In principio fecit Deus cœlum et terram. » Si Manichæus accesserit, si Marcion, si Valentini morbo laborantes, si quivis alius, hoc dictum objice : si ridentem videris, tu eum ut furentem deplora. Buxeum illi habent colorem, demissum supercilium, verborum modestiam præferunt : tu fuge illecebras, et lupum sub ovis pelle occultum deprehende : propterea illum maxime odio habeas, quia dum erga te conservum mitis et mansuetus esse videtur, adversus communem nostrum omnium Dominum cane rabido ferocior est, implacabile bellum et prælium gerens contra cœlum, et potestatem quamdam Deo opponens. Fuge virus iniquitatis, perniciosa pharmaca odio habe; et quam a patribus accepisti hæreditatem, nempe divinarum Scripturarum fidem atque doctrinam, hanc cum multa cautelâ retine. « In principio fecit Deus cœ- » lum et terram. » Quid hoc est? primo cœlum, postea terram? primo tectum, postea solum? Non enim naturæ necessitati subditus est, non artis regulis servit. Etenim et naturæ, et artis, et rerum omnium voluntas Dei opifex artifexque est. « Terra autem erat invisibilis et incomposita [2]. » Cur cœlum perfectum produxit, terram autem paulatim fabricatum eum esse narrat Moyses? Ut postquam in præs-

[1] Sap. IX, 14. — [2] Gen. I, 2.

tantiori elemento ejus virtutem didiceras, certior fieres illum perinde potuisse terram perfectam producere, ut cœlum fecerat. Sed propter te et propter salutem tuam non sic fecit. « Quomodo, inquies, propter me et propter meam salutem? » Communis mensa, et patria, et nutrix, et mater omnium est terra, urbs et sepulcrum commune. Etenim corpora nostra ex ipsa, indeque corporibus nostris sumitur alimentum; in ipsa habitamus et versamur, et post mortem iterum in ipsam revertimur. Ne itaque ex necessariis usibus ipsam plus quam par erat mirareris, neve beneficiorum copia te in impietatem pertraheret ac supplantaret, ipsam tibi prius informem et incompositam declarat, ut ejus infirmitate conspecta, mireris eum, qui produxit, et hanc illi totam virtutem indidit, celebresque eum, qui res tantas ad commodum nostrum paravit. Deus autem glorificatur non modo per recta dogmata, sed etiam per optimum vitæ institutum : « Luceat enim, inquit, lux vestra » coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glori» ficent Patrem vestrum, qui in cœlis est [1]. »

IV. Volebam de eleemosyna sermonem adjicere : at mihi superfluum esse videtur vos verbo docere ; cum is, qui in medio sedet, communis pater et doctor noster, possit vos operibus et exemplo erudire, qui ac si domum paternam ad hoc solum a majoribus accepisset, ut eam hospitibus excipiendis præberet ; sic eam semper iis, qui pro veritate pelluntur, recipiendis destinavit, ut eos omnibus modis foveret ; ita ut nesciam utrum eam ejus, an peregrinorum domum appellare par sit ; imo potius annon ea illius esse ideo existimanda sit, quia peregrinorum est. Etenim facultates nostræ, tunc maxime nostræ fiunt, quando non nobis, sed pauperibus eas possidemus et dispensamus. Quomodo autem hoc sit ego dicam. Si ad dex-

[1] Matth. v, 16.

teram pauperis argentum deponas, non sycophanta invadit; non invidus oculus respicit; non fur, non parietum effossor abripit; non servus, eo ablato, fugam facit : nam illa penus vere asylum est. Si autem domi defodias, furi, murorum effossori, invido, sycophantæ, servo, et cuilibet perniciei aurum tuum obnoxium facis. Sæpe accidit ut, januis et vectibus multis oppositis, externorum damna pecuniæ vitarint, sed penuariorum manus non effugerint, ipsis cum pecunia aufugientibus. Vides tunc nos vere facultatum nostrarum dominos esse, cum eas apud pauperes deponimus. Neque custodiæ solum gratia hic tutior locus est, sed est etiam majoris lucri et proventus causa. Nam si homini fœnereris, centesimam accipis. Si autem Deo per pauperem fœnereris, jam non centesimam, sed centuplum accipies. Si in feraci seras agro, et larga seges fuerit, decuplum seminis referas; si in cœlo seras, postquam centuplum acceperis, vitam etiam æternam, perpetuam, immortalem possidebis. Et hic quidem multus labor iis subeundus est, qui semina jaciunt; illic vero sine aratro, bobus, agricolis, et reliquis laboribus, jacta semina pullulant; non æstus, non pluviæ nimiæ, non eruca, vel grando, vel locustarum agmen, vel fluviorum inundationes, vel cætera hujusmodi metuenda sunt serenti; sed quæ ibi jacta sunt semina, nulli perniciei sunt obnoxia. Cum igitur nec labor, nec periculum, nec suspicio, neque jactura quæpiam adsit, sed jacto semine, longe plura nascantur, et tanta hinc pullulent bona, « Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt [1]; » annon extremæ ignaviæ fuerit, relicto majore, id quod minus est persequi, et eo quod tutum erat deserto, incerta, periculis plena, et infortuniis multis obnoxia adire? Quæ nobis venia id agentibus, quæ excusatio? Paupertatem obtendimus?

[1] 1 Cor. II. 9.

at pauperiores non sumus vidua illa, quæ cum duo solum minuta haberet, hæc deposuit. Illius itaque divitias æmulemur, imitemur propositi magnificentiam, ut reposita illi bona consequamur. Quæ nos omnes adipisci contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

Cur in sole, et luna, et cœlo et aliis dixerit: Fiat; *in homine autem,* Faciamus? *et quidnam sit illud,* ad imaginem?

I. Numquid meministis quæstionum, quæ vobis nuper sunt propositæ? in tantam enim arrogantiam et audaciam nos provexistis, ut quæstiones intrepide aggrediamur: imo nec audaciæ nec arrogantiæ id facinus est. Non enim viribus nostris confidentes, sed antistitum precibus ac vestris omnia committentes, ad stadium nos accinximus. Tanta porro vis est precum Ecclesiæ, ut licet magis muti quam lapides essemus, penna quavis leviorem linguam nostram efficiant. Nam sicut in media navis incidens vela zephyrus sagitta velocius cymbam promovet: sic et in linguam dicentis incidens oratio Ecclesiæ vehementius quam zephyrus sermonem promovet. Propterea nos etiam quotidie confidenter ad certamen nos accingimus. Si enim in externis certaminibus quispiam, cui decem tantum aut viginti fuerint amici in tanto populo, alacriter in arenam descendit: multo magis nos, qui non decem aut viginti, sed totum theatrum ex fratribus patribusque conflatum habemus, confidenter id agemus, tametsi in externis certaminibus non

multum prodest athletæ certanti spectator, nisi forte ut clamet et laudet quæ geruntur, et in superiori loco sedens cum illis contendat, qui contradicunt : in stadium vero descendere, manumque porrigere, vel adversarii pedem trahere, vel aliud ejusmodi quidpiam agere minime licet. Qui enim ab initio certamina illa constituerunt, acutis palis defixis, ac funibus in gyrum extensis spectatorum insaniam arcent. Quid vero mirum, si descendere spectatori non licet, cum et palæstræ magistrum jubeant foris sedentem juxta arenam, a longe certantibus doctrinæ subsidium præbere, prope vero non sinant accedere? Hic vero non ita fit, sed et doctori et spectatori licet ad nos descendere, atque affectu prope astare, precibusque vires addere. Age ergo more athletarum illorum aggrediamur certamina. Si quidem illi cum se invicem medios prehenderint, ac vi nexuum fuerint ad circumstantem se foris turbam impulsi propter angustias loci, nexibus solutis, ad certaminis locum rursus revertuntur : deinde redeuntes non recti congrediuntur rursus, verum in eumdem se nexuum modum statumque restituunt, in quo antea sunt divisi. Quando igitur nos quoque sermonem absolvere loci angustia coëgit, age ad ipsum locum certaminis revertentes, nexus ab iis, quæ hodierno die nobis sunt lecta, solvamus. « Et dixit Deus, inquit : Fa» ciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram [1]. « Unum hoc primum quæsitu dignum, cur tandem cum cœlum fieret, nusquam dictum sit: » Faciamus, » sed, « Fiat cœ» lum, Fiat lux, » atque ita in singulis creaturarum generibus: hic vero solum additum sit illud : « Faciamus, » et consilium, ac deliberatio, et cum altero quopiam honoris consorte communicatio? Quisnam igitur ille tandem est, qui creandus, cui tantum honoris deferatur? homo est magnum illud animal et admirabile, quodque omni creatura præstan-

[1] Gen. I, 26.

tius est apud Deum, propter quem cœlum, et terra, et mare, ac reliquum omne creaturæ corpus est conditum : homo cujus ita Deus salutem adamavit, ut ne Unigenito quidem suo propter eum parceret : neque enim omnia præstare molirique destitit, donec in altum evectum in sua dextera collocavit. Enimvero clamat id Paulus dicens : « Conresuscitavit et consedere fecit nos in cœlestibus in » Christo Jesu [1]. » Propterea consilium, et deliberatio, et communicatio, non quod indigeat consilio Deus, absit : sed ipsa verborum figura præ se fert honorem, qui nascenti defertur. Quî fit autem, dicet aliquis, si præstantior est toto mundo, ut post mundum producatur? ob hoc ipsum nimirum, quod mundo præstantior sit. Nam quemadmodum ingressuro in urbem quamdam imperatore, duces, præfecti, satellites, omnesque servi præcedunt, ut palatio adornato, et omni alio ministerio præparato, magno cum honore imperatorem excipiant : sic nimirum et hic quasi introducendus rex esset, sol præcessit, cœlum præcucurrit, prius ingressum est lumen, creata sunt omnia et adornata, tumque multo cum honore homo introducitur. « Faciamus hominem ad imaginem. » Audiat Judæus. Ad quem dicit Deus : « Faciamus? » Mosis sunt litteræ, Mosis, cui se credere dicunt, et mentiuntur. Ut enim scias illos mentiri et non credere, Christum illos convincentem audi, ac dicentem : « Si crederetis Moysi, credereiis et mihi [2]. » Jam vero apud illos quidem sunt libri, apud nos autem librorum thesaurus : apud illos litteræ, apud nos et litteræ, et sententiæ. Ad quem igitur dicit: « Faciamus hominem? » ad Angelum, inquit, vel ad Archangelum simpliciter verba facit. Ut enim verberones famuli, dum ab heris accusantur, nec habent quod eis aperte respondeant, quidquid in buccam venerit proferunt : sic et vos ad Angelum et Archan-

[1] Ephes. II, 6. — [2] Joan. V, 46.

gelum hæc esse dicta vultis. Quem tandem Angelum? quem Archangelum? neque enim Angelorum est creare, neque Archangelorum hæc operari. Quare vero cum cœlum quidem conderet, non dixit Angelo et Archangelo, sed per se illum produxit: cum vero cœlo totoque mundo præstantius animal produxit hominem, tum servos sibi socios creationis asciscit?

II. Non ita est, plane non ita est; quippe Angelorum est assistere, non creare: Archangelorum est ministrare, non participem esse sententiæ et consilii. Audi quid de virtutibus Seraphim dicat Hesaïas: « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et Seraphim astabant in circuitu ejus: sex alæ uni et sex alæ alteri, et duabus quidem alis operiebant facies suas [1], » ut scilicet oculos suos munirent, quod exilientem e solio fulgorem sustinere non possent. Quid ais? Seraphim astant, et tanta sunt admiratione ac stupore correpta, idque cum Dei videant indulgentiam: Angeli vero et consilii sunt participes, consultationisque consortes? Id nullo modo est rationi consentaneum. Sed quis ille est, ad quem dicit: Faciamus hominem? Admirabilis, consiliarius, potens, Deus, fortis, princeps pacis, pater futuri sæculi [2], » ipse est unigenitus Dei Filius. Ad eum igitur dicit: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. » Neque enim dixit meam et tuam, vel meam et vestram, sed « Ad imaginem nostram, » indicans imaginem unam et unam similitudinem: at Dei et Angelorum una imago non est, neque una similitudo. Quî enim posset una Domini et famulorum esse imago et similitudo? Itaque omni ex parte convincitur falsi sermo vester: nam dominatus imaginem hic significat, ut indicat et quod sequitur. Cum enim dixisset: « Ad imaginem, et similitudinem, » adjecit: « Et dominentur piscibus maris [3]; » dominatus autem Dei et Ange-

[1] Isaï. VI, 1, 2. — [2] Id. IX, 6. — [3] Gen. I, 26.

lorum unus esse nequit : quomodo enim esse posset, cum unus servorum sit et alter Domini, famulorum unus et alter imperantis ? Sed et alii quidam rursus in nos insurgunt dicentes Deum talem habere imaginem qualem et nos, male intelligentes quod dictum est. Neque enim substantiæ dixit imaginem, sed dominatus imaginem, ut ex iis, quæ deinde adjiciuntur, ostendemus. Ut enim scias humana forma præditum non esse Numen, audi Paulum dicentem : « Vir quidem non debet velari, cum sit imago et gloria » Dei : mulier autem gloria viri est : propterea debet, in- » quit, velum habere supra caput [1]. » Enimvero si hoc loco imaginem id appellavit, æqualem divinæ omni ex parte formæ similitudinem significans, et idcirco Dei imago vocatur homo, quia Deus hoc pacto figuratus est : igitur secundum illos non virum tantum ad imaginem factum dici oportebat, sed etiam mulierem. Mulieris enim virique figura, et forma, et similitudo est una. Quam igitur ob causam imago Dei vir dicitur, mulier vero non item ? quia nimirum non de imagine mentionem facit, quæ in forma sita sit, sed de imagine quæ in dominatu, quam solus homo habet, non autem mulier. Nam hic quidem nemini subditus est, illa huic subdita, quemadmodum inquit Deus : « Ad » virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur [2]. » Idcirco Dei quidem imago est vir, quia sublimiorem nullum habet, quemadmodum Deo sublimior est nullus, sed omnibus dominatur : mulier vero gloria viri est, quia viro subjecta est. Et alibi rursus ait : « Non debemus æstimare » auro, aut argento, aut lapidi, vel sculpturæ artis, aut co- » gitationis hominis, Divinitatem esse similem [3]. » Quod autem dicit, hanc sententiam habet : « Non modo figuras quæ cernuntur excedit Numen, sed neque mens efformare tale quiddam potest, qualis est Deus. « Quî fieri potest ergo,

[1] 1 Cor. xi, 7 et 10. — [2] Gen. iii, 16. — [3] Act. xvii, 29.

ut hominis figuram habeat Deus, cum ne mentem quidem ullam posse dicat Paulus essentiam Dei apud se cogitatione informare? siquidem formam nostram ac figuram omnes apud nos cogitatione facile possumus informare. Rursus de eleemosyna sermonem inferre statueram; sed nobis tempus id non permittit : quapropter finem hic dicendi faciamus, si prius ad illud vos cohortati fuerimus, ut diligenter omnia, quæ dicta sunt, memoriæ mandetis, multamque rectæ conversationis curam geratis, ne frustra et sine fructu collectas agamus. Quamvis enim dogmatum rectitudinem conservemus, nisi operum virtus accedat, omnino a vita æterna excidemus. « Non enim omnis, inquit, qui dicit mihi. » Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui » facit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis [1]. Voluntatem igitur Dei cum omni studio faciamus, ut in cœlos intrare, ac bona, quæ præparata sunt iis, qui Deum diligunt, adipisci possimus. Quorum utinam nos participes fieri omnes contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

Quid sit illud, ad similitudinem, *et qua de causa, cum dixerit Deus nos dominari in feras, non dominemur, et hoc magnæ erga nos curæ argumentum esse.*

I. Quemadmodum nihil proficiunt qui seminant, cum secus viam semina jacta fuerint : sic neque proderit is qui

[1] Matth. VII, 21.

dicit, si ad mentem auditorum oratio non feratur, sed sonus vocis in aërem temere diffusus auditorem, nulla percepta utilitate, relinquat. Hæc autem a me non sine causa dicta sunt vobis, sed ne faciliores tantum sententias appetatis, verum profundiores etiam aggrediamini. Nisi enim jam ad Scripturarum interiora descendamus, dum ad natandum expedita nobis sunt membra, dum acutius cernunt oculi, neque deliciarum humoribus conturbantur, dum constantior est spiritus, ut ne suffocemur; quando descendemus? an cum deliciæ affuerint, epulæ, ebrietas, et ingluvie redundans mensa? atqui tum ne moveri quidem facile possumus : tantum deliciarum onus animam gravat. Nonne videtis ut ii, qui pretiosos reperire lapides cupiunt, non in littore sursum sedentes fluctusque numerantes illud inveniant quod quærunt, sed in profundum ipsum delabantur, tametsi multus est in quærendo labor, multumque in inveniendo discrimen, et postquam invenerint, lucrum nullum? Quam enim magnam in vitam nostram invehere potest utilitatem lapidum inventio pretiosorum? utinam ne multas calamitates importaret! Nihil enim aliud vitam subvertit, et sursum ac deorsum cuncta miscet præter hanc pecuniarum insaniam. Verumtamen illi et animam et corpus exponunt quotidiani victus causa, seque fluctibus audacter committunt : hic vero neque discrimen, neque tantus labor est, verum exiguus, et is propter eorum, quæ inventa sunt, conservationem suscipitur. Nam quæ cum facilitate reperta sunt, nullius pretii multis videntur. Non est in pelago Scripturæ procella fluctuum, sed quovis portu tranquillius est hoc pelagus : necesse non est in obscuros sinus abyssi se demittere, neque rationis expertium aquarum violentiæ salutem suam committere; sed multa lux hic affulget, multo radiis solaribus ipsis splendidior, multa serenitas; omnis procella submota est, et eorum, quæ reperiuntur, tantum

est lucrum, ut ne oratione quidem ulla possit explicari. Ne igitur defatigemur, sed inquisitionem aggrediamur. Audistis Deum ad imaginem suam hominem condidisse, et quid sit illud, « Ad imaginem et similitudinem ; » diximus nempe non esse substantiæ comparationem, sed dominatus similitudinem : illud autem « Ad similitudinem, » indicat mitem ac mansuetum esse oportere, Deoque pro viribus ratione virtutis assimilari, prout ait Christus : « Estote similes Patri meo, qui in cœlis est [1]. » Ut enim in hac lata et spatiosa terra quædam animalia magis sunt rationis expertia, quædam ferociora : sic in animæ nostræ latitudine quædam sunt a ratione magis alienæ ac belluinæ cogitationes, quædam ferociores et immaniores. Subigendæ igitur ac domandæ sunt, earumque dominatus rationi committendus. Et quî fieri potest, dicet aliquis, ut belluinam cogitationem quis subigat? Quid ais, mi homo? Leones subigimus, eorumque animas cicures reddimus, et dubitas in cogitationum feritatem ad mansuetudinem possis traducere? tametsi leoni naturalis est feritas, præter naturam autem mansuetudo; tibi vero contra naturalis est benignitas, feritas vero præter naturam. Ergo-ne qui id expellis quod est naturale, et animæ belluæ inseris quod præter naturam est, in tua ipsius anima quod est naturale non poteris conservare? quis hoc summæ non tribuat negligentiæ? Nam in leonis quidem anima præter hanc difficultas est altera : est enim expers ratiocinationum anima belluæ, et tamen leones sæpe vidistis ovibus mansuetiores per forum duci, et multi, qui in officinis versantur, pecuniam eorum custodi numerant, tanquam artis mercedem ac peritiæ, qua belluam cicurem reddidit : at in anima tua, et ratio est et Dei timor, multumque undique auxilium ostenditur. Ne igitur prætextus et excusationes obtendas. Potes enim, si velis, fieri man-

[1] Matth. v, 45.

suetus et lenis. « Faciamus hominem ad imaginem et simi-» litudinem nostram, et dominetur bestiis. »

II. Hoc loco insurgunt in nos Gentiles, et id falso dici contendunt : « Non enim nos bestiis dominamur, ipsæ nobis potius dominantur, multumque metum injiciunt. » Sane quidem hoc verum non est ; sufficit enim ad bestiam abigendam si facies humana compareat : tantus in eas a nobis timor dimanat. Quod sicubi ad se ulciscendas impetum faciant, sive fame cogente, sive quod nos ipsi eas in angustias redigamus, eisque vim inferamus, hoc vero perfectus non est dominatus. Neque enim si quis nostrum, visis latronibus impetum facientibus, armetur, et ad se ulciscendum se comparet, dominatus appellari res illa potest, sed propriæ salutis tuendæ sollicitudo : attamen non inde quæro defensionem, sed aliunde, quam vobis utile fuerit audiisse. Timemus bestias ac reformidamus, atque dominatu excidimus ; non nego, imo sponte confiteor : non tamen id mendacem esse Dei legem ostendit. Non enim ita se res habebant a principio, sed metuebant et tremebant, seque homini tanquam domino submittebant : quoniam autem fiducia et honore excidimus, idcirco illas timemus. Unde vero id constat? Adduxit bestias ad Adam Deus, « Ut vide-» ret, quid vocaret eas [1] : » neque resiliit Adam, quasi timore correptus, sed tanquam subditis sibi servis nomina cunctis imposuit. Hoc vero dominatus est indicium. Quamobrem volens etiam Deus per hoc illi suæ potestatis ostendere dignitatem, nominum impositionem ipsi permisit, atque imposita illis nomina in eis ex illo tempore permanserunt. « Omne enim quod vocavit Adam, hoc nomen illis [2], » inquit. Itaque unum hoc indicium est ab initio feras homini terribiles non fuisse : alterum vero etiam priori manifestius est, serpentis colloquium cum muliere. Nam si terribiles

[1] Gen. II, 19. — [2] Ibid.

hominibus fuissent bestiæ, mulier, serpente conspecto, non mansisset, verum aufugisset, neque consilium admisisset, neque tanta cum securitate collocuta cum illo fuisset, sed confestim ad aspectum ejus obstupefacta profugisset : jam vero et colloquitur, nec reformidat, quod nondum ille timor esset. Postquam autem peccatum intravit, dignitas etiam est ablata. Et sicut inter famulos, qui honestiores sunt et clariores, conservis suis terrori sunt; qui autem offenderunt herum, conservos timent : sic et homini contigit. Nam dum fiducia apud Deum salva mansit, terribilis fuit bestiis : postquam autem offendit, etiam ultimos conservorum deinceps timuit. Quod si hoc ita non sit, ostende tu mihi fuisse terribiles hominibus bestias ante peccatum : atqui non poteris. Quod si postea subiit timor, hoc etiam sollicitudinis Domini est argumentum. Nam si, post homini traditi a Deo mandati transgressionem, integer in eum a Deo collatus honor mansisset immotus, haud facile a lapsu resurrexisset. Quando enim et inobedientes et obedientes pari honore fruuntur, ad improbitatem erudiuntur magis, neque facile a vitio desistunt. Si enim jam cum terrores, et pœnæ ac supplicia imminent, resipiscere non dignantur, quales fuissent si nihil grave pro suis delictis passi essent? Itaque nobis dominatus ob singularem nostri curam et sollicitudinem a Deo est ablatus. Tu vero hic quoque ineffabilem ejus benignitatem considera. Siquidem Adam totum mandatum violavit, ac legem transgressus est : Deus autem non totum honorem sustulit, neque tota eum potestate dejecit, sed ea duntaxat ab ejus imperio exemit animalia, quæ non multum ad hujus vitæ subsidium illi conducunt : quæ vero necessaria sunt et utilia, quæque multum inserviunt vitæ nostræ, ea subdita nobis esse permisit. Boum nobis reliquit armenta, ut vomerem trahamus, ut terram sulcemus, ut semina terræ mandemus : reliquit et subjugalium multa

genera, ut ad sarcinas convehendas laborem nobiscum exantlent : reliquit ovium greges, ut habeamus, quæ ad nos vestiendos sufficiant : reliquit et alia genera animantium, ex quibus multa in nostros usus commoda derivantur. Nam quia, dum hominem puniret, dixerat : « In sudore » vultus tui vesceris pane tuo [1] : » ut ne sudor ac labor iste intolerabilis esset, sudoris molestiam laborisque gravitatem jumentorum multitudine levavit, quæ una nobiscum laborant et molestias ferunt. Et quemadmodum benignus ac providus herus, flagellato servo, curam aliquam congruam flagellis adhibet : sic nimirum ubi pœnam reo imposuit Deus, omni ratione pœnam istam leviorem reddere voluit, dum ad sudorem nos laboremque perpetuum damnatos in labore curavit ferendo a multis generibus animantium adjuvari. Pro his sane omnibus ei gratias agamus : nam quod honorem nobis contulit, ac rursus honorem eripuit, et non omnem eripuit ipsum, et quod bestiarum timorem immisit, et omnia, si quis examinet ea, multam sapientiam, multam providentiam, multamque clementiam præ se ferunt, qua nobis omnibus frui perpetuo contingat in Dei gloriam, qui hæc omnia perfecit. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

Quod servitutis modos tres induxerit peccatum : et in negligentes auditores, eosque qui parentes non honorant.

I. Audivistis heri quo pacto Deus hominem bestiarum regem ac principem constituerit; quo pacto item confestim

[1] Gen. III, 19

e regno illum ejecerit, vel potius non Deus, sed ipse per inobedientiam honore seipsum abdicarit. Nam quod illi regnum obtigerit, divinæ solius fuit benignitatis. Neque enim hanc illi mercedem tribuit recte factorum, sed et priusquam esset hoc, illum honore decoravit. At ne dicerres hominem postea natum, deinde multis editis præclaris facinoribus ita Deum sibi conciliasse, ut ab eo imperium in belluas obtineret, cum formaturus eum esset, de ipsius imperio verba facit ita dicens : « Faciamus hominem ad » imaginem et similitudinem nostram, et dominentur bestiis » terræ. » Ante vitam honor, ante creationem corona, et antequam fiat, ad regium solium evehitur. Etenim homines subditos suos in extrema senectute post multos labores et infinita pericula, cum in pace, tum in bellis, tum demum honore afficiunt : Deus autem non ita, sed statim atque est, ad hunc eum honorem evexit, et hoc non recte factorum esse mercedem ostendit, sed gratiam divinam, et non debitum. Quod igitur principatum acceperit, id ex sola Dei benignitate illi obvenit : quod autem exciderit principatu, ex ipsius ignavia. Ergo ut reges eis, qui suis non parent mandatis, abrogant principatum : ita se gessit erga hominem Deus, cum ei tunc principatum abrogavit. Hodie autem operæ-pretium fuerit dicere quantum etiam alium honorem illi peccati natura eripuerit, et quod servitutis modos induxerit, dum ut tyrannus quispiam diversis vinculis, multis generibus principatuum naturam nostram devinxit. Primus igitur principatus est servitus, qua et mulieribus imperant viri : siquidem post peccatum hac opus fuit. Nam ante inobedientiam par honore fuit viro, cumque illam formavit Deus, quibus in formatione viri verbis usus erat, his et in creatione mulieris est usus. Ut igitur de illo dixit : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem » nostram, » neque dixit; « Fiat homo : » sic et de ista non dixit:

« Fiat mulier, » sed hic quoque : « Faciamus ei adjutorem, » neque simpliciter « Adjutorem, » sed « Secundum ipsum, » quo rursus honoris æqualitatem ostendit. Nam quoniam brutæ animantes ad necessarios vitæ usus multum nobis conferunt adjumenti, ne forte mulierem quoque inter mancipia putares esse numerandam, vide quomodo ab illis eam manifeste distinguat. « Adduxit bestias, inquit, coram » Adam, et non est inventus adjutor similis ei secundum » ipsum [1]. » Quid igitur ? non est adjutor equus, qui operam suam illi præstat in bellis ? non est adjutor bos, qui vomerem trahit, et dum semina terræ mandantur, nobiscum laborat ? non sunt adjutores asinus et mulus, qui ad onera transvehenda nos adjuvant ? Sed ne hoc dicas, propterea hæc accurate distinguit. Non enim simpliciter dixit : « Non » est inventus illi adjutor, » sed, « Non est inventus adjutor » similis ei. » Ita hic quoque non dixit simpliciter : « Facia- » mus illi adjutorem, » sed, « Faciamus illi adjutorem secun- » dum ipsum, » dixit. Hæc autem ante peccatum contigerunt ; post peccatum autem : « Ad virum tuum conversio » tua, et ipse tui dominabitur [2]. » Æqualem honore te creavi, inquit, non recte usa es principatu, ad subjectionem descende. Non tulisti libertatem, servitutem admitte : nescivisti imperare, quod et ipsa rerum experientia declarasti, esto una ex subditis, et dominum virum agnosce. « Ad » virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur. » At vide hoc loco Dei benignitatem. Ne enim audiens, « Ipse » tui dominabitur, » gravem censeret esse dominatum, prius posuit nomen curæ dicens : « Ad virum tuum conversio » tua, » hoc est, refugium tuum, portus, et securitas tibi erit ille, ut in omnibus, quæ ingruent, malis ad ipsum te convertas et confugias, tibi concedo. » Neque hoc solum, sed et naturalibus eos necessitatibus colligavit, et tanquam

[1] Gen. II, 19. — [2] Id. III, 16.

infractum quoddam vinculum, cupiditatis illis catenam injecit. Vides ut subjectionem invexerit quidem peccatum, solers autem et sapiens Deus his quoque ad nostram utilitatem sit usus? Audi quid de hac subjectione dicat Paulus, ut rursum Veteris ac Novi Testamenti concordiam intelligas. « Mulier, inquit, in silentio discat cum omni subjectione [1]. » Vides et ipsum viro mulierem subjecisse? sed expecta, et causam audies. Cur « Cum omni subjectione? Mulieri enim, » inquit, docere non permitto [2] » Quid ita? Semel enim male docuit Adam; « Neque dominari in virum. » Cur id tandem? Semel quippe male dominata est : « Sed esse in » silentio [3]. » Dic vero causam. « Adam enim, inquit, non » est seductus : mulier autem seducta in prævaricatione » fuit [4]. » Idcirco illam a doctrinæ solio dejecit. Qui enim docere nescit, discat, inquit : quod si noluerit discere, sed docere voluerit, et seipsum, et discipulos insuper suos perdet : id quod etiam tunc mulieri accidit. Verum illam quidem viro subjectam fuisse, ac propter peccatum fuisse subtam, hinc manifestum est : illud autem audire velim, « Ad » virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur. »

II. Scire velim quo pacto de hac etiam cura loquatur Paulus, et dominatum misceat cum benevolentia. Quonam igitur in loco id facit? ad Corinthios scribens ait : « Viri, » diligite uxores [5] : » ecce illud, « Ad virum tuum conversio » tua. Uxores autem ut timeant viros [6] : » ecce illud, « Ipse » tui dominabitur. » Vides ut minime gravis sit dominatus, quando fervidus amator mulieris servientis fuerit dominus, quando metus fuerit cum charitate conjunctus? Sic enim tollitur omnis molestia servitutis : unum itaque principatum induxit inobedientia. Noli enim hoc spectare, quod illam ut oportebat temperarit Deus, sed quod ipsam servi-

[1] 1 Tim. II, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 13. — [5] Ephes. V, 25. — [6] Ibid. 33.

tutis naturam constituerit peccatum : quod est alterum genus servitutis multo priori gravius, quod et ipsum originem et occasionem duxit a peccato. Nam post diluvium Noë, commune illud universi terrarum orbis naufragium et exitium, peccavit in genitorem suum Cham, cumque nudatum patrem vidisset, accusatione illum amplius sua apud fratres suos nudavit, atque inde fratrum servus est factus. Corruperat enim naturæ nobilitatem pravitas voluntatis : ac merito quidem. Scriptura igitur innumeras pro Justo profert excusationes, vel potius uno verbo omnem illi dat veniam. « Cœpit enim, inquit, Noë homo agricola [1]. » Illud vero, « Cœpit, » multam continet ebrietatis excusationem. Nam neque quantum vini bibendum esset noverat, nec quomodo ; merum-ne an aqua mixtum, nec quando bibendum, statim-ne ex torcularibus haustum, an post aliquod tempus elapsum. Ac Scriptura quidem per hæc Noë factum excusat ; qui vero ex ipso prognatus erat, qui ab ipso servatus, (siquidem propter exhibitum patri honorem, una cum cæteris tempestate sublatus non perierat ;) nulla naturæ habita ratione, non salutis obtentæ recordatus, non metu ad meliorem mentem reductus, cum adhuc superesse reliquias cerneret iræ divinæ, cum vestigia calamitatis apparere, cum adhuc eorum quæ acciderant metum vigere, contumelia parentem affecit. Hoc etiam admonet Sapiens quispiam dicens : « Ne glorieris in contumelia patris tui : » non enim est tibi gloria, patris contumelia [2]. » Verum neque hoc noverat ille, sed peccatum omni venia et excusatione indignum admisit. Ideo peccati pœnam servitutem incurrit, fratrumque servus est factus, et prærogativam honoris a natura delatam animi pravitate amisit. Habes alterum servitutis genus. Vis etiam tertium nosse ? duobus prioribus gravius est istud, multoque formidabilius. Nam

[1] Gen. IX, 20. — [2] Eccli. III, 12.

quoniam illis non est emendatus, vincula nobis adauxit Deus. Quodnam igitur illud est? principum ac magistratuum nimirum, non tale quale mulieris, neque tale quale servorum, sed multo magis formidabile. Videre est undique gladios acutos, carnifices, supplicia, tormenta, pœnas, vitæ necisque potestatem. Ut autem scias hunc quoque modum principatus ex occasione peccati ortum habuisse, rursus Paulum ipsum de hoc philosophantem audi: « Si autem vis » non timere potestatem, bonum fac, inquit, et habebis lau- » dem ex illa. Si autem malum feceris, time: non enim sine » causa gladium portat[1]. » Vides propter eos, qui malum perpetrant, et principem et gladium imminere? Audi manifestius istud ipsum rursus? « Vindex enim est, inquit, ei qui malum » agit[2]. » Neque dixit: « Non enim sine causa princeps est: » sed quid? « Non enim sine causa gladium portat, » armatum judicem tibi præfecit. Ut enim pater filiorum amans, ubi negligenter officio suo fungi videt illos, et propter paternam indulgentiam se ab illis contemni, ob suam bonitatem pædagogis ac præceptoribus terribilibus illos committit: sic et a nostra natura se contemptum cernens Deus, ob suam bonitatem tanquam magistris ac pædagogis quibusdam principibus illam tradidit, ut negligentiam ejus corrigerent. Sed si vultis, ex Veteri Testamento illud spectemus, ob nostram nimirum pravitatem hoc opus fuisse principatu. Propter iniquos quispiam Propheta succensens, his verbis utitur: « Tacebis dum » impius devorat justum, et facies homines quasi pisces ma- » ris et quasi reptilia non habentia ducem[3]? » Ergo ideo dux est, ne tanquam reptilia simus: ideo princeps, ne tanquam pisces nos invicem devoremus. Nam ut propter morbos medicamenta sunt data: sic propter delicta, supplicia. Quoniam enim is, qui virtute præditus vivit, ejusmodi præfectura non indiget, audi quid dicat Paulus: « Sin autem vis non ti-

[1] Rom. XIII, 3, 4. — [2] Ibid. — [3] Habac. I, 13, 14.

» mere potestatem, bonum fac, et habebis laudem ex illa. Spectator tuus, inquit, est judex. Si recte vivas, non spectator solum, sed etiam laudator. » Sed quid ego de principum loquor necessitate, cum et aliis multo majoribus sublimiores sint qui philosophiam colunt? siquidem principum ipsorum principes sunt leges. Attamen neque legibus indiget is, qui cum modestia et æquitate vivit : atque hoc testantem audi Paulum his verbis : « Justo lex non est posita [1] » Quod si lex posita non est, multo magis princeps ei præfectus non est. En tibi tertium genus principatus, qui et ipse ductam habet occasionem a peccato et improbitate.

III. Quonam igitur pacto ait Paulus potestatem non esse nisi a Deo [2] ? Quod nimirum ad utilitatem nostram nobis illam Deus constituerit. Nam peccatum quidem necessitatem ejus invexit. Deus autem ad nostram utilitatem est usus. Et quemadmodum ex vulneribus fit ut medicamentis indigeamus, ex medicorum autem sapientia, ut adhibeantur medicamenta : sic et necessitas servitutis ortum habuit a peccato : ut autem ad id, quod opus erat, illa dirigeretur, id sane divinæ acceptum ferendum est sapientiæ. Verum adeste animis, et desidiam omnem excutite. Cur tandem id dico? Scripturas vobis enarramus; vos vero, aversis a nobis oculis, ad lucernas et ad eum, qui lucernas accendebat, eos convertistis. Quantæ porro est hoc socordiæ, nobis relictis, huic attendere? Ignem ego quoque accendo, qui latet in Scripturis, et in nostra lingua succenditur lucerna doctrinæ. Hoc illo majus est lumen ac melius: non enim oleo madens ellychnium, ut iste, accendimus, sed irrigatas pietate animas audiendi cupiditate inflammamus. Disserebat etiam Paulus aliquando in cœnaculo quodam. Nemo tamen arbitretur meipsum velle me cum Paulo comparare, non enim adeo sum insanus, sed ut intelligatis quan-

[1] 1 Tim. I, 9. — [2] Rom. XIII, 1.

tum studii vos oporteat ad audiendum adhibere. Disserebat ergo Paulus in cœnaculo, et vespera, ut nunc etiam incidit, erantque lucernæ in cœnaculo [1] : deinde cecidit Eutychus de fenestra, neque conventum casus ille dissolvit, neque mors theatrum sustulit : verum ita divinis eloquiis audiendis affixi erant, ut neque casus illius sensum ullum ceperint : vos vero, nulla insolita re conspecta vel mira, sed homine tantum, qui solitum ministerium obibat, illuc oculos convertistis. Et qua tandem venia dignum hoc fuerit? Nemo igitur, dilectissimi, reprehensionem molestam et gravem arbitretur; neque enim odio impulsi, sed sollicitudine inducti reprehendimus. « Fideliora quippe sunt amicorum » vulnera, quam spontanea oscula inimicorum [2]. » Attendite igitur, quæso, et hoc igne relicto, ad sacrarum Scripturarum lumen animum adhibete. Alium enim principatus modum statui dicere, qui non a peccato, sed a natura ipsa traxit originem. Quis ille porro est? parentum in liberos. Est enim remuneratio partus honor iste? propterea Sapiens quispiam dicit : « Quasi dominis servi iis, qui te genue- » runt [3]. » Deinde causam adjicit, dicens : « Quid enim retribues » illis, quomodo illi tibi [4]? » Tametsi quid tandem est, quod filius patri retribuere non possit? Nihil ergo aliud præter hoc dicit : « Ut te ipsi genuerunt, tu illos gignere minime poteris. » Quando igitur in hac re illis inferiores sumus, aliunde illos, delatis ipsis honoribus, superemus, non ob legem naturæ tantum, sed ante naturam ob Dei timorem. Multum enim parentes a liberis honorari vult Deus, et qui hoc fecerint, magnis bonis remuneratur ac donis ; eos vero, qui legem transgressi fuerint, magnis et gravibus malis punit. « Qui maledixerit, inquit, patri vel matri, morte moriatur [5]. » Eis vero, qui honorant illos, sic ait : « Honora patrem tuum

[1] Act. xx, 8, 9. — [2] Prov. xxvii, 6. — [3] Eccli. iii, 9. — [4] Id. vii, 30. — [5] Matth. xv, 4.

» et matrem tuam, ut bene sit tibi, et eris longævus super » terram[1] : » quod maximum esse bonum censetur, beatam scilicet senectutem, et vitæ prolixitatem, hoc proposuit præmium iis, qui ipsos honorarint, et quod summum esse malum videtur, mortem immaturam, hoc in pœnam proposuit iis, qui contumeliosi in eos fuerint : atque ita horum quidem benevolentiam sibi honoris pollicitatione conciliat, illos vero etiam invitos pœnæ formidine a contumelia revocat. Non solum enim mori parricidam jubet, neque abreptum a judicio per forum a lictoribus educi, neque extra civitatem capite truncari, sed in mediam civitatem deducit ipsum pater, et absque alia quavis probatione fides illi habetur : ac merito quidem. Nam qui pecunias, et corpora, et aliud quidvis pro filio libenter impenderet, nunquam ejus fieret accusator, nisi summa ab illo injuria esset affectus. Deducit igitur illum in medium civitatis, deinde populo advocato, accusationem pronuntiat : qui vero audiunt singuli, arrepto lapide, parricidam illum percutiunt. Non enim spectatores tantum supplicii, sed etiam ministros eos esse vult legislator, ut cum dexteram suam quisque conspexerit, qua lapidem et ipse in parricidæ caput projecit, hac sufficienti admonitione instructus ad meliorem frugem revocetur. Neque vero id solum, sed et aliud nobis innuit legislator, cum nimirum, qui contumelia parentes affecerit, non illos tantum, sed etiam omnes homines læsisse. Propterea cunctos ad supplicii consortium vocat, quasi contumelia fuerint affecti omnes, ac populum simul et totam convocat civitatem, ut doceat eos, quibus nihil est commune cum illis, qui affecti sunt injuria, in eos indignatione commoveri, qui contumeliosi fuerint in parentes, tanquam in communem naturam cadente injuria, utque talem hominem quasi pestem quamdam communem-

[1] Exod. xx, 12.

que morbum non ex urbe solum, sed ex ipsa quoque vita ejiciant. Hostis enim est vir ejusmodi, et omnium communis inimicus, Dei, naturæ, legum, et omnium nostrum viventium. Idcirco simul omnes aggredi cædem jubet, ut expiationem quamdam perficiat civitatis. Multa vobis bona contingant, quod tanta cum voluptate de parricida sermonem exceperitis, ac lapidum loco vocibus illum percusseritis : hoc enim indicium ingentis est benevolentiæ, qua patrem suum vestrum unusquisque complectitur. Tunc enim præcipue leges, quæ delicta vindicant, laudare consuevimus, cum delictorum ipsi nobis minime conscii fuerimus. Pro his igitur omnibus clementi Deo gratias agamus, qui vitæ nostræ curam gerit, qui parentibus providet, qui de liberis est sollicitus, et pro nostra salute cuncta disponit. Ipsum enim decet gloria, honor et adoratio, una cum Patre, principii experte, ac sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

Quod non propter Adamum punimur, et majora per eum bona quam mala sunt importata, si nobis ipsis attendere voluerimus : et adversus eos qui pauperes prætereunt.

I. Vos quidem fortasse nos omnem putatis de dominatu absolvisse sermonem; at ego multum adhuc in eo video fructum apparere. Sed ne defatigemini, quæso, quousque totum ipsum decerpserimus. Nam et diligentes agricolæ cum vitem foliis comantem viderint, et multo fructu oneratam, non externos tantum abscindunt racemos, sed et

ulterius progressi palmites confringunt, et folia coërcent, ita ut ne minimi quidem acini racemorum frondibus obtecti lateant. Nolite igitur negligentiores illis videri, neque priusquam totum a vobis sit acceptum recedite : præsertim cum labor quidem meus, fructus autem sit vester. Hesterno die mulieres accusavimus, vel potius non mulieres, sed Evam, quod per peccatum servitutem invexit. Fortasse dicent nobis mulieres : « Quare, cum illa peccasset, nos damnatæ fuimus, et unius personæ lapsus fuit, crimen autem sexus totius ? » Hoc etiam dicere servi possent : « Quid causæ est cur, cum in patrem contumeliosus fuisset Chanaan, ad totum genus pœna transivit ? » Et qui magistratus reformidant, possent objicere : « Cur tandem, cæteris scelerate viventibus, ipsi jugo servitutis addicti sunt ? » Quid igitur his omnibus respondebimus ? Siquidem una solutione quæstionibus istis omnibus satisfiet ; priores quidem illos peccasse, ac sua prævaricatione servitutem introduxisse, verum introductam illam posteriores peccatis suis confirmasse. Nam siquidem perpetuo se possent a peccatis immunes ostendere, jure fortasse possent contradicere : sin autem multis ipsi quoque pœnis sunt obnoxii, frustra hac excusatione se tuentur. Ego enim non dixi peccatum jam servitutem non introducere, sed omne peccatum cum servitute esse conjunctum, et in peccati naturam, non in solam peccati differentiam causam rejeci. Ut igitur omnes quidem incurabiles morbi mortem inferunt, non omnes tamen ejusdem sunt naturæ : sic et omnia quidem peccata pariunt servitutem, non tamen ejusdem naturæ sunt omnia. Peccavit Eva, cum lignum gustavit, et idcirco damnata est. Propterea noli tu rursus aliud illo fortasse deterius peccatum committere. Hoc et de servis merito dixerimus, hoc et de illis, qui magistratibus subsunt, primos nimirum peccatum introduxisse, posteros autem succeden-

tes dominatus virtutem suis retinuisse delictis. Possum et alia defensione uti; quod multi nempe, cum ad virtutem regressi essent, a dominatu fuerint vindicati. Ac prius, si placet, de mulieribus sermonem instituamus, ut videas quo pacto, cum illis vincula beatus Paulus indidisset, eadem rursus ipse laxaverit. « Si qua mulier, inquit, virum habet » infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimit- » tat illum [1]. » Qua de causa? « Unde enim scis, mulier, an » virum servatura sis [2]? » Et quo pacto, inquit, virum poterit servare mulier? Si doceat, si instruat, si de religione sermonem inferat. Atqui dicebas heri, beate Paule: « Mu- » lieri docere non permitto [3]. » Quî fit igitur ut illam viro magistram adhibeas? Non mecum ipse pugnans id ago, sed mecum valde consentio. Audi, quæso, et cur illam dejecerit, et cur rursus ad magisterii cathedram illam evexerit, ut Pauli sapientiam discas. « Doceat vir, » inquit. Quid ita? « Quippe qui seductus non sit. Adam enim, inquit, non » est seductus [4]. Discat mulier [5], » inquit. Quid ita? « Quippe » quæ seducta sit. Mulier enim seducta in prævaricatione » fuit [6]. » Hic vero contrarium videmus. « Cum enim vir fuerit infidelis, mulier autem fidelis, doceat, inquit, mulier. » Quid ita? quia seducta non est, cum sit fidelis. Discat igitur vir, quia seductus est, cum sit infidelis. Commutatæ sunt docendi vices, commutentur etiam deinceps vices dominandi. Vides quo pacto ubique ostendit servitutem non naturam, sed deceptionem et peccatum sequi? Venit igitur ad mulierem ab initio deceptio, secuta est subjectio deceptionem: commigravit ad virum deinde deceptio, commigravit quoque subjectio. Et sicut in principio mulieris salutem viro credidit, quia seductus non erat, sic dicens: « Ad virum conversio tua et ipse tui dominabitur [7]: » sic

[1] 1 Cor. VII, 13. — [2] Ibid. 16. — [3] 1 Tim. II, 12. — [4] Ibid. 14. — [5] Ibid. 11. — [6] Ibid. — [7] Gen. III, 16.

etiam hoc loco cum esset mulier fidelis, quæ virum haberet infidelem, salutem viri mulieri credidit, his verbis utens: « Unde enim scis, mulier, an virum servatura sis? » Quid hac fieri demonstratione clarius potest, ut servitutem constet non naturam consequi, sed peccatum? Hoc de servis quoque dici potest. « Servus vocatus es? non sit tibi curæ [1]. » Vides ut rursus nudum esse nomen servitutem ostendat, cum virtus affuerit? « Sed etsi potes fieri liber, magis » utere [2]: » hoc est « Permane potius in servitute. » Quam ob causam? « Qui enim in Domino vocatus est servus, liber- » tus est Domini [3]. » Vides nomine solo tenus esse servitutem, re autem ipsa libertatem? Cur porro servum manere permisit? ut libertatis præstantiam cognosceres. Nam sicut multo majus ac majori admiratione dignum est illæsa servare trium puerorum corpora, manente fornace, quam illam extinguere: sic multo majus et admirabilius est, quam solvere servitutem, manente illa, libertatem ostendere. Ideo dixit: « Etsi potes fieri liber magis utere, » hoc est, « Servus mane; verissimam enim possides libertatem. »

II. Vis-ne in magistratibus etiam istud cernere? Rex fuit Nabuchodonosor, qui fornacem quam vehementissime curavit accendi, ac tres pueros in medium adduci, juvenes, desertos, omni auxilio destitutos, servos, captivos, exterres. Et quid ait? « Si vere Sedrach, Misach, Abdenago, deos » meos non colitis, et imaginem auream, quam statui, non » adoratis [4]? » Quid ergo illi? Vide quo pacto virtus eos, qui captivi erant, magis regios quam regem ipsum reddiderit, ac multo excelsiori animo præditos illos ostenderit. Non enim tanquam regem alloquentes, sed tanquam cum aliquo sibi subdito sermonem serentes cum fiducia respondebant. « Non opus habemus, inquit, nos de verbo hoc » respondere regi [5]. » Non verbis sed rebus ipsis demons-

[1] 1 Cor. VII, 21. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 22. — [4] Dan. III, 14. — [5] Ibid. 16.

trationem exhibebimus. « Est Deus in cœlo, potens eripere » nos [1]. » Beneficium a Daniele acceptum in memoriam illi revocarunt, iisdem usi verbis, quæ Propheta tunc protulit. Quid enim ille dicebat ? « Non est magorum Gazarenorum, » Chaldæorum verbum, quod requirit rex : sed est Deus in » cœlis revelans mysteria [2]. » Hanc igitur illi vocem in memoriam revocant, ut modestiorem illum reddant. Deinde addit Scriptura : « Et si non, notum sit tibi, rex, quia deos » tuos non colimus, et imaginem auream, quam statuisti, » non adoramus [3]. » Vide juvenum sapientiam. Nam ut ne, qui tunc aderant, Deum infirmitatis accusarent, si forte collapsos illos in fornacem mori contigisset, potentiam ejus ante confitentur dicentes : « Est Deus in cœlo, qui potest » nos eripere. » Ne autem rursus, cum flammam evasissent, mercedis ac præmii causa Deo servire putarentur, adjecerunt : « Et si non, notum sit tibi, rex, quia deos tuos » non colimus, et imaginem auream, quam statuisti, non » adoramus ; » quibus verbis simul et prædicant Dei virtutem, et generosam animæ suæ fiduciam præ se ferunt, ne forte de illis quis dicere posset, quæ adversum Job diabolus calumniando jactabat. Quid vero dicebat diabolus ? « Non gra- » tis colit te Job : siquidem munisti res ejus, quæ intra, » et quæ extra sunt [4]. » Ne igitur de his etiam illud dici posset, illi antevertunt, et impudens os obturant. Sed ut dicebam, licet captivus sit aliquis, licet servus, licet peregrinus, licet in aliena regione versetur, et virtutem secum habeat, superior omnibus erit regibus. Vides et mulierum solutam esse servitutem, et famulorum, et eorum, qui principibus subsunt ? Age deinceps ostendam tibi metum quoque bestiarum esse depulsum. In eadem quondam Babylone conjectus fuerat in lacum Daniel : sed eum leones

[1] Dan. III, 17. — [2] Id. II, 27, 28. — [3] Id. III, 18. — [4] Job. I, 9, 10.

attingere non audebant [1]. Videbant enim antiquam et regiam imaginem in ipso refulgentem, illamque formam cernebant, quam in Adamo viderant ante peccatum ; siquidem cum eadem subjectione, cum ad Adamum accessissent, nomina tum acceperunt : neque hic solum, sed et in beato Paulo idem contigit. Nam et ille cum in barbarorum insulam ejectus esset, pyræ assidebat, ut calefieret; deinde prosiliens e sarmentis vipera, manum ejus invasit [2]. Quid ergo postea contigit ? confestim bestia cecidit. Nam quoniam peccatum non invenit, ne mordere quidem potuit. Sed quemadmodum nos, si quando lævem aliquem scopulum ascendere volumus, dum nusquam reperimus, quod apprehensum teneamus, repente concidimus, sive in subjectum pelagus, sive in præcipitium : sic et illa bestia, cum subjecta esset pyra, quod peccatum, cui adhæreret, non invenisset, neque cui dentes infigeret, in pyram decidit, et interempta est. Vis alterum etiam tibi defensionis genus in medium afferam ? Unum quidem est, quod non priores tantum peccarint, sed et qui post illos nati sunt : alterum vero, quod qui bene se gesserint, idque dum in hac vita versarentur, leviorem experiantur servitutem : vel potius ab illa integra liberentur, ut etiam in mulieribus, et in subditis, et in belluis a nobis ostensum est. Tertium vero post illa, quod Christus cum advenisset, majora nunc bona sit nobis pollicitus, quam ea quibus spoliati fuimus ab iis, qui a principio peccarant. Quid enim quæso nunc luges? An quod, admisso peccato, e paradiso te Adam ejecerit ? Fac bona opera, virtutem æmulare, nec jam paradisum, sed tibi cœlum resero, neque permitto ut ex primi parentis prævaricatione mali tibi quidquam obveniat. An luges, quod dominatu in feras privatus sis ? Ecce tibi dæmones quoque subjicio, si velis attendere. « Calcate

[1] Dan. VI, 23. — [2] Act. XXVIII, 1-5.

» namque, inquit, supra serpentes, et scorpiones, et super » omnem virtutem inimici [1]. » Neque dixit : « Dominamini, » ut cum de bestiis ageret, sed, « Calcate, » ut summum induceret dominatum.

III. Propterea Paulus quoque non dixit : « Deus subji- » ciet Satanam sub pedibus vestris, » sed, « Deus conteret » Satanam sub pedibus vestris [2]. » Non jam ut prius, « Ipse » observabit caput tuum, et tu ipsius calcaneum observa- » bis [3] : » sed integra est victoria, perfectus triumphus, plena strages hostis, internecio, et exitium. Viro te subjecit Eva, ego vero te non viro tantum, sed et ipsis Angelis honore æqualem reddo, si velis. Vita te præsenti privavit : ego vero futuram tibi largior perennem, immortalem, et bonis innumeris redundantem. Nemo igitur propter illos priores damno se affectum arbitretur : etenim si velimus omnia, quæ nobis largiturus est, persequi, multo majora his, quæ amisimus, nobis esse donata comperiemus. Cæterum ex iis, quæ dicta sunt, de reliquis etiam constabit. Laboriosam Adamus vitam invexit ; at Christus vitam promisit, « Unde » fugit dolor, tristitia, et gemitus [4], » seque regnum cœlorum largiturum pollicetur. « Venite namque, inquit, benedicti » Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitu- » tione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : » sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis » me : nudus eram, et cooperuistis me : in carcere, et ve- » nistis ad me [5]. » Numquid igitur nos quoque beatam illam vocem audiemus ? Equidem non admodum id ausim asseverare, præsertim cum pauperes valde contemnamus. Jejunii tempus est, tot cohortationes fiunt, tot salutaria documenta proponuntur, preces continuæ, quotidianæ collectæ, quid tamen post tantam curam ista proficiunt ? nihil

[1] Luc. x, 19. — [2] Rom. xvi, 20. — [3] Gen. iii, 15. — [4] Isaï. 35, 10. — [5] Matth. xxv, 34-36.

plane. Hinc enim recedimus, ordine disposita pauperum agmina hinc inde stantium intuentes, et quasi columnas, non humana corpora cerneremus, sic absque misericordia præterimus. Itaque non secus ac si statuas anima carentes, non spirantes homines spectaremus, ita domum properamus. Enimvero fames cogit, inquiunt. Imo suadere debet fames, ut subsistas; siquidem, ut vulgato fertur proverbio, « Pleni ventres esurientes non noverunt : » at qui esuriunt ex necessitate sua etiam alienam agnoscunt, vel potius ne sic quidem fieri potest, ut illam totam perspectam habeant. Nam tu quidem ad paratam mensam festinas, et ne ad modicum quidem tempus potes expectare : pauper autem stat, ad ipsam usque vesperam festinans et sedulo incumbens, ut quotidianum victum comparet : cumque diem finitum viderit, pecuniam vero nondum totam collectam, quæ ad quotidianum victum sufficiat, dolet et excandescit, et ad ea, quæ vires ipsius excedunt, audenda compellitur. Ideo sub vesperam vehementius nos invadunt jurantes, adjurantes, lugentes, plorantes, manus tendentes, alia innumera impudenter agere coacti. Verentur enim ne, cum omnes domum recesserint, in urbe tanquam in deserto sint erraturi, et sicut qui interdiu naufragium fecerunt, tabula arrepta, ante vesperam ad portum pervenire festinant, ne forte, cum nox advenerit, foris manentes gravius naufragium patiantur : ita et pauperes, dum famem tanquam naufragium pertimescunt, ante vesperam pecuniam ad diurnum victum sufficientem colligere festinant, ne, cum omnes domum discesserint, extra portum remaneant. Portus enim illis sunt eorum manus, qui opem ferunt.

IV. At nos neque in foro calamitatibus eorum commovemur, neque cum domum reversi sumus : sed et cum mensa nobis apposita fuerit, sæpe infinitis bonis referta, siquidem ea bona vocanda sunt, quæ ad nostræ inhuma-

nitatis condemnationem comedimus; verumtamen etiam cum apposita fuerit mensa, dum per angiportus inferius illos incedentes audimus, et in triviis magna voce clamantes, profundis dolentes in tenebris, in multa solitudine, ne sic quidem commovemur; sed et saturi dum ad somnum nos convertimus, et illo rursus tempore multis clamoribus dolorem testantes audimus, quasi rabidum canem, non humanam vocem audiremus, ita præterimus; et neque difficultate temporis movemur, quod intempesta nocte, dormientibus omnibus, lamentetur ille solus, neque quod perexiguum quid postulet, quod nihil amplius a nobis quam panem, aut paulum argenti petat, neque magnitudine calamitatis, quod perpetua fame conflictetur, neque modestia supplicantis, qui cum tanta necessitate prematur, non ad fores accedere audeat, non cominus stare, sed inferius longo remotus intervallo supplicationem suam offerat. Ac siquidem accipiat, innumeras preces rependit: si non accipiat, ne sic quidem asperum verbum emittit, neque probris insectatur aut infamat eos, qui, cum dare possint, nihil præbent. Sed ut quispiam dum ad intolerandum quoddam supplicium a carnifice ducitur, deinde cum prætereuntes omnes cohortans et obsecrans, nullum subsidium obtinere potuerit, multa cum inhumanitate ad supplicium ducitur: ita hic quoque, dum tanquam a carnifice trahitur ad noctem a fame, atque ad vigilias intolerabiles, manus tendit, et vehementi cum clamore sursum in ædibus sedentes deprecans, nec ullum humanitatis auxilium impetrans, cum multa crudelitate immisericorditer amandatur. Nihil tamen horum nos inflectit, sed post tantam inhumanitatem manus in cœlum tendere audemus, ac de misericordia apud Deum verba facere, veniamque nostrorum delictorum postulare, nec timemus, ne finitis ejusmodi precibus, post tantam crudelitatem et

immanitatem de cœlo fulmen in nos ruat. Quî, quæso, fit, ut cum ad somnum et quietem pergimus, non vereamur ne nobis hic ipse pauper in somnis apparens squalidus, sordidus, pannis obsitus, lamentetur, ac lugeat, et crudelitatem exprobret? Sic enim multos audivi dicentes se, cum de die pauperibus subvenire neglexissent, visos sibi de nocte funibus constrictos egenorum manu trahi, cruciari, et innumeris malis affici. Sed hæc quidem somnus sunt et insomnium, ac pœna temporaria: nos autem nonne metuimus, quæso, ne quando pauperem hunc lamentantem, clamantem, et plorantem in Abrahæ sinu videamus, ut olim Lazarum ille dives? Quæ vero sequuntur inde, vestræ conscientiæ colligenda relinquo, peracerba, et intoleranda illa tormenta, quo pacto aquam petierit; quo pacto ne guttam quidem obtinuerit; quo pacto cruciata lingua fuerit; quomodo, post multas preces fusas, nullam fuerit veniam consecutus, et quomodo suppliciis torqueretur æternis. At enim absit ut ista nos experimento noscamus, sed ea tantum dicta audientes, minas operibus illatas evitemus, ac digni redditi, quos proavus Abraham comiter ac peramanter excipiat, ad eumdem cum illo pervenire locum possimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, honor, imperium una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VI.

De ligno, an ex eo cognitionem boni et mali Adamus adeptus sit, an vero antequam ederet, hac dignoscendi facultate præditus fuerit; itemque de jejunio; et quod oporteat domi meditari, quæ in Ecclesia dicuntur.

I. Jejunium quidem diligo, quod temperantiæ sit parens, et fons omnis philosophiæ : sed et illud propter vos diligo, et propter vestram charitatem, quod hunc mihi sacrum atque venerandum cœtum coëgerit, idque præstet ut optatos vultus vestros intueri possimus, et concedat ut hoc sacro conventu ac festivitate cum fiducia delectemur. Non enim errarit is, qui consessum hunc vestrum, et sacrum conventum, et festivitatem, et alia sexcenta bona nuncuparit. Nam si in forum profectus quispiam, et in aliquem incidens ex amicis, omnem sæpe tristitiam abstergit : nos qui non in forum, sed in Ecclesiam venimus, et in congressum nos damus non unius amici, sed tam multorum ac talium fratrum patrumque, quî fieri poterit, ut non omnem mœstitiam deponamus, non lætitia omni fruamur? Non enim propter multitudinem tantum melior est forensibus illis cœtibus hic consessus, sed propter ipsam colloquiorum conditionem. Nam illi quidem in foro considentes, et in orbem inter se collecti, atque in circulis otiosi persæpe de rebus inutilibus sermones conserunt, et jejuna collocutione instituta de iis verba faciunt, quæ ad ipsos nihil attinent. Sic enim fere fit, ut majori studio res alienas inquiramus, et curiosius indagemus. Jam vero lubri-

cum esse ac periculi plenum talia verba fundere, atque audire, et seduci, multasque ob ejusmodi conventus multoties excitatas esse in familiis tempestates, dicere nunc supersedeo : certe inutilem ac vanam esse atque sæcularem, omnem ejusmodi confabulationem, neque facile spiritualem unquam sermonem in ejusmodi consessum admitti, negabit nemo. Hic autem non ita fit, sed contrarium plane : siquidem omnis inutilis sermo rejicitur, omnis vero doctrina spiritualis in medium profertur. Enimvero de anima nostra disserimus, deque bonis illis, quæ ad animam pertinent, deque repositis in cœlo coronis, de virorum illustrium vita, deque Dei benignitate atque universi providentia, denique de aliis omnibus, quæ ad nos pertinent, maxime cujus rei gratia nati simus, et quæ tandem sors et conditio nostrum ex hac vita discessum exceptura sit, quoque in statu res nostræ tum temporis sint futuræ. Atque hujus concionis participes non solum nos sumus, sed et Prophetæ, et Apostoli, quodque majus est omnibus, ipse Dominus omnium stat medius inter nos Jesus. Ipse quippe dicit : « Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine » meo, illuc sum in medio eorum [1]. » Quod si ubi duo tresve congregati sunt, in medio est ipsorum, multo magis ubi tot viri, tot mulieres, tam multi etiam patres, et Apostoli ac Prophetæ in medio versantur. Quapropter et nos majori cum fiducia verba facimus, eo freti subsidio, et fidem vobis datam solvimus. Dicturos enim nos polliciti sumus primum de ligno, an ex eo cognitionem boni ac mali sit adeptus Adamus, an vero antequam ederet, hujusmodi notitia præditus esset. Audacter igitur nunc dicamus, etiam antequam comederet, hac cum cognitione præditum fuisse : nisi enim quid bonum malumve foret, novisset, ipsis rationis expertibus animantibus im-

[1] Matth. xviii, 20.

manior, et dominus servis stultior extitisset. Annon enim absurdum videtur, ut capræ quidem et oves noverint quænam herba sibi sit utilis, quæve perniciosa, neque ad omnes quæ occurrunt, adhærescant, sed discernere possint ac nosse quid ipsis noxium sit, et quid commodum, homo vero tanta cautione fraudetur? Nisi enim hoc haberet, nullius esset pretii, sed omnium abjectissimus appareret. Multo enim satius ipsi foret in tenebris versari, oculisque captum esse, ac lucis aspectu privatum, quam ut quid bonum sit, quidve malum, ignoraret. Tolle hanc e vita nostra facultatem, jam ipsam omnem vitam nostram sustuleris, et omnium rerum perturbationem invexeris. Hoc enim illud est, quo a brutis animantibus differimus, et quo feris præstamus, quod vitium virtutemque noverimus, et quod agnoscamus quid malum sit, neque quid sit bonum ignoremus. Quod si nos id nunc scimus, neque nos tantum, sed etiam Scythæ ac barbari, multo magis tum temporis homo ille ante peccatum id noverat: neque cum tantis honoribus cumulatus esset, utpote quod ad imaginem et similitudinem Dei formatus esset, aliisque beneficiis ornatus, eo quod caput bonorum est, orbatus esset relictus. Nam quid bonum sit et malum illi solum ignorant, qui naturali rationis judicio sunt privati: Adamus autem multa sapientia repletus erat, et hujus utriusque discernendi facultate pollebat. Atque ut intelligas eum spirituali repletum fuisse sapientia, demonstrationem ejus rei audi. « Ad» duxit ad eum Deus, inquit, bestias, ut videret quid »vocaret eas, et si quid eas vocavit Adam, hoc est nomen »ipsis[1]. » Considera ergo quanta sapientia cumulatus esset, qui tam multis generibus, tam variis et cujusvis speciei, jumentorum, reptilium, et volucrum nomina, eaque propria imponere potuerit. Sic enim hanc nominum imposi-

[1] Gen. II, 19.

tionem approbavit Deus, ut non amplius illas appellationes mutarit, neque cum ille peccasset, voluerit eas e medio tollere. « Omne enim, inquit, quod vocavit ea Adam, hoc » est nomen ipsis. »

II. An igitur iste, quid bonum esset, quidve malum ignorabat? cui vero id probabile videatur? Rursus mulierem ad ipsum adduxit, et ea visa, confestim naturæ consortem agnovit. Et quid ait? « Hoc nunc os ex ossibus meis, » et caro de carne mea [1]. » Cum enim paulo ante Deus ad eum cuncta animalia adduxisset, ostendere volens Adam non aliquod ex cæteris esse hoc animal, dixit : « Hoc nunc » os ex ossibus meis, et caro de carne mea. » Nonnulli vero dicunt non id solum eum innuere, sed etiam creationis modum, neque fore ut rursus mulier ea ratione nascatur, propterea dixisse : « Hoc nunc, » quod utique alius interpres accuratius interpretans, dixit : « Hoc semel, » quasi diceret : « Nunc tantum mulier ex solo viro facta est, posthac autem non sic erit, sed ex utrisque. « Os ex ossibus » meis, et caro de carne mea. » Nam assumpto ex tota massa fragmento uno, sic mulierem formavit, ut in omnibus viro communicet. « Hæc vocabitur mulier, inquit, quo- » niam de viro sumpta est [2]. » Vides ut etiam appellationem idcirco imponat, ut appellatio communionem naturæ demonstret, et ipsius naturalis communionis demonstratio et creationis modus, perpetui amoris occasio, et vinculum sit concordiæ? Deinde vero quid ait? « Propter hoc relin- » quet homo patrem suum, et matrem suam, et adhærebit » uxori suæ [3]. » Non simpliciter dixit : « Unietur, » sed « Adhæ- » rebit, » ut summam conjunctionem significaret : « Et erunt » duo in carnem unam [4]. » Ergo-ne qui tam multa noverat, dic, quæso, quid esset bonum, quid malum, ignorabat? et cui videatur id rationi consentaneum? Si enim nescie-

[1] Gen. II, 23. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 24. — [4] Ibid.

bat quid bonum esset, et quid malum, antequam de ligno comederet, sed post manducationem id didicit, peccatum illi sapientiæ magister factum est, et serpens non jam seductor, sed utilium rerum consiliarius est constitutus, eumque hominem ex bellua reddidit. Absit hoc : non enim ita se res habet, non est ita. Nam si nesciebat quid bonum esset, quid malum, quomodo mandatum accepit? nemo quippe legem fert ei, qui nesciat malum quid esse transgressionem : atqui Deus et tulit, et transgressorem punivit, qui utique neutrum horum fecisset, nisi e principio facultatem dignoscendi virtutem ac vitium ei tribuisset. Vides ut nobis omni ex parte liqueat eum, non solum postquam comedit, novisse quid bonum esset, quid malum, sed et antea illud scivisse. Hæc igitur omnia retineamus, dilectissimi, ac domum reversi duplicem mensam apponamus, unam ciborum, alteram sacræ lectionis : et vir quidem ea, quæ dicta sunt, repetat, uxor autem ediscat, audiant liberi, neque famuli ea lectione fraudentur. Domum tuam effice Ecclesiam : siquidem et liberorum et famulorum salutis est tibi ratio reddenda. Et sicut a nobis exigentur rationes pro vobis, sic ab unoquoque vestrum pro famulo, pro uxore, ac pro filio ratio reposcetur. Itaque post ejusmodi narrationes suavissima nos excipient insomnia, omnisque visionis expertia : qualia namque solet anima interdiu meditari, talia et in somnis imaginatur et effingit. Quod si quæ singulis diebus dicuntur, memori mente servemus, magno labore opus non erit : consequens quippe sermo dilucidior vobis erit, et facilior fiet ac proclivior noster ad docendum conatus. Ut igitur aliqua inde utilitas et ad nos et ad vos dimanet; ad nos quidem, eo quod doceamus; ad vos autem, quod audiatis post mensam corporalem; spiritualis etiam mensa vobis instruatur. Illa enim vobis et ad securitatem et ad ornatum usui erunt, et hujusce vitæ negotia

ad vestram utilitatem diriget Deus, omniaque vobis prona et proclivia reddentur. « Quærite enim, inquit, primum »regnum cœlorum, et hæc omnia adjicientur vobis[1]. » Hoc igitur quæramus, dilectissimi, ut et istius et illius futuræ vitæ bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo gloria Patri et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VII.

Quare lignum scientiæ boni et mali vocetur lignum illud: et quid sit, Hodie mecum eris in paradiso.

I. Hesterno die charitatem vestram multis hortatus sum, ut eorum, quæ dicta fuerant, recordaremini, ac duplicem vesperi mensam apponeretis, unam ciborum, et alteram ei sermonum adjungeretis. Quid igitur? num hoc fecistis, duplicemque mensam apposuistis? Scio vos id fecisse, neque tantum illius, sed hujus etiam fuisse participes. Neque enim cum deteriori tantum studium adhibuissetis, multo potiorem contemnere debuistis. Nam hæc illa melior est: illam enim manus instruxerunt coquorum, hanc linguæ Prophetarum pararunt: in illa terræ fœtus insunt, in ista Spiritus fructus; illius mensæ cibi properant ad corruptionem, hujus dapes ad incorruptionem; illa præsentem vitam tuetur, ista nos ad futuram deducit. Hanc itaque vos instruxisse cum illa probe scio non ex pedissequo vestro, nec ex famulo sciscitatus, sed ex nuntio

[1] Matth. VI, 33.

his omnibus fideliori. Ex quonam tandem? ex plausu nimirum, quo ea quæ dicta fuerant, et ex laude, qua doctrinam vobis traditam commendastis. Cum enim heri dixissem: «Quisque vestrum domum suam Ecclesiam efficiat,» magna voce acclamastis, ac voluptatis, qua vos illa verba perfuderant, significationem dedistis. Porro is, qui cum voluptate quæ dicuntur audit, is se ad opera exhibenda paratum ostendit. Propterea promptius hodie me ad docendum accinxi. Verum erigite nunc quoque mentes vestras: neque enim solum loquentem erecta mente oportet esse, verum etiam auditores attentos esse, eosque amplius quam oratorem. Nam nos quidem id unum studemus, ut dominicam pecuniam collocemus: vos vero majorem laborem adhibetis, ut eam exceptam cum multa cautione servetis. Postquam igitur audieritis, seras ostiis et vectes obdite, ac terribiles cogitationes undique animæ tanquam custodes quosdam apponite. Siquidem impudens est fur, et perpetuo vigilat, ac frequenter impetum facit, et quamvis sæpe aberret, sæpe aggreditur. Astent igitur custodes terribiles, et si diabolum viderint adventantem, et eorum quæ deposita sunt aliquid abripere parantem, magno cum clamore illum abigant: si sæculares sollicitudines invaserint, eas repellant; si oblivio ex naturæ infirmitate negotium facessat, exercitatione memoriam excitent. Neque enim mediocre periculum imminet, si pecunias dominicas perdideritis. Nam si illi, qui acceptas pecunias disperserint, sæpe morte mulctantur, qui multo pretiosiora istis eloquia divina receperint, eaque perdiderint, quo tandem supplicio non plectentur? Nam qui pecunias istas acceperint, reddendæ rationi sunt tantum obnoxii, quomodo eas custodierint, nec quid ultra requiritur. Quam multa enim receperint, tam multa illos plane reponere necesse est, neque quidquam amplius ab illis reposcitur: acceptis au-

tem divinis eloquiis non modo illorum custodiæ reddenda est ratio, sed multæ etiam negotiationis. Non enim ea solum reddere jubemur, quæ recepimus, sed et Domino duplicata offerre. Quanquam si ea custodire tantum jussum nobis esset, multa sollicitudine ac studio res indigeret: cum vero ut etiam multiplicentur, nobis Dominus imperarit, cogita quantum laboris et curæ sit a nobis, quibus ea commissa sunt, conferendum. Ideo quidam, cui commissa fuerant talenta quinque, non totidem obtulit, sed duplicata [1]. Nam illa quidem benignitatis erant Domini: sed oportuit etiam servum suam exhibere diligentiam. Similiter et is, cui duo talenta credita fuerant, alia duo lucratus est, atque idcirco pari eum dominus honore dignatus est. Alius vero rursus, cui talentum unum creditum fuerat, et illud ipsum obtulerat, quod creditum erat, qui non imminuerat, non deterius reddiderat illud depositum, neque dimidiatum tantum reddiderat: quia quæstum non fecerat, neque duplicatum obtulerat, quod creditum fuerat, extremo supplicio punitus fuit; ac merito sane. «Nam si ea custodiri tantum voluissem, inquit, nec aliud lucrum ex istis acquiri, non illa servorum manibus tradidissem.» Tu vero Domini benignitatem considera. Is, cui talenta quinque commissa fuerant, obtulit alia quinque, et is, cui duo, altera tanta, et eadem uterque præmia retulit. Ut enim illi dixit. «Euge serve bone ac fidelis, super pauca fuisti fidelis, »super multa te constituam [2]: »sic etiam illi, qui duo obtulerat, inquit: «Euge serve bone ac fidelis, super pauca »fuisti fidelis, super multa te constituam [3]. » Proventus haud idem est, et merces est eadem: sic et hunc eodem honore dignatus est. Quid ita? quoniam non eorum, quæ oblata sunt, quantitatem, sed eorum virtutem, qui negotiati fuerant, attendebat Deus. Nam uterque pro virili quæ

[1] Matth. xxv, 16 et 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Ibid. 23.

suarum partium erant præstiterat ; res autem oblatæ non multiplicatæ fuerant aut imminutæ, vel ob illius ignaviam, vel ob diligentiam istius, sed pro depositi diversitate. Ille quinque accepit, et obtulit alia quinque; hic accepit duo, et obtulit duo, neque quod ad studium attinet, inferior extitit, siquidem et hic duplicia, et ille duplicia lucratus est credita : is vero, qui unum acceperat, simplex illud obtulit; quam ob causam est etiam castigatus.

II. Audistis ergo quantum illos maneat supplicium, qui ex dominicis pecuniis negotiati non fuerint. Ergo et custodiamus, et negotiemur, et multum ex illis lucrum exhibeamus. Neque dicat aliquis : « Idiota sum, discipulus sum, verbum doctrinæ non habeo, cum imperitus sim et nullius pretii : » tametsi enim idiota sis, licet discipulus, licet unum tibi talentum sit creditum, negotiare ex eo, quod tibi commissum est, et eamdem cum doctore mercedem accipies. Ac vos quidem ea, quæ dicta sunt, custodire et exacte memoria tenere omnino credo. Sed ne in hoc totam orationem impendamus, age quæ sequuntur ea, quæ dicta sunt a nobis heri apud charitatem vestram, adjungamus, et hanc vobis custodiæ mercedem persolvamus. Qui enim priora sibi credita conservavit, dignus est qui alia rursus accipiat. Quænam igitur heri proposita est a nobis narratio ? De ligno sermo erat, et ostendimus hominem, antequam de ligno ederet, boni ac mali cognitionem habuisse, multaque repletum sapientia fuisse, ex eo quod nomina bestiis imposuerit, quod uxorem suam agnoverit, quod dixerit : « Hoc nunc os ex ossibus meis ; » quod de nuptiis disseruerit, de procreatione liberorum, de conjugali conjunctione, et de patre ac matre, quod mandatum acceperit. Neque enim mandatum dat quisquam ac legem de rebus gerendis aut non gerendis ei, qui bonum ac malum ignoret. Hodie dicere operæ fuerit pretium quam ob causam,

si a ligno scientiam homo non accepit, lignum scientiæ boni ac mali fuerit appellatum : neque enim levis momenti fuerit didicisse, cur hæc appellatio ligno sit indita. Nam et diabolus dixit : « Qua die manducaveritis de eo, ape»rientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et »malum [1]. » Quomodo igitur, inquit, tu dicis scientiam non inseruisse boni ac mali? Quis vero, quæso, inseruit? num diabolus? Certe, inquit, cum dixerit : « Eritis sicut »dii, scientes bonum et malum. » Tum tu igitur testimonium mihi hostis affers et insidiatoris? Atqui dixit hic quoque : « Eritis etiam dii : » num igitur dii sunt facti? Ut igitur dii facti non sunt, sic neque scientiam boni ac mali tum acceperunt. Mendax enim est ille, nihilque verum proloquitur. Nam « In veritate, inquit, non stetit [2]. » Ne igitur inimici testimonium producamus, sed ex ipsis rebus colligamus, qua de causa lignum scientiæ boni ac mali vocetur. Ac prius, si videtur, quid sit bonum ac malum consideremus. Quid ergo bonum est? obedientia : quid malum? inobedientia. Ac tantisper a nobis hæc ex ipsis Scripturis exacte examinentur, ne forte, dum boni ac mali naturam inquirimus, aberremus. Hoc enim esse bonum ac malum, audi quo pacto doceat Propheta, cum dicit : « Quid bonum, »et quid Dominus Deus requirit a te? Dic quid sit bonum. »Ut diligas Dominum Deum tuum [3]. » Vides bonum esse obedientiam? siquidem ex dilectione oritur obedientia. Et rursus, « Duo mala fecit populus meus hic : me derelique»runt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas con»tritas, quæ non poterunt continere aquam [4]. » Vides inobedientiam et derelictionem malum esse? Hoc igitur interim teneamus obedientiam bonum esse, atque inobedientiam malum, et sic illud etiam cognoscemus. Nam

[1] Gen. III, 5. — [2] Joan. VIII, 44. — [3] Mich. VI, 8. — [4] Jer. II, 13.

idcirco lignum scientiæ boni ac mali vocatur, quod mandatum de ligno traditum fuerit, cujus occasione vel inobedientia vel obedientia exercetur. Nam antea sciebat Adamus obedientiam bonum esse, inobedientiam autem malum : manifestius autem postea ex ipsa rerum experientia didicit. Sicut etiam cædem fraternam malum esse noverat Caïn, vel antequam fratrem suum occideret : ut enim intelligas eum scivisse malam rem fuisse, audi quid dicat : « Veni, » exeamus in campum [1]. » Verum qua de causa fratrem a paternis ulnis avulsum in campum trahis? cur in deserto constituis? cur auxilio destitutum reddis? cur longe a paterno conspectu abducis? cur audax facinus occultas, si peccatum non reformidas? Cur autem et post cædem perpetratam rursus interrogatus, indignaris ac mentiris? Cum enim dixisset Deus : « Ubi est Abel frater tuus? » respondisti : « Numquid custos fratris mei sum ego [2]? » ex quo liquet eum, cum id probe nosset, ad hoc facinus prorupisse. Ut igitur iste noverat, antequam experiretur, cædem esse rem malam, postea vero didicit etiam manifestius, cum pœnam sustinuit, audivitque : « Gemens ac tremens » eris super terram [3] : » sic et istius pater, antequam ederet, boni ac mali cognitione pollebat, tametsi non ita evidenti, ac cum de ligno comedisset. Dicam apertius. Mala scimus omnes, etiam antequam illa perpetremus; manifestius vero ea discimus, postquam illa perpetravimus, ac multo etiam manifestius, cum punimur. Sic etiam Caïn sciebat quidem antea cædem fraternam malum esse : postea vero didicit evidentius, cum supplicio mulctatus est : nos enim quoque sanitatem rem bonam esse novimus, et ægritudinem rem molestam, antequam illud experiamur : multo vero certius, cum in morbum inciderimus, utriusque rei discrimen agnoscimus.

[1] Gen. IV, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 12.

III. Eadem nimirum ratione noverat etiam Adamus obedientiam rem bonam esse, inobedientiam vero malam : deinceps vero didicit evidentius, cum, ligno gustato, e paradiso ejectus est, et ab illa excidit felicitate. Cum igitur in pœnam incurrerit, quod, Deo vetante, lignum degustarit, manifestius eum per experientiam pœna docuit Deo non obtemperare malum, at obtemperare bonum esse : propterea lignum scientiæ boni ac mali vocatur. Et qua de causa, si non ipsa ligni natura scientiam habuit boni et mali, sed ex ipsa pœna propter inobedientiam ob degustatum lignum illata manifestius hoc didicit homo, lignum scientiæ boni ac mali vocatur? Quod nimirum hic Scripturæ mos sit, ubi res quæpiam in locis aut temporibus quibusdam acciderit, a rebus illis et loca et tempora vocare. Sed ut clarius quod dico fiat, illud exemplo vobis illustrabo. Puteos aliquando fodit Isaac : hos autem puteos vicini destruere cum aggressi essent, inde simultas quædam est orta, et vocavit puteum « Inimicitias [1] : » non quod puteus inimicitias exerceret, sed quod circa illum inimicitiæ exortæ essent : sic et lignum scientiæ boni et mali vocatur, non quod ipsum scientia polleret, sed quod circa illud facta esset scientiæ boni ac mali declaratio. Rursus puteum fodit Abraham, insidias paravit Abimelech : convenerunt, inimicitias deposuerunt, ac, præstito mutuo juramento, puteum illum « Juramenti puteum » appellarunt [2]; non quod jurasset puteus, sed quod circa puteum juramentum præstitum esset. Vides loca non fieri causas rerum, licet a rebus nomen accipiant? Siquidem valde necessarium est ut adhibeantur exempla, quo manifestiora fiant quæ dicimus. Rursus occurrentes sibi Angelos vidit Jacob et castra Dei, tum appellavit locum, « Castra [3]. » Tametsi locus castra non esset, nihilominus castra vocatus

[1] Gen. xxvi, 21. — [2] Id. xxi, 32. — [3] Id. xxxii, 2.

est locus, quia illic castra viderat. Vides ut ab eventu rei, quæ in loco acciderat, locum appellarit? Sic etiam lignum scientiæ boni ac mali vocatur, non quod ipsum boni malique scientia polleret, sed quod scientiæ boni ac mali facta fuerit circa illud demonstratio, et inobedientiæ exercitatio. Rursus Deum vidit Jacob, quantum fieri potest ut ab homine videatur, et vocavit nomen loci illius : « Species Dei [1] : » quare? « Quia vidi Deum, » inquit. Quanquam non locus Dei species erat, sed a re, quæ evenerat in loco, nata est appellatio. Vides quam multis ex locis morem esse Scripturæ demonstraverimus, ut a rebus, quæ acciderint, nomina locis imponat? Idipsum quoque in temporibus agere consuevit. Sed ne tædio vos afficiamus, age sermonem a tristioribus ad jucundiora transferamus. Etenim jam defatigata est mens vestra subtilioribus sententiis immorata : quapropter operæ pretium fuerit illam recreare ac simplicioribus lætioribusque sententiis illam pascere. Ad salutare igitur lignum Crucis redeamus. Hoc enim omnia mala sustulit, quæ illud invexerat : vel potius non illud mala invexerat, sed homo ipse cuncta, quæ deinde Christus plane sustulit, atque illis ampliora multo bona invexit. Ob hoc ipsum ait Paulus : « Ubi abundavit delic- » tum, superabundavit gratia [2], » hoc est, majus est donum quam peccatum. Idcirco rursus ait : « Non sicut delictum, » ita et donum [3] : » Non quantum peccavit homo, tantum donavit Deus : non quanta jactura, tantus est quæstus : non quantum naufragium, tanta etiam negotiatio fuit : sed plura bona fuere quam mala, et merito. Siquidem mala servus invexit, et minora erant : bona vero largitus est Dominus, quocirca fuerunt et plura : propterea dicit : « Non sicut delictum, ita et donum. » Deinde discrimen adjungit : « Nam judicium quidem ex uno in condemnatio-

[1] Gen. xxxvi, 14. — [2] Rom. v, 20. — [3] Ibid. 15.

» nem, gratia autem ex multis delictis in justificationem[1]. » Obscurius est, quod diximus : itaque necesse est ut expositionem adjungamus. Nam judicium quidem, hoc est pœna, supplicium, mors ex uno, scilicet peccato : siquidem unum peccatum tantum malum invexit, gratia vero non illud solum peccatum, sed et alia multa sustulit. Idcirco dicit : « Gratia autem ex multis delictis in justifica- » tionem. » Propterea Joannes etiam Baptista clamabat : « Ecce agnus Dei, » non qui tollit peccatum Adami, sed, « Qui tollit peccatum mundi[2]. » Vidisti quo pacto non sicut delictum, ita et gratia, sed plura lignum hoc invexit bona, quam a principio fuerint invecta mala?

IV. Hæc autem a me dicta sunt, ne a primis illis parentibus damno te affectum arbitreris. Diabolus Adamum ejecit, latronem Christus introduxit. Ac discrepantiam vide. Ille hominem nullo infectum peccato, sed sola inobedientiæ macula ejecit : Christus latronem, innumera peccatorum onera gestantem, in paradisum introduxit. An igitur hoc tantum est admirabile, quod latronem in paradisum introduxit, aliud vero nihil? potest et aliud majus dici. Non enim solum introduxit latronem, sed et ante mundum universum, et ante Apostolos : ne quis posterorum se ingredi posse desperet, neque spem omnem suæ salutis abjiciat, cum innumeris scatentem malis se in regio versari palatio videat. Sed consideremus, num labores et recte facta et fructus exhibuerit latro : ne hoc quidem dici potest, sed nudo verbo prolato, sola fide exhibita, in paradisum ante Apostolos insiliit, ut intelligas non ejus probitatem tantum valuisse, verum Domini benignitatem totum negotium peregisse. Quid enim latro dixit? quid fecit? num jejunavit? num flevit? num se afflixit? num longo tempore pœnitentiam exhibuit? nequaquam : sed in ipsa cruce post

[1] Rom. v, 16. — [2] Joan. I, 29.

sententiam salutem obtinuit. Vide celeritatem : a cruce in cœlum, a supplicio in salutem. Quæ porro sunt illa verba? quam tandem vim habent, ut hoc uno tanta consequeretur bona? « Memento mei, inquit, in regno tuo[1]. » Quid hoc rei est? petiit bona dari, non operibus ipsis studium ullum adhibuit; verum is, cui cor ejus notum erat, non attendit ad verba, sed ad mentis affectum. Nam illi quidem, qui Prophetarum fuerant documentis instructi, qui signa viderant, qui miracula fuerant contemplati, de Christo dicebant : « Dæmonium habet[2], » et « Seducit turbam[3] : » latro vero, qui Prophetas non audierat, qui prodigia non viderat, qui in cruce suffixum viderat, non attendit ad ignominiam, non respexit ad infamiam, sed Divinitatem ipsam considerans : « Memento, inquit, mei in regno tuo. » Hoc sane novum et inusitatum. Crucem vides, et regni meministi? quid dignum regno vidisti? hominem crucifixum, alapis cæsum, illusum, accusatum, sputis conspersum, flagellatum : hæccine sunt, quæso, digna regno? Vides eum oculis fidei respexisse, non ea quæ apparebant expendisse? Propterea neque Deus nuda verba expendebat, sed ut ille in Divinitatem, sic Deus in cor latronis respiciebat, et ait : « Hodie mecum eris in paradiso[4]. » Hoc loco attendite : siquidem quæstio non vulgaris exoritur. Nam Manichæi, canes muti et rabidi, speciem quidem præ se ferunt modestiæ, intus vero gravem canum insaniam fovent, et ovis pelle lupum occultant. At tu ne quod apparet aspicias, verum intus latentem belluam pervestiga. Isti ergo locum hunc arripientes aiunt : « Dixit Christus : « Amen Amen dico » tibi, hodie mecum eris in paradiso : » igitur jam facta est bonorum retributio et superflua erit resurrectio. Si enim illo die latro bona recepit, corpus autem ejus nondum ad hunc usque diem resurrexit, non erit deinceps corporum

[1] Luc. XXIII, 42.— [2] Joan. VIII, 48 et 52.— [3] Id. VII, 12.— [4] Luc. XXIII, 43.

resurrectio. Numquid intellexistis quod diximus, an vero iterum illud dici necesse est? « Amen Amen dico tibi, » hodie mecum eris in paradiso. » Ingressus est igitur, inquit, in paradisum latro non cum corpore. Quo enim pacto, cum sepultum non esset corpus ejus, neque dissolutum, et in cineres redactum? neque dictum usquam fuit resuscitatum illum a Christo fuisse. Quod si latronem introduxit, et absque corpore bonis potitus est, manifestum est corporis resurrectionem non esse. Nam si corporis esset resurrectio, non dixisset : « Hodie mecum eris in paradiso, » sed in tempore consummationis, quando resurrectio corporum erit. Quod si jam latronem introduxit, corpus autem ejus foris corruptum remansit, plane liquet corporum resurrectionem non esse. Atquæ hæc quidem illi : jam vero quæ a nobis proficiscuntur accipite; imo vero non quæ a nobis, sed quæ a sacra Scriptura sunt : neque enim quæ nostra sunt dicimus, sed quæ Spiritus sancti. Quid ais? non venit in communionem coronarum caro? sed in communionem quidem laborum venit, præmiis vero privatur? et quando certandum quidem fuit, majorem partem sudorum sustinuit, quando vero coronarum tempus affuit, anima sola coronatur? Non audis Paulum dicentem : « Stare » nos oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque » propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum [1]? » Non audis ipsum rursus dicentem : « Oportet mortale hoc » induere immortalitatem, et corruptibile hoc induere in» corruptionem [2]? » Mortale quodnam? animam an corpus? haud dubium, quin corpus : siquidem anima natura sua est immortalis : corpus autem natura mortale est. At enim multa ex istis illi resecant; attamen ex illis ipsis quæ restant, cognationem eorum, quæ resecta sunt, deprehendemus. Ingressus est latro in paradisum, inquit, quid tum

[1] Rom. XIV, 10 et 12. [2] Cor. V, 10. — [2] 1 Cor. XV, 53.

postea? num enim hæc illa sunt bona, quæ nobis Deus pollicetur?

V. Non audis quid de bonis illis Paulus dicat? « Quæ » oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis » non ascenderunt [1] : » atqui paradisum et oculus vidit Adami et auris audivit, et cor hominis excepit; multis enim jam diebus de illo verba facimus : quomodo igitur bona latro recepit? non enim se in paradisum nos introducturum promittit Deus, sed in ipsum cœlum : neque regnum paradisi, sed regnum cœlorum prædicavit. « Cœpit » enim, inquit, prædicare, et dicere : Pœnitentiam agite, » appropinquavit enim, » non regnum paradisi, sed « regnum » cœlorum [2]. » Nam tu quidem paradisum amisisti, Deus autem cœlum tibi dedit, ut suæ tibi specimen ederet benignitatis, ac diabolo dolorem inureret, et ostenderet, tametsi innumeras ille in genus humanum insidias moliatur, nihil tamen hoc illi profuturum, cum Deus semper majorem ad honorem nos evehat. Amisisti ergo paradisum, et cœlum tibi Deus reseravit : temporario labore damnatus es, et vita æterna decoratus. Præcepit terræ ut spinas proferret ac tribulos, et fructum tibi spiritus anima germinavit. Vides ut majores sint pœnis facultates, ut ampliores sint divitiæ? Exempli causa : formavit Deus hominem e terra et aqua, ipsumque posuit in paradiso. Non evasit bonæ frugis, qui formatus fuerat, sed depravatus est : non jam e terra et aqua ipsum refingit, sed ex aqua et Spiritu; non jam illi paradisum, sed regnum cœlorum pollicetur. Et quo pacto id fiat audi. Cum enim princeps Judæorum Nicodemus lapsus esset, et hujus vitæ natalia inquireret, diceretque fieri non posse, ut senex denuo nasceretur, vide quo pacto Christus illi clarius modum detegat natalium. « Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spi-

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Matth. IV, 17.

» ritu, non potest introire in regnum cœlorum [1]. » Si igitur regnum cœlorum promisit, in paradisum autem latronem introduxit, nondum illi bona retribuit. Verum aliud præterea quiddam objiciunt. « Paradisum, inquiunt, hoc loco, non paradisum dixit, sed paradisi nomine regnum cœlorum designavit. Nam quia latronem alloquebatur, hominem qui sublimibus dogmatibus imbutus non fuerat, neque de prophetia quidquam noverat, sed omne tempus in desertis locis transegerat, cædesque patrarat, neque ad concionem unquam in transitu declinarat, neque sacræ lectionis particeps fuerat, neque quid tandem esset regnum cœlorum noverat, hoc dicebat : « Hodie mecum eris in paradiso, » notiori et usitatiori nomine paradisi regnum cœlorum significat, et de illo Christus ad ipsum verba facit : » Admitto. Unde igitur constat ipsum in regnum cœlorum ingressum esse? Ex eo quod dixerit : « Hodie mecum eris » in paradiso. » Quod si violentior hæc solutio videatur, dilucidiorem adjungemus. Quænam illa porro est? Christus dixit : « Qui non credit in Filium, jam judicatus est [2]. » Quid igitur? jam-ne judicatus est? Atqui nondum est resurrectio : nondum supplicium et pœna, quomodo ergo jam judicatus est? propter peccatum. Et rursus : « Qui credit » in Filium, inquit, transivit de morte ad vitam [3]. » Neque dixit, « Transibit, » sed jam « Transivit, » et hic rursus propter bonum opus, et ille rursus propter peccatum. Ut igitur unus judicatus est, cum nondum fuerit judicatus, alter quoque transivit ad vitam, cum nondum transierit, et tam ad unum ob bonum opus, quam ad alterum ob peccatum, quasi jam res acciderint, cum nondum acciderint, verba facit : sic et ad latronem dicebat. Nam et medici postquam aliquem desperatum vident, eum periisse jam et mortuum esse dicunt, tametsi sperantem ad-

[1] Joan. III, 4. — [2] Ibid. 18. — [3] Id. V, 24.

huc intuentur. Sed ut ille, quoniam nulla superest spes ejus salutis, apud medicos jam mortuus est : sic etiam latro, quoniam periculum omne reversionis ad perditionem jam evaserat, in cœlum intravit. Sic etiam audivit Adam : « Qua die autem ederitis ex eo, morte moriemini [1]. » Quid igitur? an illo ipso die mortuus est? Nequaquam : sed post illum diem nongentos vixit et plures annos. Cur igitur dixit Deus : « Illa ipsa die moriemini? » Sententia, non experientia. Sic etiam latro in cœlum ingressus est. Audi sane quid dicat Paulus, ut neminem adhuc bonorum retributionem accepisse declaret : nam cum de Prophetis ac Justis dissereret, adjecit : « Juxta fidem defuncti sunt isti » omnes, cum repromissiones non accepissent, sed a longe » eas aspexissent, et salutassent, Deo melius aliquid pro » nobis providente, ut non sine nobis consummarentur [2]. » Hæc notate, ac memoria tenete, eosque qui non audierunt, docete, atque hæc in Ecclesia, in foro, ac domi unusquisque meditetur. Nihil enim sacra lectione jucundius. Audi, quæso, quid de illa dicat Propheta : « Quam dulcia fauci- » bus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo [3]. » Hunc itaque favum in vespertina mensa appone, ut totam illam spirituali repleas voluptate. Non videtis homines opulentos, quomodo post epulas citharœdos ac tibicines introducant? illi suas ædes theatrum efficiunt, tu tuas ædes cœlum effice : id vero efficies non parietes immutans, aut transferens fundamenta, sed si ad tuam mensam Dominum ipsum cœlorum voces. Non erubescit ejusmodi convivia Deus. Ubi namque spiritualis doctrina, ibi et temperantia, et modestia, et lenitas : ubi vir et uxor ac liberi, concordia et amicitia, et virtutis vinculis fuerint colligati, illic versatur in medio Christus. Non enim aureum laqueare quærit, nec columnarum fulgorem, neque marmoris pul-

[1] Gen. II, 17. — [2] Hebr. XI, 13. — [3] Psal. CXVIII, 103.

chritudinem, sed animæ decorem ac mentis formam, et mensam justitia refertam, et eleemosynæ fructibus abundantem. Quod si mensam ejusmodi viderit, confestim ejusmodi conventus fit particeps, et in eum se infert. Ipse enim est, qui dixit : « Esurientem me vidistis et aluistis [1]. » Cum igitur inferius magna voce clamantem audiveris pauperem, deinde quidpiam eorum quæ apposita sunt de mensa egeno dederis, Dominum ad mensam vocasti per servum, et illam totam Dei benedictionibus replevisti, oblatisque primitiis maximam occasionem tua promptuaria plurimis complendi bonis præbuisti. Deus autem pacis et charitatis, « Qui dat panem ad manducandum, et semen seminanti, » vestram sementem multiplicet, et augeat incrementa fru» gum justitiæ in omnibus vobis suam dans gratiam, vosque » regno cœlorum dignetur [2]. » Cujus nos participes fieri contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo gloria Patri, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

In diem nimbosum, et in conventum episcoporum, et de mandato quod traditum est Adamo, magnæque providentiæ fuisse quod legem acceperit.

I. Nubium quidem concursus diem nobis reddidit tristiorem : adventus autem doctoris hilariorem illum effecit. Non enim ita sol, cum de medio cœlorum fastigio radios emittit, corpora illustrat, ut ex medio suo throno facies

[1] Matth. xxv, 35. — [2] 2 Cor. ix, 10.

paternæ charitatis emittens radios animas nostras illuminat. Quod cum ipse quoque probe nosset, non nobis solus advenit, sed et luminarium cœtu comitatus appulit, ut lux nobis copiosior affulgeret. Quo fit ut nobis lætetur Ecclesia et exultent greges, nosque majori cum alacritate sermonem instituamus. Ubi enim pastorum concursus est, illic et ovium est securitas. Ita nautæ lætantur, cum plures illis adsunt gubernatores : dum enim maris tranquillitas et aëris est serenitas, gubernaculorum subsidio laborem illis remigationis levant, et dum mare procellis agitatur, arte ac multitudine operarum prælium undarum sedant. Idcirco nos etiam confidenter docendi causa sermonem aggredimur, et ipsorum precibus cuncta committimus. Ut autem facilius ac dilucidius quæ audictis percipere possitis, eorum quæ vobis hesterno die dicta sunt memoriam paucis refricabimus. Dixi hominem, antequam de ligno comederet, bonum ac malum novisse, neque postquam gustasset, hanc illum scientiam adeptum esse. Dixi quare lignum scientiæ boni et mali diceretur, et quo pacto soleat Scriptura, postquam circa tempus aliquod locumve res quæpiam evenerit, ab illa re ductum loco vel tempori nomen tribuere : operæ-pretium hodie fuerit ipsum mandatum recitare, cujus interventu arboris illius est esus prohibitus. Quodnam igitur illud est? « Et præcepit Dominus Deus Adam » dicens : Ex omni ligno quod est in paradiso esca come» des [1] : » Divina lex est, verum attendamus. Si enim homines, dum regias legunt litteras, universum spectatorum cœtum jubent consurgere : multo magis nos qui non hominum, sed Dei leges lecturi sumus, animos oportet erigere, atque iis, quæ dicuntur, attendere. Scio nonnullos Legislatorem accusare, ac legem causam lapsus esse dicere. Adversus hoc igitur primum certandum est, ac rebus ipsis

[1] Gen. II, 16.

ostendendum, non quod hominem odio haberet, aut naturam nostram ignominia notare vellet, sed quod amaret ejusque curam gereret, legem dedisse. Ut enim discas in subsidium nobis eam datam esse, audi quid dicat Esaïas : « Legem enim in auxilium dedit [1]. » At qui odio prosequitur, non fert auxilium. Rursus vociferatur Propheta : « Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis [2] » At qui odio prosequitur, tenebras lucerna non discutit, nec errantem cum luce deducit. Salomon rursus : « Lucerna mandatum legis, et lux, et vita, et correptio, et » disciplina [3]. » Ecce non auxilium solum, nec lucerna solum, sed et lux est et vita : hæc porro non sunt odio prosequentis, neque perdere volentis, sed manum porrigentis et erigentis. Ideo Paulus quoque, dum in Judæum invehitur, et quantam lex invexerit utilitatem ostendit, eamque non gravare naturam nostram, sed reficere, dicebat : « Ecce tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege [4]. » Vides non ut naturam nostram gravaret, sed ut eam recrearet, Deum legem dedisse? Vis-ne discere id etiam illum egisse, ut honorem deferret? Nam poterant et ista satis ostendere et honorem delatum, et curam impensam : sed hoc ipsum, aliis adhibitis testimoniis, demonstrabo. « Lauda, » inquit, Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion : » Quoniam confirmavit vectes portarum tuarum, benedixit » filiis tuis in te. Qui ponit fines tuos pacem, et adipe fru» menti satiat te [5]. » Deinde postquam alia dixit beneficia per alias creaturas collata, subjunxit præcipuum et cæteris majus his verbis utens : « Qui annuntiat verbum » suum Jacob, justificationes et judicia sua Israël. Non » fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit » eis [6]. » Vide quam multa enumerarit bona. Urbis securita-

[1] Isaï. VIII, 10. — [2] Psal. CXVIII, 105. — [3] Prov. VI, 23. — [4] Rom. II, 17. — [5] Psal. CXLVII, 13-14. — [6] Ibid. 19, 20.

tem : «Confirmavit enim, inquit, vectes portarum tuarum;» bellorum depulsionem : « Qui ponit enim, inquit, fines » tuos pacem; » ubertatem annonæ : « Et adipe frumenti » satiat te. » Attamen his omnibus pretiosiorem legis donationem esse declaravit. Nam quoniam et securitate et pace, et depulsione bellorum, et liberorum fœcunditateac multitudine, atque annonæ ubertate multo majus est donum legem accepisse, ac Dei justificationes didicisse, cum illud omnium postremum tanquam caput et congeriem bonorum collocasset, adjecit dicens : « Non fecit taliter » omni nationi. » Taliter, quo pacto? Atqui annonæ ubertate, atque aliis, quæ sunt enumerata, multi sæpius potiti sunt : verumtatem de illis, quæ dicta sunt, non loquor, inquit, sed de lege, quod omni nationi sic non fecerit; propterea subjunxit : « Et judicia sua non manifestavit eis. » Vides omnium bonorum quæ sunt enumerata maximum esse legem.

II. Hoc etiam Jeremias indicavit : dum enim eos, qui in captivitate versabantur, lugeret, dicebat : « Quid quod in » terra inimicorum es? dereliquisti fontem sapientiæ [1], » legem ita vocans. Ut enim fons multos undique rivos emittit, sic etiam lex multa undique mandata profundit, quibus animam nostram irrigat. Deinde præcipuum decus honoris, qui nobis a lege defertur, ostendens aiebat : « Non est » audita in Chanaan hæc sapientia, neque visa est in Thæ» man, neque filii Agar mercatores, et exquisitores viam » ejus noverunt, neque semitarum ejus sunt recordati [2]. » Atque ut spiritualem ac divinam eam esse demonstraret, « Quis ascendit, inquit, in cœlum, et deduxit illam [3]? » Tum adjunxit : « Hic est Deus noster, non æstimabitur » alius ad eum. Adinvenit omnem viam scientiæ, et dedit » eam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo [4]. » Propterea

[1] Baruch. III, 10 et 12. — [2] Ibid. 22, 23. — [3] Ibid. 29. — [4] Ibid. 36, 37.

dicebat etiam David : « Non fecit taliter omni nationi, et »judicia sua non manifestavit eis [1]. » Hoc nimirum et Paulus innuens scribebat : « Quid ergo amplius Judæo est? aut »quæ utilitas circumcisionis [2]? » Multum per omnem modum. Primum quidem quoniam credita sunt illis eloquia Dei. Vides quo pacto hic etiam exposuerit illud : « Non fecit »taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis?» Si enim hoc illud est amplius Judæo, quod illi soli ex aliis hominibus legis scriptæ donatione sunt honorati, non igitur ut naturam nostram gravaret, sed ut honore afficeret, dedit legem Deus. Neque hoc tantum honore affecit, quod legem dedit, sed etiam quod per seipsum dedit : hoc enim genus honoris est maximum quod non solum bona præbuerit, sed per seipsum præbuerit. Hoc quippe magnum esse donum, audi quomodo Paulus ostendat. Cum enim inflatos esse Judæos cerneret, quod ad eos Prophetæ venissent, ut eorum arrogantiam coërceat, nosque majori esse affectos honore demonstret, qui non servi, sed Domini opera delatam doctrinam accepimus, his verbis utitur ad Hebræos scribens : « Multifariam multisque modis olim »Deus loquens patribus nostris, novissimis diebus istis lo»cutus est nobis in Filio [3], » Et rursus alibi : « Non solum »autem, sed et gloriamur in Deo, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem et reconciliationem accepimus [4]. » Vides cum non ob reconciliationem tantum gloriari, sed etiam quod per Christum reconciliationem acceperit? Et rursus cum resurrectionem magnifice celebraret, ait : « Ipse Dominus descendet de cœlo [5]. » Vide illic quoque per Dominum totum perfici : et hic non per aliquem famulum, non per Angelum et Archangelum, sed ipse per seipsum Adam præcepit duplici hominem honore

[1] Psal. CXLVII, 19.— [2] Rom. III, 1. — [3] Hebr. I, 1, 2. — [4] Rom. V, 11. — [5] 1 Thess. IV, 15.

afficiens, et quod legem dederit, et quod dederit per seipsum. Quomodo igitur lapsus est ille? ob ignaviam suam : idque ostendunt quotquot legem acceperunt, nec lapsi sunt; sed et plura, quam imperata fuerant, præstiterunt. Sed quoniam hoc tempus video nos in angustum redigere, in alteram dissertationem sermonem rejiciemus : vos vero quæ dicta sunt conservate (1), ac memoria tenete, illosque qui non audierunt, docete, atque hæc in Ecclesia, in foro, ac domi unusquisque meditetur. Nihil enim sacra lectione jucundius. Audi sane quid de illa dicat Propheta : « Quam » dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori » meo [1]. » Hunc itaque favum in vespertina mensa appone, ut totam illam spirituali repleas voluptate. Non videtis homines opulentos, quomodo post epulas citharœdos ac tibicines introducant? illi suas ædes theatrum efficiunt, tu tuas ædes cœlum effice : id vero efficies non parietes immutans, aut transferens fundamenta, sed si ad tuam mensam Dominum ipsum cœlorum voces. Non erubescit ejusmodi convivia Deus. Ubi namque spiritualis doctrina, ibi et temperantia, et modestia, et lenitas : ubi vir et uxor ac liberi, concordia et amicitia, et virtutis vinculis fuerint colligati, illic versatur in medio Christus. Non enim aureum laquearc quærit, nec columnarum fulgorem, neque marmoris pulchritudinem : sed animæ decorem ac mentis formam, et mensam justitia refertam, et eleemosynæ fructibus abundantem. Quod si mensam ejusmodi viderit, confestim ejusmodi conventus fit particeps, et in eum se infert. Ipse enim est, qui dixit : « Esurientem me vidistis » et aluistis [2]. » Cum igitur inferius magna voce clamantem audiveris pauperem, deinde quidpiam eorum quæ apposita sunt de mensa egeno dederis, Dominum ad mensam vocasti per servum, et illam totam Dei benedictionibus reple-

[1] Psal. cxviii, 103. et xviii, 11. — [2] Matth. xxv, 35.

visti, oblatisque primitiis maximam occasionem tua promptuaria plurimis complendi bonis præbuisti. Deus autem pacis et charitatis, « Qui dat panem ad manducandum, et » semen seminanti, vestram sementem multiplicet, et au- » geat incrementa frugum justitiæ in omnibus vobis, suam » dans gratiam, nosque regno cœlorum dignetur [1]. » Cujus nos participes fieri contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, honor, imperium una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IX.

Quomodo oporteat fratrum peccata arguere, et quod eorum salutis curam habere conveniat, et quare Abram vocatus sit Abraham, et de nomine Noë : quod non frustra aut sine causa Justi illi fuerint his nominibus appellati, sed ita dispensante Dei providentia.

I. Haud difficile foret, ex consequentia nuper dictorum, præsentis sermonis sumere proœmium, siquidem scire possetis quid nuper a nobis dictum, et quomodo finitus fuerit sermo. Verum quia plerique ex iis, qui nuper affuere, hodie non adsunt, et ex iis qui nunc adsunt, nuper abfuere, cogit auditorum varietas, ut repetenda sint quæ nuper dicta : unde et ii, qui prius sermonem audierunt, melius dictorum memoriam firment, et iis, qui abfuerunt, non tam damnosum sit abfuisse, si et ipsis innotescat doctrina pridem habita. Et fortassis dicent qui semper sunt præsentes, propter

[1] 2 Cor. IX, 10.

illos nuper dicta non esse resumenda, ut ii, qui cum aliis convenire contempserunt, hoc damno emendentur, et fiant posthac diligentiores. Equidem laudo, quod fratrum doletis ignaviam, et admiror zelum : vellem autem vos zelum hunc temperare misericordia. Zelus enim veniam negans, potius furor est, quam zelus, et admonitio lenitate destituta, invidia quædam est. Quapropter magis vos, obsecro, ne amare de proximorum judicetis peccatis. Nam sicut is, qui absque commiseratione vulnera fratrum spectat, nullum inveniet qui se dignetur venia, si quando et ipse peccaverit : ita qui cum misericordia de lapsu proximi judicat, si quando et ipse supplantatus fuerit, multos videbit manum porrigentes. Et hæc nunc dico, non quod velim eorum, qui raro huc conveniunt, negligentiam augeri, sed quod majorem curam nostram erga illos cupiam, ita ut cum ratione et amoris affectu geratur. Alioquin et nos superioribus diebus multos et longos sermones adversum illos pronuntiavimus, et neque hominum nomine dignos diximus : sicut meministis nos in hoc produxisse Prophetas duos præcipuos contra illos, quorum unus dicit : « Veni, et non erat homo : » vocavi, et non erat qui audiret [1]. » Alius autem clamat, et dicit : « Cui loquar et testificabor? incircumcisæ aures » eorum, et non possunt audire [2]. » Quibus verbis mentem eorum satis acriter perstrinximus, nunc vero iterum obsecramus : sic enim et Paulus jussit : « Argue, inquit, increpa, » obsecra [3]. » Neque enim hoc semper solum agere oportet, neque semper illud solum : sed utrumque alternis vicibus, quo major inde sequatur utilitas. Nam si semper arguemus, impudentiores illi fierent : si semper obsecraremus, ignaviores redderentur. Quapropter et medici non solum secant, sed et vulnera obligant : neque semper amara, sed nonnunquam etiam lenia pharmaca infundunt, ut per priora

[1] Isaï. L, 2. — [2] Jerem. VI, 10. — [3] 2 Tim. IV, 2.

illa purificentur sanies et putredo, per posteriora autem mitigetur inustus ab illis dolor. Et idcirco alibi quoque inquit Paulus : « Fratres, si præoccupatus fuerit homo in ali- » quo delicto, vos, qui spirituales estis, corripite illum : » considerans temetipsum, ne et tu tenteris [1]. » Optima admonitio, perfectum consilium, quod paterna viscera declarat, et ejus qui magnam nostri curam gerit. Vere linguæ Pauli verba, fratres, satis eximio nomine benevolum reddidit auditorem, quasi dicturus : « Ejusdem uteri partu et doloribus prognatus es, eumdem habuisti patrem, iisdem alimentis educatus es, communicasti ei in partu spirituali; cognationem et fraternitatem hanc etiam in corrigendis proximi eratis declara. « Si præoccupatus fuerit. » Non dixit : « Si peccet, » sed ad genus peccati confugit, quod majorem meretur veniam ; « Si præoccupatus fuerit, » hoc est, « Si graviter tentatus succubuerit, si erraverit, » neque eum, qui dedita opera peccavit, dicit, sed eum, qui studuit bene agere ; supplantatus tamen est a potestate diabolica et victus. Nam talis non tam accusationem, quam veniam meretur. « Si » præoccupatus fuerit homo. » Iterum ad aliam veniæ speciem confugit, nempe naturæ infirmitatem, quam nomine hominis insinuat. Sicut igitur et magnus Job veniam a Deo impetrare volens, dicebat : « Quid est homo quod reputas » eum, et visitationem peccatorum ejus fecisti [2] ? » Sic et nos faciamus, quando cum peccatore aliquo expostulatur, continue dicamus : « Homo est, » et naturæ recordatione ad misericordiam indignantem provocemus. Et ea de causa Paulus ad naturam et ejus infirmitatem confugit, cum dixit : « Si et præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. » Non simpliciter magna peccata dicit, quæ majora quam ut veniam et misericordiam mereri videantur, sed parva et abjecta. « Vos qui spirituales. » Is qui peccat, homo ; qui

[1] Galat. VI, 1. — [2] Job. VII, 17.

vero bene operantur, spirituales dicuntur. Hic virtutis vocabulum posuit, illic naturæ nomen dixit. Multum autem differt homo, et spiritualis. « Vos qui spirituales. » Si spiritualis es, ostende mihi virtutem tuam, non a tua, sed a mea salute, sed a subsidio quod lapso fers. Hoc enim spiritualis est, non despicere sua membra periclitantia. « Instruite talem. » Facite, ait, ne capi possit, ne certando defatigetur, ne præliando adversus diabolum succumbat. « Considerans temetipsum, ne et tu tenteris. »

II. Hoc summum consilium est, et admonitio maxime cogens. Etiamsi saxeus fueris, et audias, verbum hoc sufficiet ad terrendum, et provocandum quo feras auxilium lapso. Non vis, ait, ut frater misereri? non vis ut hominibus concedere veniam? non vis ut spiritualis manum porrigere? considera conditionem tuam, et non indigebis consiliario, sed per temetipsum jacentem juvabis, et a temetipso admoneberis. Quo pacto, et quomodo? « Con» siderans temetipsum, ait, ne et tu tenteris. » Non dixit : « Nam omnino et tu peccabis, » ne molestior esset : sed quomodo dixit? « Ne quando et tu tenteris. » Fieri enim potest ut pecces : fieri etiam potest ut non pecces. Et quia incertum est futurum, para tibi misericordiæ sportulas, quas illi dones, ut per illa, quæ proximo impendis, si et tu aliquando lapsus fueris, invenias promptuaria miseratione referta. Non dixit : « Ne quando et tu pecces, ne quando et tu cadas. » Attendite diligenter ad vim verborum ipsorum. Sed « Ne quando et tu tenteris. » Quo simul indicatur nos habere inimicum tentatorem. Et tentator non statutum insidiandi tempus habet; plerumque enim in nos dormientes, et negligentes impetum facit, et idcirco præoccupatus ille magis dignus est, cui condonetur, quoniam a tentatore captus est. Non enim erat ei manifesta pugna, neque condictus dies belli, sed in incautum impetum fecit, atque

idcirco superavit. Sic nautæ quoque faciunt, cum per magnum et spatiosum mare navigant : licet navis secundo vento feratur, licet omni fruantur securitate, cum tamen viderint alios vel procul naufragium facere, non suam spectantes utilitatem, illorum contemnunt calamitatem : sed sistunt navem, laxant anchoram, detrahunt vela, ejiciunt funes, projiciunt tabulas, ut ille qui a fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto, emergat. Imitare igitur et tu nautas, homo : nam et tu mare navigas magnum et spatiosum, nempe vitæ præsentis quod multas habet belluas, piratas, petras, et latentes scopulos, crebrisque turbatur fluctibus, et in eo naufragantur plurimi. Cum igitur videris navigantium aliquem diaboli insidiis amittere divitias salutis, natare in fluctibus, et jam submergi, siste navem, et relictis negotiis tuis, statim illius provide saluti. Nam moram non sustinet, neque dilationem, qui submergi incipit. Igitur statim accurre, et quantocius e fluctibus eum eripe, nihil non age ut ipsum ex profundo interitus extrahas : etiamsi te plurima negotia aliorsum vocent et trahant, nihil ducas magis necessarium salute sic laborantis; nam si parumper differre volueris, perdetur tempestate rabida. Unde in tantis periculis magna acceleratione opus est et studio. Audi quomodo Paulus, viso homine quodam qui in profundum rapiebatur, sollicitus et anxius erat, et alios excitabat. « Confirmate in illum charitatem, inquit, » ne forte tristitia abundantiore absorbeatur ille [1]. » Et propter hoc jubet statim præbere manum, ut ne interim dum differimus, præventus ille absorbeatur. Curam igitur geramus fratrum nostrorum. Hæc summa vitæ nostræ est; hoc signo internoscimur an Christiani simus, cum non solum quæ nostra sunt spectamus, sed et membra nostra perversa corrigimus et instruimus. Hoc maximum indi-

[1] 2 Cor. II, 8

cium fidei. « In hoc enim cognoscent omnes, inquit, quod » Discipuli mei estis, si vos diligitis mutuo [1]. » Charitatem autem sinceram declarat non communio mensæ, non breve colloquium, non verborum adulatio, sed studium in considerando quid proximo conducat, ut erigatur qui cecidit, et porrigatur lapso manus salutem negligenti, ut ante bona propria, inquirantur quæ proximi sunt. Hæc est vera charitas. Nam charitas non spectat quæ sua sunt, sed prius videt ea quæ proximi, quam quæ sua, ut per ea videat quæ sua sunt [2]. Et ego nunc non propter memetipsum tam longis sermonibus utor, sed propter vos. Igitur et vos audite, non propter vosmetipsos, sed propter alios a vobis erudiendos. Quandoquidem Ecclesiæ corpus per membrorum cohærentiam nutritur, sicut ergo membrum quod apud seipsum cibos omnes reservat, vicinoque non communicat, et seipsum offendit, et reliquum corpus corrompit, quemadmodum in stomacho videmus : is enim si cibum solus continuerit, et reliquum corpus fame corrumpit, et seipsum sua inexplebili improbitate perdit : si autem acceperit quantum pro sua portione satis, et reliquum aliis membris transmiserit, et seipsum ac reliquum corpus in bona valetudine conservat : ita et tu nunc, si ea quæ a nobis audis, detinueris, aliique non communicaveris, et illum incommodabis, et teipsum jam corrupisti, quia ignaviæ et invidiæ gravissimos morbos foves. Satis enim ad perditionem tuam fuerit, vel ob malitiam, vel ob invidiam, vel etiam ob ignaviam non communicare aliis. Contra, si citra invidiam et ad alios transmiseris alimoniam, et tibi ipsi et aliis profuturus es. Sed de iis dictum est satis.

III. Nunc operæ-pretium fuerit venire ad contextum eorum, quæ nuper dicta fuerunt. Quæ erant ergo illa? De Saulo et Paulo tunc exquirebamus, quare aliquando Saulus,

[1] Joan. XIII, 35. — [2] 1 Cor. XIII, 5.

et aliquando Paulus vocatus sit, et inde digressi sumus in multorum nominum historiam. Verum quia semel hinc solvimus, non videtur dignum esse ut, cum utilis adhuc occurrit negotiatio, temere eam prætereuntes negligamus. Nam licet propter Paulum in hoc argumentum devenerimus, nihilominus et aliorum nominum rationes hac negotiatione invenire possumus. Sicut et mercatores, qui mare navigant, et propter minuta quædam in longinquas terras proficiscuntur : cum venerint in petitam civitatem, viderintque copiam aliarum rerum sibi conducibilium, præter eas, propter quas a patria exierunt, multo plura quam decreverant, mercantur. Quod si quis eos reprehendat, his se verbis tuentur : « Longa via venimus ; multas tempestates, multa pericula pertulimus ; transmarinam suscepimus peregrinationem ; quid igitur vetat negotiationem nostram fieri ampliorem ? » Talia utique et nobis dicere licet. Nam inquirentes de nominibus Pauli, invenimus consequenter et nundinationem aliorum nominum ; nempe Petrum antea Simonem dictum : et filios Zebedæi Joannem et Jacobum, filios Tonitrui nuncupatos. Invenimus et in Veteri Abraham, qui antea Abram vocatus fuit, et Jacob Israëlem nominatum, et Sarram Saram. Invenimus præterea aliis non fuisse mutata nomina sicut istis, sed illos a principio sibi indita nomina retinuisse, sicut Joannes Baptista, Isaac et Adam. Absurdum igitur fuerit et extremæ desidiæ tantum e manibus thesaurum abjicere. Nam ideo longiorem fecimus sermonem, et quia nuper diximus de iis, qui primum nomen retinuerunt, hodie de dionymis sive de iis, qui duplici sunt nomine appellati, dicere mens est ; quorum unus est Abraham. Adam eodem semper nomine vocatus est : Isaac aliam appellationem non accepit, sed ab initio ad finem Isaac dictus est. Pater autem Isaac prius quidem Abram dicebatur, postea vero Abraham. Dixit enim ad eum Deus : « Non erit ultra no-

» men tuum Abram, sed Abraham vocabitur nomen tuum[1].» Etenim Abram vocabatur prius : sed hoc nomen non est græcum, neque nostra, sed Hebræorum lingua sic vocatur. Quid igitur significat hoc nomen? Transitor. Nam Abram, Syrorum voce, idem est quod trans vel ultra : et sciunt qui linguæ ejus periti sunt. Magna quoque Syrorum cum hebræa lingua cognatio est. Sed dicis : « Quare transitor vocabatur? » Judæa regio, hoc est, Palæstina omnis, quæ ab Ægypto usque ad Euphratem e regione jacet Babyloniæ, unde erat Abraham, et fluvius communis terminus utriusque terræ, medius utramque secat. Et quia Abraham non Palæstinus erat, sed ab ulteriori ripa fluminis venerat, nempe a Babylonia, ideo a loco et facto nomen accepit, et dictus est Transitor, quia a loco ulteriori fluminis venit. Quare autem fluvium transiit? quia Deus jusserat. Et quare Deus jussit? ut ostenderetur obedientia Justi. Et quomodo ostensa fuit obedientia Justi? quia propter præceptum Dei patriam suam, quam reliquit, pro aliena commutavit. Vides quanta catena rerum in appellatione Justi nectatur? Ingens historiarum pelagus nomen hoc nobis aperuit. Disce igitur ejus nomen primum, ut cum videris eum Palæstinam incolentem, appellatione nominis in memoriam antiquæ patriæ ejus, et causæ propter quam eam reliquit, manuducaris, et ita ad imitandum eum admoneare. Ecce enim ut ille ante legem et sub lege vitam agens, philosophiam quoque tempore gratiæ traditam suscepit implendam, et ante tempus gratiæ fecit, quod postea Discipulis Christus dixit : « Amen dico vobis, quod nullus est » qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, » aut matrem, qui non centuplum accipiet, et vitam æter» nam possidebit[2]. » Non solum autem hinc apparet quam sapienter vixerit Justus, sed etiam Dei promissio hoc de-

[1] Gen. XVII, 5. — [2] Matth. XIX, 29.

clarat. « Veni enim, inquit, in terram, quam monstravero »tibi [1]. » Nam tametsi utraque illæ regiones Chaldæa et Palæstina erant corporales, illa tamen sua erat, hæc aliena : illa certa, hæc incerta : illa in manibus, hæc in spe : ipse autem, relictis certis, manifestis et iis, quæ in manu erant, festinavit et transiit ad incerta, incognita, et ad ea in quibus sibi non licebat dominari, ut persuadeat erudiatque neque contradicendum, neque cunctandum, quando Deus manifesta relinquere jubet, et ad ea, quæ non apparent, respicere. Non enim tam certa quæ in manibus, atque ea quæ in spe. Non enim sic manifesta est præsens hæc vita, ut futura illa. Hanc enim videmus nostris oculis, illam videmus oculis fidei : hanc videmus in manibus nostris positam, illam videmus in promissionibus Dei custoditam.

IV. Promissiones autem Dei multo certiores sunt, quam quæ in nostris sunt manibus. Vis discere quomodo hæc quidem vita in incerto sita est semper, futura autem illa, quæ videtur incerta esse, hac præsenti certior sit et solidior ? Inquiramus, si placet, quæ sunt illa præsentis vitæ præclara ; divitiæ, gloria, potentia ; magnum existimari ab hominibus, et videbis nihil illis esse incertius. Quid enim infidelius divitiis, quæ sæpe nec usque ad vesperam nobis permanent ? sicut enim ingratus transfuga, ab hoc ad illum, et ab illo ad alium subinde transeunt ? Hujusmodi est gloria. Sæpenumero qui clarus erat et nobilis, repente contemptus et ignobilis habetur, et e diverso quoque sæpe obscuri subito clarescunt. Et sicut videri nequit in rota, quæ continuo versatur, aliqua pars ejus, eo quod crebra circumferentia semper summa fiunt ima, et ima summa : ita et nostrarum rerum impetus, dum continuo vertuntur, summa facit infima ; ut videre licet in divitiis, potentiis et aliis. Nunquam enim in eodem statu manent, sed semper instabiles fluminum

[1] Gen. XII, 1.

fluxus imitantur. Quid igitur his incertius, quæ tam crebro transferuntur, et priusquam recte appareant, avolant; priusquam adveniant, resiliunt? Unde Propheta de deliciis et divitiis deque rebus talibus disserens, et eos insectans qui illis quasi permanentibus vacant, dicit : « Repu» tarunt hæc quasi stantia, et non quasi fugientia [1]. » Non dixit : « Quasi prætereuntia, » sed quod multo minus, « Quasi » fugientia. » Non enim paulatim recedunt, sed mira celeritate. At Patriarcha ille non sic egit, sed relictis omnibus illis, tantum ad promissiones Dei spectavit, viam nobis parans ad futurorum fidem, ut cum promiserit tibi Deus futura et quæ non videntur, ne dicas hæc esse incerta et obscura. Incerta enim illa certiora sunt iis, quæ videntur, modo oculos fidei habeamus. Quamvis enim illa non videamus, Deus tamen ea promisit, et pollicitus est. Quando Deus promittit, nulla variatio promissionibus adjungitur, atque adeo illa maxime manent, quæ in manu Dei sunt. « Ex manu enim Dei, inquit, nullus rapere potest [2]. » Igitur quia nullus rapere potest ex manu Dei, certus ille thesaurus semper manet. Præsentia autem omnigenis variationibus et vicissitudinibus sunt obnoxia, ideo pro eis sæpe laborem ferimus, et fine eorum frustramur. In iis, autem quæ speramus, non ita est; sed is, qui laboravit, necessario coronas et præmia consequitur. Nam spes non pudefacit, quia Dei est promissio, et dona promissa sequuntur ejus naturam, qui promisit. Relictis igitur incertis, apprehende ea, quæ conspicua sunt. Conspicua autem sunt, non præsentia, sed futura. Jam quod aliqui ad præsentia spectant, et futura respuunt; non ideo respuunt, quod obscura et incerta, sed quod sublimia sint, et supra suam imbecillitatem. Considera igitur quanta sit virtus Justi. Promiserat ei Deus corporalia, et ipse spiritualia quærebat. Ubi,

[1] Amos. VI, 5. — [2] Joan. X, 29.

dices, promisit ei Deus corporalia, et ipse spiritualia quæsivit? « Egredere, inquit, de terra tua, et de cognatione tua, et » de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero » tibi[1]. » Corporalis erat terra prior, ut et futura, quæ illi danda erat. Quid ergo ille? imo non illum, sed audiamus de illo dicentem Paulum, ut discamus eum, licet hanc terram promisisset Deus, relictis tamen præsentibus, eam non respexisse, sed festinasse ad futura. Quid igitur Paulus dicit: « Juxta fidem mortui sunt hi omnes[2], » de Abraham loquens, Isaac et Jacob, et Justis omnibus. Neque enim Abraham solus, sed omnes ejusdem erant philosophiæ participes. « Juxta fidem mortui sunt hi omnes, cum non ac- » cepissent promissiones, sed procul eas vidissent[3]. » Quid dicis? Non obtinuit Abraham promissiones? Non venit in Palæstinam? Falsa ergo ea, quæ dicta sunt? Nequaquam, inquit: « Venit quidem in Palæstinam, non hanc autem spectavit, sed aliam, quæ in cœlis, desideravit. « Cujus rei et Paulus testis, cum adjicit: « Et confessi sunt se hospites et » peregrinos in terra[4]. » Hospes-ne est, qui tantam accepit patriam, et tantam regionem? dic, obsecro. Sane, inquit. Non enim hanc, sed cœlum spectavit. Nam qui hæc dicunt, inquit, declarant se aliam inquirere patriam, cujus artifex et opifex est Deus, illam, inquam, Jerusalem cœlestem, et supernam. Vidisti quomodo promiserit illi Deus corporalem, et ipse quæsiverit supernam Jerusalem? Qui enim hæc dicunt, inquit, significant se patriam inquirere. Ac si illius quidem meminissent, ex qua sunt egressi, tempus illis redeundi suppeteret; jam vero alterius melioris desiderio ducuntur, hoc est, cœlestis. Itaque corporalis est promissio, spirituale autem Justi desiderium. At nos plane diversa facimus. Deus illi promiserat Palæstinam, sed ille

[1] Gen. xii, 1. — [2] Hebr. xi, 39. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 13.

spectabat cœlum. Nobis promissum est cœlum, et ad terram tendimus.

V. Hæc lucra ex Abraham nobis contigerunt, quia nomen ejus didicimus, et quare Transitor dictus sit, et quod, relicta terra sua, in alienam concessit, præteritisque certis, ad incerta se convertit; abjectis iis, quæ in manibus, aspiravit ad ea, quæ spe concipiebat, et acceptis sensibilibus, ad spiritualia tetendit, idque ante gratiam, ante legem, ante Prophetarum doctrinam. Unde manifestum est cum præceptore caruisse, eique satis fuisse naturam moventem cogitationes conscientiæ, ut sic inveniret Opificem universi, et propter hoc dicebatur Abram, quod nomen ei parentes ea de causa indiderunt. Sed forte statim dixerit aliquis: « Mendacium hoc est. Parentes Abrahæ num Justi fuerunt? num placuerunt Deo? num sciverunt futura? num pollicitationem a Domino dandam præviderunt? Annon impii erant et idololatræ, plusquam barbari? » Scio et ego, ac propterea laudo Justum, quod tales parentes habens, talis ipse factus sit. Etenim valde rarum et admirabile est, ex agresti radice dulcem fructum produci. At non accusandi sunt ob parentum malitiam filii pie viventes, sed si quid admirabile dicendum est, eo magis laudandi, quod cum pietatem a parentibus non acceperint, nec habuerint qui manu ducerent, quasi in eremo et invio euntes, viam quæ in cœlum fert, invenire potuerint. Non igitur crimen est habere patrem impium, sed imitari patris impietatem. Et crimen est maximum, non quod habeamus improbos parentes, sed quod illorum non agamus curam, neque pro virili nostra demus operam, ut ab impietate sua eos eruamus. Itaque ubi nos illorum animæ, quantum in nobis situm est, subsidium tulerimus, illi vero in sua improbitate perseverarint, ab omni crimine ac reprehensione sumus immunes. Hæc autem dixi, ut ne turberis, dilecte, cum au-

dis Abraham impium patrem habuisse. Nam et Timotheus impium patrem sortitus fuit; filius enim Judææ mulieris erat, fidelis matris, patris autem Gentilis. Et quod pater ejus manserit in impietate et non fuerit conversus, manifestum est ex hoc; laudans enim Timothei fidem Paulus, sic dicit: « Quæ habitavit in avia tua Loïde, et matre tua » Eunice, confido autem quod et in te [1]. » Nusquam hic patris nomen legitur. Et quare? Quia in impietate perseverans, non erat dignus qui cum filio numeraretur. Et Apostolos malos habuisse patres declaravit Christus, cum dixit: « Si ego in Beelzebul ejicio dæmonia, filii vestri in » quo ejicient? propter hoc ipsi erunt judices vestri [2]. » Sed te ne turbet hoc, neque offendat. Nam ex hoc discimus, non naturæ, sed voluntatis esse vitium et virtutem. Enimvero si naturæ esset, omnino mali malos parerent, et boni bonos, sed quia electionis et voluntatis est probumvel improbum esse, idcirco sæpe malis patribus boni filii, et ignavis filiis studiosi patres fuerunt, ut non naturæ, sed voluntati semper illa imputemus. Verum cum parentes Abrahæ, ut dixi, fuerint impii, quomodo ei hoc nomen indiderunt? Fuit hoc opus divinæ sapientiæ per incredulam linguam dispensantis, ut puero nomen imponeretur, habens in se futurorum historiam. Nam eamdem virtutem et in Baalam declaravit, cogens eum futura prædicere; declarans se non solum in suis, sed et in alienis dominari posse [3]. Et ut discas parentes etiam non valde pios, sæpius nescios imponere nomina Justis, quæ multam futurorum dispensationem declarent, docebimus etiam alio exemplo. Lamech, qui fuit pater Noë [4], illius Noë, cujus tempore factum est diluvium, non erat justus, non Deo gratus, non Deo probatus; nam si justus, si Deo gratus et acceptus

[1] 2 Tim. I, 5. — [2] Matth. XII, 27. — [3] Num. 23. — [4] Gen. V, 29.

fuisset, non dixisset Noë solum perfectum inventum in generatione sua, neque præteriisset Justi patrem, si justus fuisset. Quid igitur ille? Imposuit nomen puero, quod præcipuam futurarum rerum haberet historiam, eratque appellatio Justi prophetia. Significabat enim nomen ejus futurum diluvium. Quomodo? Nomen ejus hebraïca lingua vocavit Noë, quod interpretatum est, Quietis auctor. Nia enim, Syrorum voce, quies est. Sicut igitur Abraham ab Abar, quod est trans vel ultra, dictus est, et Adam ab Ædem, quod est terra, eo quod sit terrenus, ita hic a Nia vocatus est Noë, hoc est, Auctor quietis; declarat autem hoc et adjecta particula. Vocavit enim eum Noë, dicens: « Hic nos quiescere faciet [1], » quietem diluvium vocans. Nam quia sub illo futurum erat diluvium, diluvium autem mors fuit, « Mors vero quies viro est [2] : » idcirco hominem, sub quo diluvium factum est, Quietis auctorem vocavit.

VI. Et quod non torqueam Scripturas, ex Scriptura ipsa audiamus hoc: « Vixit Lamech annos centum octo» ginta octo, et genuit filium, et vocavit nomen ejus Noë, » dicens: Hic nos quiescere faciet a laboribus nostris et » mœroribus, et ab operibus manuum nostrarum, et a terra, » cui maledixit Dominus [3]. » Quid ais: «Quiescere faciet nos?» quare non dixit: « Hic occidet nos, hic inducet diluvium?» sed dixit: « Faciet nos quiescere? » Creatura omnis resolvitur, abyssi erumpunt, cataractæ superius aperiuntur, omne pelagus erat mirum, stupendum et horribile, et in luto quasi communi sepulcro promiscua hominum, equorum ac ferarum corpora occultabantur, et tantam calamitatem, tantaque mala quietem vocas? Profecto, inquit. Nam homines in magna malitia vivebant; diluvium autem quoniam malitiam resecuit, ideo liberati illi a malitia, quiescere dicuntur. Ut enim corpus variis morbis obses-

[1] Gen. v, 29. — [2] Job. III, 23 apud LXX. — [3] Gen. v, 29.

sum, cui nulla reperitur medela ; si forte mors adveniens corripiat, ei quietem affert ; sic etiam generationem hominum illorum quasi corpus incurabiliter languens , et malis multis , nullam consolationem admittentibus , obnoxium, superveniens diluvium eripuit, et « Quiescere fecit. » Nam si « Mors viro quies , » multo magis iis , qui inemendabiles in malitia vivunt, mors quies est, liberans eos a laboribus, nec sinens ulterius iniquitatis ulcus serpere, neque supra modum grave fieri peccatorum pondus. Non est enim gravius , aut intolerabilius pondus , quam peccati natura ; nihilque ita labores et ærumnas nobis affert , ut malitiæ species et delicta. Propterea Christus iis , qui in peccatis vivunt , dicebat : « Venite qui laboratis et onerati estis , et » ego vos quiescere faciam [1]. » Et idcirco Lamech diluvium quietem appellavit , eo quod superveniens malitiæ finem impositurum erat. Volebam sermonem hunc longiorem facere ; multa enim omitto, quæ ad nomen Noë pertinent, sed hæc nunc memoria retinete , et fratribus vestris , qui absunt , dicite , ut ne cogamur iterum productioribus uti proœmiis, et dictorum repetere consequentiam. Sermonem ergo in precibus finiamus, gratias agentes Deo, qui hæc ut diceremus, dedit : quoniam ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xi, 28.

DE MUNDI CREATIONE.

ORATIONES VI.

DUBIÆ (2).

ORATIO I.

In primum diem creationis mundi.

1. Quodvis pietatis argumentum, animarum nostrarum emendatio est. Ad hanc enim animarum salutem omnia pietatis instituta respiciunt. Hanc et Dei sermo operatur, hanc et Moysis lex insinuat, hanc prædicant spirituales illæ Prophetarum linguæ : incessabili voce pro hac clamant Apostoli. Omnia siquidem pro nobis, et propter nos, ut dum nostra ad emendationem properant, pietatem nos assequamur. Omnis itaque sanctus liber salutis nostræ causa scriptus est, ut modo dicebam. Hic porro creationis liber, origo, fons et virtus est eorum omnium, quæ in lege et in Prophetis scripta sunt. Ac quemadmodum non potest domus sine fundamento stare ; sic nec varia creaturarum pulchritudo splendescere, nisi creatio ipsa initium habuerit. Scio multos ex sanctis Patribus de creatione verba fecisse, multaque et egregia dixisse, ut Spiritus gratiæ mensura ipsis collata tulit. Licet autem multa, eximia et mirabilia dicta fuerint, nihil vetat quominus et nostra dicamus, prout spiritus gratia subministravit. Quemad-

modum enim eos, qui ante nos fuere, non cohibuere veterum scripta ; sic nec illi qui nos præcesserunt, nos arcebunt ab instituto. Siquidem et illis, et nobis, et antiquioribus, una est gratia quæ Spiritus sancti virtutem suppeditet. « Omnia enim, inquit, operatur unus et idem Spiritus, » dividens singulis prout vult[1]. » Non ergo ea, quæ a Patribus dicta sunt, eliminantur, sed nostra illis apponuntur. Quamvis magna sunt eorum dicta, nostra autem exigua, hæc tamen in eamdem structuram aptantur. Ut enim lapidem magnum in cubi formam aptatum, in structuram admotum, et paulum nutantem, subjectus firmat exiguus lapis ; sic ea, quæ a Patribus dicta sunt, exiguis accessionibus, majus Ecclesiæ ædificium constituunt. Precor autem charitatem vestram, ut dictorum sententiis attendatis; non an novæ sint, sed an veræ. Non enim quod usu tritum est, semper verum; neque quod novum, ideo falsum. Sed semper exploratur an ea, quæ dicuntur, vera sint, an falsa. Rogo autem ne quis, ut amicus ad gratiam sine examine sermonem excipiat, neve ut inimicus illa quasi peregrina respuat; sed videat ubique num veritas dictis palmam tribuat.

II. « In principio, inquit, fecit Deus cœlum et terram[2]. » Hæc historia Moysis legislatoris opus est, et Spiritus sancti revelatio. Continet autem creationem Dei virtute factam, per propheticam vero gratiam Moysi revelatam. Non enim hæc Moyses ut historiographus dixit, sed ut propheta. Illa quippe dixit quæ non viderat, et illa narravit quorum spectator non fuerat. Ut enim pridem tria prophetiæ genera esse diximus, primum verbo, secundum opere, tertium opere et sermone ; sic et tres jam prophetiæ partes constituimus; prophetiam de præsentibus, prophetiam de futuris, et prophetiam de præteritis. Exempli causa, non

[1] 1 Cor. xii, 11. — [2] Gen. i, 1.

aderat Esaïas propheta iis, quæ sub Moyse gesta sunt : sed quia Spiritus Moysis erat in illo, qui ea ipsi revelaret, id prophetia erat. Est item prophetia etiam de præsentibus; ut si quis coram Propheta aliquid in animo versans, occultum ei esse velit, et Propheta ipsum arguat, ut Eliseus erga Giezi fecit, futura prænuntians et occulta revelans. Moyses quæ præterita erant aperuit : alii quæ futura. Ita igitur est huic historiæ attendendum, non ut narrationi, sed ut historiæ veræ, quæ per Spiritum sanctum prolata sit. Quis porro est Prophetæ scopus? Duo Moyses in proposito habet, et doctrinam edere, et leges sancire. Legislator enim cum sit, non tamen a legibus incœpit, sed a creatione. Cur autem primo voluit Deum ostendere creatorem et Dominum universi? Ut Deus esse demonstraretur, qui non alienis sed suis legem poneret. Nisi enim prius ostendisset eum mundi conditorem, non fide dignus habitus fuisset mundi legislator. Nam alienis legem dare violentum, suos autem instituere, consentaneum est. Quemadmodum Joannes Evangelista, non prius leges a Christo latas posuit, quam ejus dominatum dixisset his verbis : « In » principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et » Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine » ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, » et vita erat lux hominum [1]. In propria venit, et sui eum » non receperunt [2]. » Cum dixisset eum opificem et creatorem, tunc inducit illum doctorem et legislatorem universi. Rursum alius Moysis scopus. Cur beatus Moyses cœlum memoravit, terram, mare, aquas et ea, quæ ex illis sunt ; Angelorum autem, Archangelorum, Seraphim et Cherubim nullam mentionem fecit? Quia nimirum legislationem ad temporis illius conditionem aptabat. Noverat enim quibuscum loqueretur? cum iis, nempe qui ex Ægypto egressi

[1] Joan. I, 1-4. — [2] Ibid. 11.

erant, qui ægyptiacum errorem, solem, lunam, stellas, fluvios, fontes, aquas didicerant. Invisibilium ergo creatione relicta, de visibilibus verba facit, ut persuaderet eis, qui hæc adorabant, ut ne illa deos esse putarent, sed opera Dei. Non necesse namque erat, ut illis Angelorum et Archangelorum notitiam daret, ne rursum illorum ægritudinem aleret. Nam si etiamsi non viderent, Angelos tamen esse dixerunt; multo magis si audissent Angelos aut Archangelos, putassent illos esse deos. Sed cœlum memorat, terram, montes, aquas, et omnia quæ ex illis sunt, ut visibilibus invisibilem interpretetur, et ex operibus Opificem prodat. Sic ergo etiam tres pueri Babylone fecerunt. Quia enim apud gentem illam versabantur Deo inimicam, nec erat Dei cognitio; sed idola colebantur; in fornace cum essent, dicebant : « Benedicite omnia opera Domini Do»mino[1]. » Cur non dicebant, Angeli, cœli, terra, ignis, aqua, frigus, æstus, et similia; sed creatione sigillatim enumerant? Ut creaturam omnem ablluerent, et totum opificium mundarent, nullamque relinquerent impietatis scintillam. Quemadmodum etiam hoc loco Moyses ut omnem ægyptiacum errorem a Judæis eliminaret, cœlum et terram ut creata memorat : ut hæc facta esse ostenderet, et Opificem declararet. « In principio creavit Deus cœlum »et terram. »

III. Hic mihi animum adhibe. Ego miror quomodo Joannes et Moyses idem principium habeant. Nam hic dicit : « In principio creavit; » ille vero ait : « In principio »erat. » Verum et ille utiliter, et hic proprie. Ubi namque creatio erat, dixit Moyses : « Fecit; » ubi vero Creator, posuit Evangelista, « Erat. » Multum autem est discriminis et intervalli inter illud, « Fecit, » et illud, « Erat : » illud enim, cum ante non esset, factum est; hic vero semper

[1] Dan. III, 57.

erat. « In principio fecit, » et « In principio erat. » Dei est esse, creaturarum vero fieri, ut et Evangelista distinguit. Nam de Servatore ait : « In principio erat Verbum, et Ver- » bum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in » principio. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. » Sexies dixit : « Erat, » ut explicaret ejus existentiam. De famulo autem postquam prædicavit eum qui erat, et venit ad servum Joannem, dixit : « Factus est homo [1]. » Deus erat, homo autem factus est. Quod si de Servatore dicere audeant : « Servator etiam factus est, » nihil differet a terra. Animum adhibe, quæso ; si dicat hæreticus : « Christus factus erat, non erat antequam fieret ; » quid ergo plus habebit, quam terra ? Nam de terra quoque ait Moyses : « Terra autem erat. » Si igitur illud : « In principio erat, » de creatione intelligunt, non de æterna natura, nihil plus habet, quam terra. Et Deus Verbum erat, et terra erat : sed ille quidem in principio erat, non factus, semper existens : terra vero facta erat. Non enim prius dixit legislator : « Terra erat, » donec diceret : « In principio fecit Deus » cœlum et terram ; primum dixit : « Fecit, » postea vero, « Erat. » Scimus certe, fratres, has subtiles quæstiones multorum animis molestas videri. Verum oportet in die jejunii, cum vigilantiores animæ sunt, de altioribus verba facere. « In principio erat, » et « In principio fecit ; » ideo exordium par esse dixit : « In principio, » et « In principio ; » ut demonstretur unam esse pietatis radicem, quæ et illum, nempe legislatorem instituit, et hunc, Theologum scilicet, illuminavit. Germana quippe sunt duo Testamenta, uno Patre orta : ideo in sermone consentiunt : fere enim eadem imago, eadem similitudo est. Ac quemadmodum in germanis, uno patre ortis, similes sunt proprietates ; sic quia duo Testamenta uno Patre orta sunt, multam habent simi-

[1] Joan. 1, 4.

litudinem. Sane et in Veteri Testamento præcedit lex, et sequuntur Prophetæ, et in nova gratia præcedit Evangelium, et sequuntur Apostoli. Illic duodecim Prophetæ, et singuli sunt ex numero duodeno : duodecim sunt Osee et reliqui : quatuor, Esaïas, Jeremias, Ezechiel, Daniel. In Novo Testamento duodecim Apostoli, et quatuor Evangelistæ. Illic rursus prima vocatio Dei a fratribus cœpit : accepit enim Moysem et Aaronem primos præcones : in Evangelio quoque primam vocationem facit Petri et Andreæ. Et illic quidem simplex gratia, hic autem duplo auctior. Illic enim duo fratres vocati sunt, Moyses et Aaron ; hic autem bis duo fratres, Petrus et Andreas, Jacobus et Joannes. Quia voluit Servator eam, quæ secundum Spiritum sanctum est charitatem nobis insinuare, et fratres affectu simul et spiritu facere, fundamentum sumpsit naturam, inseruitque naturæ viscera, et in illa superædificavit fundamentum Ecclesiæ. Primum signum in Veteri fuit, mutatus in sanguinem fluvius ; primum signum in Novo fuit mutatio aquæ in vinum. Verum non est præsentis temporis totam similitudinem deinceps persequi : sed ad institutum revertamur. « In principio fecit Deus cœlum et ter» ram. » Sex dierum spatio fecit Deus omnia. Sed prima dies differt a sequentibus. Nam prima die fecit Deus ex non extantibus : a secundo autem die nihil fecit Deus ex non extantibus, sed ex iis, quæ prima die fecerat, mutavit ut voluit. Tu vero, his consideratis et exploratis, si veritatem deprehendis, assensum præbe ; sin non deprehendis, incusa, et accusationem admitto : id enim multam defensionis ansam mihi præbet.

IV. Primo itaque die creaturarum materiam fecit Deus ; reliquis vero diebus formam et ornatum creaturarum. Exempli causa, fecit cœlum, quod ante non erat ; non hoc cœlum, sed quod superius est : hoc quippe cœlum secundo

die factum est. Fecit Deus cœlum superius, de quo David : « Cœlum cœli Domino[2]. » Illud vero quasi supremum tabulatum est. Ac quemadmodum in domo duarum contignationum intercedit tabulatum medium : sic et Dominus, mundum creans ceu domum, medium tabulatum posuit hoc cœlum, et supra illudo aquas. Ide ait David : « Qui » tegis aquis superiora ejus[3]. » Fecit igitur cœlum quod ante non erat, terram quæ ante non erat, abyssos quæ ante non erant, ventos, aërem, ignem, aquam. Omnium, quæ facta sunt, materiam prima die fecit. Sed haud dubie dicet aliquis : « Scriptum est ipsum fecisse cœlum et terram; de aqua, igne et aëre non scriptum est. » Primo itaque, fratres, ex quo dixit cœlum et terram facta esse, ex iis quæ continent ea quæ continentur indicavit. Sicut enim cum dixit : « Fecit Deus hominem pulverem accipiens de terra[3], » opificium dixit, non membra enumeravit : neque dixit : « Fecit Deus oculos, et aures et nares, » sed hominem dicens, omnia simul membra comprehendit : sic cum dicit Deum fecisse cœlum et terram, cuncta complexus est, et una tenebras et abyssos factas induxit : nam « Tenebræ, inquit, » erant super faciem abyssi[4]. » Abyssus vero vocatur aquarum gurges. Quod autem etiam abyssi factæ sint, testificatur Scriptura dicens : « Antequam abyssos constitueret, » antequam terram crearet[5]. » Itaque factæ erant abyssi. Deinde aër quoque quandonam factus sit audi : « Et spiritus » Dei ferebatur super aquas[6]. » Hic non Spiritum sanctum dicit; non enim cum creaturis annumeratur id quod increatum est : sed spiritum vocat aëris motum. Ac quemadmodum in Elia propheta scriptum est : « Et cœlum con- » tenebravit in nube et spiritu[7]; » sic et hoc loco spiritum vocat aëris naturam. Demum superest ut ostendamus ubi-

[1] Psal. cxiii, 16. — [2] Id. ciii, 3. — [3] Gen. ii, 7. — [4] Id. i, 2. — [5] Prov. viii, 24 et 26. — [6] Gen. i, 2. — [7] 3 Reg. xviii, 45.

nam ignis factus sit : « Dixit Deus : Fiat lux[1], » et facta est ignis natura. Non solum enim hic ignis existit ; sed etiam supernæ Potestates ignis sunt : affinisque est supernus ille huic nostro igni. Quæritur autem cur hic extinguatur, ille vero secus. Quia Angelos fecit Deus spiritus, animasque nostras item spiritus ; sed animas nostras in corpore, Angelos autem extra corpora. Quemadmodum igitur in animabus et in Angelis, sic et in igne rem se habere cernitur. Ignis supernus sine materia, ignis infernus cum materia. Cœlestis enim ignis his est affinis, sicut et anima nostra affinis est Angelis : ut illi spiritus sunt, sic et hæ sunt spiritus, ut etiam tres pueri dicunt : « Benedicite spiritus et » animæ Justorum[2] ; » ac rursum : « Qui facit Angelos suos » spiritus[3]. » Neque igitur anima sine corpore apparet, neque ignem sine stuppa vel sarmento vel alia materia videre est. Ut autem ostendatur hunc ignem non esse alienum, id docet ipsa natura. Multi namque sæpe ex sole ignem mutuantur et accendunt : si autem alienus esset, quomodo alienum ex ipso acciperetur. Alioquin tam ingens in cœlo ignis est sine materia, ut in monte Sina ignis appareret, absque lignis subjectis : sed ex ipso materiæ experte igne, ad spectaculum eduxit Deus, ut quispiam dixerit parvum esse hunc ignem cum illo ingenti comparatum. Sic itaque ait Moyses : « De cœlo auditam fecit Dominus vocem suam, » et ostendit Deus ignem suum magnum[4] ; » ut demonstraret hunc esse parvum. Omnia itaque ignis sunt, et fulgur, et stellæ, et sol, et luna, illisque noster ignis affinis est. Et vide quam affinitatem habeant ἀστραπὴ et ἀστέρες, fulgur et stellæ, vel ex ipso nomine : ἀστραπὴ et ἄστρα, fulgur et stellæ. Servator autem ut ostenderet ignem et fulgur similia esse, ait in Evangelio : « Lucerna corporis est oculus. Si oculus

[1] Gen. I, 3. — [2] Dan. III, 86. — [3] Psal. CIII, 4. — [4] Deut. IV, 36.

» tuus fuerit lucidus, totum corpus tuum lucidum erit[1]. » Hæc Servator. Deinde subjungit : « Ut cum lucerna fulgure » illuminat te[2]; » lucernæ fulgur vocans lucernæ fulgorem (3).

V. Omnia igitur facta sunt : ignis factus est, abyssi factæ sunt, venti, quatuor elementa, terra, ignis, aqua, aër. Nam quæ omiserat quasi hic resumit Moyses dicens : « Sex » diebus fecit Deus cœlum et terram, et omnia quæ in eis » sunt[3]. » Quemadmodum autem corporis non omnia membra dixit; sic ea, quæ ad creationem spectant, non enumeravit, etiamsi omnia cum mundo sint condita. Si porro non esset ignis in terra, non hodie ignem ex petra educerent, non ex ligno; collisum quippe lignum ignem emittit. Animum ergo diligenter adhibe : « Tenebræ, inquit, erant super » faciem abyssi[4]. » Ergo ne, inquies, Deus tenebras fecit? Scimus altam esse sententiam : sed quia in cœtu sæpe sumus, eorum, quorum pars amico audiunt animo, pars vero reprehendere satagunt, necesse est verbum non sine examine relinquere, ne post magna promissa, exigua præstemus. Undenam ergo tenebræ? Nam Deus, inquiunt, has non fecit : Deus enim, aiunt, neque tenebrarum neque caliginis opifex est. Quid igitur sunt tenebræ? Multi dixerunt esse cœli umbram. Nam, aiunt, cum cœlum superius conditum est, cum superna lumina nondum essent, nudata erat terra, et factæ sunt tenebræ. At cœlum supernum lucidum est, non tenebrosum; atque etiamsi non haberet solem, lunam et stellas, ipsam naturam per se splendentem haberet. Si ergo cœlum imminebat, terraque expansa erat, illudque superne lucebat, et hæc lucem excipiebat, undenam tenebræ? Mihi certe videtur, quoniam aqua terræ superficiem tegebat, nebulaque et caligo circa aquas consistebat, quod etiam nunc evenire solet in fluminibus, obscuritatem illam caliginem excitasse, nubesque fecisse,

[1] Matth. VI, 22. — [2] Luc. XI, 36. — [3] Exod. XX, 11. — [4] Gen. 1, 2.

ac nubes obumbrantes tenebras induxisse. Quod autem nubes tenebras excitet, id dicit Scriptura : « Et cœlum ob-» tenebratum est in nubibus[1]. » Hæreticorum autem allegoriæ non ignorandæ sunt. Quidam hæretici dicere ausi sunt tenebras esse diabolum, abyssum vero dæmonas : quando autem dixit Deus : « Fiat lux, » id est, Filius, aiunt : non modo ergo illi honore par est diabolus, sed etiam illo senior. Verum hanc impietatem ne commemorare quidem par est : sed ideo protulimus, ne ea quæ dicta sunt ignoraretis. Tenebræ ergo tunc illæ ex nubibus erant[2]. Sic enim in Ægypto quoque tenebræ erant, non quod nox esset, sed quod caligo esset inducta[3]. Sic et in monte Sina factum est; tenebræ erant non ex nocte, sed nube obumbrante. Sic etiam in cruce Christi tenebræ factæ sunt, non adveniente nocte, sed umbra et obstructione facta. Ita non oportet divina eloquia temere aggredi : « Et spiritus Dei su-» perferebatur super aquam[4]. » Spiritum vocat ventum, ut alibi dicit : « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis[5] : » Spiritum vocans aëris motum. Ne putes enim aliud esse aërem, et aliud ventum : ipse quippe aër concitatus ventum facit, ut experimento comprobatur. Sæpe igitur flabello aut sindone tranquillum aërem commôvemus, et ex aëris motu ventum facimus. Ut ergo ex ipso spiritu demonstraretur ventum esse aëris motum, hac de causa dixit : « Su-» perferebatur. » Proprium enim vento est ut superferatur creationi. « Dixit Deus : Fiat lux. » Cur non dixit Moyses : Dixit Deus : Fiat cœlum, fiat mare, sed ibi quidem, « Fe-» cit, » hic vero : « Dixit; » quandoquidem apud nos sermo præcedit opus : nam primo dicimus, deinde facimus? Ostendere volens Deum primo facere; ut omni sermone velociorem creationem esse demonstret; quando materiam

[1] 3 Reg. xviii, 45. — [2] Exod. x, 21. — [3] Deut. iv, 11. — [4] Gen. i, 2. — [5] Psal. xlvii, 8

virtute sua creat, dicit illud : « Fecit; » quando autem omnia Deus ornaturus erat; ornatus autem hujusmodi principium lux erat; tunc inducit concinnum sermonem. Et quia rursum primum Dei opus lux, postremum vero homo fuit : primo Deus lucem operatur verbo, postremo hominem opere, a luce in lucem desinens.

VI. Quomodo autem homo lux sit audi. Lux res ostendit : lux mundi homo est : ingressus ostendit tibi lucem artis, lucem scientiæ. Lux ostendit frumentum, intelligentia panem fecit ; lux ostendit vineæ uvam, lux intelligentiæ exhibuit vinum, quod in uva continetur; lux monstravit lanam, lux hominis exhibuit vestem ; lux ostendit montem, lux intelligentiæ exhibuit lapicidinam. Ideo Servator lucem vocat Apostolos his verbis : « Vos estis lux mundi. » Cur illos lucem vocat? Non ut illos afficiat honore tantum : sed etiam ut spem resurrectionis ostendat. Quemadmodum enim lux vespere occidens non perit, sed absconditur, et postquam occulta fuit, rursum apparet; sic et homo velut in occasum quemdam in sepulcrum demissus, resurrectionis rursum ortui servatur. « Fiat lux. » Dixit factam esse, quo autem modo non declaravit ; neque etiam didicit. Nam quod lux facta sit, inquit, bene novi : quomodo autem facta sit non capio. Ideo Servator Apostolis dicebat : « Non vestrum est » nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua po- » testate[2]. » Atqui non est nostrum nosse tempora vel momenta, et Dominum temporum opificemque sæculorum poterunt humana ratiocinia comprehendere ? « Dixit Deus : » Fiat lux, et facta est lux[3]. » O sanctam illam magnamque potentiam ! o ingentia miracula ! « Facta est lux : et vocat Deus lucem, diem : et tenebras, noctem. » Cur porro diem ἡμέραν vocat? Quoniam quidquid lætum et hilare, ἥμερον sive dulce dicitur. Ideo etiam benignitatem, ἡμερότητα

[1] Matth. v, 14. — [2] Act. 1, 7. — [3] Gen. 1, 3.

vocamus, et cicures animantes ἡμέρας dicimus. « Et vocavit » Deus lucem, diem, et tenebras vocavit noctem [1]. » Noctem quare? Quia noctu dormientem hominem in mortis memoriam revocat propemodum dicens : « Disce, homo, quid sis. Mortalis es, somni virtuti addictus : cur ea, quæ supra te sunt, imaginaris? » Nox enim compunctio est: quamobrem ait David : « Quæ dicitis in cordibus vestris, in cu» bilibus vestris compungimini [2]. » Vere jacet homo noctu, neque mortuus, neque vivus. Interroga hæreticum : Quid est? Vivus-ne an mortuus? Si dixerit, Vivus, repone illi : Cur ergo nec loquentes nec ambulantes sentit? si dixerit, Mortuus, tu dicito : Quomodo ergo respirat? quod enim respirat, non est mortuum : quod non sentit, non est vivum : teipsum non vides, sed quæ supra te sunt imaginaris. Verum hæc satis circa primam diem dicta sint. Venit quippe vespera, ut etiam illic quæ ad primam diem spectant desinunt, et pro facultate, etsi profundos sensus, explicavimus tamen. Porro fidelium est dicta explorare, et historiam disquirere.

VII. Nos autem sacri jejunii alumni, et in abstinentia corporea deliciis fruentes cœlestibus, sanctum jejunium servare conemur : « Sanctificate, inquit, jejunium [3]. » Nos-ne illud sanctificamus, an ab illo sanctificamur? verum id dicit Propheta, ut illud sanctum custodiamus. Quemadmodum enim cum precando dicimus : « Sanctificetur nomen » tuum [4], » non pro nomine ejus precamur ; nomen quippe ejus omnia sanctificat ; sed quia nomen ejus invocatum est super nos ; Christiani enim a Christo dicimur, ait : « No» men tuum in nobis sanctificetur. » Apud sanctum enim omnia sancta sunt : ad Deum quippe nihil non sanctum accedit. Sanctus enim Deus est, in sanctis quiescens ; quin etiam cœlum ejus sanctum est : « Nam exaudiet

[1] Gen. I, 5. — [2] Psal. IV, 5. — [3] Joël. I, 14. — [4] Matth. VI, 9.

» illum de cœlo sancto suo [1]: » Angeli quoque sancti : « Cum » venerit filius hominis in gloria sua cum sanctis Angelis » suis [2] : » Terra in qua Dei cultus sancta : « Et volet, inquit, » evertere testamentum super terram sanctam ejus [3]. » Et David aula sancta est : « Adorate Dominum in aula sancta » ejus [4]. » Esaïas quoque « Templum sanctum [5] » dicit : « nam » Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate [6]. » Oves quoque rationis expertes, quæ tunc immolabantur, sanctæ erant : « Ut oves, inquit, sanctæ in Jerusalem [7]. » Testamentum quoque sanctum : « Et confirmabit cum mul- » tis testamentum sanctum suum. » Urbs ipsa quoque sancta dicebatur : « Et super civitatem sanctam patrum nostro- » rum Jerusalem [8]. » Nihil quippe non sanctum accedit ad Deum. Ideo ait Paulus : « Et sanctimoniam, sine qua nemo » videbit Deum [9]. » Jejunavimus a pane, jejunemus et ab iniquitate. Non comedis panem? ne comedas carnes pauperum, ne de te quoque dicat Deus : « Qui devorant ple- » bem meam in cibo panis [10]. » Non bibis vinum? Ne furor inebriet te, ne audias a legislatore : « Furor illis secundum » similitudinem serpentis [11] ; » ac rursum, « Furor draconum » vinum eorum [12]. » Cum enim pauperem affixeris ita ut ingemiscat, is apud Deum inventus est comedens panem lacrymarum. Ideoque ait Deus : « Operiebatis lacrymis al- » tare meum [13]. » Reprehendit-ne ergo Deus eos qui ploraverant ad altare, qui dicit « : Sacerdotes intrate, et plorate [14]? » Verum reprehendit eos, non quod flerent, sed quod ii, qui injuriam passi essent, pupilli et viduæ, illic ad altare supplicarent. Utque ostendat se de illis sermonem habere, subjunxit : « In fletu, et planctu et dolore [15]. » Insuper æquum

[1] Psal. XIX, 7. — [2] Matth. VIII, 38. — [3] Luc. IX, 26. — [4] Psal. XCV, 9. — [5] Isaï. LXIII, 15. — [6] Psal. LXIV, 5, 6. — [7] Ezech. XXXVI, 38. — [8] Dan. IX, 24-27. — [9] Hebr. XII, 14. — [10] Psal. XIII, 5. — [11] Id. LVII, 5. — [12] Deut. XXII, 33. — [13] Malach. II, 13. — [14] Joël, I, 13. — [15] Id. II, 12.

est ut ad hostias nostras animum adhibeamus. Proponitur ergo mensa animæ, nempe Dei verbum. Corpus jejunio sanctificatur, anima cibo expers corrumpitur. Utinam corpus jejunet a peccatis, anima vero in divinis documentis convivetur. Non potes comedere panem Christi, et panem lacrymarum, ut ait Paulus : « Non potestis participes esse » mensæ Christi, et mensæ dæmoniorum [1]. » Debet ergo is qui jejunat abstinere a cibo, sed præcipue a peccatis. Etenim Angeli quotidie notant quis proposuerit abstinere ab avaritia, aut a fornicatione, aut ab iniquitate. Hæc quippe jejunia et Angeli perscribunt, et Deus in thesauro recondit. Quemadmodum enim, fratres, illi viri primarii, qui a libellis supplicibus sunt, imperatori cuncta declarant; sic et Angeli ea quæ fiunt omnia Deo significant, non ignorantem docentes, sed ministrandi ordinem creaturæ implentes. Ego sexcenties beatiorem prædicaverim comedentem, quam jejunantem et inique agentem. Hæc dico non jejunium solvens, sed pietatem prædicans. Non enim comedere malum, sed peccare pravum est, quemadmodum dicit Deus de Justo quodam : « Pater tuus nonne comedit, et vo- » luntatem meam fecit ? » sic et alibi, « Jejunium quartum, » et jejunium quintum, et jejunium decimum, erit vobis » in gaudium et in lætitiam et in solemnitates bonas, et ve- » ritatem diligite [2]. » Sed illuxit lux sensilis, ut lucis Opifex prædicaretur. Advenit vespera diei cursum obsignans. Bonum principium, finis addatur. Ne male repellas ; sed audi Davidem : « In finem, ne corrumpas [3]. » Deus autem lucis hujus vos omnes illuminet, verbo, lege, fide, justitia, castitate, in Christo Jesu Domino nostro, per quem et cum quo Patri gloria simul cum Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Cor. x, 21. — [2] Zach. VIII, 19. — [3] Psal. LXXIV, titulus.

ORATIO II.

In secundum diem creationis, et adversus eum qui sibi dixerat non oportere nos Christianos in sanctificatione dicere : Deus Sabaoth.

I. Animi desiderium excitat divinus sermo, et quasi lucernam quamdam ipsi gaudium circumponit, ut et ratiocinia illustret, et mentem exhilaret, et peccata abstergat, et sensa illuminet. Hujusmodi est Dei sermo. Nam quod est cos ferro, id animæ Dei sermo. Cos non unam solum rem ferro confert : nam primo ipsum præparat, ut rubiginem respuat, deinde crassum extenuat, obtusum acuit, obscurum reddit lucidum, absersum, nitidum, acutum. Sic se habet Dei sermo : efficit ut anima rubiginem peccati respuat, obtusam illam acuit, crassam subtilem reddit, obscuram splendore afficit. Vult autem Dei sermo nos splendidos esse secundum Apostoli affectum dicentis : « Ut sitis sicut luminaria in mundo, verbum vi- » tæ continentes [1]. » Ecce splendorem. Vult nos esse non obtusos, sed acutos : nam « Vivus, inquit, est sermo Dei » et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti [2]. » Vult nos non crassos esse, sed cogitationibus mentem subtilem reddere. Ubi enim crassities, ibi aliena a Dei verbo mens est; ubi autem subtilis est, apta legi divinæ efficitur. Ideo de crassioribus dicit Scriptura : « Et comedit Jacob, et sa- » turatus est, et impinguatus, incrassatus, dilatatus est : » dereliquit Deum factorem suum [3]. » Age ergo nostram quoque Dei sermo illustret mentem, maxime proposito jejunio,

[1] Philip. II, 15. — [2] Hebr. IV, 12. — [3] Deut. XXXII, 15.

quod extenuat corpora, et mentem exacuit. Est enim abstinentia jejunii omnis sanctificationis nutrix, et mater piæ mentis. Non quæritur quomodo jejunemus tantum, sed quam pie jejunemus. Multi ob publica rerum negotia jejunant; sed non reputatur eis in jejunium. Scopus enim judicatur, non necessitas coronatur. In hoc sancto statu beatus Moyses in monte et legem docebatur et creationem. Diximus ergo hesterna die Deum, cum legem per Moysem daturus esset, primo se creatorem ostendisse, ac deinde legislatorem. Quomodo poterant Judæi credere Deum fecisse cœlum, et terram, et omnia quæ in eis sunt, nisi prius miracula edidisset in Ægypto, quæ ipsum esse orbis creatorem comprobarent? Docemus nos, ut suadeamus: Deus suadet, ut doceat. Quia Moyses expositurus dicturusque erat Deum fecisse cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, nisi prius mirabilia patrasset in Ægypto, et demonstrasset ipsum esse omnium rerum creatarum opificem, non creditur erat populus Deum fecisse cœlum et terram. Extendit prius Moyses manus suas in cœlum (4), et demisit grandinem et ignem; didicitque populus per fidelem servum illam mortalem dexteram, verbo Dei motam, cœlum turbavisse, et creaturam commiscuisse, multoque potiori ratione Dei jubentis dexteram firmavisse cœlum et fundasse terram. Nemo enim creaturam movet, qui non auctor ejus sit. Ostendendum ergo erat Deum fecisse terram; extendit Moyses manum in terram et exierunt sciniphes. Demonstrandum denuo erat Deum fecisse ignem; accepit Moyses favillam de fornace, et sparsit, et Ægyptiorum corpora replevit ulceribus flammæ instar ferventibus. Ostendendum erat Deum fecisse aquam; mutata est aqua in sanguinem. Monstrandum erat fecisse mare; ut petra stetit, et transivit populus. Primo itaque per opera ostendit eum esse Dominum, deindeque verbis edocuit esse opificem.

II. Sic etiam Servator in Evangelio non ante docuit, quam miracula patrasset. Primum signum, mutavit aquam in vinum; nec ante illud apparet eum docuisse : oportebat enim præcedere opus, et verbum sequi. Ideoque et scriptor ille ait : « Primum quidem sermonem feci de omnibus, » o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere [1]. » Quomodo docuisset Servator se opificem esse mundi? nisi oculos cæci illuminasset, nulla fides ei habita esset dicenti : « Ego sum lux mundi [2]. » Nisi Lazarum suscitasset, non credidissent auditores dicenti : « Ego sum vita et resurrectio [3]. » Nisi spuens in terra lutum fecisset, ac cæcum linivisset, non creditum fuisset ipsum esse qui, accepto de terra pulvere, Adamum formaverat. Nisi ambulasset super mare, non visus esset dominus maris. Nisi increpasset ventum, non demonstratus esset dominus ventorum. Quamobrem homo quidem videbatur, per miracula autem ut Deus notus et inclitus erat. Servator itaque Discipulos obstupefecit, et dicebant : « Qualis est hic, quia venti et mare obediunt » ei [4] ? » Ostendit primo elementa sibi obsequi, et postea verbis docuit omnia per ipsum facta esse. Ostendit primo illa sibi obsequi. Nisi prius creaturam ipsi obsequi ostensum fuisset, non fides habita esset Joanni Evangelistæ dicenti : « Omnia per ipsum facta sunt [5]. » Quomodo creditum fuisset Apostolis, rudi lingua loquentibus, cum de Deo Verbo affirmarent, creatore, Servatore, sapientissimo, doctore : verum Apostolorum lingua erant miracula; os Apostolorum erat mortuus suscitatus, claudus ambulans. Quod autem miracula sequatur fides, testificatur Scriptura dicens : « Per manus enim Apostolorum fiebant signa » magna et prodigia in plebe [6]. Stupebant autem omnes, » magisque augebatur quotidie virorum et mulierum multi-

[1] Act. 1, 1. — [2] Joan. IX, 5. — [3] Id. XI, 25. — [4] Matth. VIII, 27. — [5] Joan. 1, 3. — [6] Act, V, 12.

» tudo [1]. » Prælucebant miracula, et sequebantur dogmata. Sic et in lege, præibant miracula in Ægypto, quæ probarent Deum esse creatorem. Deus autem, bonus cum esset, noluit ipse solus honorari, sed cum Moyse gloriam partitus est. Quia enim Deus ex operibus suis apparuit, Moyses quoque cum gloria ipsi collāta visus est [2]. Cum enim descenderet legem tenens ,ne ipsum tanquam simplicem hominem respicerent, Deus ejus vultum gloria replet; ut quod ex infirmitate naturæ deficiebat, per gratiæ plenitudinem impleretur. Cogitabant enim vultum gloria affectum non esse a Deo alienum. Ita quoque Servator vultum Stephani primi Martyris splendere curavit. Cur vultum Stephani splendere curavit? Quia ut blasphemus lapidandus erat, cum diceret : « Video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a » dextris Dei [3]. » Antevertens Deus angelica forma faciem ejus coronavit, ut ingratis monstraret non gloria afficiendum fore, si blasphemus esset. Heri ergo diximus Deum primo die ex non extantibus fecisse omnia. Quodque mirum est, opera non modo creationem Dei ostendunt, sed etiam hæreticorum impietatem coarguunt. Quæro namque quomodo facta sunt ea, quæ non erant, quia ipsi de eo, qui erat, quærunt quomodo genitus sit. Si non erant illa non extantia, dicant quomodo facta sint. Quod non est, non efficitur secundum humanum ratiocinium; non item secundum divinam virtutem. Aliquando dicit hæreticus : « Dixit Deus, et facta sunt. » Sed nunc rem dixisti, non modum. « Dixit » Deus : Fiat lux : » factum est id quod non erat. Sermo in rem mutatus est; puta, ipsa vox egressa, facta est lux. Ergo non est ex non extantibus, sed ex existente. Quis enim ausit dicere verbum non extare? ergo nihil fecit ex non extantibus, sed ex illo : sicque reperiuntur creaturæ ipsi consubstantiales, et quod de Filio di-

[1] Act. II, 7. — [2] Exod. XXXIV, 29. — [3] Act. VII, 55.

cere refugiunt, id creaturis ascribunt. Verum rursus arctati dicunt : « Voluntas Dei ea quæ non erant effecit, atqui voluntas id quod non erat producit ; natura autem id quod erat non gignit. » Ac mirabile utique est. Exempli causa loquor : Suppone mihi fontem et petram : quid facilius aquam gignere potest, an fons, an petra? Fons si genuerit, ex iis, quæ habet, profert ; petra vero ex iis quæ non habet. Ergo id quod non erat petra genuit ex iis quæ non habebat : et fons quem in se fontem habebat non genuit. Et quomodo facta sunt quæ non erant? Num id casu et per se accidit ? Id quod non erat, nomen est, nihilque aliud ? Quia dico, ex non extantibus, ne ideo existimes id quod non extat aliquid esse. Ergo cum non possis dicere quomodo id quod non erat, ex non extante seu ex nihilo factum sit, audebis-ne curiosius inquirere quomodo is qui erat ex eo qui erat genitus sit ? Omnes creaturæ non erant ab initio, et factæ sunt : Unigenitum Verbum et creator mundi, non factus est ab initio, sed erat. Hæc non erant, et facta sunt? hic erat in principio non factus ; hæ vero factæ sunt in principio, cum non essent.

III. « Terra autem, inquit, erat invisibilis [1]. » Quid est, « Invisibilis? » Novi multos sanctorum Patrum dixisse : « Invisibilis erat terra, quoniam aqua occultabatur. » Multæ sunt sententiæ piæ quidem, sed non veræ. Exempli causa, tres amici Jobi, cum illum in ærumnis viderent, sanctum virum damnarunt, quasi justa patientem, dicebantque : « Nisi viduas afflixisses, nisi pupillos oppressisses, nunquam » tibi Deus hæc inflixisset [2]. » Et tamen quia Dei propositum ignorabant, maluerunt hunc damnare quasi justa patientem, quam Deum, ut injuste mala inferentem. Dei causam agebant, et tamen Deus illos coarguit : « Quare non locuti » estis recta adversus servum meum [3]. » Est igitur sententia

[1] Gen. 1, 2. — [2] Job, XXII, 9, 10. — [3] Id. XLII, 7.

pia quidem, sed non vera. Quid est igitur, « Terra autem » erat invisibilis et incomposita? » Interpretes clare exposuerunt. Ait enim Aquila : « Terra autem erat inanitas et nihil. » Invisibilis autem dicitur, non quod non appareret, sed ut quis dixerit, inornata. Nondum erat læta plantis, nondum fructibus coronata, nondum fluviis et fontibus cincta, nondum aliis variisque ornamentis decora, eratque invisibilis, nondum instructa gignendi facultate. Ait Scriptura de quodam viro forti et formoso : « Nonne hic percussit virum » Ægyptium visibilem [1] ? » Num est ergo vir invisibilis ? Sed dignus est, inquit, qui suspiciatur. Quemadmodum igitur Ægyptium dixit virum visibilem, seu dignum spectaculo ; sic terram informem invisibilem dixit. Secundo die dixit Deus : « Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit dividens » inter aquam et aquam [2]. » Fecit igitur hoc cœlum, non vero cœlum superius, sed illud quod videtur, ex aquis nempe crystalli instar concretis. Velim rem tibi in conspectum dare : multa enim ex visu nostro melius quam verbo traduntur. Hæc aqua supra terram eminebat, verbi causa, cubis triginta Tunc dixit Deus : « Fiat firmamen- » tum in medio aquæ : » demumque in medio aquarum concretio in crystalli morem fuit, levavitque mediam partem aquæ sursum, mediam vero inferius reliquit, sicut scriptum est : « Fiat firmamentum in medio aquæ, et erit » dividens inter aquam et aquam. » Cur autem illud firmamentum vocat ? quia nimirum ex rariore et dissoluta aquarum substantia illud firmavit. Ideo David quoque ait : « Laudate eum in firmamento virtutis ejus [3]. » Et ut alio utar exemplo ; quemadmodum fumus, cum ex lignis et igne emerserit, rarior est atque mollior ; cum autem in sublime ascenderit, in nubis densitatem mutatur : sic aquarum illarum rariorum naturam in sublime ductam Deus

[1] 2 Reg. xiii, 21. — [2] Gen. i, 6. — [3] Psal. cl, 1.

fixit et consolidavit. Rem autem esse veram testificatur Esaïas dicens : « Cœlum ut fumus firmatum est [1]. » Cœlum itaque in medio aquarum concretum dimidiam aquarum partem in sublime levavit. Cur autem aquæ illæ supernæ, et cui usui ? an ut quis bibat, an ut quis naviget ? Nam aquas superne positas esse testificatur David dicens : « Et » aqua quæ super cœlos est [2]. » Animadverte jam Creatoris sapientiam. Crystallinum erat cœlum ex aquis concretum : quia enim solis flammam suscepturum erat atque lunæ, necnon infinitam stellarum multitudinem, futurumque erat ut totum igne repleretur ; ne ex calore nimio solveretur aut ureretur, dorso cœli constravit illa aquarum maria, ut ejus dorsa emolliret atque liniret, et sic posset resistere flammæ, nec torreretur. Exemplum in manu habes : si hodie lebetem igni imposueris, si aquam habeat, igni resistit ; sin non habeat, dissolvitur ; sic Deus igni adversariam posuit aquam, ut perdurare posset, ex aquis sursum illud linientibus. Ac vide rem miram : tantum abundat humida substantia cœlesti corpori imposita, tanto licet adversante igne, ut etiam terræ commodet. Nam unde ros ? Nubes nusquam est, aër aquam non habet ; nempe cœlum ex superabundanti aqua distillat. Ideo Isaac patriarcha cum Jacob benediceret, dicebat : « Det tibi Deus de rore » cœli et de pinguedine terræ [3]. »

IV. Aiunt vero, fratres, in die judicii recessuram aquam illam supernam, cœlumque solutum iri, cum non ultra habiturum sit illam aquarum molem, et fore ut stellæ cadant, cum nec viam nec stationem ultra habituræ sint. Hæc porro non temere dicimus ; sed Scriptura docet : « Cœlum enim convolvetur ut liber [4], » nempe adustum : quod enim aduritur, convolvitur : « Et stellæ cadent sicut

[1] Isaï. LI, 6. — [2] Psal. CXLVIII, 4. — [3] Gen. XXVII, 28. — [4] Isaï. XXXIV, 4.

» folia vitis[1]. » Attende, quæso, et alium usum. Aquæ illæ, quæ super cœlos sunt, non modo cœlum conservant, sed etiam flammam solis et lunæ emittunt. Si enim pellucidum esset cœlum, omnis ejus splendor sursum curreret, ignis quippe cum sursum tendat, terram desertam relinqueret. Idcirco igitur totum cœlum superius immensis aquis addensavit, ut splendor coactus infra descenderet. Vide Artificis sapientiam. Habes autem in teipso sapientiæ Artificis imaginem; fecit quippe Deus etiam in te quatuor elementorum effigiem. Animadverte, quæso : cogita mihi caput hoc esse cœlum superius; quæ supra linguam sunt, cœlum alterum, id est firmamentum : indeque est, quod οὐρανίσκος, sive parvum cœlum vocetur. Superius in locis abditis cerebrum, quod non videtur; inferius lingua, quæ sub aspectum cadit. Quemadmodum igitur cœlum superius in invisibilibus est, mundus vero in locis de quibus loquimur : ac quemadmodum in elementis terram comperis esse gravem, aquam vero terra leviorem, igne graviorem; rursumque aërem aquis leviorem, igne graviorem; sic et in nobis sensus, gustus, odoratus, auditus, visus, nec omnes similes sunt. Rem comproba : si velis aliquid gustare, nisi linguæ admoveas, nullo gustus sensu afficeris. Crassior quippe sensus est, nec potest procul percipere. Olfactus vero procul percipit; exempli causa, per domum transis, odoris fragrantiam percipis, quam non vides. Rursus visus olfactu celerior est; videt enim ex monte latam planitiem. Visu rursus mens acutior : cœlum cogitat, terram, mare, et ubique invenitur. Ideo imago Dei mens est. Mens cogitat, moxque in se fora creat, turbam sibi depingit, et populum. Erubescant hæretici : mens talia operatur, et mentis Artifex, omni olfactu subtilior, non celeriorem habet operationem, non promptam creandi vim, non incomprehensibilem naturam? Volo autem, fratres, rem vobis dicere insolentem qui-

[1] Isaï. XXXIV, 4.

dem quantum ad impietatem, sed fidei consonam, quantum ad examen; ut discatis quanta et quam nova moveat diabolus, quanta reperiat, quanta suggerat hæreticis, vel hi potius diabolo. Hodie quispiam hæreticus, præsentibus sanctis viris et patribus, nos conveniens dicebat: hæc dico autem, ne res aliter audita, aliter feriat: « Pater, aiebat, et Filius et Spiritus sanctus una divinitas, una virtus, unum regnum. Oportet autem, inquit, auferre ab animo, non enim ab altari dico, ne in sanctificatione dicatur: « Sanctus, » Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. » Nisi illud, inquit, abstuleritis, Christiani non estis. » Vidisti-ne tantam audaciam, tantamque diaboli insaniam? vidisti-ne radicem adversantis Deo impietatis? vidisti-ne magnitudinem blasphemiæ? Pietatis caput voluit amputare, enervare mysterium, fidem abolere, ejus fundamenta eruere. Et vide diaboli astutiam: persuasit ei ut diceret: « Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, una fides, una virtus, unum regnum. » Venenum melle temperavit. Semper enim mendacium, cum vult sibi fidem haberi, nisi fundamentum posuerit apparentis veritatis, ut falsum rejicitur; et qua ratione audi; nihil quidem simile, dicam tamen. Rahab meretrix cum excepit exploratores, interrogata: « Ingressi » sunt ad te viri [1]? » respondet: « Etiam; » hoc primum verum est: « Sed exierunt [2], » inquit; hoc secundum falsum. Si dixisset: « Non egressi sunt, » domum perscrutati essent. Dixit verum, ut fidem conciliaret: falsum addidit, ut deciperet. Ita et iste, nobis interrogantibus; Cur sanctificationem detruncabimus? Dicitis, inquit, « Dominus Sa- » baoth. » Atqui non est nomen Dei, non est Christi, neque Patris. Vidisti-ne os vile et impurum? Ignoravit, nempe ob inscitiam, Sabaoth non esse nomen Dei, sed nomen exercituum; id est, Dominus virtutum. Causam autem

[1] Jos. II, 4.

dico : sed ante finem quid fausti evenerit annuntio : pœnituit, procidit, anathema dixit, precatus est, receptus est.

V. Attende igitur : quia sermo incidit, operæ-pretium est nos causam dicere, ob quam beatus Esaïas hanc sanctificationem Deo emissam audivit. Esaïas erat vir mirabilis, zelo plenus, vir audax, audax non procacitate, sed zelo. His temporibus fuit rex, Ozias nomine : is cum regia majestate sacerdotium etiam invadere tentavit. Sacerdotes quid inde sequeretur noverant : regi tamen plurimum reluctari noluerunt : dignitatem reveriti, solium honore prosecuti sunt, exercitus timuerunt. Ipse quoque Esaïas tacuit; non obstitit regi. Ut vidit Deus sacerdotes formidolosos, nutantem Prophetam, regem audacter aggressum, immisit ei lepram in vultum, utpote qui sancta attingere ausus esset : atque expulsus demum ille est; non modo a sacerdotio, sed etiam a regno, et leprosus mansit. Deus porro quod suum erat præstitit, indignatus autem est in sacerdotes, maximeque in Prophetam, quod præsens cum esset, pietatem prodidisset. Deus itaque erga Prophetam silentium servabat; nec verba cum eo fecit, donec iniquus ille moreretur. Cum autem obiisset impius ille, tum Deus, posita indignatione, Prophetæ conciliatur (5). Ait itaque Esaïas : « Et factum est in anno in quo mortuus est rex » Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum et » elevatum[1]. » Cur vero Deus apparuit super solium excelsum et elevatum? Quia invisibilis est Deus : rex autem visus metum incussit; Prophetæ cœlestem gloriam exhibuit, ut ostenderet ei, quo solio despecto, quod solium honorassent : quod satellitium, nempe cœleste et angelicum non honorantes, neque cogitantes, humanum satellitium metuissent. « Et erat, inquit, domus plena gloria » ejus : et Seraphim stabant in circuitu ejus[2]. » Cherubim

[1] Isaï. VI, 1. — [2] Ibid.

solium, Seraphim satellitium sunt. Cherubim namque nihil aliud significant, quam sapientiam plenam. Quemadmodum autem hoc solium, sive aliud quodvis quietem præbet sedenti, estque honori simul et quieti; ita et Dei solium sapientia, in qua Deus requiescit : ideo David ait : « Qui sedes super » Cherubim [1] : » ac si diceret : « Qui in plena sapientia quiescis. » Ideo Cherubim plena sunt oculis, in dorso, in capite, in pennis, in pedibus, in pectore, et tota oculis plena erant. Quoniam sapientia undique conspicit, et undique apertis est oculis. « Sex alæ, inquit, uni, et sex alæ uni. Et duabus » quidem tegebant vultum, et duabus pedes, et duabus vo- » labant. Et clamabant alter ad alterum : Sanctus, Sanc- » tus, Sanctus Dominus Sabaoth [2]; » hoc est, « Dominus exer- » cituum. Sex alæ uni, et sex alæ uni. » Octo silentium tenent, et quatuor clamant. Quid ergo docet nos Scriptura? Ne omne ratiocinium moveamus circa Deum; sed alia silentio prædicemus, alia fide glorificemus et divina dicamus. Cur autem pedes obtegunt et caput? Quia nec principium nec finis reperitur : duabus tegunt caput et duabus pedes; nempe duabus mediis pennis volant, non superioribus, nec inferioribus. Nos enim de Deo loquentes, media declarare oportet : quod nempe sit Deus, quod creator, quod dominus, quod beneficus. Hæc omnia media sunt. Si dicas : « Quomodo genuit? » caput detexisti, quod Cherubim tegunt. Si porro dixeris : « Ubi est Dei finis? » pedes nudasti, quos tegunt Cherubim. Tegunt autem caput et pedes, non ut abscondant, sed ut doceant hæc esse inscrutabilia, incomprehensibilia. Accipe figuram. Erant sex et sex, duodecim pennæ : octo quiescunt, et quatuor moventur. Hæc figura sunt Apostolorum. Duodecim sunt Apostoli, sed quatuor Evangelistæ clamant. Et quid clamant? Eam vocem quam evertere Satanas conatus est. Animadverte, quæso. Non

[1] Psal. LXXIX, 2. — [2] Isaï. VI, 2, 3.

simpliciter dicebant ut nos : « Sanctus, Sanctus, Sanctus : » sed alter ad alterum vicissim emittebant, ut scriptum est : « Et clamabant alter ad alterum. » Sanctus, inquit, semel dicendum nobis est. Alius dicit, Sanctus : deinde alius, adde tertio, Sanctus. Quia ergo tres numeravimus, ne putes tres esse deos. Cur ergo « Sanctus, Sanctus, Sanctus » Dominus? Unus enim est Dominus, una fides, unum bap- » tisma[1]. » Ac quemadmodum in psalmodiis, alii aliis versus transmittunt; sic supernæ Potestates mutuos choros agunt, ac veluti ex melodia vicissim habita, glorificationem emittunt. Deinde : « Plena erat, inquit, domus gloria ejus. » Et elevatum est superliminare a voce qua clamabant, et » domus repleta est fumo [2]. »

VI. Rem stupendam! Cum post glorificationem gloria addenda videretur; etiam ea, quæ erat, periit, et fumus intravit. Fumus autem desolationis est imago. Quid igitur hoc est? Prævidebat Spiritus sanctus illud, « Sanctus, » Sanctus, Sanctus, » mundo esse concinnatum prædicationi Apostolorum, et templum Judæorum non illud accipere. Dicit ergo post prædicationem Evangelii, desolatione et fumo replendam esse synagogam. « Elevatum est, non » ostium, sed superliminare. » Animum adhibe. Omnis janua solum substratum habet, et superliminare impositum parastatis : neque possunt parastatæ stare, nisi solum habeant; neque firmari immotæque esse possunt, nisi accipiant superliminare. Elevata est ergo synagogæ superior forma. Non tota quidem synagoga, quæ portas quidem habet, superliminare autem nullum. Superliminare porro est virtus superne continens. « Elevatum est superliminare, » nudatum est gratia. Ex quo autem superliminare elevatum est, necessarium fuit parastatas, vel a debili manu commoveri. Ideo quævis manus judaïca commovet : idcirco

[1] Ephes. IV, 5. — [2] Isaï. VI, 3, 4.

Propheta quidam dicebat : « Et ponam Jerusalem ut ves-» tibula quæ moventur[1]. Et domus repleta est fumo. » Et quonam abiit gloria? Attende, quæso. Dicit Esaïas : « Et » plena erat domus gloria ejus. » Deinde dicit : « Repleta est » fumo. » Ingresso itaque fumo, necesse fuit ut gloria trans-ferretur. Et quonam translata est? Non in unam domum, sed implevit Ecclesias per totum orbem. Et ut ostendant Cherubim quonam abierit gloria, quæ in templo erat, di-cunt : « Plena est omnis terra gloria ejus. » Nudata est gens una, et illuminati sunt termini terræ. Hanc sanctam vocem Domini, regiam glorificationem, hanc divinam mysticam institutionem, dicebat os diabolicum : « Aufer ab altari. » Quod autem hæc blasphemia Christum impetat, manifes-tum testimonium adest. Quemnam vidit in solio Esaïas? Ait enim : « Audivi vocem Domini dicentis : Quem mittam? » et quis ibit ad populum hunc[2] ? » Reconciliatus est servo, speciem tamen præferebat indignationis. Ut nos quando servo pepercimus, non statim illi totum vultum gratiosum exhibemus, sed aspectum tantisper subducimus. Ita Deus cum non vellet totum ostendere vultum, stante illo dice-bat : « Quem mittam? » Quemadmodum si servi starent coram hero, et vellet ipse eorum ignaviam incusare, dice-ret : « Quem mittam? Ad hoc negotium hominem non habeo; » non quod non habeat, sed quod strenuum non ha-beat. Sic Deus : « Quem mittam hujus loco? An eum qui ta-cuit, videns eum qui sacerdotium impugnabat? » Quid ergo Esaïas? quasi famulus in offensa deprehensus, ac com-punctus, quique studeat priora abstergere : « Ecce ego, » mitte me[3]. » Unde ergo ostendemus eam fuisse Christi gloriam? Ait Joannes Evangelista : « Cum tanta signa fe-» cisset Jesus, non crediderunt ei Judæi; ut impleretur » quod dictum est per Esaïam : Auditu audietis, et non in-

[1] Zach. xii, 2. — [2] Isaï. vi, 8. — [3] Ibid.

» telligetis. Hæc autem dixit quando vidit gloriam ejus, et » locutus est de eo [1]. » Vidisti-ne caput salutis nostræ, sanctificationem? Sanctificatio si non fuerit, neque mysterium consummatur. Habes imaginem. Solum dixere Cherubim : « Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus : « Sanctificata est hostia. « Et missus est, inquit, ad me unus de Cherubim, » et in manu sua habebat carbonem, quem forcipe tulerat » de altari [2]. » Non tulit donec sanctificatus est. « Tetigit, in- » quit, labia mea. » Cur labia? Mysteriorum vestibula. Quid dicimus, fideles? Hoc mysterium peccata dimittit. Dicunt etiam Cherubim : « Ecce abstuli peccata tua [3]. » Vidisti figuram? vidisti splendentem veritatem? Ipsum igitur qui sedet super solium excelsum et elevatum, sanctificare ne cessemus. Gratia vero agamus pro anima quæ sedacta fuerat, quam lupus rapuit, quam avulsit Pastor, quam rapuit diabolus; sed abstulit ille clemens ac benignus : ut os omne hæreticum, et lingua blasphema furens, laudet Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum in sæcula. Amen.

ORATIO III.

In diem tertium creationis, et de resurrectione.

I. Mundi Artifex sole, luna, stellis cœlum ornavit, terramque floribus et plantis coronavit, atque omnem creaturam variis decoravit ornatibus : nos vero par est, resumpto de creatione sermone, opificia quidem mirari, Opificem autem adorare. Neque enim hæc scripta sunt so-

[1] Joan. xii, 37, 38, et 40, 41. Act. xxviii, 26. — [2] Isaï. vi, 6. — [3] Ibid. 7.

lum, ut discamus illa facta esse; sed ut Opificem admiremur. Dictum est illum primo die creaturarum materiam produxisse : secundo die, quomodo ex rariore molliorequc aquarum materia firmamentum constituerit, ideoque firmamentum vocatum fuerit. Idcirco etiam Christus totum orbem terrarum extenuatum et emollitum, diversoque plurium deorum errore ceu materia dissipatum, collegit, et unam fidem fecit, quam firmamentum vocat Apostolus his verbis : « Secundum firmamentum fidei in Christum [1]. » Divisa est igitur abyssus : eratque aqua illa, quæ infra manebat, abyssus, atque etiam illa, quæ sursum et sublimis erat, abyssus. Unde hoc? Ait David : « Abyssus abyssum invo» cat, in voce cataractarum tuarum [2]. » Divisa est itaque abyssus, et factum est firmamentum. Deinceps terra operta erat aqua. « Et dixit Deus, inquit : Congregetur » aqua quæ sub cœlo est in congregationem unam, et ap» pareat arida [3]. » Quandoquidem omnia intelligere volunt miseri illi hæretici, et incomprehensibilis naturæ modum scrutantur, dicant quomodo congregata sit aqua, aut congregata quonam recesserit. Non enim secundum vos, nullo examine vocibus hærendum est, sed res sunt quærendæ. Dixit Deus : « Congregetur aqua. » Quonam congregata fuit? in mare. An mare tunc plenum non erat? Terra plena erat, utique sane et mare. Quonam igitur congregata est? Qui illa, quæ in pedibus habent, quæque videntur non possunt capere, inscrutabilem altitudinem curiose perquirunt, et incomprehensibilem Divinitatis abyssum, neque mare, quod est incomprehensibile, deterret eos ab explorando Artifice. Ideo hæreticis dicat Propheta : « Erubescant hæ» retici, dixit mare, » quemadmodum dixit : « Erubesce » Sidon, dixit mare [4]. » Quonam igitur loco congregatæ sunt aquæ? Audi. Quando terram fecit Deus, nondum

[1] Col. II, 5. — [2] Psal. XLI, 8. — [3] Gen. I, 9. — [4] Isai. XXIII, 9.

erant concava montium; sed simul atque dixit : « Congre-» getur aqua, » terra dirupta est, ac sinus fecit. Quæ res commonstratur, nempe quod terra dirupta fuerit, ex insulis et montibus hinc inde positis. Ideoque reliquit Deus insulas et montes, ut discas ea a principio conjuncta fuisse : Dei autem verbum hæc segregavit. « Congregetur » aqua, » nudata est terra. Sciendum autem terram, quæ sic hodie appellatur, a Deo nec terram esse factam, neque hoc nomine vocatam : sed a principio creationis nomen ejus fuisse, « Arida, » ut ait David : « Quoniam ipsius est » mare, et ipse fecit illud, et aridam formaverunt manus » ejus [1]. » Arida facta est, cognominata autem fuit terra : quemadmodum hoc firmamentum conditum est, et vocatum est cœlum. Facto igitur aquarum divortio, prodiit arida, speciem habens inebriatæ terræ : aquæ enim nuperrime recesserant. Ubi ergo detecta fuit terra, jubet Creator : « Germinet terra herbam fœni, seminantem semen » secundum genus, et secundum similitudinem, et lignum » fructiferum, cujus semen in ipso sit, secundum genus, » et secundum similitudinem [2]. » Neque hoc pudore afficit hæreticos. Herba, et ligna, et fœnum generant secundum similitudinem, et Deus dissimilem sibi genuit? Et cum quadrupedes rursum, reptilia et aves factæ sunt, dicit Deus : « Educant aquæ reptilia animarum viventium, et volatilia » volantia super terram secundum genus [3]. » Feræ, reptilia, volatilia, natatilia, herba, fœnum, ligna, secundum genus et secundum similitudinem generant, solusque Deus dissimilem genuit? Cumque nos creavit Deus, dixit : « Fa-» ciamus hominem ad imaginem et similitudinem nos-» tram [4] : » opus est secundum similitudinem, et artifex dissimilis?

II. Sed rem miram vide : sæpe namque hæretica nequi-

[1] Psal. xciv, 5. — [2] Gen. i, 11. — [3] Ibid. 24. — [4] Ibid. 26.

tia latibulum reperit. Si, inquit, ita dixeris Filium secundum similitudinem, ut et nos, id admittimus. Enimvero aliud est naturæ similitudo, aliud gratiæ. Nos secundum similitudinem, ille similitudo est : nam « Qui » vidit me, vidit Patrem [1]; » nos secundum similitudinem. Servos autem Dei oportet dictionum discrimina quærere. Dixit Deus : « Germinet terra herbam fœni, et lignum » fructiferum faciens fructum. » Deinde dicit : « Educat » terra quadrupedes et bestias. » Cur ibi, « Germinet, » hic, « Educat, » dicit? Germina, et ligna, fructusque quotannis germinant. Quia igitur semina in terra mansura erant, et ex illa proditura, ideo ait : « Germinet, » et circa animalia, « Educat. » Quia cum semel ex terra orta essent, non ultra a terra, sed per successionem gignuntur. « Factum est ita. » Verbum in opus decurrit; ornata fuit terra; oportebat demum ornari cœlum. Cur prius terram exornat, quam cœlum? Propter errorem multiplicium deorum, qui exoriturus erat, quo solem, lunam, stellas coluerunt. « Dixit » Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli [2]. » Cur solem et lunam non primo die fecit? Quia nondum factum fuerat firmamentum in quo illa ponenda erant. Neque ob hanc tantum causam; sed quia nondum erant fructus, qui ab illis foverentur. Tertio namque die fructus germinarunt. Ac ne putaretur illos ex solis natura germinasse, post absolutam creationem, tunc Deus fecit solem, lunam et stellas. Undenam Deus illa fecit? Dictum est enim ipsum primo die ex non extantibus cuncta fecisse, reliquis autem diebus ex extantibus. Unde ergo sol? Ex luce quæ primo die facta fuerat, quam mutavit ut voluit Artifex, in variasque species convertit : illic lucis materiam, hic stellas. Quemadmodum si quis præmitteret auri massam, indeque postea aureos cuderet; sic disposuit lucis ornatum. Quem-

[1] Joan. XIV, 9. — [2] Gen. 1, 14.

admodum enim abyssum, quæ tunc una erat aqua, divisit in maria, flumina, fontes, lacus, puteos; sic et lucem, quæ una uniusque speciei erat, dissecans Artifex, divisit in solem, lunam et stellas. Porro libet inquirere quomodo fecerit Deus luminaria : videtur enim ea extra cœlum condidisse, ac tum superius fixisse. Quemadmodum artifex, cum perfecit imaginem, tunc in pariete infigit illam; sic Deus primo fecit stellas extra cœlum, tuncque fixit eas sursum sicut artifex, ut testificatur Scriptura : « Et fecit » Deus duo luminaria, et posuit illa in cœlo [1] : » Quomodo autem illa infixit? Num ambo simul ante compacta erant? Id rationi est absonum. Sed quid? secundum Dei vocem ipsa infixio fuit. « Posuit, inquit, Deus luminaria, luminare » majus in principatus diei, et luminare minus in principa- » tus noctis. » Cum sol fixus est in oriente, luna fixa est in occidente, quoniam huic quidem jussum fuerat præesse nocti, illi vero dici. Facta igitur est luna, et primo die plena gignitur. Non enim par erat statim mutilum opus apparere; sed oportebat luminare ostendi quale factum est. Postea vero ex mutatione ostendit tempora et tempestates et dierum vicissitudines. Illam igitur condit Deus quasi decimam quintam plenam. Sol ortus est mane : quando enim infixa fuit luna in matutinis horis, apparuit in occidente. Ubi igitur sol cursum suum ad occidentem conficiebat, luna statim ad ortum veniebat, ut impleretur illud : « Dominentur diei et nocti. » Aliud demum quæritur : Cur Deus lunam plenam fecit? Animum adhibe : alta enim est sententia. Oportebat illam quarta die factam, quartam lucere. At si quarta fuisset, summum occidentis non occupasset. Inventa igitur est excedens undecim dies : quarta facta est, et apparebat ut quinta decima : undecim ergo diebus luna solem præcedebat, non secundum crea-

[1] Gen. 1, 16.

tionem, sed secundum lucis splendorem. Quamobrem quibus tunc luna excedebat diebus, eos soli restituit. Lunæ enim ac mensis cujusque numerus, a viginti novem et dimidio diebus, in duodecim anni mensibus, dies habet trecentos quinquaginta quatuor. Nam si ita callum posueris, ut mensis sit dierum viginti novem et dimidii, anni dies sunt trecenti quinquaginta quatuor, ut quos luna tunc rapuit plures dies, per annum soli reddat. Supputet qui ejus artis peritus est.

III. « Fiant luminaria in firmamento cœli, ut luceant » super terram. » Quoniam ignis natura sursum tendebat, frenum naturæ Deus imposuit, ut radios non sursum emitteret, sed deorsum. Ignis enim non solet deorsum tendere, sed sursum. Si facem habes, verte deorsum, et videbis etiamsi instrumentum illud deorsum vertas, ignem tamen sursum tendere. Cum sciret ergo eam esse illius naturam, cohibuit illam, ne secundum naturam luceret, sed secundum præceptum. Si quis vestrum observavit oleum in lucerna, qua scilicet ratione cum oleo avellatur, et vis olei infra trahat, natura vero ignis sursum tendat, ac quasi vim patiatur, ceu clamat. Si quando enim ignis cogatur currere, contra morem suum, vocem emittit, ac si vim pateretur, ac si contra naturam tenderet. Si quid enim elemento præter naturam accidat, ipsum clamat: Quare? Oleum cum injectum fuerit in ignem, vocem non emittit; aqua si injecta fuerit, stridet. Atqui et hoc et illud est humidum. Sed quia oleum ex ligno opsonium nascitur, et olea nutrit ipsum, ignisque semper est ligno amicus, libenter accipit quod ex affini natura est. Sin autem aqua in ignem immittatur, stridet, quod cum contrario pugnet. Ignis aëri amicus est, affinis enim est ei. Insufflas in lucernam, et aër ignem in fumum vertit, ac nusquam comparet, nam quod affine erat abscessit. Vide Artificis sapien-

tiam, vide potestatem. Posuit luminaria in cœlo, ut lucerent super terram : « Et sint, inquit, in signa, et in dies, » et in annos [1]. » Quid est, « In signa? » Qui astrologiam vane tractant, spem suam evacuarunt, res significantes quæ nusquam existunt. Quod enim stellæ nihil significent circa vitam hominum testificatur Esaïas dicens : « Surgant » astrologi cœli, et qui signa vident; et dicant tibi quid futurum sit [2]. » De vita ergo hominum nullum signum dat cœlum. Vis ejus signa discere? Significat pluvias, ventos, hiemes ac tempestates, tranquillum aërem. Hæc significant stellæ, idque per Dei benignitatem, ut nauclerus signum videat, et periculum effugiat; ut agricola hiemis sensum habeat, et antevertens terram aratro sulcet. Est et belli et pacis signum. Hæc Servator affirmavit quæ utique sunt simplicia, et exploratu facilia. Ait quippe Judæis : « Hypo- » critæ, si videritis nubem ab occasu orientem, dicitis : Ve- » nit tempestas : et si videritis vespere rubicundum cœlum, » dicitis : Serenum, et venit serenum. Et si videritis sero » triste cœlum, dicitis : Tempestas venit. » Deindeque subjungit : « Faciem cœli et terræ probare scitis, illud autem » tempus nescitis [3]? » Hæc sunt signa quæ sine periculo observantur, æstas, hiems, pluvia, serenus aër. Hæc non sunt a pietate aliena, sed Dei propria. Multa potuissemus de astrologia dicere; sed opus fuisset et contentiore voce, et organo non fatiscente, ac cum sermone mens pari gressu procedit, et ratiocinium una cum lingua infirmatur. Ad ea ergo quæ sunt simpliciora procedamus. « Sint in signa et » tempora. » Aliud enim est χρόνος tempus, et aliud καιρὸς opportunitas; χρόνος diuturnitas est, et καιρὸς opportunitas. Nec est qui dicat, χρόνος est vindemiæ; nemo dicit, χρόνος est virginem locandi. Sed καιρὸς est virginem locandi, καιρὸς

[1] Gen. I, 14. — [2] Isaï. XLVII, 13. — [3] Matth. XVI, 2, 3. Luc. XII, 54, 56.

sementis et καιρὸς messis. Salomonque ait : « καιρὸς pariendi, »et καιρὸς moriendi, et καιρὸς ædificandi, et καιρὸς des- »truendi [1]; » καιρόν dicit opportunitatem. Hæc vero stellæ significant, puta, Pleiadum ortum initium esse messis; Pleiadum occasum, initium sementis. Hæc ab impietate aliena, pietatique propria sunt. Καιροὶ sive tempora festa quoque vocantur. Ait Deus : « Tria anni tempora celebra- »bitis mihi, festum Azymorum, festum Pentecostes, et »festum Scenopegiorum [2]. » Tria tempora. Ecce signa et tempora. Dies rursus in sabbato, et menses facit luna. Sol annorum conversiones observat, vernam, æquinoctialem, æstivam, autumnalem. Stant leges immotæ. Dixit, et fixa sunt; mandavit, et fundata sunt. Hic demum animum advertite. Quis horum artifex? quis hæc fecit? Pater? nemo inficiatur. Filius? Etiam hæretici fatentur, etsi non recte. Dicunt enim : « Pater Filium fecit, Filius autem omnia. » Admittam-ne impietatem? Quia insolubilia vincula hæreticorum mentem constringunt, interrogemus Prophetas : Num is qui omnia fecit quempiam habeat majorem, an omnibus sit superior : sua enim ipsi propositione cadunt.

IV. Dicunt : « Omnia fecit Filius, ipsum vero Pater. » Propitius nobis sit pro blasphemia; plane enim horror est impiorum verba iterare; attamen medicos imitemur, immittentes in vulnera manus, ut ulcera curemus. Coactus etiam fuit Apostolus res turpissimas commemorare, non ut linguam fœdaret, sed ut peccata ablueret. Dicunt : « Omnia fecit Filius, ipsum vero Pater. » Interrogabo Prophetas, quis et quantus sit is, qui cœlum fecit. Ait Esaïas propheta : « Hæc dicit Dominus, qui fecit cœlum et fixit illud; qui »fundavit terram, et quæ in illa sunt. Qui dat spirationem »populo qui in illa est, et spiritum calcantibus eam [3]. Ego »Dominus. Ante me Deus non est, et post me Deus non

[1] Eccl. III, 2. — [2] Deut. XVI, 16. — [3] Isaï. XLII, 5.

» est. Ego sum, et non est alius [1]. » Hæc dicit qui fecit cœlum et terram Unigenitus, qui secundum hæreticos factus est, et postea creavit. Verum « In sermonibus labiorum » suorum comprehensus est peccator [2]. » Ait beatus Jeremias : « Dicite : » quibusnam ? Gentilibus ; « Dii, qui cœlum » et terram non fecerunt, dispereant de terra [3]. Dominus » qui fecit cœlos in intellectu [4], » ipse Deus vivus et verus. Si verus est Deus ille qui fecit cœlum, ipsi vero hæretici confitentur Filium esse eum qui fecit cœlum et terram, quæ pugna cum dicit Christus : « Ut cognoscant te solum » Deum verum, et quem misisti Jesum Christum [5] ? » Cum Servator aut per Prophetas, aut per se hæc dicebat, non ad comparationem cum Patre hæc dicebat : « Ut cognos- » cant te solum Deum ; » sed ad differentiam eorum, qui falso dii appellantur, significandam. Quamobrem Paulus quoque dicit : « Conversi estis ab idolis, servire Deo vivo » et vero [6]. » Verum vocat, ut falsos confutet ; vivum, ut mortua idola traducat. Ego vero puto, imo potius credo, mortuos adversum nos irasci, si audiant nos idola appellare mortua. Injuriam, aiunt, irrogatis nostro ordini. Nos mortui vocamur, qui aliquando viximus ; qui nunquam vixere, cur mortui appellantur ? « Dii, qui cœlum et terram » non fecerunt, dispereant. Dominus, qui fecit cœlos » in intellectu, » ipse vivus Deus et verus. Quis est vivus ? qui fecit cœlum. Num stant hæreticorum definitiones ? Annon cadit eorum impietas ? annon redarguitur eorum religio ? annon dissolvitur pravitas ? Conditoris opera comprehendere non potes, et artificem curiose inquiris et exploras ? Quid clamat David ? « Quam magnificata sunt » opera tua, Domine ! Omnia in sapientia fecisti [7]. » Prophetæ opera magnificant, hæretici Opificem minuunt.

[1] Isaï. XLIII, 10. — [2] Eccli. XXIII, 8. — [3] Jer. X, 11. — [4] Psal. CXXXV, 5. — [5] Joan. XVII, 3. — [6] Thess. I, 9. — [7] Psal. CIII, 24.

Magnus ille consilio et potens operibus, qui cœlum formavit et fixit ex aquis ; non enim a miraculo abscedo ; ex aquis concretum est, et aquam gestat ; ex aquis concretum est, et abyssum gestat, omnino autem exemplo hæret novum, inquam, hoc miraculum. Vidisti-ne tabulas ab aqua gestatas, et desuper nivem gestare ? Hiems id fecit, et Deus non faciet ? Fecit cœlum, non ut sphæram, ut philosophantur nugaces illi. Non enim sphæram fecit quæ volvatur. Verum ut ait Propheta, sol quomodo currit ? « Qui » statuit cœlum sicut fornicem, et extendit illud velut ta» bernaculum [1]. » Nemo nostrum ita impius est, ut nugacibus illis fidem habeat. Prophetæ dicunt cœlum initium et finem habere. Ideo sol non ascendit, sed procedit, dicit Scriptura : « Sol egressus est super terram, et Lot ingres» sus est in Segor [2]. » Palam ergo est ex Scriptura solem egressum esse, non ascendisse, ac rursum : « A summo » cœlo egressio ejus [3], » inquit, non ascensus. Si sphæra est, summum non habet. Quod enim undique rotundum est, ubinam summum habet ? Num ergo solus David dicit, an etiam Servator ? Audi ipsum dicentem : « Cum venerit » Filius hominis in majestate sua, mittet Angelos suos cum » tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a summo » cœlo usque ad summum cœlum [4]. »

V. Quærimus autem ubi sol occidat, et ubi noctu currat (6); secundum exteros sub terra; secundum nos autem, qui cœlum tabernaculum esse dicimus, quidnam ? Animum adhibe, quæso, num sit falsa sententia ; sed si habeas signaculum veritatis testimonio firmatum, concurrit cum phrasi et locus. Cogita superpositam fornicem, oriens hic est, ut figura exprimitur, septentrio vero illic, ex opposito meridies, illic occidens. Sol oriens cum in occasum vergit,

[1] Isaï. XL, 22. — [2] Gen. XIX, 23. — [3] Psal. XVIII, 7. — [4] Matth. XXIV, 31.

non sub terra occidit ; sed egressus ad cœli fines , partes boreales percurrit, quasi muro quodam occultatus , aquis non sinentibus ut ejus cursus appareat, curritque per partes boreales , et ad orientem venit. Undenam hoc palam est? Ait beatus Salomon in Ecclesiaste, quæ est Scriptura certæ fidei , non adulterata. « Oritur , inquit, sol, et occidit » sol. Oriens pergit ad austrum , et circuit ad boream. Cir» cuit circumeundo , et in loco suo oritur [1]. » Currentem ad meridiem , ut boream circumeuntem jam disce in hiemis tempestate. Quia non a medio oriente oritur ; sed circa austri latus oblique pergit , exiguumque intervallum secans , brevem diem facit ; cum occidit autem et rursus circulum decurrit , longam noctem facit. Scimus , fratres, solem non omnino ab eodem puncto progredi. Quomodo ergo breves fiunt dies? Accedit ejus ortus ad latus meridiei : deinde non altam tenens, sed obliquam brevi secans viam, breves efficit noctes. Occidens autem in summo occidentis , necessario circuit per noctem totum occidentem et totum boream, totumque orientem, atque ad meridiei summum venit ; ac necesse est magnam esse noctem. Quando autem æqualem longitudinem et æqualem cursum habet, tunc æquinoctium facit. Rursus ad boream declinans velut hieme ad meridiem , et ad boreæ summa ascendens exaltatur, et longum efficit diem , brevem autem circulum decurrendum habens, brevem efficit noctem. Non hæc Græci nos docuerunt , neque enim hoc volunt ; sed sub terra dicunt astra currere atque solem. Scriptura vero nostra, divina magistra Scriptura, nos erudit , illuminatque. Deinde fecit solem, non deficiens luminare ; lunam, quæ decorem exuit et rursum induit. Prodit artificem opus. Nunquam deficit artifex ; æternum est opus. Neque lunæ lux absumitur , sed occultatur ; estque nostrùm mortalium hominum

[1] Eccl. 1, 5, 6.

imago. Cogita quo sæculorum spatio orta sit. Et si prima sit, dicimus : « Luna hodie nascitur. » Quare ? Quia imago est nostrorum corporum. Nascitur, crescit, impletur, decrescit, minuitur, occidit : et nos perinde nascimur, crescimus, ad plenitudinem venimus, marcescimus, declinamus, consenescimus, morimur, occidimus. Verum illa rursus nascitur : et nos perinde resurrecturi sumus, nosque manet alia generatio. Ideo Servator ut ostendat nos, quemadmodum hic nati sumus, rursum nascituros esse, ait : « Cum venerit Filius hominis in regeneratione [1] ; » Pollicetur luna resurrectionem. Me, inquit, videtis occultari, et rursum apparere, et spem omnem abjicitis ? Nonne sol in nostri gratiam factus est ? nonne luna ? nonne creaturæ omnes ? Quid enim nobis non pollicetur resurrectionem ? Nonne mortis imago nox est ? Projecta sub tenebris corpora, formas non discernis ? Sæpe manu contrectas vultum dormientium, nec nosti quænam hæc facies sit, quæ illa ; sed interrogas, ut vox præco sit eorum, qui in tenebris occultantur. Quemadmodum igitur nox formas abscondit nostras, etiamsi omnes simul simus, nemoque alterum cognoscit ; sic venit nox, et solvit formas, ut nemo alterum noverit. Monumenta pervadis, si multas videas calvarias in sepulcro, nosti-ne cujusnam hæc sit ? At novit ille qui struxit ; qui solvit, novit unde formæ istæ processerunt. Annon miraris Dei opificium, quod in tot millibus formarum nulla intersit similitudo ? vel si ad fines orbis properes, neminem alteri similem reperies ; sed etiamsi repereris, aliquid erit vel in naso, vel in oculo discriminis, ut res stupenda appareat. Gemelli ex uno exeunt utero, et similitudine disgregantur.

VI. Ergo-ne qui tot formas, cum non essent, produxit, cum solverit, renovare non poterit ? Ne ut ærumnosus

[1] Matth. XIX, 28.

homo Dei potentiam tuis ratiociniis metiaris. Ne putes Deum tanta (solum) posse, quanta tu cogitare vales. Quod si tanta solum possit, quanta ego cogito, ausim dicere, longe minor est Deus, metitur enim illum cogitatio mea. Quod si mentem superat, et ratiocinium vincit, inscrutabilis es Conditor, et incomprehensibilia opera. Interrogentur hæretici ex iis, quæ conspicua sunt, ut discant ea de quibus quæstiones movent. Quia dixit Deus : « Fiat firmamentum, » et statim verbum illud effecit; reliquit nobis hoc pignus quod ipse fecerit. Hodie cœlum relinquimus nudum a vespera, ac repente surgentes, invenimus aliud firmamentum in nubibus concretum. Hæ aliæ pignorum partes sunt post primas, cum videris cœlum caliginosum, aliudque firmamentum ex nubibus. Qui nunc brevi intervallo nubes creat, ostendit quomodo tunc uno momento cœlum condiderit. Et quid facit? Quomodo nubes pluvias emittunt? Fecit nubes sicut utres; perque illas haurit aquas maris, quæ salsæ sunt, impletque nubes; mutat aquam, et rigat terram. Dicant quomodo efferatur in sublime id quod grave est, quomodo hauriatur, quomodo nubes hauriant. Non statim evacuantur, sed longe currunt, quo jusserit Dominus. Estque mandatum Dei quasi vinculum impositum nubibus, quod non sinit eas pluere, donec ipse annuerit. Quod autem utres sint testificatur David : « Congregans, inquit, sicut utrem aquas maris [1]. » Et vide rem miram. Congregat aquas, incumbit manus immortalis, invisibilis, non sinens statim evacuari, sed per partes. Ut mulier subtile stamen nens, lanam dispertit in multa diversaque fila; sic immensam maris altitudinem in stillas quasi fila dividens, ita in terram emittit. Verum quod est admirabile, si soluta est, quomodo non statim evacuatur? si ligata, cur fluit? Habes exemplum, debile quidem, sed

[1] Psal. xxxii, 7.

quod id tibi suadere valeat. Vidisti aquarum raptorem? vidisti quomodo ab imo perforatus sit? Incumbens continet aquarum copiam, obturatur autem inferius per illud quod superius urget; sic immortalis Dei digitus imminet nubibus, laxatque quantum vult, et quantum vult servat, ut per universam terram donum emittat. Idque maxime facit in serotinis imbribus, quando totam inebriat terram; quando modo illud, modo aliud clima rigat. Ideo ait Propheta: « Et pluet super civitatem unam, et super civita-» tem unam non pluet. Pars una compluetur, et pars super » quam non pluet exarescet [1]. » Incumbit autem non Dei digitus, sed missio. Sub figura autem sermonem usui nostro accommodavi. Jubet et non pluunt. Atque hoc dicit Scriptura: « Nubibus, inquit, mandabo ne pluant imbrem [2]. » Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in » sapientia fecisti [3]. » Vidisti-ne Dei creationem? Vidisti-ne quomodo obstruat hæreticorum ora, qui creationem ignorant, et Creatorem curiose explorant? Omnia Dei legi obsequuntur. Stat cœlum, non sua manu gestatum, sed divina lege firmatum. Cum enim dubitavero quomodo ex aquis cœlum concretum sit, dubitationem meam solvit beatus David dicens: « Verbo Domini cœli firmati sunt [4]. » Cur enim firmati sunt? Quoniam ex aquis erant. Nunquam de solido et firmo dicitur: « Firmatum est. » Neque potest quispiam dicere petram firmatam esse. Aliud est firmatum esse, aliud esse firmum. Firmatum dicitur, quod cum rarum et molle esset, concretum fuit. Ideo Petrus, quando paralyticum sanavit, dixit: « Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, » aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut pietate » fecerimus hunc ambulare? Deus patrum nostrorum, Deus » Abraham, et Isaac, et Jacob, glorificavit filium suum Je-

[1] Amos. IV, 7. — [2] Isaï, V, 6. — [3] Psal. CIII, 24. — [4] Id. XXXII, 6.

» sum, et in fide nominis ejus hunc, quem videtis et nostis, » confirmavit nomen ejus [1]; » nempe paralyticum confirmavit. Ideo « Verbo Domini cœli firmati sunt: » ex raris et dissolutis aquis, verbo Domini nubes in sublime tolluntur. Vide, quæso; aqua, quæ amara erat, mutatur. Ex mari hauriunt nubes, et eam, quæ ex profundo hauritur amara, dulcem et potabilem efficiunt. De profundis nos abyssis excitavit Christus, et amaritudinem nostram non deponimus. Quis est is, qui fecit cœlum et terram? Ego dico Christum esse. Et unde hoc? Quia si non esset Dominus omnium, in Evangelio non miracula patrasset in omnibus creaturis. Per omnia enim elementa mirabilia fecit; per terram, per mare, per aërem, per ignem; ut conspicuum sit ipsum esse omnium creaturarum dominum. Diei luci supervenit vesperæ lux. Sol lucet, et lucerna facem præfert; diei finis, ac noctis exordium. Sed tu cum videris lucernam et solem, dicito: « Tuus est dies, et tua » est nox, tu fabricatus es jubar et solem [2]. » Verum fax illa, quæ præfertur, sermonem non interpellat. Oportet enim solem currere ad ejus jussum; nam « Sol cognovit » occasum suum [3] » ut ostendatur Christum omnium creaturarum dominum esse. Id Joannes prædicat, « Omnia per » ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod fac- » tum est [4]. » Verum oportebat ipsum non sermone tantum lucere, sed etiam opere. Dixit mari: « Tace, obmu- » tesce [5], » et obmutuit, agnovitque opus Opificem. Dixit enim mari, et tacuit; dixit vento, et refrenatus est. Si non obtemperasset, ejus Conditor non fuisse proderetur. Nisi dominus esset aquæ, non illam mutasset in vinum. Nisi esset cœli Dominus, non eum stella de cœlo prædicasset. Nisi esset solis dominus, non tenebris se obvelasset in cruce.

[1] Act. III, 12, 13, et 16. — [2] Psal. LXXIII, 16. — [3] Id. CIII, 19. — [4] Joan. I, 3. — [5] Marc. IV, 39.

Christus in cruce, et sol obtenebratus est. O miraculum! Creatura non tulit contumeliam domini. Obtenebratus est sol, ut in ipsa cruce solis dominum noveris. Commota est terra, ut discas de ipso Davidem dixisse : « Qui respicit »terram et facit eam tremere[1]. » Scissæ sunt petræ, ut discas de quonam dixerit Propheta : « Furor ejus tabescere »facit Principatus, et petræ perforatæ sunt ab eo[2]. » Monumenta aperta sunt, ut appareret resurrectio, et qui suscitat Deus per cuncta splenderet.

VII. Operæ-pretium vero est ut moralem moveamus sermonem. Lucerna vocat nos, ut dicamus : « Lucerna pe»dibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis [3]. » Advenit vespera ut dicamus : « Dirigatur oratio mea sicut in»censum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum »sacrificium vespertinum [4]. » Cur non matutinum? Hic animum adhibete : nam quæ psallimus scire debemus. Dicit David : « Psallite sapienter [5]. Elevatio manuum mearum »sacrificium vespertinum. » Duo sacrificia jussit fieri Moyses, imo Deus, unum matutinum, et unum vespertinum. Matutina gratiarum actio pro nocte erat. Nam qui in nocte servatus est, in die gratias agit : vespertinum sacrificium pro die erat. « Quia, inquit, in die me servasti, pro toto die gratias ago tibi. » Matutinum sacrificium non eum recipit, qui in nocte peccavit. Ideo dicit : « Elevatio manuum mea»rum sacrificium vespertinum. » Ingrederis vesperam, expandis manus; si fiduciam habent, expandantur : si non scripserunt iniquitatem, si pauperes non spoliarunt, si pupillos non oppresserunt, ut quæ personam habeant extollantur. « Elevatio manuum mearum; » ac si diceret : « Vide, Domine, mundæ sunt manus. » Quemadmodum enim is, qui peccavit, vultum extollere non potest, sed a conscientia in-

[1] Psal. CIII, 32. — [2] Nahum. I, 6. — [3] Psal. CXVIII, 105. — [4] Id. CXL, 2. — [5] Id. XLVI, 8.

curvatur; sic manus polluta ne audet quidem coram Deo consistere. Vide; si manus sint mundæ ab iniquitate, expandantur. Ideo patriarcha Abraham turpe lucrum recusavit, cum diceret ei rex Sodomorum : « Accipe omnia, » mulieres tantum dimitte [1]. » Ut itaque fiduciam haberet, nihil accepit; sed cum puris manibus esset, dicebat : « Ex- » tendam manus meas ad Deum, qui fecit cœlum et ter- » ram [2] : » et extendit, quia non erant pollutæ injusto lucro; « Elevatio manuum mearum. » Illud, « Elevatio manuum » mearum, » interpretatur Paulus : « Volo igitur viros orare » in omni loco, levantes sanctas manus sine ira et discep- » tationibus [3]. » Vespera a nobis exigit vesperæ opera. Expandis manus, scrutatur artifex. Advenit matutinum tempus, et si puram non habeas et manum et mentem, matutinum tempus ne respicere quidem audes : experientia magistra est. Cogita cum quanta fiducia ingrediatur is qui purus maneat, quasi in propria domo ambulet. Fiduciam dat illi matutinis horis nox in continentia exacta. Ideo David dicit : « Si memor fui tui super stratum meum, in » matutinis meditabor in te [4]. » Gratias ago Deo : recordor fatiscentem vocem a Dei verbo reparatam esse, non pro nostris meritis, sed pro vestro desiderio. Precemur ergo in veritate cordis, ut pace fruamur, et in matutinis fiduciam habeamus, hæreticorum furorem devitemus, fidem orthodoxam sequamur, gloriamque referamus Patri, Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gen. XIV, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] 1 Tim. II, 8. — [4] Psal. LXII, 7.

ORATIO IV.

In quartam diem creationis mundi.

I. Labantem vocem nostram pridie per orationes vestras perque vestrum desiderium Dei gratia firmavit. Ipsa igitur magistra usus experientia, quantum amor divinæque pietatis studium potest, ad eamdem obsecrationem accedo, rursus rogans ut eamdem pro nobis gratiam petatis. Nam si vas electionis Paulus, qui Christum in seipso loquentem habebat, quia a Spiritu sancto regebatur, auditorum precationem mutuabatur, dicens : « Fratres, orate pro me, ut »mihi detur verbum in apertione oris mei [1] : » quanto magis nos viles, et qui, ut ita dicam, nihil sumus, intercessionem vestram petemus, ut linguæ vinculum solvatur, aperiatur veritatis sermo, ipsaque divina gratia expeditum organum custodiat, sententiarumque copiam suppeditet; non ut solus orator divina lucretur, sed ut vobiscum cœlestem hauriat thesaurum. Age ergo prius dictorum seriei hæreamus. Par est enim, arbitror, ut quemadmodum ipse legislator Moyses serie atque ordine creationis sermonem absolvit, sic et nos primis secunda, secundis tertia copulemus et distinguamus, vobisque non præposteram sermonis enarrationem tradamus. Compactum erat cœlum, solide structum firmamentum, segregatum mare, detecta terra, fructibus, plantis, arboribus, fontibus varie ornata, et ut summatim dicam, omnibus sibi congruentibus decorata erat. Neque enim simplex quædam feracitas fuit, sed dis-

[1] Ephes. VI, 19.

tincta et varia. Nam alia ipsam ornabant terram ; alia in escam hominibus et brutis animantibus producta sunt : cætera hominibus usum præbebant. Neque enim præsentis est temporis diversa illa, quæ ex terra producta sunt, recensere, ne sermonis longitudo auribus vestris molesta sit. Acceperat etiam cœlum proprium sibi ornatum. Procedit jam Deus ad aquas, efficitque ut illæ animam viventem producant magnus sapientissimusque Creator, qui libero suo nutu et Verbo sancto suo omnia fecit, ut ex ipsa Verbi veritate rerum veritatem nostis, cum audivistis eum dicentem : « Congregentur aquæ; » et statim opus secutum est; ac rursum, « Educat terra, » et, « Educant aquæ; » et, « Fiant luminaria [1]. » Multique fuerit temporis, omnia quæ Verbo facta sunt nunc sermone prosequi. Ut enim antiquam illam creationem mittamus, jam veniamus ad ea quæ in Novo Testamento solo Verbo ab eo sunt facta. Hic namque est qui vetera creavit, et nova fecit secundum Joannem dicentem : « Omnia per ipsum facta sunt, et sine »ipso factum est nihil [2]. » Quæ igitur oratio hæc accurate prosequi possit? Sed seriei insistamus. Hic igitur sapientissimus Creator, ut jam diximus, quod primum fecerat, hoc et ornavit. Hic etiam id, quod secundum factum fuerat, ordine secundum exornavit; itemque tertium, quartum et reliqua deinceps omnia secundum ordinem creationis ornatu suo decoravit. Quo autem animo id fecit? Num fortasse volens docere nos, ut elementorum terminos colamus, ordinemque agnoscamus. Primo igitur fecit cœlum superius; secundo terram; tertio firmamentum; quarto segregavit aquas. Quod primum fecit, primum ornavit. Quomodo ergo, dicet quispiam ex studiosioribus, cum secunda esset terra, primam illam ornavit? ac quasi secum pugnante narratione, coarguere volet. Ipsi respon-

[1] Gen. 1, 9, 11, 14 et 20. — [2] Joan. 1, 3.

dendum, nihil secum pugnans a nobis in præsenti dictum fuisse, sed orationem sibi omnino esse consentientem. Nam ante hoc firmamentum, quod post cœlum superius factum est, atque secunda die constitutum, ornata terra fuit. Oportebat enim ordinis seriem servari. Cum terram plantis et fructibus ornasset, cum cœlum sole, luna, ac reliquo stellarum choro decorasset, ad aquas processit. Et quid historiæ scriptor? « Et dixit Deus, inquit: Educant aquæ »reptilia animarum viventium, et aves volantes super ter»ram, secundum firmamentum cœli [1]. » Vide Dei sermonem, opera dictis addentem, et verba in opera vertentem. Vide Dei syllabas verbaque brevia, divina virtute plena: «Educant aquæ: » sermo labor et opus Dei est. Arbitror ego opera sermonem antevertisse: velocior enim dictis potentia. Nondum prolatus sermo fuerat, et opus proprium accipiebat ornatum: quodque mirum est, singulis hisce elementis Deus duplicem præbebat ornatum. Dedit firmamento luminaria et rorem. Imo etiam horum luminarium diversus erat usus; ut ex ipsis Scripturæ dictis constat, de quibus pro virili, etsi non pro dignitate, nuper verba fecimus, cum vobis horum rationem exponebamus: de quibus iterum in præsenti sermonem habere inutile foret.

II. Terræ semina dedit et plantas; aquis, natatilia et volatilia. « Educant aquæ reptilia animarum viventium, et »volatilia volantia. » Reptilia pisces vocat, quia potius repunt, quam ambulant. Quamobrem beatus David legislatorem sequens ait: « Hoc mare magnum et spatiosum: illic »reptilia quorum non est numerus [2]. » Rem stupendam! stupendum ordinem! stupendi verbi promissionem! Quare? Quia omnium opifex est; sic præ oculis habet præterita, præsentia et futura, ut neque nos ea ipsa quæ præ oculis sunt. Quia igitur per aquas primo vitam mundo daturus

[1] Gen. 1, 20. — [2] Psal. CIII, 25.

erat, primo aquis præcipit, ut viviparam naturam producant : ut discas unde radix vitæ sit. Ego cum video eos, qui illuminati fuere, ex sanctis aquis exire, qui in baptismum cum multis malis quasi reptilia ingressi sunt, et cum vita æterna sunt egressi, video legislatorem dicentem : « Educant aquæ ea, quæ tunc reptilia erant, nunc anima vivens sunt. » Undenam hoc nobis palam erit, quia ii, qui accedunt ad lavacrum ob priora peccata, reptilium nomen accipiunt. Exierunt multi ad baptismum Joannis. Accedentibus dicit : « Serpentes, genimina viperarum, quis ostendit vobis » fugere a ventura ira [1] ? Cum anima, quæ multis annis in nequitia vixit, in baptismum intrat, et improbitate deposita egreditur, vide annon oportibus resplendeat illa vox dominica, quæ ait : « Educant aquæ reptilia animarum vi» ventium, et volatilia volantia ? » Duplicem namque gratiam accipit is, qui salutem consequitur, nempe et vivificatur anima, et volatilis efficitur ; et ad cœlorum fornices attingit, cum Angelis versatur, et cum cœlesti ordine locum habet. « Et volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli. » Super terram, corpore ; in cœlis, vitæ instituto. Hæc non per allegoriam inducimus, sed in historia conspicimus. Aliud est allegoriam in historiam vi inducere ; aliud historia servata, allegoriam excogitare. Atque ut ostendat se reptilia dicere volatilia pennata, quæ sunt in mari, subdit : « Et fecit Deus cete grandia, et omnem animam viventem reptilium, quæ eduxit aqua, et » volatile pennatum [2]. » Est-ne ergo volatile non pennatum ? Quid opus erat dicere : « Volatile pennatum ? » volare hic dicitur id quod est expandere manus. Potest etiam quis manibus πετᾶσθαι, ut ait Propheta : « Tota die ἐξεπέτασα expandi manus meas ad populum non credentem et » contradicentem [3]. » Non quod manus pennas habeant, sed

[1] Matth. III, 7. — [2] Gen. I, 21. — [3] Isaï. LXV, 2.

quia πετᾶσθαι expandere significat. Quod repit ergo volatile dici potest, quod repat, seque expandat. Unde et David ait : « Serpentes et volatilia pennata [1]. Fecit ergo Deus cete » grandia ; » id est, dracones magnos in mari. Reliqui enim interpretes dicunt : « Fecit Deus dracones magnos. » Non dixit : « Cete, » sed dracones. Nihil in mari factum est inter viventia prius quam draco. Ideo ait David : « Laudate Do- » minum de terra, dracones et omnes abyssi [2] ; » et alibi : « Hoc mare magnum et spatiosum, illic reptilia quorum » non est numerus ; animalia pusilla cum magnis : illic naves » pertransibunt. Draco iste quem formasti ad illudendum » ei [3]. » Et alibi, ut ostendat non unum, sed multos ibi dracones esse, ait : « Tu contrivisti capita draconum in aqua [4]. » « Fecit igitur cete grandia. Et vidit Deus quia omnia bona [5]. » Quare dixit : « Bona? » Numquid bona propter multitudinem? Atqui quando stellas fecit, et solem, et lunam, multa licet essent quæ facta fuerant, dicit : « Vidit Deus quod esset » bonum [6]. » Multæ sunt stellæ, earumque millia innumera : neque tamen dixit : « Vidit Deus quod bona essent ; sed quod bonum esset. » Quare? Quia etsi multa luminaria, ex una tamen luce sunt, et ad eumdem omnia usum : nam ad illuminandum posita sunt. Hic vero quia ingens est reptilium differentia, et volatilium, natatiliumque ; alia quippe ratio est natatilium, alia volatilium, alia reptilium : et in singulis generibus multa diversaque sunt, dicit : « Vidit Deus quod » essent bona. » Pro varietate operum laus sequitur. « Et » benedixit ea Deus dicens : Crescite et multiplicamini, et » et replete aquas, et volatilia multiplicentur [7]. »

III. Cur cum stellas fecit, non benedixit? Cur cum herbas et ligna fecit, non benedixit? Alia benedicit, alia non benedicit. Quæ causa virtutis hujus creaturæ fuit? Attende.

[1] Psal. CXLVIII, 10. — [2] Ibid. 7. — [3] Id. CIII, 25, 26. — [4] Id. LXXIII, 13. — [5] Gen. I, 21. — [6] Ibid. 10. — [7] Ibid. 22.

Stellæ quot factæ sunt ab initio, tot manent ; ac neque numero neque magnitudine possunt augeri ; nempe cum in identitate naturæ permansuræ essent, benedictione quæ ipsas multiplicaret non egebant. Quæ vero ex successione augentur, nec alio possunt augeri modo, benedictionem necessario accipiebant. Idem rursum dico, ut dictum magis infigatur menti. Neque enim, fratres, planta, quæ temere et perfunctorie in terræ scissuras inducitur, firmam habet sedem ; sed quæ in profundum ejus cum omni diligentia immittitur. Stellæ benedictione opus non habebant : neque enim hæc illis multiplicandi vim tribuebat. Volatilia autem et natatilia atque homo hanc benedictionem desiderabant, successionis causa. Atque ubi aliter multiplicatio fieri nequit, ibi locum habet benedictio : ubi nempe pauca multiplicantur, et parva augmentum admittunt. Quia igitur causam agnovimus cur hæc benedictione dignata fuerint, operæ-pretium fuerit ad alias demum Scripturarum dictiones nos conferre. « Crescite, » quia parva ; « Multiplicamini, » quia pauca : « Implete aquas, » quia in parte. Necesse autem est ut alio tempore quæramus, cur pisces, et volatilia, et hominem duntaxat benedictione dignatus sit, cæteris vero non eam impertierit. Interim autem, ut polliciti sumus, seriei hæreamus. « Et dixit Deus : » Educat terra animam viventem [1]. » Terram Deus duplici afficit honore. Primo enim illa semina gignit, et plantas, et postea animalia ; nec sine causa. Sed quia hominis domicilium futura erat : neque id tantum ; sed quia ex illa ipsa homo alimentum accepturus erat, illam ut nutricem et matrem magni hujus animalis, honore afficit. Hic vide qua ordinis serie sit usus. Primo alimenta parat ; secundo inducit ea quæ alimentis fruantur, ut erga hominem fecit. Primo domum perfecit, et sic patremfamilias introduxit.

[1] Gen. 1, 24.

« Educat terra animam viventem. » Inanima terra quomodo gignit animam viventem ? Unde prodiit leo rugiens, aut equus currens, aut bos laboriosus, aut sarcinis aptus asinus ? unde animalium differentiæ ? unde ex inanima tot animæ ? Nec pudet hæreticos, quod inanima terra quam non habet animam proferat ; Deum vero si genuisse audiant ex propria substantia, statim ratiociniorum tricas moveant, et inferant : « Ergo divisus est, ergo dissectus, ergo passus est, » et similia quæ dicere solent. Neque enim præsentis est temporis omnia, quæ contra Unigenitum, imo contra suam salutem dicunt, confutare. Deus enim nec si laudetur, aliquid lucri percipit ; nec si maledictis impetatur, aliquid damni : nisi fortasse dixeris salutem nostram lucrum esse Dei. Ipse namque plenus est omni bono, nullaque re eget ; qui omnes ditet, nulloque opus habeat. Enimvero quis dederit quidpiam ei, qui omnium est fons bonorum, ex cujus unius benignitate omnia pendent ? Quemadmodum ait David : « Omnia ad te expectant [1]. Aperis » tu manum tuam, et imples omne animal benedictione [2]. » Sed quem aggressi sumus sermonem, ad finem ducamus. Hoc enim et nobis gratum est, et ordo postulat. Id quod non habet terra profert, jubentis imperio obsequens ; et id quod habet divina et intemerata natura non gignit ? Verum ne quis rursum vocem « Habere » humano accipiat more, dicens : « Vides-ne quomodo ipse doctor concesserit Patrem Filio priorem esse ? » sed potius sermoni veniam tribuat, cum homines simus, luteaque lingua utamur, atque hominibus verba faciamus de divina omnemque rationem superante natura. Homines enim cum simus, ut homines loqui didicimus. Non enim sciunt miseri se de Deo disserere, verba proferentes, quæ de Deo dicere non consentaneum est. Et vide eorum vafritiem. Cum quæstiones pro-

[1] Psal. cm, 27. — [2] Id. cxliv, 16.

ponunt, ex humanis loquuntur ratiociniis ; exempli causa : « Omne quod gignitur, inquiunt, existendi principium habet. » Undenam vero ? statim reponunt ; « Tu qui natus es, annon principium habuisti ? Num pater tuus ? num avus tuus ? » Si proferas illi ex ipso eorum ratiocinio rationem aliam, quæ insanum illius commentum possit obruere, statim captiose dicunt ? « De Deo agitur, et humana mihi ratiocinia inducis ? » Et illi quidem radicem malorum ex communibus ratiociniis proferunt : malorum vero solutionem nolunt ex iisdem ratiociniis admittere.

IV. Ait sæpe hæreticus : « An potest aliquis esse et nasci ? » Si igitur monstravero Scripturam, non de Deo tantum, sed etiam de hominibus simile quidpiam inducere, quid ages ? Beati Abrahæ filios, non quasi non sint, sed quasi præexistant, Scriptura nasci dicit. Nam Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob Levi, ex quo tribus sacerdotalis. Quia igitur hic, nempe Abraham, Melchisedecho obviam venit, Paulus Apostolus id quod tunc gestum fuit theologico more interpretans, ait : « Obviam venit » autem Melchisedech Abrahæ, et benedixit ei [1] : » et statim subjungit ; « Et ut ita dictum sit, per Abraham etiam Levi, » qui decimas accipit, decimatus est : adhuc enim in lumbis erant Abrahæ [2]. » Atque adeo mortalis homo antequam nasceretur erat. Quandoquidem radix vivebat, fructum cum vivente radix induxit. Hic vero ubi nulla passio, nullus successionis modus, nulla uteri gestatio, nulla humanarum passionum series, non vult dicere eum, qui erat, ab existente gigni, et in æternum manere. At si genitus fuit, inquit, quomodo semper erat ? Quisquis enim gignitur, principium accipit. Patris nomen apud nos per multos circuitus decurrit. Verbi gratia, suppone juvenem uxorem ducere cupientem : primum fit procus, deinde sponsus, pos-

[1] Hebr. VII, 1. — [2] Ibid. 9, 10.

tea maritus; si gignat, dicitur pater: sin proles hoc illi nomen non tribuerit, etiamsi sexcentos annos cum uxore vixerit, non pater vocabitur. Similiterque mater, primo virgo hinc postulata, postea desponsata, demum uxor; uterum gestat, fructum portat; sed si non prodeat, mater non vocatur. Etiamsi radix fructum ferat, nisi progressa proles laborum mercedem, hanc scilicet denominationem retulerit, mater non appellatur. Idipsum Deus, utpote sapiens, fecit: ne adversus filios gloriarentur patres, neve diceret pater filio: « Ego tibi vitam largitus sum, propter me natus es, mea opera in rerum naturam productus es. » Sed etiamsi hæc diceret, statim audiret: « Ego propter te natus sum, tu etiam propter me pater es; » idipsum et matri: « Tribuisti mihi ut essem filius, et ego tribui tibi ut esses mater. Hæc apud nos gratiam quamdam vicemque retributionis præ se ferunt. » Similiterque filius, non statim filius, sed primo semen, deinde fœtus, et cum natus est, tunc est filius. Hæc temporum necessitatibus obnoxia sunt: hæc passionibus subjecta: hæc corporeæ sunt constitutionis. Ubi autem incorporea est natura quæ gignit, ubi incorporeus est fructus qui gignitur, qua ratione dicatur illud: « Erat quando non erat, et postea genitus est? » At nos dicimus: « Si Deus ita semper se habet, si nihil unquam acquirat, semper etiam est Pater. Quod si semper est Pater, semper Filium recipit: ergo coæternus est Patri Filius. » Filium dicimus sine passione natum, generationis vero modum explicare non possumus. Vera hæc est scientia, ut fateamur nos ea non nosse, quæ naturam nostram superant. Prolem itaque adoramus, naturam vero non curiose scrutamur. Si homo esset is qui genuit, humanam certe generationem habuisset: si corpus habuisset, genuisset ut corpus. Sin vero immunis sit a corpore, ne corporis affectiones incorporeo ascribas. At genuit, inquit,

ex propria natura, cum passione genuit, per sectionem, per effluxum. Ex terrenis contrarium probo. Gignit vitis, gignit olea, gignit etiam aqua ; non secundum naturam nostram, sed secundum proprium ordinem. Quævis mulier, quando id a Deo consecuta est, ut sit mater, uterum gestat, intumescit : emisso autem fructu, tumorem ponit. In arboribus secus accidit. Priusquam genuerit arbor non intumescit : cum genuerit, tum crassior efficitur, fructus augetur, et radix multiplicatur, neque imminutio est gignenti radici, neque nato fructui. Gignit vitis non more nostro : Deumque si audieris genuisse, humanas passiones ascribis naturam omnem humanam superanti ?

V. « Et dixit Deus : Educat terra animam viventem se» cundum genus, quadrupedes, reptilia, bestias [1]. » Quadrupedes jumenta sunt ; reptiles, bestiæ, serpens et draco. Neque enim bestiæ solum subjugales, sed etiam quæ oneribus ferendis, jumenta dicuntur. Quidquid fœno vescitur, sive bos, sive ovis, pecus vocatur : κῆνος sive pecus dicitur, quia est κῆμα sive possessio hominis. Quod autem oves et boves pecora vocentur, testificatur Scriptura : « Et » fuerunt illi pecora ovium et pecora boum [2]. » Repleta est terra, vernabat fructibus : protulit animalia, desiderabatur demum paterfamilias ; cœlum ornatum fuerat, terra vario decore splendebat, repletum erat mare, aër avium multitudine ornatus erat ; omnia parata erant, et desiderabatur homo. Non illi contumeliæ est, quod sit postremus, sed hoc illi cedit honori : præparatur enim domus, et inducitur paterfamilias. Nihil quippe Deus intempestive et sine modo facit, sed cuncta ad certum usum. Ac vide ordinem. Primo fecit Deus herbam et fœnum, et postea animalia quæ his nutrirentur. Nisi enim essent alimenta, intempes-

[1] Gen. I, 24. — [2] Id. XXVI, 14.

tiva fuisset animalium creatio, quæ penuria fructuum laboraret. Fecit alimenta, et post ea quæ iis alerentur condidit, primo ad usum necessaria, deinde inducit ea quæ illis uterentur. Eodem modo se in Scripturis gessit. Antecesserunt Christum Scripturæ ipsum prædicantes, et tunc venit is, quem prædicabant. Præcesserunt testimonia, ut crederetur ei, de quo testimonium ferebatur. Præcessit lex, ut prædicaret legislatorem. Præcesserunt Prophetæ, ut illum declararent, de quo vaticinabantur. Ac vide sapientiam Dei. Scripturas Prophetarum non sivit in Ecclesia solum esse, sed et apud Judæos : ut illi coarguerentur, reliquit eas apud Judæos indignos, Dei hostes, Christi inimicos. Cur ergo id fecit, nec ab illis Scripturas abstulit? Evidens causa est, nec multa probatione opus habet. Ut prædicatio mea non suspecta esset. Si solus Prophetas haberem, posset incredulus contradicere. Ausus-ne essem ego dicere : Dixit Moyses, dixit Esaïas, aut dixit reliquus Prophetarum ordo, de Christo, et de iis, quæ tempore adventus ejus eventura erant? Poterat quivis respondere : « Undenam scimus Moysem fuisse Prophetam, et hæc dixisse, aut prædicasse, quemadmodum vobis Christianis ad confirmationem doctrinæ vestræ blaterare visum est, Prophetas nempe fingere, et nomina fabulose comminisci? Nos-ne debemus hanc auctoritatem admittere? » Nunc vero contradicenti, etiamsi magnis munitus sit ratiociniis, omnis sublata occasio est, eo quod illa testimonia apud ipsos deposita sint, quæ nos ad dogmatum nostrorum defensionem afferimus. Unde enim coargui non possit eorum levitas? Ne igitur hæc dicantur, permisit ut libri Scripturarum apud illos essent; ut si mihi fides negetur, quasi ad propriorum dogmatum gratiam illa confinxerim, illis fides habeatur, qui ab illis dogmatibus abhorrent. Si Judæum interroges, non dico quemdam de plebe ac de turba, sed qui et verbo polleat

et legem teneat, est-ne Christus? non dicit non esse, sed esse quidem, at non esse hunc, quem vos dicitis, sed alium. Hactenus ille rem non evertit, sed personam in dubium vocavit. Aliud porro est rem negare, aliud vero personam. Ut si quis a me debitum reposcat, aliud est dicere : « Non debeo, » et aliud dicere : « Non tibi, sed alii debeo. » Interim debitum in confesso est. Quod igitur Christus sit, id illi confitentur, dubitant autem an hic sit, qui a nobis prædicatur, et cum qui non existit admittunt, quia cum, qui vere est, negarunt. Et advertas, velim, ipsum legislatorem Moysem, ipsa hominis formatione Filium inducere, ejusque cognitionem. Dixit : « Fiat firmamentum : » dixit : « Germinet terra ; » dixit : « Educant aquæ. » Cum autem venit ad hominem ait : « Et dixit Deus : Faciamus hominem [1]. » Interrogo Judæum : si solus est, nec est cum eo Filius, quem prædicamus ; si non est Spiritus sanctus, quem adoramus, cuinam dixit : « Faciamus hominem? » Cœlum jussu solo facit, terram et reliqua similiter : cum hominem creat, divinitatem Filii demum volens quasi per fenestras conspiciendam præbere, dicit : « Faciamus hominem ; » ut ostendat illum in prioribus etiam creandis sibi socium fuisse. Aiunt itaque Judæi in angustam redacti, nec valentes ita apertam dictionem mutare, ipsum id Angelis dixisse : quoniam dictionis naturam aperte negare non possunt, alio modo negationem illam insinuant. Cuinam igitur dixit : « Faciamus? » Angelis, inquiunt. Quæro, utri majores sunt, Angeli, an homines? Sane Angeli. Nam quando etiam admodum in virtute profecimus, ne tunc quidem illos superamus, sed pares eis sumus. Nunc vero iis natura longe inferiores sumus, incorporeisque Angelis sumus minores.

VI. Audi Davidem hac de re testificantem : « Quid est » homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam

[1] Gen. 1, 26.

» visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis [1]. » Certe minores Angelis sumus : nos inferiores, Angeli majores. Si cum hominem illum minorem faceret, opus habuit Angelis consiliariis et adjutoribus ; cum majores faceret, non unum nempe Angelum, sed illa millia millium innumerabilium; quemadmodum enim luminaria simul omnia fecit; sic et Angelos et Archangelos simul, et tot sunt ut omnem superent numerum, clamatque Daniel : « Decies millies dena millia ministrabant ei, et millia mil- » lium astabant ei [2]. » Dena millia denorum millium Angelorum fecit, milliaque millium Archangelorum, nec opus habuit consiliario aut adjutore, et cum unum faceret luteum hominem, consilio utitur, sermonem confert, consilium init? « Quis est homo? » Nonne terra et de terra? nonne cinis et favilla? Clamatque Abraham, suam prædicans vilitatem : « Ego autem sum terra et cinis [3]. » Quid sunt Angeli? Nonne spiritus ? nonne ignis? Audi Davidem clamantem : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros » suos ignem urentem [4]. » Cum ignis naturam conderet, intelligentes et incorporeos spiritus, non opus habuit consiliario, non socio, non alio quopiam in opere adjutore. Et cum eum, qui de terra est, condit, miserum illum, vilem, qui brevi postea tempore non futurus est, qui in sepulcro dissolvetur, qui tempore consumetur, consilium init, consultat? Etiam, inquiet, decet Dominum ob summam suam bonitatem, dicere famulis præsentibus: « Quid fieri oportet? Quid faciemus! » Hoc quoque concedo, ac post tantum certamen, admitto illud, « Faciamus, » ad Angelos dictum fuisse. Illud, « Faciamus, » audisti; illud vero, « Secundum » imaginem et similitudinem » non vidisti? Hoc enim verbo Judæorum et hæreticorum ora obstruam. Neque enim Ju-

[1] Psal. VIII, 5, 6. — [2] Dan. VII, 10. — [3] Gen. XVIII, 27. — [4] Psal. CIII, 4.

dæus, neque rursum hæreticus, ipse quoque vere Judæus; imo pejor : illi namque corpus visibile crucifixerunt; hi vero Divinitatem invisibilem impugnant; imo vero ipsorum salutem. Verum et illi impossibilia aggredi demonstrati sunt (7). Quapropter partim pœnas hujus facinoris in præsenti dederunt, genus suum videntes per totum orbem dispersum. Demum autem illis extrema ultio est infligenda, quando extremum omnium judicium reddendum erit. Atque ab ipsis suo tempore promeritæ repetentur pœnæ. Quid causæ igitur est, cur hos omnes sermones vobis proposuerim? Volo enim rursum seriem repetere. Non audet hæreticus, nec audet Judæus dicere unam esse Dei et Angelorum imaginem. Num Angeli, qui facti sunt, adjutores Dei fuerint? Ministri solum erant, laudantes, gratias agentes, gnari se factos esse, et antea non fuisse, ac nutu voluntatis illius creatos fuisse : stabantque contemplantes, videntesque ea, quæ post ipsos facta fuerant. Videbant cœlum ex nihilo factum, et stupebant; mare segregatum, et mirabantur; contemplabantur terram ornatam, et exhorrescebant. Quod autem Angeli non adjutores fuerint, sed admiratores, ait Deus Jobum alloquens : « Quando feci » stellas, laudaverunt me omnes Angeli et celebraverunt [1]. » « Faciamus hominem. » Dictum illud et loquentem significat et audientem. Vide orthodoxæ fidei radium semper splendentem : et sol lucens radium suum adjunxit. « Fa» ciamus hominem secundum imaginem et similitudinem » nostram. » Personarum ordinem servavit, et substantiæ unitatem. « Faciamus hominem secundum imaginem. » Non secundum imagines : neque enim alia est imago Patris, alia Filii. « Faciamus : » ut Personarum pluralitatem ostendat; « Secundum imaginem nostram; » ut consubstantialitatem declaret. Quisnam vero est magni hujus sermo-

[1] Job. XXXVIII, 7.

nis, et admirandæ creationis socius. Judæi contradicunt, ac vel confutati impudenter se gerunt; hæretici insaniunt, veritas impugnatur, pietatis doctrina invictam præ se fert confessionem.

VII. Unde igitur ostendemus cui dixerit : « Faciamus » hominem ? » aut quis est ejus consiliarius ? Illud enim, « Faciamus, » præsentiam consiliarii exigit. Ait itaque beatus Esaïas de unigenito Filio Dei, qui propter nos humana venit forma : « PUER NATUS est nobis, filius et juvenis datus » est [1]. » Qui non erat, puer natus est; qui erat Filius, datus est. « Et vocabitur nomen ejus : Magni consilii Ange- » lus, » nempe pueri, qui filius erat propter divinitatem, puer autem propter humanitatem. « Magni consilii Ange- » lus, admirabilis, consiliarius [2]. » Si porro consiliarium cui dixit : « Faciamus hominem secundum imaginem et simi- » litudinem nostram, » magni consilii Angelum vocas; nondum, o Propheta, dignitatem ejus, qui a te consiliarius vocatur, declarasti. Fuit enim Moyses consiliarius. Videbatur enim consilium dare, cum diceret : « Non occidas eos, » ne forte dicant gentes : Eo quod non posset illos prole » augere, occidit eos [3]. » Verum ne miraculum ad consiliarium usque statueris : ne commune nomen feceris, etsi multi consiliarii sint, ne contumelia afficiatur is, qui solus est. At nondum, inquit, ejus qui prædicatur dignitatem nosti. Audi de admirabili consiliario; Esaïas enim id quod sequitur ab eo, quod præcedit, interpretatur : « Admira- » bilis, inquit, consiliarius, Deus fortis. » Recte Deo fortitudinem adjunxit. Quare ? Quemadmodum enim multi fuere consiliarii, neque tamen ideo unius consiliarii dignitas lædi debuit; sic quia multi fuere dii; nam ait : « Ego » dixi : Dii estis, et filii Altissimi omnes [4]; » ac rursum ait

[1] Isaï. IX, 6. — [2] Ibid. — [3] Deut. IX, 28. — [4] Psal. LXXXI, 6.

Deus Moysi : « Ecce posui te in deum Pharaonis [1] ; » hic qui prædicatur, non debuit contumelia affici. Ac ne putes eum ita deum esse, ut erat Moyses, ut erant Apostoli, addidit : « Deus fortis. » Moyses deus erat, non fortis, sed fortitudine donatus. Aliud est fortitudine donatus, et aliud fortis. Aliud gratiam commodans, aliud accipiens. « Deus » fortis. » Moyses deus erat fortitudine donatus, etiamsi grandium miraculorum patrator; verum gratiam accipit. Sub potestate erant Apostoli; potens est Servator et tribuit. « Deus fortis. » Neque hoc tantum satis habuit, sed adjicit : « Potens. » Ut et nos et hæreticos doceret, ne sub potestate diceremus eum, qui ipsi potestati imperat. Aliud est sub potestate constitutus, aliud « Potens. » Vis nosse discrimen inter eum, qui ex se potens sit, et eum, qui sub potestate sit. Apostoli sub potestate, Servator vero potens erat. Paulus vidit in Macedonia puellam spiritum Pythonis habentem, omnibusque dicentem : « Hi homines servi Dei » altissimi sunt. Ægre autem ferens Paulus, conversus dixit » spiritui ; » non autem puellæ, sed puellam occupanti, « Denuntio tibi in nomine Domini Jesu Christi, ut exeas » ab illa [2]. » Vocat Dominum, ut ostendat se servum. Quia supra hominem hoc miraculum erat, quod dæmones obedirent hominibus; ne visus vocem raperet, neve ii, qui Dei ministri erant, dii esse putarentur : « Denuntio, in- » quit, tibi in nomine Domini ; » servi est denuntiare, Dei cum potestate agere. Vidisti famulum denuntiantem, vide Dominum imperantem. Oblatus est Domino quidam dæmoniacus surdus et mutus. Non dixit Dominus : « Denuntio tibi surdo et muto dæmonio ; » sed « Ego tibi præcipio [3]. » Denuntiatio est Pauli, Potentis autem est imperare : « Ego tibi præcipio, exi ab eo, nec amplius intraveris : » obedivit dæmon, novit enim potentiam. Dicat beatus Ezechiel ad

[1] Exod. VII, 1. — [2] Act. XVI, 16-18. — [3] Marc. IX, 24.

synagogam hæreticam : « Vivo ego, dicit Dominus, justifi-» cata est soror tua Sodoma supra te[1]. » Quid est illud quod dicit? Nisi enim illud didiceris, non poteris deduci ad spiritualis sensus intelligentiam. Sodomitæ desperati erant, in scelere enim vitam transigebant : ideoque divinitus immisso consumpti sunt igne. Eratque Jerusalem post eorum exitium, urbisque eorum incendium, multis generationibus, specie quidem florens, majora tamen scelera perpetrans. Cum igitur hi Sodomitarum nequitiam superarent, jurat Deus per Ezechielem his verbis : « Vivo ego Adonaï, » dicit Dominus, dic incompositæ filiæ Jerusalem : Non » peccavit soror tua Sodoma vel dimidium peccatorum » tuorum, et justificata est Sodoma ex te[2]. » Ac si diceret : « Sodoma comparatione tui justa est. » Ac si quis hæreticis diceret : « Justificati sunt Judæi ex ingenti hæreticorum furore; justificati sunt dæmones, quia hi Filium ipsum vocant, illi vero opificium. « Justificata est Sodoma ex te. » Hic autem obiter quæro causam cur ii, qui Sodomitarum scelera perpetrarunt, non perierunt ut Sodomitæ; imo etiamsi duplo majora peccaverunt, cur non devastati sunt ut illi?

VIII. Deus itaque non modo videbat ingentem Judæorum impietatem, sed etiam eam, quæ post futura erat, fidelium pietatem; prævidebat prodituram ex Judæa esse sanctam Deiparam virginem : prævidebat chorum Apostolorum, necnon ordines Confessorum, et multa millia Judæorum qui crediturі erant. Quando enim ascendit Paulus in Jerusalem, dicunt ei co-Apostoli : « Vides, Paule frater, » quot millia sunt Judæorum, qui crediderunt[3]. » Prævidens igitur eos, qui crediturі erant, pepercit incredulis; non ipsorum gratia, sed propter fructum, qui ex illis nasciturus erat. Id testificatur Esaïas : « Et nisi Dominus Sa-

[1] Ezech. xvi, 24. — [2] Ibid. 50. — [3] Act. xxi, 20.

» baoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, » et quasi Gomorrha similes facti essemus[1]. » Verum forte nos dicto vim intulimus, et de alia re loquitur Esaïas? At Paulum audi Prophetarum fratrem et interpretem dicentem : « Fratres, nunc reliquiæ secundum electionem gra- » tiæ factæ sunt; ut reliquiæ salvæ essent[2]. Et sicut dixit » Esaïas: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, » quasi Sodoma facti essemus[3]. » Omnia siquidem prævidebat Deus, non perinde atque nos, qui tempore docemur, sic Deus per experientiam discit. Rursus dico, ut sæpe dixi, sæculorum fines videbat : Adamum vidit peccantem, prævidebat etiam eos, qui ex illo futuri essent justi; videbat eum ejiciendum ex paradiso : verum prævidebat regnum ei esse paratum. Quodque admirabile est, ante paradisum regnum paratum fuit. Miraris quod Adam ejectus fuerit ex paradiso : mirare, quod ante paradisum paratum ipsi fuerit regnum cœlorum. Ait Servator : « Venite bene- » dicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a cons- » titutione mundi[4]. » Erubescant hæretici, cum audiunt ea, quæ Sanctis parata sunt, ante constitutionem mundi, et dicunt : « Erat aliquando cum Filius non esset : » specie tantum Unigenitum confitentur, quia Scripturam delere non possunt, vocem largiuntur, et rem subtrahunt. Si dixerimus unigenitum Filium, statim dicunt : Scriptum est, « Et Primogenitus totius orbis terrarum[5]. » Ergo secundum hæreticos hæc duo inter se pugnant. Nam si primogenitus, non unigenitus est : primogenitus enim, cum fratres habuerit, primogenitus dicitur : unigenitus vero, si fratres habeat, jam unigenitus non dicitur. Unigenitus quippe est is qui unus ex aliquo natus est; quemadmodum et Scriptura testificatur Abrahamum alloquens : « Tolle

[1] Isaï. I, 9. — [2] Rom. XI, 5. — [3] Id. IX, 29. — [4] Matth. XXV, 34. — [5] Col. I, 15.

» filium tuum Unigenitum [1]. » Primogenitus dicitur is, qui fratres habet; ideo enim primus est, quod prior natus sit. Unigenitus vero ideo dicitur unigenitus, quod fratres non habeat. Alias quoque unigenitus est, qui solus ex aliquo natus est, non qui solus factus est, ut nugantur hæretici: » Unigenitus quia solus talis factus est. » Ergo et Elias unigenitus, quia solus talis; quod sane cum ratione pugnat. At in more Scripturæ est, ut unigenitum dicat eum, qui solus ab aliquo genitus est, secundum prius demonstratam vocis significationem. Attende, quæso. Primogenitus, si fratres non habeat, unigenitus est. Ego non unum, non duos, non tres, sed plurimos reperio primogenitos. Rem novam! Primogeniti quomodo plures? unum enim esse oportet. Sermonem produxi, ob illas voces, « Primogenitus » et « Unigenitus. » Difficultatem vero solvamus : cum, qui primus credat in sua ætate, Deus primogenitum vocat, non quod sit primus inter alios fideles, sed quod in suis temporibus prius apparuerit; verbi gratia, in Ægypto erat populus, dicit Deus per Moysem : « Filius primogenitus meus » Israël. Dixi : Dimitte mihi populum meum [2]. » Ecce populum primogenitum : quia illo tempore prior erat populus, qui Deum noverat. Emersit postea David, post legem, post multas ætates, ac pollicetur ei Deus ex semine ejus Christum oriturum esse, et sic ait : « Inveni David servum » meum, oleo sancto unxi eum. Ipse invocabit me : Pater » meus es. Et ego primogenitum ponam illum [3]. » Quod si primogenitus sit David, primogenitus quoque populus est. Adam primogenitus in generatione sua; Noë, Sem primogeniti; Abraham primogenitus in generatione sua; Moyses, Esaïas, quia suis temporibus pietati se dediderunt. Ex his multis primogenitis congregata est Ecclesia magna, quæ

[1] Gen. XXII, 2. — [2] Exod. IV, 22, 23. — [3] Psal. LXXXVIII, 21, et 27, 28.

est in cœlo. Testificatur Paulus : « Accessistis ad Sion mon-» tem, et ad civitatem Dei viventis Jerusalem, et ad mul-» torum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam » primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis[1]. » Primogenitorum illorum unus est secundum carnem Christus, secundum divinitatem unigenitus. Quia enim eos, qui per singulas ætates profecerunt, assumit, cum omnibus et ipse primogenitus dicitur. Ideo ait Paulus : « Primogenitus in » multis fratribus[2]. » Verum de homine multa dici poterant : servatur autem enarratio in diem sextam sequentem, in qua formatus est, ut, cooperante divina gratia, clarior pro virili nostra oratio evadat, non ex iis, quæ cogitatio nostra suppeditabit, sed ex iis, quæ didicimus. Communis quippe fons est ; communia omnia proposita dona, si modo nos velimus cum omni alacritate studium adhibere. Sermonem autem vertamus ad morum institutionem.

IX. Heri ostendimus quomodo esse debeat elevatio manuum pietati fidentium. Qui dat pauperibus, dicat : « Elevatio manuum mearum[3]. » Qui lapsum erigit, dicat : « Elevatio manuum mearum. » Quæramus Psalmi proœmium ; quandoquidem par est ea nos scire quæ psallimus. Cur dicimus : « Dirigatur oratio mea sicut incensum in » conspectu tuo[4] ? » Non enim incensum omne dirigitur : Deus quippe unguentorum fragrantia non delectatur. Quid igitur est illud, « Dirigatur oratio mea? » Articulus deest, ita ut sensus dicti sit talis : « Dirigatur oratio mea sicut in-» censum in conspectu tuo. » Quale incensum ? Duo erant altaria in tabernaculo ; unum in atrio exteriori sub dio ; aliud intra sancta sub tecto. Interius altare ad incensum solum erat, non ad effusionem sanguinis. Exterius autem altare ad animalia quæ immolabantur, ad panes proposi-

[1] Hebr. XII, 22, 23. — [2] Rom. VIII, 29. — [3] Psal. CXL, 2. — [4] Ibid.

tionis, et ad cætera quædam. Exteriorem aram jussit Dominus Moysi ex impolitis lapidibus struere. Interiorem vero in tabernaculo, ex auro polito. Quid divina gratia per hæc subindicet operæ-pretium fuerit explorare. Duos nempe populos Dei gloriæ ministrantes, quorum unus ineruditus, alter probe institutus sit. Qui in dictionibus solœcizat et barbarus est, sermones profert ut lapides impolitos; attamen ii ad altaris structuram conferunt. Rursus aurum expolitum, pretiosus dicitur lapis; at neque hic extollitur, neque ille ejicitur. Nam et illic altare Dei, et hic altare Dei. Eratque ex quatuor speciebus unguentum compositum, ex stacte, ex onyce, ex galbano et thure. Quia igitur unguentum variis ex rebus componitur, virtusque item ex variis constat, ideo dicit: « Dirigatur oratio mea sicut in» censum in conspectu tuo, » quemadmodum illud ex multis compositum, et unam fragrantiam emittens. Quia cum oratione ingreditur quis jejunio ornatus, eleemosyna, fide. Similis esto, inquit, quadrupla virtus, incenso illi, quod in conspectu tuo dirigitur. Sic et beatus David alibi ait: « Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres » in unum, sicut unguentum in capite, quod descendit in » barbam, barbam Aaron [1]. » Similem dicit charitatem unguento sacerdotali, orationem incenso sacerdotali. Continentia præditus es? Frater es sacerdotis. Sacerdotium forte non habeo, continentiam habeo. Soror est continentia mea sacerdotii tui. Unde hoc? Etenim illum esse castum oportet, qui sacerdotio fungitur, et me, qui Deum colam. Si castitatem habeam, sacerdotium accipio. Undenam hoc? David fugiens a Saüle venit ad Abiatharum summum sacerdotem (8), aitque illi: « Da mihi panes [2], » quia repente missus sum a rege, et viatica non habeo. » Respondet summus sacerdos, legum peritus: « Non est nobis panis alius, nisi

[1] Psal. CXXXII, 1, 2. — [2] 1 Reg. XXI, 3.

» panis sanctus, quem non licet alii, quam sacerdoti, co-» medere [1]. » Quia igitur necessitatem videbat, timebat vero panes propositionis tradere, quærit ab iis, qui sacerdotes non erant, an puri essent, dicitque : « Si mundi sunt » pueri, qui tecum sunt, ab uxoribus, sume [2]. » Continentiam enim putabat esse sacerdotii sororem. Ac ne quis in calumniam sacerdotis trahat illud, quod panes dederit iis, qui sacerdotes non erant, audi quomodo Servator id quasi probe factum commemoret. Incusabant aliquando Apostolos Judæi, quod spicas vellerent, et manibus confricantes comederent, quibus ait Servator : « Non legistis quid » fecerit David cum esuriret? panes propositionis comedit, » quos non licebat ei comedere, nec iis, qui cum illo erant, » sed solis sacerdotibus [3]. » Vidisti-ne sororem esse sacerdotii castitatem? vidisti-ne quomodo Deus personas non recipiat, sed veritatem exploret?

X. Præparemus nos ergo ad beneficentiam, et ad justitiam, ut jejunium alas accipiat. Quemadmodum enim avis nonnisi alarum ope volare potest; sic et jejunium duas habet alas, orationem et eleemosynam, quibus destitutum sursum currere nequit. Vide Cornelium cum jejunio his quoque alis instructum; quapropter et vocem audivit de cœlo : « Corneli, orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascen-» derunt ad Deum [4]. » Finge animal esse jejunium, charissime, ejusque alas esse eleemosynam et orationem, sine quibus sursum ferri non possit. Qui talis est, etsi non loquatur, justitiam magna voce clamat. Magna quippe justitiæ patrona virtus est. Ideo dicit : « Exaudi, Domine, justitiam » meam [5]. » Primum itaque maximumque bonum est oratio, eleemosyna et justitia. Quod autem tutum est et inconcussum, omniumque radix, Dei cognitio, Unigeniti

[1] 1 Reg. xxi, 4. — [2] Ibid. — [3] Luc. vi, 3, 4. — [4] Act. x, 4. — [5] Psal. xvi, 6.

adoratio, Spiritus sancti confessio, una fides indivisa, secura, tuta, nullis partibus scissa. Jam dictum est quod dicturus sum, attamen rursum dicam. Deus sapiens cum sit, permisit ut hæreses a suis auctoribus dogmatibusque nomen haberent, ut hinc liqueret non Dei doctrinam, sed hominum inventum esse illorum opiniones; exempli causa, Macedoniani a Macedonio, Ariani ab Ario, Eunomiani ab Eunomio. Similiter et reliquæ hæreses. Apostolorum vero fidem cum intemeratam servare vellet, non permisit ut ab homine nomen haberet: etiamsi enim nos vocent Homousiastas, non viri tamen nomen proferunt, sed fidem prædicant. Quod enim ab hominibus nomen habere, non sit fidelium, sed hæreticorum, ait Paulus Corinthios redarguens: « Audio in vobis schismata esse: nam » alius quidem dicit: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, » ego vero Cephæ [1]. » Vides-ne ab hominibus nuncupari schismatum esse proprium? Annon fide dignior Petrus Macedonio? Apostolorum nomina fugiunt quæ gloriæ Christi cedant; tu vero sciadis fidem, indivisum regnum, inseparabilem gloriam? Verum hactenus: habemus enim lucernam et lumen: nam « Lucerna pedibus meis verbum tuum, » et lumen semitis meis [2]. » Cur lucerna? cur lux? Lucerna quippe catechumenis, lux iis, qui initiati mysteriis sunt. Rogo charitatem vestram, ut intemeratum jejunium vestrum servetis, impollutum ab injustitia, purum ab avaritia. Vide stultitiam eorum, qui abstinentiam a cibis sectantur, nec curant a peccatis abstinere. « Non bibo, inquit, vinum, non comedo oleum, non edo carnes. » Bene sane hæc propter Deum servantur; hæc bona sunt; sed rem quæramus. Panis, aqua, vinum, carnes, oleum, hæc omnia Dei opera sunt: avaritia vero, injustitia et impietas, opus sunt diaboli. A Dei operibus abstines propter jejunium,

[1] 1 Cor. 1, 12. — [2] Psal. CXVIII, 105.

et a diaboli operibus non abstines propter jejunium? Panis, vinum, oleum, et si qua alia, Dei sunt opera, cuncta bona et admodum bona. Ait Paulus : « Omnis creatura Dei bona, » et nihil rejciendum, quod cum gratiarum actione perci- » piamus : sanctificatur enim per verbum Dei et oratio- » nem [1]. » Si ergo benedicitur, si ergo sanctificatur, cur abstinemus? Injustitia autem, avaritia, et si qua alia, diaboli sunt opera. Ab operibus Dei abstines propter jejunium, et ab operibus diaboli non abstines propter pietatem? Atqui, fratres, adversus eum, qui non jejunat, non prolata sententia est, adversus eum autem, qui inique agit, pœnam interminatur. Ab iis, quæ innoxia sunt, cavemus, nec cavemus ab iis, quæ sunt culpæ obnoxia. Bona res est eleemosyna, quæ specie quidem dispergit, re autem congregat. Quemadmodum enim agricola terræ fœneratur, ex qua semina expectat; sic eleemosyna dum aliis dari videtur, vere danti recondit. Nam ait David : « Dispersit, dedit pau- » peribus, justitia ejus manet in sæculum [2]. » Sic jejunemus, sic adoremus, sic credamus, Patrem glorificantes, Filium hymnis celebrantes, Spiritum sanctum adorantes, quia ipsi gloria in sæcula. Amen.

ORATIO V.

In quintam diem creationis.

I. Multa quidem magnaque a benignissimo Deo hominibus concessa munera sunt. Primum autem ejus maximumque donum est, Scripturarum doctrina. Sol enim et luna,

[1] 1 Tim. IV, 4, 5. — [2] Psal. CXI, 9.

omnisque stellarum chorus, flumina item, fontes et lacus, ad corporum usum facta sunt; sacræ vero Scripturæ ad animarum emendationem sunt datæ. Quanto autem anima corpore superior est, tanto superius aliis est divinarum Scripturarum donum. Ideo ait Servator : « Scrutamini » Scripturas, in quibus videmini vitam æternam habere[1]. » Scrutemur ergo thesauros Scripturarum, et quæ polliciti sumus aggrediamur, hominisque creationem pro virili nostra ordiamur. Nemo vero rursum reprehendat ea, quæ accuratius exploramus. Hoc enim illorum proprium est, qui nugari student, ea carpere quæ a Deo statuta sunt, et ea, quæ accurate dicuntur, reprehendere. Audivi sic incusantes : « Quæ necessitas erat de igne et aqua hæc dicere : « Stridet ignis, cum aqua in eum injicitur? Nos, aiebant, non rerum naturalium disquisitionem quærimus, sed divinarum. » Scias autem oportet hæc verba ignavorum et inertium esse hominum. Post theologiam enim, rerum naturalium enarratio pietati fundamentum præbet; quod si naturalium rerum commemorationem eliminant, accusent Prophetas, Apostolos arguant. Apostolus res naturales tractat : « Non omnis caro eadem caro; sed alia caro hominum, » alia jumentorum, alia piscium, alia avium. Et corpora » cœlestia, et corpora terrena[2]. » Cur naturalia edisserit Paulus, et ex musicis instrumentis accusationem instituit, et ait : « Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in » mundo, et nihil sine voce est. Etenim si incertam vocem » dederit tuba, quis parabit se ad prælium? sive tibia, sive » cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo » cognoscetur id quod tibia, aut quod cithara canitur[3]? » Quid Pauli lingua commune habebat cum tibia et cithara? Sed philosophatur ex iis, quæ sub aspectum cadunt, ut ea declaret, quæ intellectu perspiciuntur. Quid necesse erat

[1] Joan. v, 39. — [2] 1 Cor. xv, 39, 40. — [3] Id. xiv, 7-10.

in libro Job, de tot tantisque naturalibus rebus tractari? « Leonis fortitudo, leænæ vox, superbia draconum extincta » est. Myrmecoleon periit, eo quod non haberet escam [1]. » Pulli autem vulturum alte volant [2]. » Cur alius Propheta dicebat : « Quomodo si sumat leo et rapiat, atque rugiat » super prædam, et replentur montes voce ejus [3]? » Ipseque Servator de naturalibus rebus sermocinatur : « Simile » est regnum cœlorum grano sinapis, quod minimum est » omnibus seminibus; cum autem creverit, majus est om- » nibus oleribus [4] : » ac rursum : « Simile est regnum cœlo- » rum, quemadmodum si homo jaciat sementem suam, et » germinet, et crescat, dum nescit ille : ultro enim terra » germinat, primo herbam, deinde spicam : deinde tri- » ticum implet in spica [5]. » Naturaliter etiam de cœlo tractat Servator : « Si cœlum, inquit, vespere rubrum fuerit, » dicitis : Serenum erit, rubet enim cœlum : et sub dilucu- » lum; Hodie imber erit, rubet enim triste cœlum [6]. » Quid his opus erat? Hæc dico propter eos, qui insecte reprehendere aggrediuntur. De Deo movetur sermo, et accuratam doctrinæ enarrationem audire renuis? Quando igitur propositum est per divinam gratiam de hominis creatione sermonem habere, non pro rei dignitate, sed pro facultate nostra operæ pretium est ad argumentum procedere.

II. Ornatum suum acceperat cœlum, terra fructibus coronata erat, aquæ maris segregatæ fuerant, stirpes germinaverant, brutæ animantes productæ fuerant, repleta erat terra, ornata erat domus, desiderabatur omnium quæ facta fuerant herus et paterfamilias. « Dixit Deus : Faciamus » hominem ad imaginem et similitudinem nostram [7]. » Demonstratum est priscie quæ sit illius vocis vis, « Facia- » mus, » et quis cui loquatur; quis consiliarius, et cujus

[1] Job. IV, 10. — [2] Id. V, 7. — [3] Isaï. XXXI, 4. — [4] Matth. XIII, 31, 32. — [5] Marc. IV, 26-28. — [6] Matth. XVI, 2, 3. — [7] Gen. I, 26.

sit communis deliberatio. Verum quia ex Scripturis ostendimus consiliarium antiqui illius consilii, Filium esse, ac Spiritus sancti gloriam tacuimus; ne ex nobis, qui sani sumus, ii qui ægrotant occasiones capiant, scire oportet unam esse gloriam, unam sententiam, unum operantem sermonem Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Appellatus est hic consiliarius Filius : alibi dictum est Dei scientiam neminem habere nisi Spiritum sanctum. Ait Paulus : « Nemo scit » quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est : ita et » quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei [1]. » Si spiritus, qui est in te, a tua substantia alienus est, etiam qui in Deo est Spiritus alienus est a Dei substantia. Vult aliquid Pater? eadem voluntas et Filii et Spiritus sancti est. Vult aliquid Filius? eadem voluntas et Patris et Spiritus est. Vult aliquid Spiritus? eadem voluntas et Patris et Filii. Suscitat Pater mortuos? suscitat et Filius. Ait quippe Servator : « Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat; sic et » Filius quos vult vivificat [2]. » Ecce conjuncta voluntas. Ubi ergo voluntas Spiritus? Audi « Hæc autem omnia operatur » unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult [3]. » Unum regnum Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Coarguit autem Deus eos, qui sine voluntate Dei aliquid agere conantur. Ait per Prophetam : « Væ filii desertores, dicit » Dominus. Fecistis consilium, non per me, et fœdera, non » per Spiritum meum [4], » clare sanctam Trinitatem commonstrans. Dicebat Zacharias propheta (9) : « Confortentur » manus Zorobabel, dicit Dominus, et confortentur manus » Josedec sacerdotis, et manus populi, quia ego vobiscum » sum, dicit Dominus et verbum meum bonum; et Spiritus » meus in medio vestrum [5]. » Præterea vero, fratres, regeneratio nostra creationis testimonium est. Nisi Spiritus

[1] 1 Cor. II, 11. — [2] Joan. V, 21. — [3] 1 Cor. XII, 11. — [4] Isaï, XXX, 1. — [5] Agg. II, 5, 6

Patri et Filio consors fuisset in creatione, neque fuerit in regeneratione. Quomodo baptizamur? « In nomine Patris, et » Filii, et Spiritus sancti [1]. » Quæ major generatio, an creationis, an initiationis? Illic principium vitæ in mortem, hic principium mortis in vitam. Qui ergo fieri potest, ut Spiritus sanctus in eo, quod majus est, consors sit Patris et Filii, in corporali autem creatione a communi dignitate removeatur? Nunquam conditi fuissemus nisi a Spiritu sancto formati essemus. Et quia in prima creatione socius est Patris et Filii; similiter et in baptismate socius est et adjutor. Rursus in resurrectione, fieri nequit ut nos alio modo resurgamus, quam Patre volente, Filio cooperante, et Spiritu sancto virtutem præstante. Audi Dominum dicentem; recte dixi « Dominum : » etiamsi enim Pauli vox sit, Domini tamen est : licet enim ex ipso audire : « An experimentum » quæritis ejus, qui in me loquitur, Christi [2] ? » Ait igitur in Paulo loquens : « Vos autem non estis in carne, sed in » Spiritu : siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis » autem Spiritum Dei non habeat, hic non est ejus. Si au- » tem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est » propter peccatum, Spiritus vero vita propter justitiam. » Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Christum, habitat in » vobis, qui suscitavit Christum a mortuis vivificabit et » mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum » ejus in vobis [3]. » Extra Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum nec prima creatio est, nec secunda generatio, nec postrema resurrectio. « Faciamus hominem. »

III. Hic jam eos, qui reprehendunt, prænonuimus. Hominis appellatio, hebraïca lingua, ignem significat. Hic animum adhibe, quæso : qui sincere audit, utpote veritatis amicus et alumnus, salutem consequitur : qui vero iniquis est auribus, non quærit in quo utilitatem accipiat, sed in

[1] Matth. xxviii, 19. — [2] 2 Cor. xiii, 3. — [3] Rom. viii, 9-11.

quo criminetur. Homo, hebraïca dialecto, ignis dicitur. Hoc nomen non sine causa inditum est Adamo. Sed quatuor sunt elementa in mundo, (rursum de rebus ago naturalibus, velint nolint,) terra, aqua, aër, ignis : cætera elementa ut sunt manent; exempli causa, si terræ glebam sumpseris, non potes ex ea quam tenes glebam apponere. Ergo si glebam sumpseris, id manet quod est. Aquam rursum si mensura quadam sumpseris, manet eadem aqua, augmentum non accipit. Aëre si utrem repleveris, alium utrem ex illo implere non potes. Ignis vero non manet qualis est. Parva accenditur lucerna, innumerasque ex illa faces accendis, integram fornacem, flammam ingentem; nec manet ignis eadem forma, sed quantamlibet materiam corripuerit, exuperantius augetur. Cum præsciret ergo Deus ex uno corpore humano replendos esse orbis terminos; lucerna quippe una tot accendit faces; eratque oriens, occidens, septentrio et meridies; nomen indidit rei consentaneum. Idcirco ipsum Adami nomen pignus erat orbis terrarum. Quia enim futurum erat ut quatuor climata ex ipso implerentur, imponit ei nomen Adam ἀλφα, ἀνατολή, oriens, δέλτα, δύσις, occcidens, ἀλφὰ, ἄρκτος septentrio, μὺ, μεσημβρία, meridies. Et nomen et litteræ testificantur hominem repleturum esse orbem terrarum. Vocatur ergo hebraïca lingua ignis. Quia igitur ignis appellationem habet, non dubitat Scriptura etiam Angelos homines vocare. Quando enim venerunt Maria et sociæ mulieres ad monumentum, dicit : « Ecce astiterunt illis duo viri [1]. » Erant autem Angeli : ipsi vero Angeli quoque ignis vocantur : nam, « Qui facit » Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem [2]. » Viros vocat illos, quia communem habent cum homine notionem. Ecquid mirum ? Ipse Deus vocatur ignis, vocatur et homo. Ait Servator de Patre suo : « Homo quidam

[1] Luc. xxiv, 4. — [2] Psal. cm, 4.

» erat paterfamilias, qui plantavit vineam. Et misit servos » suos, et occisi sunt servi [1]. » Utque compendio dicam. « Et » dixit homo ille, adhuc unum filium habeo, mittam illum, » si forte revereantur [2]. » Quid sibi vult nomen « Homo » pro nomine divino : non enim dixit, « Parabolam ; » non dixit : « Simile est, » sed, « Homo quidam erat. » Idcirco Moyses : « Deus noster, ignis consumens [3], » Salvator quoque postquam venerat dicit : « Ignem veni mittere in terram [4]. » Adhibet itaque nomen rei consentaneum. Quandoquidem ignis, ut jam dixi, ex parvo magnus evadit : et homo a parvo orbem terrarum implevit. Vocatus est homo ignis, per illud, « Faciamus hominem : » nam hebraïce est : « Faciamus ignem. Faciamus hominem ad imaginem nos- » tram. » Multi stultorum et imperitorum putarunt hominem ad imaginem Dei esse, quod Deus nares habeat, aut oculos, vel aures, vel os, ut nos habemus. At falsa absurdaque est hæc opinio. Estque hactenus hæresis quæ dicit numen divinum hominis formam habere. Quia enim audierunt : « Oculi Domini, aures Domini [5], » et, « Odoratus est » Dominus [6], » et « Os Domini locutum est [7], » et, « Manus Dei » fecit [8] ; » et, Pedes steterunt [9], » incorporeum cum membris depinxerunt, sententiæ absurditatem non percipientes. Dicit Deus, ut discas nullam hominis cum Deo esse similitudinem, quantum scilicet ad corporalem speciem ; non enim hanc vocem tollo, « Faciamus hominem ad imagi- » nem. » Verum demonstratum est quomodo « Ad imagi- » nem » dicat Deus : « Cœlum et terram ego impleo, dicit » Dominus [10]. » Rursus idem : « Cœlum mihi solium ; terra » autem scabellum pedum meorum [11]. » Voces-ne sequemur?

[1] Matth. xxi, 33, et seqq. — [2] Ibid. 37. — [3] Deut. iv, 24. — [4] Luc. xii, 49. — [5] Psal. xxxiii, 16. — [6] Gen. viii, 21. — [7] Isaï. i, 20. — [8] Job. xii, 9. — [9] Psal. cxxxi, 7. — [10] Jer. xxiii, 24. — [11] Isaï. lxvi, 1.

serviemus-ne litteræ? Sed quæ hinc consequuntur me redarguent. Quomodo cogitabo cœlum solium esse; solium complectitur sedentem, Deus vero non circumscribitur. Nihil est circa Deum; sed ipse ambit omnia et circumcingit. Si ergo cœlum habeat solium, « Quomodo cœlum » palmo metietur [1]? » quomodo sedet in cœlo? « Cœlum mihi » sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. » Ubinam sedet? In cœlo quod cernimus? stellæ sunt sub firmamento; aquæ super illud positæ sunt. Si supra sedet, non super cœlos; sed in superiore cœlo. Si sedet omnino, etiam pedes usque ad terram pendent. Talem-ne figuram ascribis ei, qui sine figura est? Annon impium est illud ita cogitare? Demum, si ejus pedes terram calcant, quomodo ferimus? quomodo metimus? quomodo pertransimus, nec in pedes ejus impingimus? quomodo cœlum palmo mensus est? Quam magnos habuit digitos proportione Divinitatis? Et quomodo talibus digitis exiguas tabulas scripsit, neque illis pluribus? Nos tribus digitis scribimus, reliquis operam conferentibus, Deus uno digito tabulas scripsit. Vidisti-ne aliquem uno digito scribentem? Sunt hæc magis sententiæ, quam verba.

IV. « Faciamus hominem ad imaginem nostram. » Vult Deus ut quantum ad virtutem similes ipsi simus. Quid est, « Ad imaginem? » Deus sanctus est; si sancti fuerimus, ad imaginem Dei sumus. Nam, « Estote sancti, quia ego sanc» tus sum [2]. » Deus justus est; si justitiam sectemur, imago Dei sumus : nam « Justus Dominus, et justitiam dilexit [3]. » Si misericordes sumus, imago sumus Dei; ait enim Servator : « Estote misericordes, sicut Pater vester misericors [illegible] Vides qua in parte sit imago! Ostendit et Paulus [illegible] enim : « Exuite vos veterem hominem et in-

[1] Isai. XL, 12. — [2] Levit. XIX, 1. — [3] Psal. X, 8. — [4] Luc. VI, 36.

» duite novum, qui secundum Deum creatus est in agni-» tione veritatis, secundum imaginem ejus qui creavit » eum[1]. » Vides virtutibus tribui, quod Scriptura dicit : « Ad » imaginem nostram? » In quo est ratio imaginis? In potestate item : « Imperent piscibus maris, et volatilibus cœli, » et bestiis, et reptilibus, et jumentis, et universæ terræ[2]. » O Dei consequentem ordinem! O verborum accuratam rationem! Cur dixit prius : « Præsint piscibus maris? » Secundum ordinem creationis, est ordo dominationis. Quia primi ex mari facti sunt pisces et volatilia; postea vero ex terra quadrupedes et reliqua pecora, inducit prius ea, quæ priora facta sunt. « Præsint piscibus et volatilibus, et bes-» tiis, et reptilibus, et jumentis. » Quamobrem tres pueri, benedicentes in fornace, ordinem servant : « Benedicite maria » et flumina Domino; benedicite cete et omnia quæ mo-» ventur in aquis Domino. Benedicite omnes volucres cœli » Domino. Benedicite bestiæ et pecora. Benedicite filii ho-» minum[3]. » Alia supererant consideranda; sed ad propositum revertamur. « Et formavit Deus hominem[4]. » Non simpliciter dixit : « Fecit; » sed, « Formavit. » Formatio dicitur de decore et ornatu; ut quando aliquis videns formosum vultum, quia pulchre efformatum est, dicit : « Nihil fecit Deus in corpore præter decorum; sed et decoro et usui prospexit; » Exempli causa, oculus duo habet, usum et decorem. Nam et videt et venustum reddit vultum, faciemque ornat, omniaque conspicit. Auris usum habet, aspectuque jucunda est : quod enim circumpositum est cymbalum, animal exornat. Similiterque nasus olfactu necessario præditus est; sed secus quam in cæteris animalibus, velut me[illegible] parietem effici[illegible]t ad decorem complendum : id e[illegible] mini competit : cætera quippe animalia nasum hor[illegible]

[1] Col. III, 9, 10. — [2] Gen. I, 26. — [3] Dan. III, 78 et seqq. — [4] Gen. II, 7.

bent, sed unam tantum narium positionem. Hoc vero eam ob rem formavit Deus. Ideo David : « Qui plantavit aurem » non audiet ? aut qui finxit oculum non considerat [1] ? » Sic terram fecit ad ornatum et ad usum. Ac ne plura tibi decora recenseam, postquam unum dixero, prætergrediar. Dedit Deus homini, viro scilicet, cum aliis etiam uberum concinnitatem. Viro cur ubera ? Decoris causa. Nam esto mulieri concesserit ubera ob naturæ necessitatem, ad lactis subministrationem, viro cur ubera ? Ad decorum, ad ornatum. Quemadmodum enim in ædificiis alia fiunt ob necessitatem, alia ob decorum ; sic Deus et hominem ornavit, et ipsi ad usum necessaria contulit. Formavit eum accepto pulvere de terra. Beatæ Christianorum spes, si intellexerimus ea quæ audimus. Cur non dixit : « Accepit glebam de terra ? » Tantum corpus efformavit : ac ne gleba quidem opus habuit, sed pulverem accepit ? Deus prævidit futura ac si præsentia essent : quia prævidebat hoc animal esse moriturum, et in pulverem transmutandum, jam olim in creatione spem resurrectionis ostendit. Accipit pulverem de terra, ut cum videris in sepulcro pulverem, noveris eum, qui illud efformavit, hoc quoque suscitaturum esse. « Formavit hominem sumpto de terra pulvere, et in- » sufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ [2]. » Vide discrimen inter homines et bruta. Cætera omnia cum faceret Deus, simul omnia produxit, cum corpore animam. Animadverte, quæso. Fecit natatilia, simul animam et corpus. « Educat terra animalia ; » prodit simul cum corpore anima ; hominis primo corpus facit, deinde animam : cujus spei causa ? qualis formatio, talis solutio. Ideo animantes spem resurrectionis non habent : quia quo modo factæ sunt, eodem modo moriuntur. Simul corpus et anima abolentur. Corpus hominis de terra accepit, animam ipse tribuit

[1] Psal. xciii, 9. — [2] Gen. ii, 7.

creando, non ex sua substantia producendo : ut cum mortuum fuerit corpus, sive homo, ne desperemus de anima. Quid enim quod in sepulcro depositum sit corpus? ne putaveris ibi esse animam. Non enim de terra sumpta est, nec in terram revertetur. Spem ergo statuit. Ideo etiam in Ezechiel, resurrectionem vaticinatur his verbis : « Mortuis » ossibus corpus factum est [1]. » Deinde ait : « Ex quatuor » ventis veniat spiritus, et ingrediatur in mortuos hos, et » vivant [2]. » Sic et David clamat : « Auferes spiritum eorum, » et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emittes » spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ [3]. » Vidisti Spiritum creatorem? vidisti cum Deo operantem?

V. Sed ad propositum revertamur. « Insufflavit. » Per illud, « Insufflavit, » animæ simplicitatem ostendit : ideo nec multis concinnatur. Attende jam. Quia creatura inveteraverat, illam Christus in dispensatione instaurat. Formatus est Adam de terra : forma.it Christus cæci oculos ex luto, ut hinc noveris eum, qui accepit pulverem de terra, et formavit. » Insufflavit Deus in faciem Adami spiraculum » vitæ [4]; » insufflavit Christus in faciem Apostolorum, et dixit : « Accipite Spiritum Sanctum [5]. » Eam quæ perierat Adami insufflationem, Christus restituit, et factus est rursus homo in animam viventem. Hic seriei animum adhibe. Etiamsi enim vocis organum deficit; consueta tamen spe præcurrens, fratrumque vota acceleranS, credo dandum mihi esse verbum, non meriti mei causa, sed alacritatis auditorum gratia. Etiamsi sanctis non simus comparandi; at illi quoque talia sunt passi, corporisque infirmitatibus impediebantur. Id testificatur David dicens : « Laboravi » clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ [6]. » Melius porro est rauca voce recta dicere, quam, recta voce, animo per-

[1] Ezech. xxxvii, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Psal. ciii, 29, 30. — [4] Gen. ii, 7. — [5] Joan. xx, 22. — [6] Psal. lxviii, 4.

versum esse. « Plantavit Deus paradisum in Edem ad orien-» tem [1]. » Quid est Edem? Edem significat delicias; ac si quis diceret: « Plantavit paradisum in deliciis, sive in delicioso loco, in pulchro loco. » Ideoque in fine dicit : « Et ejc-» cit Adam, et collocavit eum ex adverso paradisi volup-» tatis [2]. Plantavit Deus paradisum in Edem ad orientem. » Cur non in alio climate, sed ad orientem paradisus? Unde initium cursus luminarium, inde principium vitæ hominum. Præsignificat Deus futurum : ad orientem in paradiso ponit hominem, ut ostendat, quemadmodum luminaria illa orientia currunt ad occidentem, et occidunt, ita et hunc oportere a vita in mortem currere et occidere, quemadmodum luminaria, aliumque rursum orientem sumere ex resurrectione mortuorum. Cucurrit Adam ad occidentem, occidit in sepulcrum; secutæ sunt illum res terræ, et cum illo occidente sepultæ sunt. Venit Christus, et eum qui occiderat oriri curavit. Ideo dicit de illo Propheta : « Ecce vir oriens nomen ejus, et sub illo orietur [3]; » nempe ex sepulcris. In Adamo occidit homo, in Christo ortus est : id testificatur Paulus : « Nam sicut in Adam » omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur [4]. » Et accepit Deus hominem, quem fecerat, et posuit illum » in paradiso [5]. » Intulit illum in paratam domum, quemadmodum is, qui aliquem invitat ad convivium, primo apparat ædes, et tunc inducit eum, quem invitavit; sic et hic quoque : paravit illi ædes magnificas, paradisum, et sic invitatum induxit. Ubinam formatus est? in terra, extra paradisum. Quemadmodum enim luminaria alibi facta sunt, et posita sunt in cœlo; sic et Adam extra formatus est in alia terræ parte, et tunc inductus est in paradisum. Undenam hoc? Ait Scriptura in fine, quando ejectus est

[1] Gen. II, 8. — [2] Id. III, 24. — [3] Zach. VI, 12. — [4] 1 Cor. XV, 22. — [5] Gen. II, 25.

Adam. « Et emisit Deus Adam de paradiso voluptatis, ut » operaretur terram, de qua sumptus est [1]. Posuit illum in pa- » radiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum [2]. Ut » operaretur : » quid in paradiso desiderabatur? Sin operario opus erat, undenam aratrum, unde alia agriculturæ instrumenta? operari et custodire præceptum Dei, illique credere, Dei opus erat. Ait Servator : « Hoc est opus Dei, » ut credatis in eum, quem misit ille [3]. » Quemadmodum igitur Christo credere opus est, sic etiam credere præcepto : Moriturum esse si tetigerit, victurum si non tetigerit. Opus erat spiritualium verborum observatio. Pauli opus quodnam? Num agricola Paulus erat? num aliam habuit vacationem? Nonne totum ejus opus erat, verbum? nonne prædicatio? Dicit tamen Discipulis : « Opus meum » vos estis in Domino [4]. Ut operaretur, inquit, et custodi- » ret illum. » A quonam? Fur non erat, viator nullus, insidiator nullus : a quo custodiret? Ut custodiret illum sibi, ne prævaricatus amitteret, sed ut mandatum custodiens servaret sibi paradisum. Una cum voce mens deficit : verum sententiis insistamus. « Posuit illum in paradiso. » Deinceps Scriptura ex iis, quæ præcesserunt, subindicat futura. « Fluvius autem egrediebatur ex Edem, irrigans para- » disum [5]. » Hinc disce non hortulum fuisse paradisum, angustis terminis circumscriptum. Fluvius tantus irrigabat, ut ex ejus redundantia quatuor fluvii orirentur. « Fluvius » autem egrediebatur ex Edem, ut irrigaret paradisum. » Deinde postquam irrigaverat, dividebatur in quatuor capita; in Tigrim, in Nilum, in Euphratem, et in Phisonem, sic in Scriptura dictum, quem nunc vocant Danubium?

VI. Vide magnitudinem fluvii divisi in quatuor flumina. Hicque solus irrigat paradisum. Quorsum talis? Solus

[1] Gen. III, 23. — [2] Id. II, 15. — [3] Joan. VI, 29. — [4] I Cor. IX, 1. — [5] Gen. II, 20.

erat Adam; quæ necessitas tanti fluvii? Sed non uni tantum paradisus paratus erat, verum finibus terræ. Præparatus erat Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Sanctis, Fidelibus, pie viventibus, omnibus Justis. Si enim latroni una hora confitenti, paradisum Servator promisit dicens : « Hodie mecum eris in » Paradiso [1]; » qui a juventute laborarunt, Abraham, Isaac, Jacob, hujus filii Patriarchæ, [illum utique sunt consecuti.] At ante hos omnes latro paradisum consequitur. Opera ergo Deus edit, non ejus causa quod apparet, sed ejus quod expectatur. Cur tantam terræ latitudinem fecit? An propter Adamum, an propter eos, qui illam nunc inhabitant? « Inde dividitur in quatuor principia [2]. » Non dixit, in quatuor expansa flumina, sed in quatuor principia, id est fontes. Nomen uni Phison, quem modo dicebamus; deinde Gehon; hic est Nilus. Gehon vetus nomen ejus est : id testificatur Jeremias dicens : « Quid tibi et viæ Ægypti, » ut bibas aquam Gehon [3]? » Hic animum adhibe. Cogita hunc esse paradisum. Hæc enim melius aspectu, quam verbo traduntur. Prodit ingens fluvius, copioso præditus alveo, et rigat paradisum. Inde in subterraneum quemdam hiatum fertur, immensamque sub terra penetrat viam, ut novit is qui viam stravit Dominus : fluxusque diu latet, atque in diversa loca dividitur, inveniturque alius in Æthiopia, alius in occidente, alius in oriente, Deo sic per subterraneum alveum trahente, primoque fluvio extraneos fontes curante. Cur ita? Ne fluviorum vestigia sequentes, paradisum invenirent, ne posset hominibus pervius esse. Nam si eo iter esse posset, nemo ante divites paradisum inveniret. Verum Deus occlusit tam pauperibus, quam divitibus, ut sola virtute viam invenirent. Quantum laboris suscepere Patriarchæ, Prophetæ, Sancti, quærentes para-

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] Gen. II, 10. — [3] Jer. II, 18.

disum, nec invenerunt. Latro, qui in illa via non incesserat, sed credidit, vere viam invenit, eum nempe qui dixit : »Ego sum via [1]. » Invenit paradisum, quem inobsequentia primo homini occlusit. Causam autem quæro cur historiographus, commemorato primo fluvio, dixerit : « Ibi est au»rum bonum, carbunculus, et lapis prasinus [2]. » Si prorsus terrarum orbem describeret, oporteret sane in qualibet regione dicere quæ illic bona orirentur, smaragdos, hyacinthos, ubi topasium, ubi diversæ illæ materiæ; sed aurum tantum ac duos lapides assumit, sacerdotii primitias. Quia sacerdos auream laminam gestabat, in qua Dei nomen erat inscriptum. Erant duodecim lapides supra sacerdotis pectus, sardius, topazius, smaragdus, carbunculus, sapphirus, jaspis, ligurius, achates, amethistus, chrysolithus, beryllus, onyx [3]. Ex his duodecim lapidibus, prasinus segregatus est tribui sacerdotali, et carbunculus regiæ. Quid ita? Quia ignis proprium est urere et illuminare : regisque proprium benefacere et punire. Ponit Ruben primam tribum in sardio; Simeonem in topazio, Levi in lapide prasino; Judam, ex quo Christus, in carbunculo rubicundo. Certe Esaïas post multa elapsa tempora dicit Jerosolymæ : « In manibus meis depinxi muros tuos, et in »conspectu meo es semper [4]. Ecce præparo carbunculum »lapidem tuum [5], »Servatorem significans. « Ecce enim, »inquit, ponam in Sion lapidem angularem, electum, pre»tiosum, et qui credet in eum, non confundetur [6]. » Carbunculus ergo segregatus est regiæ tribui, prasinus sacerdotali. Nam sacerdotii est recte πράττειν agere. A fluvio illo dirimuntur quatuor fontes fluviorum. Cur ergo aqua eorum non æqualis est? Quærunt enim studiosi, si ab uno fluvio, aut ab uno fonte, cur non una omnium qualitas? Quid

[1] Joan. XIV, 6. — [2] Gen. II, 22. — [3] Exod. XXVIII, 17-20. — [4] Isaï. XLIX, 16. — [5] Ibid. 54, 11. — [6] Ibid. 28-16.

ergo rei est? Afficiuntur secundum terram et qualitates locorum, per quæ transeunt. Quæmadmodum ipsa aqua unam habet naturam et qualitatem, sed si absinthium, si anethum, si ruta infundatur, aliam acquirit qualitatem. Ac natura quidem una, sed materiæ transmutant. Sic etiam in fluviis, quia per extranea loca manant; alius per terram, quæ diversam habet qualitatem, alius per aliam, a locis inficiuntur.

VII. Ubi a positione locorum flumina qualitatibus affecerat, demum in paradiso facit « Omne lignum pulchrum » visu, et ad escam suave [1]. » Prius transgressoris excusationem abstulit. Quia enim de muliere dixit: « Vidit mulier » lignum, quod pulchrum visu esset et ad vescendum suave [2], » ne quis putaret inter alia ligna hoc solum decorum fuisse, hanc præstantiam omnibus inesse testificatus est, et visu elegantia, et valde bona, ut discas eum non ex penuria transgressum esse, sed, in affluentia cum esset, prostratum fuisse. « Et lignum vitæ, inquit, in medio paradisi, et lignum » scientiæ boni et mali [3]. » Tria lignorum discrimina. Alia illi data sunt ut viveret, alia ut bene viveret, alia ut semper viveret. Erat unde bene viveret, ex quibus edere licebat; erat unde bene viveret, ex prohibitis. Poterat enim bene vivere, si tetigisset non prohibita, et non tetigisset prohibita. Illud erat bene vivere, Deo obsequi. Positum erat lignum vitæ in medio, quasi præmium; lignum scientiæ, ut palæstra, ut gymnasium. Si mandatum serves circa lignum hoc, accipis præmium. Ac vide miraculum. Paradisi ligna omnia, ubique in circuitu vernantia, ubique fructifera : duo tantum in medio erant, ad gymnasium et stadium. Quæ in circuitu alimentum præbebant. Verum transgressionis et ligni sermo aliud in tempus reservetur. Propositum autem hoc jam est. Adducit Deus animalia omnia ad Adamum. Audiant hæretici : nec mireris, si ad singula

[1] Gen. II, 19. — [2] Id. III, 6. — [3] Id. II, 9.

dicta ad singulas voces contra hæreticos agatur. Per omnem enim occasionem reprehenduntur ii qui contra gloriosum regnum insurgunt. « Lapis ex muro clamat [1]; » non dico verbum ex Scriptura, « Iota unum, aut unus apex [2], » hæreticos inculpatos non sinunt; ab omnibus accusantur, qui negant omnium Dominum. Animadverte igitur; videre erat rem stupendam, Adamum stantem, et Deum quasi ministrum ad Adamum adducentem. « Adducit enim Deus ani»malia. » Hic attende, non dicta, sed sententiam. Cogita Deum stantem, et Adamum explorantem. Adduxit Deus omnia, Adamo dixit verbi gratia : « Quo nomine hic tibi videtur vocandus esse? » isque ait : « Vocetur leo: » hoc Deus sanxit. « Hic vero quo nomine? Taurus vocetur. Recte statuisti. » Similiterque singulorum nomina Deus obsignavit. Ait enim scriptura : « Adduxit ea ad Adam, ut videret quid »vocaret ea. Et omne quod vocavit Adam, hoc est nomen »ejus [3]. » Vide : quia ad imaginem ipsum creaverat, voluit et honorem in conspectum proferre, et ostendere vere ipsum imaginem sapientiæ ferre. Ac rem miram vide. Deus sibi nomina ante definierat, volebatque per imaginem suam ostendere Adami decreta cum Dei voluntate consentire. Certe cum vellet ostendere Scriptura, hæc quæ Adamus imposuit nomina, Deum præfinisse, ait : « Et omne quod »vocavit Adam, hoc est nomen ejus; » ac si dicat : « Præfinitum erat, hoc Deus decreverat. » Verum ad propositum revertamur. Stat Adam, et Deus adducit illi animalia, nec dedecori est Domino, quod adducat ad servum. Et si audiant hæretici Christum nos adducere ad Patrem, statim dicunt : « Vides illum esse servum? « Adduxit illa ad Adam. » Stabat servus judicans, et Dominus adducens. Ac Deus quidem Adamo adducens non injuria afficiebatur; Christum vero, si audiant hæretici ad Patrem adducere, statim

[1] Habac. II, 11. — [2] Matth. V, 18. — [3] Gen. II, 19, 20.

in ministri et famuli ordinem trahunt. Si dicat Servator: « Nemo venit ad Patrem, nisi per me [1]; » statim hæretici, arrectis, imo perversis stant auribus. Adducens ad Adamum animalia Deus, non est ejus minister; hominem si Deus Deo offerat, ministri habet ordinem? Ne autem morbum tuum alat verborum ignorantia; ego scio et Filium offerre Patri, et Patrem Filio. Cum dixisset : « Nemo venit » ad Patrem, nisi per me, » idem rursus ait : « Nemo venit » ad me, nisi Pater meus cœlestis traxerit eum [2]. » Sed quod jam ante me dixisse scio, verum hoc ad rem jam quadrat : contingit autem sæpe ut non audiatur, et nunc etiam dico. Cogita quot sunt quadrupedes : sed tecum reputa quæ sint mansueta, quæ fera, quæ in montibus, quæ in planitie, quæ in Galliis, quæ in India, quæ in omnibus orbis climatibus : rursum reptilia, eorum genera et species, volatilia omnia, natatilia; quæcumque sunt in mari, quæ in stagnis, quæ in fluviis. Hæc omnia adducebantur, et singulis nomina imponebat Adam, Deusque non contradicebat, sed acquiescebat. Innumera nomina sunt, hisque acquiescit Deus : unum nomen dicit Deus ex cœlo testificans : « Hic » est Filius meus [3] : » et hanc vocem prave detorquent hæretici, quæ uni tantum nomini testimonium præbet : illam sanctam vocem, quæ innumera suscepit nomina nullumque delevit. Adducta sunt animalia, et nomina acceperunt. Jam ille stabat ut rex.

VIII. Quemadmodum cum milites conscribuntur, regio signaculo notantur; sic quia debebat illi dominium tradere, id efficit ut nomina imponat ut dominus. Nomina quippe nonnisi dominus imponit et pater. Attende. Nomina alia imposuit Deus, alia Adam. Deus vocavit cœlum, terram, mare, firmamentum, diem, lucem, noctem, fructum, herbam, fœnum, ligna; pecora autem et volatilia Adam voca-

[1] Joan. xiv, 6. — [2] Joan. vi, 44. — [3] Matth. iii, 17.

vit, pavonem, aquilam, vitulam, ovem : hic species, illic genera, ne falsum deprehenderetur hoc dictum : « Faciamus hominem ad imaginem nostram. » Deus nomina imponit luminaribus, Ursum, Orionem, Pleiadem, Vesperum, Luciferum. Hæc omnia Deus nominavit. Testis est David dicens : « Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat [1]. » Deus nomina indit supernis, Adam terrenis. Nominat Deus cœlum, terram, cuncta alia. Adam, ignem, hominem. Adamus vero quid nominat? imponit nomen jumentis, reptilibus, bestiis. Novum nomen Adamus vocat, os carnem, de muliere dicens : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea [2]. » Deus enim cum ipsum formavit, non dixit formasse illum ex ossibus et carne. Rursus dicit Deus : « Masculus; » hic dicit, « Vir: » Deus dicit, « Fœmina, » hic dicit : « Mulier. » Quodque mirum est, quia Spiritu sancto plenus erat, nondumque miser transgressus fuerat, sed gratia repletus erat, prophetia, quam paucis ante diebus apud vestram charitatem distinguebam, tota in ipso erat. Sciebat enim præterita, sciebat præsentia et futura. Quomodo præsentia sciebat? In corpore os extra non apparet; sed quia Spiritum habebat, dicit : « Hoc nunc os ex ossibus meis. » Quomodo sciebat, nisi Spiritus sanctus ipsi revelasset? Cur ergo primum os et tum carnem nominat? Quia primo costam ejus accepit. « Hæc, inquit, vocabitur mulier, quia de viro suo sumpta est » hæc [3]. » Vaticinatur præterita, dixit præsentia, dicit jam futura : « Quamobrem relinquet homo patrem et matrem [4]. » Nondum erat matrimonium, et unde pater et mater? Rursum audiant hæretici. Voluit Deus Adamo uxorem efformare : « Immisit extasim in Adam, et obdormivit [5]. » Omne Dei verbum antiquum regula naturæ fuit. Docuit primi

[1] Psal. CXLVI, 4. — [2] Gen. II, 23. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 24. — [5] Ibid. 21.

exemplo, quomodo suscepta proles ab homine dividi debeat. « Immisit Deus somnum in Adam. » Rem miram! tempus dicit, quo matrimonium initur. Somnus extasis vocatur, quia homo quasi extra seipsum tunc est. Intus anima est et non est intus. Non sentit, non intelligit, audiens non audit. Velut hodie dicimus : « Extasi usus est, » quod extra negotia fuerit. Sic anima, cum extra sensus fuerit, in extasi est. « Et obdormivit, inquit, et tulit Deus » unam de costis ejus [1]. » De his interrogentur hæretici : «Quomodo tulit Deus? Quomodo Adam dolorem non sensit? Quomodo non cruciatus est? si vel pilus a corpore vellatur, dolemus. Quamvis alto quis sopore dormiat, doloris vi expergiscitur qui dormit. Tantum tollitur membrum, tanta evellitur costa, nec dormiens a somno excitatur. » Non vi avulsit, ut expergisceret, non discerpsit; verum Scriptura, ut Artificis celeritatem ostendat, « Tulit, » inquit. Solutæ sunt compages, et non sensit?

IX. Tulit costam, ut tulerat pulverem; si alius esset qui compegerat, alius qui solvit, pugna esset; sin autem qui ligaverat solvit, is certe placide solvit. « Tulit costam, et » replevit pro ea carnem [2]. » Unde replevit? Num ex reliquo traxit corpore! Atqui omne corpus quod trahitur et distenditur, subtilius efficitur. Quomodo replevit? De corpore loquimur, et non intelligimus; de Deo loquimur, et curiosius exploramus? « Et ædificavit Dominus costam, quam » tulerat de Adam, in mulierem [3]. » Quomodo oculi ex costa formati sunt? unde cor cogitans? unde lingua loquens? Quomodo distensum est ex costa intestinum? quomodo ex costa jecur factum est? Hæc quomodo facta sint capere non potes, et Artificem curiose scrutaris? Verum vide imaginem Christi ubique. Non prius tulit Deus costam de Adamo, quam ipsi somnum immitteret. Quare? Ex costa

[1] Gen. II, 21. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 22.

peccatum oriturum erat; quod nempe per mulierem intravit. Venit Servator et e costa aquam ferens, et sanguinem; aquam quæ peccata ablueret; sanguinem, qui mysterium nobis traderet. Vide figuram. Dormiente Adamo, costa tollebatur : somno corpori Christi superveniente, costa aperiebatur, ut veterem tragœdiam solveret per novam historiam : de somno loquor quo in cruce correptus est. « Ædificavit costam in mulierem, adduxit eam ad Adam [1]. » O benignitatem Domini! Quanta facit, formal, quot muneribus afficit? Adducit animalia, sponsam tradit. Quia enim Adam quasi pupillus erat, et Eva virgo, sine patre et matre, qui officium præstarent, Deus patris matrisque functionem obit. Ac vide legem : omnis quippe vox Dei primæva, naturæ norma est. « Adduxit Deus mulierem ad Adam, » et lex illa mansit ad hunc usque diem, ut uxor virum adeat, non virum ad uxorem in sponsum adducit. « Erant nudi, » et non erubescebant [2]. » Manet regula, lex clamat. Omnes vir erubescit, præter propriam uxorem; omnes uxor erubescit, præter proprium virum. Itaque hoc quidem dixi secundum legem : causa autem cur nudi non erubescerent erat, quod immortalitate essent induti, gloria amicti. Non sinebat gloria ut nuda viderentur: ipsa enim nuditatem obtegebat. Ubi poteris nudum videre virum non erubescentem? In Christo ipsum invenis. Venit Petrus et Joannes et Jacobus in monumentum, quærentes corpus, et non invenerunt; sed invenerunt vestimenta involuta, ut ostenderetur, post resurrectionem Christi, in ipso servari veterem Adami formam, esseque sine vestimentis, non nudum tamen sed vestitum. Surrexit Christus, exuitque vestimenta quæ Adamus induerat, eratque nudus, nec nudus cernebatur. Post resurrectionem mulieres vestimenta projecta vident. Martha et Maria vident eum, agnoscunt, procum-

[1] Gen. II, 22. — [2] Ibid. 25.

bunt, et nudum non vident. Unde vestes induit? Amiserat enim eas in monumento. Priora vestimenta diviserant milites. Undenam induitur? Unde qui nudus, non nudus? Aliud quæro : cur vestimenta et sindonem in una parte viderunt, sudarium vero, quo caput Servatoris vinctum fuerat, in alia parte? Ut divina gratia ostenderetur, quodque sine tumultu resurrectio fuisset. Et quia rumorem Judæi sparsuri erant Discipulos ipsum furatos esse, relinquit vestimenta sua in monumento. Nam qui mortuum furatur, ipsum cum vestimentis furatur. Videreque erat Servatorem egredientem ex sepulcro, sicut Josephum ex domo Ægyptiæ. Et vide mihi differentiam : post resurrectionem visus est Christus nudus, et Petrus nudus : verum ille quidem immortalitate præditus erat, hic autem mortalis adhuc erat. Jesus stabat in littore gloria indutus, dicens : « Filii, num » quid opsonii habetis [1] ? Non, inquiunt; non habemus : » non enim noverant eum. Deinde dicit : « Mittite in dexteram » navigii partem [2]. » Miserunt, ac ingentem piscium multitudinem ceperunt. Agnoscit Joannes, et dicit Petro: « Do» minus est [3]. » O miraculum ! non agnoverunt ex voce, sed ex operibus. «Et sumpsit, inquit, Petrus tunicam : erat enim » nudus [4]. » Mortale corpus erubescit, immortale non erubescit. Verum ei, qui nos gloria induit, et qui orbem induit immortalitate, huic procidamus, huic supplicemus, ut nos induat fide, spe salutis, gloria in Christo, quoniam Patri gloria, cum unigenito Filio et Sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Joan. xxi, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Ibid.

ORATIO VI.

In diem sextum creationis, et in primos parentes, in serpentem, et in lignum scientiæ; de habitatione in paradiso, deque Adami cum Deo colloquio.

I. Age rursus quod polliciti sumus aggrediamur, et argumentum de paradiso ad finem usque deducamus. Etsi enim intolerabile malum illud fuerit, quod Adamus ejectus sit de paradiso, longe majus erit malum, si nos a paradisi memoria eliminemur. Rem autem attingamus, non communibus rationibus eam tractantes, sed ex sacra Scriptura dubiorum solutionem mutuati. Qui enim pro libito sentit et cogitat, seipsum decipit : qui vero ex Scriptura quæstionum solutionem mutuatur, ipsam habet veritatem magistram. Quia vero fidelium multi legentes dubitant, et infidelium plurimi ignorantes blasphemant, ut et sanctis animum certiorem reddamus, et infideles confutemus, pro virili rem aggrediamur, Deum vobiscum obsecrantes, ut veritatis nobis copiam subministret. Qua ratione homo conditus fuerit, qua corpore formatus, qua item a Deo creata anima, illius indita corpori fuerit, quomodo paradisum domicilium habuerit, et si non pro rei dignitate, pro facultate certe nostra, satis supra dictum est. Jam ad propositum orationem convertamus. Data quidem Adamo est universa terra, præcipuum vero illius habitaculum paradisus erat. Licebat etiam ei extra paradisum ire; verum quæ extra paradisum erant hominis habitationi deputata non fuerant, sed brutis, pecoribus, quadrupedibus, feris,

reptilibus. Regia vero et herilis habitatio ipsi erat paradisus. Ideo Deus adduxit animalia ad Adam, veluti ab eo separata. Non enim semper mancipia hero astant; sed cum illis opus habuerit. Indita animalibus sunt nomina, et statim ejecta sunt : mansit autem Adam in paradiso. Hic vero Scripturæ diligentiam animadverte. Jussa erant animalia Adamum adire, se illi inclinare, ipsique abblandiri; exempli causa, quemadmodum erant tria lignorum genera, nempe ligna quæ illum alerent ut viveret; ligna, quæ illum probarent, ut bene viveret; et lignum quod ipsum custodiret, ut semper viveret; sic et brutorum animantium tria ipsi concessa sunt genera; unum ad escam, alterum ad obsequium, tertium ad recreandum animum; nimirum ad escam ea quæ nunc mactantur; ad ministerium, equi, cameli, asini, boves, aliaque similia ipsi ministrantia; ad recreandum animum animalia ad imitationem idonea, lætæ voces aëriarum avium, quæ etiam aures oblectant. Quemadmodum enim corpus post labores, nisi defatigationem expulerit, non potest alios adire labores; sic et anima virtutis laboribus perfuncta, nisi jucundis aspectibus recreetur, ad perseverandum in virtute non sufficit. Cum viderit Deus fatiscentem animam, rebus jucundis recreat illam. Id quod etiam apud nos fieri solet. Sæpe enim ex foro quis revertens, animo infinitis mœroribus oppresso, rerum invisarum aspectu, intolerandis calamitatibus et damnis cruciatus, domum ingressus, infantis solatium invenit, molestiamque laborum tener animus emollit. Quia enim mœrentem non adit uxor ad solatium, ejus enim consolatio tum importuna esset, famulus vero consolari non audet; inducit Deus simplicem indolem, inculpata ignorantia præditam, per ipsamque laboribus oppressum animum lenit et solatur. Famulus si arrideat, heri injuriis insultare videtur. Uxor si rideat, videtur nullo calamitatis sensu affici; infans

ob innocentiam, non suspectis blandimentis emollit animum : ac sæpe quod nec amici consiliis, nec sapientes monitis efficere potuerunt, id ille ridendo potuit, nempe omnem calamitatis sensum sedare. Jamque animus in ipso vi mœroris, videt infantem, initio respuit, depellitque importunam consolationem, ex assiduitate tamen cedit, et repetitis aspectibus animus attrahitur ; demum accepto infante, mœstitiam deponit, aitque : « Hunc mihi solum Deus largitur : nullaque mihi ratio reliquorum. » Vides-ne quomodo ex levissimis Deus animo consolationem indat ? Quia igitur solus erat Adam in paradiso, non amicum habens, non vicinum, non cognatum, ad illum recreandum induxit illi Deus animalia ; puta, ut sunt hodieque animalia ad imitandum apta, quorum alia gestus, alia vocem imitantur ; verbi causa, imitatur simia gestus hominum, et id genus alia : vocem psittacus, aliæque aves. Habuit ergo solatium ex brutis animantibus, aliis cantillantibus, aliis blandientibus. Cum multa igitur animalia essent, quæ ipsum solari possent, serpens callidissimus erat inter omnes bestias terræ, ut ait Scriptura : « Serpens autem erat calli» dior cunctis bestiis, quas fecerat Dominus Deus [1]. »

II. Erat igitur et imitandi et blandiendi arte cæteris superior. Ne attendas præsenti et aspectui, quod nempe ipsum fugiamus et horreamus : ab initio sic non erat. Amicus erat serpens et blanditiis propinquus. Quis ergo illum inimicum fecit ? Dei sententia : « Maledictus enim tu præ » omnibus bestiis. Inimicitiam ponam inter te et mulie» rem [2]. » Inimicitia illa amicitiam solvit. Amicitiam dico, non quæ ratione ducatur, sed quæ brutæ animantis cognitione ; ut hodieque ostendit canis amicitiæ speciem, non ratione, sed naturali motu : sic et serpens blandiebatur homini. Ut ergo qui multam familiaritatem haberet, visus

[1] Gen. III, 1. — [2] Ibid. 14, 15.

est diabolo esse idoneum instrumentum. Videns igitur Adamum serpente delectari, serpentem illi abblandiri, multaque ex humanis imitari, excogitavit mali artifex, ut illi qui dolos nectunt, quique per propria cujusque adrepunt: nemo enim per extranea, sed per propria res tales conficit; ut ait Servator: « Inimici hominis domestici ejus[1]. » Loquitur ergo per serpentem fucum faciens Adamo. Rogo vestram charitatem, ne perfunctorie attendatis: non levis est quæstio, quomodo serpens locutus sit; an humana voce, an serpentis sibilo, intellexitque Eva. Adam ante transgressionem plenus erat sapientia, intelligentia, ac prophetia. Cogita quanta præditus esset sapientia, qui posset unus, nullo homine doctore, nomina imponere volatilibus, reptilibus, feris, uno verbo omnibus. In mente tua depinge species, genera; utque compendio dicam, tot imposuit, quot hodie nos post experientiam non possumus recolere. Quando igitur Deus obtulit animalia homini, ille ut sapiens ac Dei spiritum habens, singulorum proprietatem videbat. Animadvertit vero serpentem solertiorem esse, sensu pollere, ex nutibus motus animi percipere. Cum sic Adam se haberet, perpendit diabolus et serpentis astutiam, et Adami opinionem: putabat enim serpentem solertem esse. Per illum ergo loquitur, ut suspicaretur Adam serpentem, cum sagax esset, hoc præstitisse ut et humanam vocem imitaretur. Accedit ergo serpens. Nusquam vero hoc Scriptura dixit, diabolum nempe in serpente locutum esse, sed et Moyses simpliciter rem gestam enarravit. Diligenter, quæso, animadverte. Paulus, qui secundus in paradiso fuit, nec ipsi dictum explicavit, sed ait: « Despondi »vos uni viro virginem castam, exhibere Christo. Timeo »autem ne sicut serpens Evam seduxit in astutia sua[2]. » Nec dixit id diabolum fecisse. Fidelis Scripturarum custos erat,

[1] Matth. x, 36. — [2] 2 Cor. xi, 2, 3.

Scripturarum minister, Scripturarum doctor, Scripturarum interpres. Noluit dictum solvere, ne Scripturarum ordinem solveret ; sed sententia solvit quæstionem ; « Timeo, inquit, » ne sicut serpens Evam seduxit in astutia sua, sic corrum- » pantur sensus vestri. » Sic, quomodo ? Num metuebat Paulus ne rursum serpens veniret, ac quosdam seduceret ? At novi, inquit, illum serpentem non apparere, sed apparet is qui in illo operatus est. Cæterum Paulus, ut fidelis minister, et sacrarum Scripturarum custos, dictum non invertit, sed sententiam indicavit. Ipse vero veterum, novorum, futurorumque Dominus, quæstionem liquido solvit, ne quis peccatum in serpentem referat, sed in eum qui in ipso operatus est. Ait itaque Christus Judæis, cum dicerent ei : « Nos ex Deo sumus. Si ex Deo essetis, Dei » utique opera ac voluntatem ejus faceretis. Nunc vero ex » patre vestro diabolo estis[1]. » Dixit diabolum, et statim historiam inducit. « Ille, inquit, homicida erat ab initio[2]. » Servus ut servus interpretatus est : Dominus autem ut Dominus docuit : ostendit eum qui Adamum occiderat. Non dixit tantum interfectorem, sed homicidam. Non enim unum tantum occidit, sed per illum omnes homines. « Et » in veritate, inquit, non stetit : quia mendax est[3] ? »

III. Vide quomodo interpretatus est, et quod sit diabolus, et quod sit mendax. Quomodo mentitus est ? « Dixit » serpens mulieri : Cur præcepit vobis Deus ut non come- » deretis de omni ligno[4] ? » Vidisti mendacem ? Dixerat Deus : « De omni ligno comedite, de uno autem non come- » datis. » Mendax ille ait : « Cur dixit vobis Deus ut de omni » ligno ne comedatis ? » Non mentitur Christi vox : « Ille men- » dax est. » Mentitus est autem, et quidem graviter. Cum quis enim dolose aliquid molitur, aut necessitatem simulat, aut ignorantiam, ut non suspectam inducat pravitatem ; ac

[1] Joan. VIII, 42 et 44. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Gen. III, 2.

si diceret: « Non novi, nullæ sunt insidiæ, simplici animo veni, nihil scio. » Nonne multorum talium fecistis periculum? An ignoramus dolo utentium opera? Nonne talia consuunt, et ignorantiam prætexunt? sic et diabolus. « Cur, inquit, dixit vobis Deus? male et perverse audivi ut non comederetis de omni ligno. » Existimans mulier id ignorantiam esse, sermonem corrigit. « Non ita, inquit, locutus est; non dixit Deus ut non comederemus de omni ligno, sed de omni permisit, ab uno interdixit. Dixit enim nobis : Ne comedatis, ut non moriamini. » Visus est discere quod nesciebat : jam suspicio non erat, quod insidiaretur; aitque illi : « Ne» quaquam morte moriemini [1]. » En aliud mendacium. Deo namque dicente : « In quacumque die comederitis, morte » moriemini [2] » ait diabolus : « Nequaquam moriemini. » Iterum mentitus est : « Sciebat enim Deus quia, qua die » comederitis, eritis sicut dii [3]. » En tertium mendacium. Vide dolosam diaboli nequitiam. Jam præmeditatur errorem mundo disseminare. Et quia molitur, ut dixi, plures deos in orbe excitare, antevertens quadam narrationis specie, plurium deorum opinionem in auribus mulieris inseruit. Sic certe mali artifex plurium deorum cogitationem prius invexit. Deus vero præscientia sua id curavit, ut futurus error non humano ore proferretur, ne prima loquelæ humanæ vox deos commemoraret; sed vox prima serpentis, ut os omne de idolis loquens illi simile esset. Scio vos huic voci parcere, et sanctam Scripturarum mentem arripere. Nemo igitur vocis pompam attendat; sed sententiarum virtutem. « Sciebat enim Deus, inquit, quod quacum» que die comederitis, eritis sicut dii, scientes bonum et » malum [4]. » Aiunt multi, præcipueque ii, qui Deo inimicum Porphyrium sequuntur, qui adversus Christianos scripsit, multosque a divina fide abduxit; aiunt, inquam : « Cur Deus

[1] Gen. III, 4. — [2] Id. II, 17. — [3] Id. III, 5. — [4] Ibid.

scientiam boni et mali prohibuit ? Esto, malum prohibuerit, cur etiam bonum ? cum ait enim : « De ligno scientiæ » boni et mali ne comedatis, » prohibet, aiunt, ne sciat malum : cur etiam bonum ? » Semper malitia contra seipsam machinatur, inque seipsam occasiones præbet. Non prohibuit Deus scientiam boni : illam quippe habuit Adam, etiam antequam comederet. Nisi enim illam ante habuisset, quomodo cognovisset uxorem ? quomodo de ejus natura dixisset : « Os ex ossibus meis et caro de carne mea[1] ?» quomodo futura vaticinatus esset : « Hæc vocabitur mu- » lier, quia de viro sumpta est. Propter hoc relinquet homo » patrem et matrem [2], etc. » Tanta sciebat, et bonum non noverat ? Deum noverat, quæ sunt Dei servabat, scientiam habebat, tot nomina imposuit, quomodo scientiam boni non habuerit ? Quid ergo illud est ? Non prohibet Deus scientiam boni, sed vult cum boni scientia non esse scientiam mali. Impietatis sophisma solvo ex Scripturis. Ait Paulus : « Non potestis calicem Domini bibere, et calicem » dæmoniorum[3]. » Non ambos prohibuit, sed eum qui sanctus esset sanctificavit, et impurum atque profanum abjecit. Ita quoque Servator : « Non potestis Deo servire et mammo- » næ[4] ; » nempe eodem tempore Deo et dæmoni servire impossibile est. Sic Deus mali cognitionem assumi vetuit, ne cum boni scientia mali cognitio admisceretur.

IV. Hic jam animum adhibeamus. Cur tandem lignum scientiæ boni et mali appellatum est ? Non talem naturam habuit, sed tale argumentum tulit, Scripturarum proprietatem dico. Exempli causa, fons quispiam in deserto vocatus est « Aqua contradictionis[5]. Probavi te apud aquam » contradictionis[6]. » Ergo-ne hujusmodi natura aquæ erat, ut populum ad contradictionem excitaret ? cur ergo Moy-

[1] Gen. II, 23. — [2] Ibid. 24. — [3] 1 Cor. X, 21. — [4] Matth. VI, 24. — [5] Num. XX, 13. — [6] Psal. LXXX, 8.

ses illa potatus, Deo non contradixit? Certe vocata est aqua contradictionis, non quod talem haberet naturam; sed occasione rei, quæ in illa accidit. Quia enim illic contradixit populus, ideo vocata est aqua contradictionis. Rursus vidit Jacob Deum, ut homo poterat videre, et vocavit nomen loci « Species Dei [1]. » Locus speciem aut formam Dei non habebat; sed quia visio ibi contigit ipsi, ex re locum appellavit. Alius locus vocatus est « Pax Dei. » Quando Gedeoni apparuit Angelus Dei, ac metu perculsus ille dixit: « Heu me, moriar. Vidi enim Angelum Dei. Ait illi Ange» lus : Pax tibi, ne timeas. Et ædificavit, inquit, Gedeon » altare, et vocavit ipsum Pax Dei [2]. » Quemadmodum ergo ara, sive altare pacem non habuit, sed initæ et datæ pacis symbolum erat : ac quemadmodum aqua contradictionem non habuit, sed ex eo, quod ibi evenerat, sic appellata est; ita et lignum non scientiam habuit; sed quia quisquis peccat, in notitiam peccati venit. Id quod iterum exemplo confirmo. Interdum per loca latrociniis infesta transimus; in moreque est dicere : « Hæc loca tremenda sunt. » An locus ipse formidinem habet? nonne potius hæc dicuntur latronum ibi versantium causa? Sic arbor illa non mortiferam scientiam habuit, sed ob habitam illic circa Adamum tragœdiam, hoc consecuta nomen est. Rem autem solvo : neque enim divina Scriptura in dubio versatur. Hodie habemus altare, cujus participes sunt fideles. Num ergo donum ipsum naturalem fert salutem, an propter majestatem, quæ invocatur, pignus habes ex præsentibus, ne dubites de iis quæ præcesserunt? Illic esca letalis, hic cibus vivificans. Si hoc natura servat, non gratia; illud etiam natura occidit, non transgressione. Ostendam tibi extra paradisum cibum alium mortiferum, idololatriam nempe. Cur recusarunt Martyres carnes comedere? cur edere metue

[1] Gen. xxxii, 30. — [2] Judic. vi, 22-24.

bant? An mortui essent, si comedissent? Nequaquam : sed quia idolorum mentio erat, non escam fugiebant, sed execrandorum invocationem. Sic nota erat arbor scientiæ boni et mali, non scientiam præbens, sed eam ex transgressione docens. Semper enim experientia insipientem docet malam rem esse transgressionem. Rursum alia via quæstio solvetur, non quod prima non satis sint, sed quod Dei gratia dives sit. Ne quis enim putet rationum additamenta ob priorum imbecillitatem afferri : nam Dei gratia, dives cum sit, ex thesauris suis nobis bona profert, si tamen digni simus. Attende igitur. Martyres recusarunt idolis immolatorum cibum : eo modo cibum hujusmodi fugientes, quo si effugisset Adam lignum, salutem consecuturus erat. Quod autem scire bonum et malum, non odio dignum sit, vere liquidum est. Deus enim interrogans, et non faciens, an rem novit, necne? quis ausit dicere eum non nosse? Non enim cognitio, ipsa actio est. Num Paulus, qui dicebat : « Fugite fornicationem[1], » ignorabat quid esset fornicatio? Cavendo adulterium, nesciebat quid esset adulterium? Verum non ideo reus, quod nosset. Quin ipse Deus novit actus omnes nostros, ipsos enumerans ac dicens : « De corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adul» teria, perjuria, impudicitiæ, invidiæ, rapinæ. Hæc sunt » quæ coinquinant hominem[2]. » Hæccine ignorans aut sciens dicit Deus, dicit Apostolus? Non ergo scientia Adamo dedecori est. Nocuit illi non cognitio, sed transgressio. Velim autem ab illo quærere quid ex ligno didicerit, bonum-ne an malum? An post esum novit quid esset homicidium? Nemo hactenus erat qui puniret; adulterium nesciebatur, cum nondum essent nuptiæ : non fornicatio, non rapina erat; nondum enim erant dives vel pauper : non sycophantiæ, non falsa testimonia. Quod igitur aliud malum scie-

[1] 1 Cor. VI, 18. — [2] Matth. XV, 19, 20.

bat, nisi hoc solum, bonum nempe esse Deo obsequi, malum ipsi non obedire? Rem dico quæ vulgi ore circumfertur, ne quis me audaciæ incuset. Solemus dicere peccantibus, comminantes ut convertantur : « Faciam ut discas resipiscentiam. » Ergo-ne qui sic loquitur hanc disciplinam dicit esse scientiam? Scientia igitur ex calamitatum experientia procedit. Docuit eum ut disceret quot malis se per transgressionem implicuisset.

V. Animum igitur diligenter adhibe. Quanquam enim prius diximus, argumenti ratio eo orationem deducit. Omnium largitor Deus invisibilis erat; qui a Deo omnia acceperat, sub aspectum cadebat. Qui acceperat oculis patebat, qui dederat non apparebat. Solus erat homo : bruta animantia circa illum erant. Neminem habebat oppositum. Imposuit Deus legem, arborem in medio, quæ commonefaceret, ne sub dominatu se positum esse oblivisceretur. Verbi gratia, circuibat fructus decerpens cum uxore. Accedebat ad arborem; dicebat : « Ne hanc arborem tangamus, de illa namque præceptum dedit Deus. » Eratque id quod videbatur, ejus qui invisibilis erat, monimentum; id quod etiam nunc accidit. Cogita quam multi per universum orbem præfecti sint. Quia autem imperator non omnibus adest, necesse est imperatoris effigiem in tribunalibus, in foris, in cœtibus, in theatris exhiberi. In omni ergo loco, in quo negotia tractat præfectus, effigiem esse oportet, ut quæ fiunt auctoritatem habeant. Imperator quidem, utpote homo, ubique præsens esse non potest : Deus vero rursus, ut Deus est, nullo modo potest ab hominibus videri. Dedit arborem imperii characterem, qui Adamum commonefaceret accepisse se omnium dominatum. Agnosce eum qui tibi potestatem dedit. Et ut discas quomodo arbor ipsos commonefaceret, cum serpens mulierem decipere voluit, dixit illi : « Cur dixit vobis Deus ne

» comederetis ex omni ligno[1] ? » Mulier non oblita erat legis, imo etiam ignorantiam corrigit, et ait : « Non ita dixit Deus, sed ex omni ligno comedimus, de hoc autem ligno dixit Deus, ne comederitis ex illo, neque tangatis ipsum. » Vide accurationem. Deus non dixit : « Ne tangatis. » Nullum quippe erat in tactu periculum. Sed illi qui divina præditi prudentia erant, reliquis fruentes, id apud se statuerunt : « Dixit Deus ne de arbore gustemus, nos ne tangamus quidem ; » tanta mulieri cura erat servandi Dei præceptum. Erat igitur arbor in medio posita, qua serpens seduxit eos. Rem audi stupendam. Usus instrumento est ad fraudem, re nempe homini insita. Deus enim hominem formans, cum reliqua scientia, etiam desiderium Dei indiderat. Cum igitur in illis desiderii flammam videret, ait : « Eritis sicut » dii. » Nunc homines, non potestis semper cum Deo esse. Si fueritis sicut dii, semper cum illo futuri estis. Neque enim dixit illis : « Si comederitis, Dei hostes eritis. » Desiderium ergo æqualitatis cum Deo mulierem decepit : illaque virum non decipit, sed illi suadet. Id testificatur Paulus dicens : « Adam seductus non est [2]. » Cur autem damnatus est ? vide mali gravitatem. Mulier seducta comedit ; postquam comederat, viro suadet, ne sola perverteretur : suasit, non decepit ; ut jam sæpe fieri solet. Novit vir fidem, amat legem, studio plenus est orthodoxæ religionis ; moremque gerit uxori, ne studium ostendat, non ignorans veritatem, sed conjugi obtemperans. Multi namque putarunt ignorantem Adamum accepisse ab uxore, cum nesciret unde fructum tulisset. At nulla ipsi excusatio superest : Deus enim coarguit, cum ait : « Quia audisti vocem uxoris » tuæ[3]. » Non dixit : « Quia accepisti ab uxore tua ; » nam potuisset dicere : « Ignorabam, nesciebam unde afferret. » Viri crimen est, non quod deceptus, sed quod inescatus sit.

[1] Gen. III, 2. — [2] 1 Tim. II, 14. — [3] Gen. III, 17.

Jam ad judicium veniamus. Videamus instrumenta prima, quæ in sancto illo, incorrupto et clementi foro allata sunt, descripta litteris immortalibus, quarum memoriam, conspectum, conspicuitatem, nullum ævum delere poterit. Jam animadverte. « Audivit, inquit, Adam vocem Domini » deambulantis ad vesperam in paradiso[1]. » A strepitu sensit et a consuetudine. Ergo-ne a strepitu potuit Deus apparere ? Apparebat, non ut erat, sed ut volebat. Benedictus Sanctorum Deus, quod ad vesperam tunc Adamum visitaverit, et nunc in cruce ad vesperam. Illis quippe horis Christus passionem sustinuit, quas egit Adam ex quo comederat, donec latebras quæreret, ac judicium subiret, a sexta usque ad nonam horam. Sexta hora comedit : hæc enim naturæ regula est, post sextam abscondit se. Ad vesperam Deus ad ipsum venit. Desideravit Adamus fieri Deus ; rem impossibilem desideravit : ejus Christus desiderium implevit. Desiderasti id esse quod non potuisti : desidero ego fieri homo, et possum : ejus errori vicem contrariam Deus retulit. Desiderasti quæ supra te erant, assumo ego quæ infra me sunt : æqualitatem cum Deo concupivisti ? æqualis homini fio. Ideo ait Paulus : « Et habitu inven- » tus ut homo [2]. » Desiderasti esse Deus, neque ideo indignatus sum : volo enim te æqualitatem cum Deo concupiscere ; sed ideo indignatus sum, quod præter Domini sententiam eam dignitatem rapere volueris. Voluisti Deus fieri, nec potuisti ; homo fio, et quod impossibile erat possibile reddo. Quod autem ex desiderio ad hoc accederet, ipse testificatur his verbis ; cum ipse Pascha ederet, ipse alens cum iis qui alebantur, cum mensa apposita illi esset, qui alit universum orbem, inquit Apostolis : « Desiderio deside- » ravi hoc Pascha manducare vobiscum[3]. » Num illam cum Deo æqualitatem invidi tibi ? tu mea usurpare voluisti, cum

[1] Gen. III, 8. — [2] Philipp. II, 8. — [3] Luc. XXII, 15.

non posses : ego tua assumo, quod sane possum. Animum adhibe. « Descendit ad vesperam, et dicit : Adam, ubi » es [1] ? »

VI. Hæc affinia sunt ; unius enim Dei sunt et hæc, et illa. Numquid enim alius ad passionem venit, alius descendit in paradisum ? « Abscondit se ; » sensit postquam comederat. « Aperti sunt enim eorum oculi, et cognove- » runt se nudos esse [2]. » Quia diabolus dixerat : « Qua die » comederitis, aperientur oculi vestri : » ecce, inquit, vera dixit Satanas. Paulo convenit dicere : « Non enim ejus » consilia ignoramus [3]. » Norunt Sancti diaboli machinas. Vide malitiam. Unde norat diabolus fore ut, postquam comedissent, aperirentur eorum oculi ? num cæci erant ? Dicit Scriptura, antequam illi comederent de arbore : « Vi- » dit mulier arborem. » Non ergo cæca erat. « Vidit, inquit, » mulier arborem, quod aspectu pulchra esset [4]. » Primo vidit, deinde comedit. Quomodo igitur aperti sunt eorum oculi ? Attende, quæso, hic enim quæstio sita est. Diabolus de numero eorum erat, qui lapsi seu transgressi fuerant. Noveratque quid passus esset post transgressionem, quidque alii transgressores paterentur. Communis autem omnibus est hæc passio. Nam hodieque cum peccamus, velut cæci peccamus. Post peccatum tunc videmus quid fecerimus. Verbi causa, si quis accusetur : « Cur hoc fecisti ? » Is necessitatem prætendit; « Vere non videbam quid facerem. » Non quod cæcus esset, sed quod inter peccandum ratio obtenebretur, dum totus actui incumberet, in ipso autem opere excæcatur. Postea vero in conscientia videt quid fecerit. Exempli causa ; ingreditur quis domum ut furetur; ut cæcus intrat ; non cogitat de illo, qui obviam futurus est, de eo qui apprehendet, non de judicum metu, de impendente periculo. A morbo namque animi excæcatus

[1] Gen. III, 9. — [2] Ibid. 7. — [3] 2 Cor. II, 11. — [4] Gen. III, 6.

est. Cum ingressus fuerit, cum abripuerit, cum furatus egressus fuerit, nemine præsente, metu repletur, sentit quid fecerit; anxiusque cogitat, si perquisitio futura sit, deprehensuros esse quis facinus perpetrarit. Quæ inter agendum non secum reputabat, post rem gestam cogitat. Verbi gratia, qui mœchatur, in alienumque torum se injicit, intrat, nec cogitat esse leges, tribunalia, accusatores, gladios acutos; at re peracta, timet, suspectos habet servum, ancillam, vicinum, cognatum, quæque inter agendum non cogitabat, advertit postea. Rursus admonet quis alium ut abstineat a malis; si morem non gesserit, solet ei dicere: «Sæpius dixi ei, et non audivit;» non quod non audierit, sed quod non obtemperarit. Tum infligendo plagas ait: «Doceo te ut audias;» non quod auditum illi tribuat, sed quod plaga emendet præoccupatum animum, et ad meliorem frugem reducat. Sic et Propheta: «Disciplina »Domini aperit mihi aures[1].» Quia ergo diabolus exciderat; non enim argumenti oblitus sum; noverat ubi erat, postquam excidit, tuncque in sensum facinoris sui venit. Didicerat ergo ex iis, quorum periculum fecerat, aitque: «Si »comederitis, aperientur oculi vestri,» nempe, ut mei aperti sunt; ex quo peccavi, novi quid passus sim, novi quid amiserim. «Deinde comederunt, et aperti sunt oculi »eorum, et viderunt quod nudi essent.» Ante enim nudi erant, «Et non erubescebant[2].» Exuerant immortalitatem, sublata erat stola gloriæ, nudatum corpus fuerat, et lutum deinceps erat. Statim scaturit inventum artium. Ars prima Adami, sartoria fuit. Ante omnem artem sumpsit ficulneæ folia, et consuit. Quis docuit? quis monstravit. Semel a Deo solertiam acceperat, imago erat Dei, et de scientia dubitas? cum tecum reputaveris, unde primum homo aratrum fecerit, quis lignum aptare, et in medio ferrum

[1] Isaï. L, 5. — [2] Gen. III, 25.

inserere et astringere docuerit, jugum bobus imponere; unde mulier texendæ telæ artem invenerit, sumendi vellus, lavandi, pectendi, nendi, copulata tenuandi, rursusque nectendi. Unde hoc? Quis phrygionicam phrygiones docuit? Stat textorium instrumentum, unum est quod mittitur, non manus efficit, sed ratio operatur, ratio formas absolvit. Artifex manus non injicit, artisque ratio vestimentum format, et in figuris, quæ oculis percipiuntur, excitatur artificis voluntas. Jam phrygio non movet manus, et formas excitat. Si autem audieris Deum operari, putas-ne ipsum movere manum ut operetur? et si omnem artem omnemque inventum exquisieris, dixerisque, quomodo hoc et illud invenerunt, recordatus primæ vocis qua dictum fuit: « Faciamus hominem ad imaginem nostram, » habes quæstionis solutionem. Dei imago est, et non imitatur Dominum? « Consuit folia ficus. »

VII. Erubescant qui, allegorice interpretantes, dicunt paradisum in cœlo et spiritualem esse. In cœlo quid facit ficus? verum sit in cœlo paradisus, flumina unde exeunt? nonne ex terra? Si paradisus sursum est, haud dubie flumina de supernis fluunt. Num dicit Scriptura: « Fluvius descendit ex Edem? » At vide sophisma. Irrident nos illi allegoriarum auctores. « Induit eos, inquit, Deus » tunicas pelliceas [1]. » Num boves et oves mactavit, aperuitque coriarii officinam, ac coriarii artem egit? Respondemus nos. « Totum animal produxit nullo congressu, nulla copula. Quod non erat fecit, annon partem ejus facere poterit. Instant: « At nunquam Deus partem animalis facit, nihil imperfectum facit Deus. » Audit pellem, et quærit unde. Audio et ego sanguinem in Ægypto, et quæro unde mutavit Nilum in sanguinem, quæ animalia mactavit. Fluvius in sanguinem mutatur, et nullum mactatum est

[1] Gen. III, 21.

animal, et quærit ex quibus animalibus detractæ pelles fuerint. Verum illic sine animali pellis. Attende seriem, quanquam vox laborat, et nos ipsi. At ne mutila sit oratio, paucis lenius prolatis, finem dicendi faciam. « Consuit fo-» lia ficus. » Utinam hæretici hanc artem didicissent. Adam prævaricatus consuere didicit; hæretici perversi scindere didicerunt. Adam transgressus consuit, ut verenda tegeret; hæretici fidem negantes scindunt, ut sancta nudent. Sæpe audimus quæ in cruce contigerunt, miramurque sumpsisse milites vestimenta Christi, et divisisse, statimque mente dicimus: « Magna Dei patientia, quod non immiserit fulmen, quod non strinxerit gladium; » sed contumeliis afficiebatur Sanctus, et profanæ manus non abscindebantur? Miraris quod milites ausi sint vestimenta dividere? Mirare quod hi vestimentum Ecclesiæ disciderint. Certe milites, visa Christi tunica inconsutili, a summo contexta per totum, vesti pepercerunt[1]; hæretici vero Christi vestem, Ecclesiæ indumentum sciderunt, diviserunt, dissecarunt. Sed ad propositum revertamur. « Consuit folia ficus. Au-» dierunt Deum ambulantem, » nempe ut audire licet: « Et se absconderunt[2]. » Proba est natura; etsi sexcentis peccatis simus obnoxii, conscientia nostra libera est. Interdum frons impudens est, et conscientia arguit. Interdum lingua ait: « Quid enim peccavi? » et conscientia intus reprehendit. Simplicissimus et sincerus erat Adam, libere confitebatur. Deus ait: « Ubi es? » Multi pie locum intellexerunt. Oportet tamen accurate inspicere. Illorum sensa admitto utpote pia; et hæc dico, quod vera sint. « Adam » ubi es? » Unde? Quo descendisti? Ex qua gloria excidisti? » Admitto hanc expositionem ut piam. Habet enim et veri speciem, et miserantis affectum. At seriem quæro. « Adam ubi es? » Interrogat Deus. Noverat ut opifex, opi-

[1] Joan. xix, 23. — [2] Gen. iii, 8.

ficii naturam, quod quisquis peccaverit, fiduciam amittat, quodque consuantur peccantium ora. Animadvertebat ideo fugisse, quod fiducia careret. Servus tum maxime anxius est, cum senserit herum peractæ rei gnarum esse; quamdiu ignorat herus, seipsum consolatur, ut qui latere possit. Adam fugiebat ut deprehensus; Deus ignorantiam simulabat, ut metum ejus solveret, ut nos dicimus de amico: « Ignorare me simulavi, ne illi molestiam crearem. » Hæc enim sæpe apud nos contingunt. Quod si apud nos hæc accidunt, multo magis apud Deum clementissimum. « Adam » ubi es? » ac si diceret: « Nescio. » Tum Deo se nescire simulante, probus liberque animus non celavit. « Vocem tuam » audivi, et timui, eo quod nudus essem, et me abscondi [1]. » Cur timuisti? cur te abscondisti? Timui ob transgressionem, me abscondi ob nuditatem. » Vere transgressoris vox lacrimas movet. « Vocem tuam audivi, » illam desiderabilem, illam quæ mihi omnia largita est, illam quæ mihi bona contulit et operata est. « Audivi vocem tuam. » Cogitavi qualem vocem respui, quam vocem despexi, et timui, talis Domini mandatum trangressus, et me abscondi, eo quod nudus sim. » Exinde Deus monere pergit: « Quis indi» cavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo » solo præceperam tibi ne comederes, comedisti [2]; » hoc est, nisi plane hoc fecisses, quod prohibueram. » Vide quomodo sciscitatur ac si nesciret: « Nisi quod ex illa arbore, de qua » præceperam tibi ne comederes, comedisti. » At vide Dei benignitatem. « Quis indicavit tibi? » Ideo colloquium producit, ut metum solvat, et fiduciam excitet. Cogitabat enim Adam nihil ibi durum, nihil asperum esse, non contumeliam, non plagas. Habes magistram consuetudinem. Servus qui peccavit, si herum adeat, a prima voce aut fiduciam aut metum assumit. Si ille indignari cœperit, fu-

[1] Gen. III, 10. — [2] Ibid. 11.

remque illum, fraudulentum, milleque mortibus dignum appellarit, animo deficit; sin illum exprobrantem audiat: «Miser, cur hoc fecisti? cur peccasti?» statim resumpto animo confidit. Neque enim ut herus punit, sed ut magister monet. Sic Deus: « Quis dixit tibi quod nudus esses, nisi quod » de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?» Num multa prohibui? Unum prohibui, idque non tui odio, sed quod tibi prospicerem. « Quis tibi indicavit » quod nudus esses?» Nihil impudenter respondit, non dixit: « Nesciebam. » Quid ergo? « Mulier, quam dedisti mihi, » hæc dedit mihi, et comedi[1], » ac si diceret: « Quæ data mihi erat, ut adjuvaret. Audivi enim cum formatus essem, et illa nondum esset, dicentem: « Faciamus illi adjutorem » similem ei[2]. » Hæc, quam dedisti mihi, dedit mihi. » Non dixit: « Decepit, » non: « Mentita est: « Hæc mihi dedit, et » comedi. »

VIII. Tum Deus: « Oportebat te uxori credere, non mihi? Num fide dignior me mulier? Ego bona tribui, ego te rebus ipsis honoravi, illa verbis inescavit. » Et vide, ut judex, accepta excusatione rei, si non ultra examinaverit illum, sed transierit ad alium, statim reus cum fiducia dicit: « Interim ego examen subii, » sic et Deus ab Adamo transit, ut ejus metum solvat, et mulieri dicit: « Cur hoc fecisti? » Quæ respondit, serpens seduxit me, et comedi[3]. » Quia vera dixit, veram Deus defensionem non vituperat, sed sine ulteriori examine relinquit eam. Non dixit: « Ergo-ne ille, scilicet serpens, me fide dignior habitus est? Promisit æqualitatem cum Deo, et mortem procuravit. » Verum non statim judicat, sed ei ut infirmiori vasi magis pepercit; serpentemque adivit, ut et viro et mulieri persuaderet se auctorem aditurum esse; aitque, « Quia hoc fecisti. » Vides-ne mirum judicem? Deceptos interrogat, deceptorem

[1] Gen. III, 12. — [2] Id. II, 18. — [3] Id. III, 13.

secus. Non ei dicit : « Quid fecisti ; » sed : « Quia hoc fecisti. » Eodem modo David dicit : « Non resurgent impii in judi- » cio [1] ; » non quia non resurgent, sed quia non examinabuntur. « Quia hoc fecisti. » Inflicta serpenti pœna, eorum quos seduxerat pœnas leviores effecit. Nisi, inquit, Deus omnia illi ascripsisset, non sine examine sententiam tulisset. « Quia hoc fecisti, maledictus es super omnes bestias » terræ. Super pectus tuum et ventrem gradieris [2]. Quia » hoc fecisti. » Quia cor decepisti, ac ventri ut cibum gustaret suasisti, « Super pectus et ventrem gradieris. » Non quod ante pedibus sit usus, decernit Deus ut super ventrem gradiatur, sed quia erectus mulierem allocutus erat. Non enim poterat alio modo cum Eva colloquium miscere. Alloquendi formam, qua Evam seduxerat, gradiendi super pectus pœna castigat, et a constituto incedendi modo ejicit. Etsi enim sine pedibus a principio formatus erat, at agilibus quibusdam convolutionibus erectus, extenso pectore quasi equitabat. Unde etiam nunc serpens iratus, sæpe seipsum erigit, et in circulum convolutus currit, progressus autem quantum satis est, ut antiqui gressus refricet memoriam, rursum ex sententiæ lege prosternitur. « Et terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias » ponam inter te et mulierem [3]. » Quid sibi vult, « Terram » comedes? » id quod Adamum fore procurasti, hoc ipsum comede. Auditurus enim ille est : « Terra es, et in terram » reverteris [4]. Inimicitias ponam inter te et mulierem. » Quia simulata amicitia seduxisti, tanquam inimicus ejiceris : « Sermo iste in legem transiit. Attende igitur, « Terram » comedes cunctis diebus vitæ tuæ. » Vide, non dicit serpenti : « Terra tibi cibus erit. » Non enim serpentes terram semper comedunt, sed carnibus etiam aluntur et fructibus, semina mandunt, et herbas captant. Hoc autem dicit : « Ab-

[1] Psal. I, 5. — [2] Gen. III, 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 19.

sumes terram, in illa reptans. » Verum aiunt quidam : « Si diabolus decepit, cur serpens maledictionem excipit ? » Invisibilem dæmonem invisibili plaga afficit ; visibile instrumentum visibili supplicio subjicit. Quare ? Sicut Deus, invisibilis cum sit, visibile monumentum dedit arborem ; sic diabolus, invisibilis cum sit, homines per serpentem alloquitur. Subjicit ergo Deus serpentem maledictioni ; ut si cui diabolus mali quidpiam fecerit, serpentem quem videt repentem, recordetur olim erectum fuisse, cogitetque, si nequitiæ minister sic plectitur, ejus auctor quanta patiatur ? Animadverte igitur. Huic rei affinia in Evangelio deprehendis. Quemadmodum enim in visibili serpente, loquentem una cum eo, qui videbatur, condemnavit ; sic et in Evangelio, cum dæmones Christum rogarent ne mitterentur in abyssum, dicerentque : « Permitte nobis in porcos » ingredi [1], » permisit ingredi, ut invisibiles illos cum visibilibus corporibus submergeret. « Terram comedes. Ini» micitias ponam inter te et mulierem. » Amicitiam in odium mutavit, et sermo in legem versus est. Alias quippe bestias student homines cicures reddere ; serpentem vero si quis viderit, statim concitatur. Manet quippe decretum : « Inimicitias ponam inter te. » Etiamsi domi viderit, necare cupit. Si in via viderit, furore ad occidendum fertur. Stimulat eum vetus sententia. Si sexcentas plagas serpenti intulerit, videatque caput non vulneratum, statim monet : « Caput serpentis non percussisti, caput feri. » Quoniam Deus dicit : « Ipse observabit caput tuum, et tu observabis ejus » calcaneum [2]. » Quid hoc sibi vult ? Non dicit : « Faciam ut homo a cæteris tuis membris feriendis abstineat, solumque caput cædat. » Utitur enim homo plagis in omnia serpentis membra, ut ubicumque percusserit, totum ulciscatur. Id porro quod a Domino serpenti dictum est ; « Tu observa-

[1] Luc. VIII, 31, 32. — [2] Gen. III, 15.

» bis calcaneum ejus, » non significat ipsi concessum esse ut calcaneum adoriatur. Invadit enim quandoque serpens dormientes, ventrem non raro occupat, immittit venenum, manibus ac reliquis membris morsus infigit, atque in quodvis membrum incidat, illud damno afficit. Verum sententiæ mens talis est. » Non ultra, inquit, serpens libere homini insidiabitur ; sed intus manens, tanto hominum terrore afficieris, ut in cavernis latitans, vix ex foraminibus formidolosus respiciens, hominum transitus tantum observes, ut citra periculum exeas. Homo autem, inquit, libere ambulabit, caput tuum in foraminibus observans, tanquam inimici latitantis, non amici specie loquentis. »

IX. Sed quia tempus urget, orationem compleamus. Interrogavit eam, quæ decepta fuerat : transit ad deceptorem. Sententia a radice orsa est, nempe a seductore. Deinde ad deceptam venit et minas intentat. Prima vox ad serpentem dicta fuit, « Maledictus. Et dixit Deus mulieri : » Multiplicans multiplicabo dolores tuos et gemitus tuos [1]. » Non maledicit, ne pariat ; quia jam prius benedixerat : nam cum formavit eos ait : « Et benedixit eos Deus dicens : « Cres» cite et multiplicamini, et replete terram [2]. » Dicit vero Paulus : « Sine pœnitentia sunt dona Dei [3]. » Non ergo maledicit quos benedixerat : sed quid ? Stupendum remedium vulneri adhibet, dolores et gemitum. Genus sententiæ est, quæ percutiat, sed delicti solutionem promittat : « Multi» plicans, inquit, multiplicabo dolores tuos, et gemitum » tuum, » Pœnitentiæ remedia. Animum adhibe. Quemadmodum medici eodem remedio mordent et leniunt ; itemque ferrum eadem sectione eodemque dolore salutem præstat ; sic Deus peccanti mulieri duo dat pœnitentiæ viatica, dolorem et gemitum. Quid juvat dolor et tristitia ? Audi Paulum dicentem : « Quæ secundum Deum est tristitia

[1] Gen. III, 16. — [2] Gen. I, 28. — [3] Rom. XI, 29.

» pœnitentiam in salutem stabilem operatur [1]. » Et quid operatur gemitus? Audi Esaïam : « Cum aversus ingemue- » ris, tunc salvus eris [2]. Multiplicans multiplicabo tristi- » tias tuas et gemitum tuum. » Tristitia exteriorem vultum deformat ac tristem reddit. « Corde lætante, floret vultus; » cum vero in tristitiis versatur, mœstus est [3]. » Quia oculus arborem viderat, æqualitatemque cum Deo mente cogitaverat, dat Deus cordi gemitum, vultuique tristitiam, ut per ea quæ peccaverat puniatur; utque supplicium, imo salus ipsa, mulieri suadeat Deum non irritam fecisse priorem benedictionem. Nam cum dixisset: « Replete terram, » ait : « In dolore paries filios. » Partum non tollo : semel enim benedixi, sed paries in laboribus, in perturbationibus. » Gravissima hæc tristitia. Id testatur Servator : « Mulier, » cum parit, tristitiam habet [4]. » Tristatur cum parit, anxia est dum nutrit; ubi puer grandior est, veretur ne socors sit; si peregrinetur, metuit ne moriatur, ne in morbo vel in ærumna versetur. His vir non est obnoxius; etsi enim pater sit sollicitus, non perinde tamen atque mater; sed seipsum consolatur dicens : « Homo est, scit sibi prospicere; » neque anxius est. Quare? Quia non audivit ille : « In do- » loribus paries filios. » Insolitum pœnæ genus : experientia testis est. Cum dolores partus mulierem invadunt, ne in ipsis quidem laboribus virum respicit. Non dicit : « Utinam nuptiæ non essent, utinam non esset liberorum procreatio. » Non sinit Deus illam post talem experientiam odisse virum; at licet novit quid passa, quid experta sit, virum tamen diligit. Ideo, « In doloribus paries filios, et ad virum tuum » conversio tua, et ipse dominabitur tui [5]. » Quia jam male imperasti, et voluntatis tuæ servus effectus est, ipse dominus sit, qui non est deceptus. » Ideo Paulus ait : « Mulier,

[1] 2 Cor. VII, 10. — [2] Isaï. XXX, 15. — [3] Prov. XV, 13. — [4] Joan. XVI, 21. — [5] Gen. III, 16.

» autem docere non permitto, neque dominari in virum[1]. » Nam male primum docuit in paradiso. « Neque dominari » in virum? » Male enim dominata est. Hoc ergo sensu jubet Paulus mulierem non docere, ob ea quæ in paradiso evenerant : nec nos sophismate utimur. Audi enim : « Mulieri » autem docere non permitto, neque dominari in virum. » Et ut ostendat se ideo id statuere, subdit : « Adam enim » non est seductus, mulier vero seducta est in prævarica- » tione[2]. »

X. Quid igitur? Damnationi obnoxius est mulieris sexus, manetque in doloribus, nec vinculum solvitur? Venit Christus qui vinculum solvit : occurrit ea quæ Dominum peperit, sexui patrocinans, sancta Virgo pro virgine; nam virgo erat Eva cum peccavit; damnatæ dolorem solvit, atque gemitum. Sicut enim si quis in regiam vocetur, suos honoribus augere studet, ac, si in angustia fuerint, liberare; sic sancta Virgo in regiam vocata, ut divinæ generationi ministraret, insolito donata partu, hanc primam gratiam petit, imo accipit. Quia non decebat culpæ obnoxiam fœminam innoxium gignere, venit is qui primo Evæ tristitiam per gaudium solvit. Venit Angelus Virgini dicens : « Ave » gratia plena. » Tum per « Ave » seu « Gaude » illud, tristitiæ vinculum solvit. « Ave, » venit is qui solvit tristitiam. « Ave gratia plena, » quia hactenus maledicto obnoxia. » Hic Dei gratiam animadverte. « Ave gratia plena, Dominus » tecum[3]. » Quia cum illa serpens in tristitia, gaude, quia tecum est Deus. » Ac vide Angeli vocem, quomodo totam Christi dispensationem explicat : « Ave gratia plena. » Quia illa duplicem maledictionem accepit, tristitiam et gemitum partus, inducit partum, qui solvat priorem illum partum. « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis no- » men ejus Jesum. Ipse enim salvum faciet populum suum

[1] 1 Tim. II, 12. — [2] Ibid. 14. — [3] Luc. 1, 28.

» a peccatis eorum [1].» Patrum tuorum peccata solvit, qui ex te fructus oritur. Jam mutata res est. Hactenus qui Evam audiebant, miseram prædicabant. « Væ miseræ! quantam gloriam amisit! Væ miseræ! quanta passa est! » Maria quotidie omnium voce audit, « Beata : » sane plena Spiritu sancto. Ac demum vaticinans Virgo audi quid dicat : « Be- » nedictus Dominus Deus Israël, quia respexit humilitatem » ancillæ suæ : ex hoc enim beatam me dicent omnes ge- » nerationes [2]. » Ut ostendat se personam Evæ gestare ; « Me ad hoc usque tempus, inquit, contumelia habitam, ex tum beatam dicent omnes generationes. » Et quid, inquies, illi prodest, cum non audiat ? At revera audit, quod sit in splendido loco, in regione vivorum, mater salutis, fons lucis, quæ et sensu et mente percipitur ; sensu propter carnem, mente propter divinitatem. Sic itaque prorsus beata prædicatur. Imo etiam dum viveret in carne, beata prædicabatur. Audivit enim beatitudinem illam cum adhuc in carne esset. Illa primo vidit, ac deinde ex arbore gustavit ; hæc primo dixit, et tunc beatitudinem audivit. Cum enim Salvator doceret, « Extollens vocem quædam mulier de turba, » cunctis audientibus, dicit illi : « Beatus venter, qui te por- » tavit, et ubera quæ suxisti [3]. » Cæterum in Adamo implevit Deus sententiam, imo vero pœnitentiæ medelam, aitque : « Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de » ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta » terra in operibus tuis [4]. » Rursus qui benedictus fuerat, maledictionem non suscipit, sed terra. Alius peccavit, alia cæditur. Ut Evæ maledictio, imo potius emendatio ; non enim maledictio erat, sed emendatio ; quemadmodum Evæ correctio : « In doloribus paries ; » etenim omnis mulier in doloribus parit ; hactenus mansit, sic et Adami : « Male- » dicta terra in operibus tuis. » Nostrum opera iniqua, et

[1] Luc. I, 31. — [2] Ibid. 68 et 48. — [3] Id. II, 27. — [4] Gen. III, 17.

terra plectitur. Nos peccamus, et terra maledictionem accipit. Parcit Deus opifici o, ut ingenuo filio, terram ut pædagogum plectit : « Maledicta terra in operibus tuis. » Ne consideres naturam, sed Dei gratiam. Non absolute dixit: « Maledicta terra; » nam maledicta mansisset, et fructus non tulisset, quemadmodum dixit ficui: « Non ultra ex te » exeat fructus, et exaruit [1]. » Sic et in terra futurum erat, sed ait : « In operibus tuis. » Quando pecco, percutitur terra ; quando recte incedo, illam benedicit. At vide rem miram, quando creavit Deus terram, mare, volatilia, reptilia, bestias, hominem, omnia benedixit; fructus vero non benedixit, quod nempe sciret hanc terræ servatam esse pœnam, ut, peccantibus hominibus, sterilitate plecteretur, et probe agentibus, fertilitatem acciperet. Non benedixit fructibus, donum enim erat sine sapientia. « Spinas » et tribulos producet tibi [2]. » Magna, inquit, despexisti, minoribus plectaris. » Vide quam moderatæ sint castigationes ; spina occidere nequit, cruciare potest. Et comedet terram in doloribus. Illa parit in doloribus, tu comede in doloribus. Nam vetus illa sententia hactenus manet. Et vide mihi divitem, pauperem, principem, magnum, num vita ejus possit sine dolore et cura inveniri. Quare ? Quoniam « In sudore vultus tui vesceris pane tuo. [3] » Noluisti tranquille, in sudore comede. » Non punit illum fame, sed miseriæ atque labori subjicit. Jam tu fidelis illud cogita. Si Adam sine sudore panem non comedit, nos quomodo sine laboribus, sudoribusque regnum cœlorum consequamur ? « Donec, inquit, revertaris in terram, de qua sumptus » es [4]. » O sententiam ? o clementiam metu plenam ! o sententiam consolatione plenam ! Nondum expulerat et revocavit ? nondum ejecerat et resumpsit ? « Donec revertaris » in terram, de qua sumptus es. » Non dixit : « Donec delearis,

[1] Matth. xxi, 19. — [2] Gen. iii, 18. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid.

donec dissolvaris; » sed, « Donec revertaris in terram, de » qua sumptus es. » Ut tibi spem resurrectionis substituas. Illo te mitto, unde te accepi. Ut te tunc accepi, te rursus possum accipere: « Quia terra es, et in terram ibis[1]. » Non deleberis, sed « Ibis. Illud, « Ibis, » quidam interpretati sunt, « Reverteris. » Quantum igitur per facultatem licuit, per gratiam sancti Spiritus, vobiscum paradisum percurrimus, regia monimenta legimus, vidimus reos libertate donatos, judicis clementiam, qua utinam a Christo salutem consequamur, ut cœlestibus illis et sempiternis fruamur bonis, in Christo Jesu Domino nostro, quoniam ipsi gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gen. III, 19.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

SERMONES II IN VARIA LOCA GENESIS.

SERMO I.

Sermo in illud : Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et ecce valde bona[1] : *et de eo quod divina eloquia jucundis quibusque rebus antecellunt.*

I. Pulchra sane sunt pietatis prata, quæ non temporariis coloribus nitent, sed cœlestibus floribus redundant. Flores autem pietatis sunt, divinitus inspiratæ conversationis fructus. Virtutes enim ad admirabilem illam et primigeniam pulchritudinem nos reducunt, quæ ad imaginem et similitudinem Dei creata erat. Hæc itaque secundum virtutem similitudo, equum pro homine dici non sinit ; hanc utique si sectemur, non jam lupus, draco vel serpens appellamur, ad brutorum naturam dejecti, sed imago Dei stupenda atque veneranda, quæ primigeniam illam pulchritudinem formæ retinet, et sumus et dicimur, atque adeo credimur. Factus es dominus bestiarum, noli servorum mores imitari : non quod mala sint bruta animalia : nihil enim mali

[1] Gen. 1, 31.

a bono creatum est. Neque enim existimet quisquam in vitii loco reponendas esse bestias, quod tanquam imagines quædam vitiorum in medium proferantur, quæ in iis regnant, qui non ex præscripto virtutis vitam degunt. Nam si ita esset, cur dixisset Scriptura : « Viditque Deus cuncta » quæ fecerat, et ecce bona, » neque simpliciter bona, sed « Valde bona[1] ? » Quando igitur res creatæ in similitudinem malitiæ adducuntur ; nam et leo tyranni imago est, et serpens versuti hominis, quique moribus sit nequissimis ; et scorpius percussoris, et lupus rapacis ; quomodo res creatæ bonæ dicentur, inquit, quæ tam aperte tanquam similitudines vitiorum proferuntur? verum operæ-pretium est intelligant discendi cupidi hæc, si spectetur propria eorum natura, mala neque esse, neque dici, sed eam potius conditionem et statum, qui rationis expertibus convenit animantibus : postquam autem ratione præditam naturam invaserint, speciem ejus contumelia afficere, et rationalem ingenuitatem obtusiorem reddere. Accepisti, o homo, dignitatem heri, noli ignominiosam, et servis congruam, bestiarum conditionem sectari : teipsum enim probro afficis, dum bestiarum immanitatem imitaris : non quasi malæ sint aut dicantur bestiæ, sed quod ignominiosa et servilis imago liberis non conveniat. Quemadmodum enim si vir quispiam illustris et nobilis servili toga sit indutus aut amictus, probro afficitur et ignominia notatur ; non quod vestis illa sit vilis aut sordida, sed quod servum quidem deceat, libero vero non conveniat : ita si scorpii lupique mores induas, non brutorum accusatur natura, sed conditio tua probro afficitur, quæ domini sortem cum nacta sit, ea quæ sunt servilia sectatur. Hæc a me necessario fuerunt in medium allata, ne quis ea forte quæ dicta sunt, ad ignominiam Creatoris traducat, quasi malum aliquod fecerit Deus :

[1] Gen. 1, 31.

vere enim bona sunt omnia, et valde bona, si propriam conditionem conservent, et suam legem sectentur. Atque ut intelligas, charissime, nihil a Deo mali creatum esse, si naturam spectes, docuit nos Deus et belluarum similitudinem usurpare. Admonuit enim ut quasdam dotes prærogativasque brutarum animantium imitaremur, ne tanquam mala damnemus et calumniemur quæ creata sunt, non generatim eorum naturam, sed quæcumque rationalium conditioni potuerint convenire. Annon hodie Proverbiorum auctorem audisti dicentem : « Vade ad formicam, piger, et »æmulare vias ejus[1] ? » non animadvertis quo pacto proposita formicæ diligentia nos ad impigrum quoddam studium erudierit ? Nonne te diserte docuimus a formica diligentiam, ab ape vero artificii amorem ? Licet enim nobis, licet, ut ante dixi, et bestiarum prærogativas et commoda, quæ conditioni nostræ conveniunt, ad imitandum decerpere. Verumtamen ista ad pudorem nobis incutiendum probrumque dicuntur. Quando enim Deum imitari noluisti, imitare formicam. Nunquam-ne patrem vidisti, qui dilectum filium objurgaret, et post multam instructionem ad imitationem famulorum eum traduceret, atque hæc palam diceret : « Imitare saltem famulum ; dignitate quidem inferiorem, at scientia tamen præstantiorem ? » Quamobrem benignissimus Deus, ad coarguendum stuporem nostrum, formicam profert in medium, a qua negligentia nostra convincitur, et apem, quæ pigritiam nostram condemnat. Atque hinc satis constat nihil a Deo malum conditum esse, qui tibi sensum ac mentem indidit, cujus vi possis ista discernere, ut belluarum quidem mores devites, potiores autem earum dotes et commoda consecteris. Potest enim et leo virtutis imago esse, cum non tanquam tyrannidis, sed quasi fortitudinis indicem similitudinem illam accipis. Aliud

[1] Prov. VI, 6.

quippe est tyrannis, et aliud fortitudo. Idcirco Scriptura ipsa Salvatorem annuntians exoriturum ex Juda : « Catulus leonis, inquit, Juda : ex germine, fili mi, ascendisti : » recumbens dormivisti ut leo, et quasi catulus leonis [1]. » Vide cujusmodi similitudinem ex iis, quæ belluis insunt potiora, duxerit sermo divinus ? Licet igitur leonem sapienter imitari ; licet et serpentem quoque, non quidem in veneno fundendo, sed in solertia comparanda : sicut et Apostolis Servator ait : « Estote prudentes sicut serpens [2]. » Quamobrem si mala esset creatura, imaginem suam ad ejus imitationem non cohortaretur, dicens : « Estote prudentes » sicut serpens : » imitare serpentis non venenum, non iram, sed prudentiam. Nam si venenum imiteris, clamat in te David, accusans et dicens : « Furor illis secundum similitu- » dinem serpentis [3]. » Sin autem prudentiam ejus imiteris, factus es Christi discipulus, qui dixit : « Estote prudentes » sicut serpens. » Quia enim serpens omnibus animantibus est prudentior [4], ut paulo ante lectum est, prudentiam opposuit prudentiæ, non ut dolum nectere discas, sed ut dolum discas declinare.

II. Vult enim benignus Deus nos esse non malignos, sed callidos : aliud autem est calliditas, aliud malignitas. Callidus itaque est, non ad excogitandam malitiam, sed ad malitiam evitandam ; et uti solet calliditate, non ut in alios consuat dolos, sed ut ea, quæ cæteris in ipsius perniciem contexta sunt, effugiat : malignus autem est sicarius, deceptor, qui aliis mala machinatur. Talis prudens Jacob, prudens ut serpens, non venenum spargens ut serpens. Nam cum in occursum congressumque cum fratre Esaü venturus esset, homine sceleribus et parricidiis cooperto, Deum orabat dicens : « Domine, eruc me de manu fratris

[1] Gen. XLIX, 9. — [2] Matth. X, 16. — [3] Psal. LVII, 5. — [4] Gen. III, 1.

» mei Esaü, quia valde eum timeo [1] : » Deumque sic precabatur, ut adversus malum orationem opponeret. Quando vero fratri occurrit, humanitate, cultu et observantia furorem ejus mansuefecit, et malitiam restinxit. Quid enim ait ad Esaü ? « Sic vidi faciem tuam, ut si quis videret vul- » tum Dei [2]. » Ac si hæc quidem dixit Jacob, ut ea fraude vinceret fratrem, male loquebatur : sin autem dixit, ut terrorem effugeret, calliditate recte usus est. « Estote » ergo prudentes, ut serpens ; » non iracundi, non venenum ejaculantes; sed prudentes, « Et simplices sicut co- » lumbæ. » Potest autem columba et ad vitium et ad virtutem significandam accipi : qua vero ratione, audi. Si sis inconsideratus minimeque discretus, et solius malitiæ peritus, accusat te Scriptura ut imprudentem. « Ephraïm » enim, inquit, quasi columba insipiens, quæ cor non ha- » bet [3]. » Si ergo insipientiam fugiens, simplicitatem cum laude præ te tuleris, habes prudentiam perfectam, si eam cum malitia non commisceas, et audis a Domino : « Estote » prudentes sicut serpens, et simplices sicut columbæ [4]. » Ne igitur nullo delectu utcumque Scripturam lege, mi frater, aut similitudines ad vitia malamque in partem accipias ab ea prolatas, dum distribuit huic quidem illud, illi vero aliud. Vis-ne hoc intelligere planius ? attende diligenter iis quæ dicuntur. Vocat leonem Scriptura : « Catulus » enim leonis, inquit, Juda : ex germine, fili mi, ascendisti : » recumbens dormivisti ut leo. » Hic, « Ut leo, » fortitudinem significat : nam et de Justo eamdem proponit similitudinem. « Justus enim, inquit, quasi leo confidit [5]. » Fortis itaque est Justus, non in male agendo, sed in iis refellendis, quæ a sceleratis inferuntur. Appellat et Salvatorem leonem, eo quod esset ex tribu regia. Ut enim quadrupedum rex est

[1] Gen. xxxii, 11. — [2] Id. xxxiii, 10. — [3] Osee. vii, 11. — [4] Matth. x, 16. — [5] Prov. xxviii, 1.

leo, sic inter Judæos tribus Juda regnabat, ex qua Salvator progenitus est. Neque vero existimes, charissime, Christo indignum leonis imagini comparari : nam et eamdem ipsi tribuit Divinitati Scriptura. Audi ergo quid dicat Propheta ; « Leo rugiet, quis non timebit ? Dominus Deus locutus est, » quis non prophetabit [1] ? » Ergo ratione potentiæ, et quatenus terribilis est, ac regia majestate pollens, comparatur leoni Christus. Appellatur et leo diabolus, non ut potens, vel ut tremendus, sed ut percussor, ut tyrannus, ut exterminator. De hac re dicit et beatus Petrus Apostolus : « Ecce ini- » micus vester diabolus circuit tanquam leo, quærens ut » animam devoret [2]. » Divide itaque eorum, quæ leguntur, notiones et intelligentias, ne forte quæ in verbis apparent contraria, tuam mentem perturbent. Commemoravit Scriptura leonem et leonem, sed hunc quidem secundum regiam dignitatem ac potentiam, illum autem ob vim perdendi atque delendi. Itaque Justum simul et impium una similitudine Scriptura exprimit : « Justus, inquit, ut palma, » florebit ; sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabi- » tur [3]. » Priori loco proposuit imaginem Justi, deinde pariter impii. « Vidi enim, inquit, impium superexaltatum et » elevatum sicut cedros Libani [4]. » Vide ergo quo pacto eamdem similitudinem in medium attulerit, sed dictionibus notiones diviserit. Nam de impio dicit : « Vidi impium su- » perexaltatum et elevatum sicut cedros ; » de Justo autem non dixit : « Ut cedrus, quæ in Libano est, efflorescet, » sed, « Multiplicabitur. » Sic igitur apem imitare, mi homo, quam et Scriptura, ut imiteris in diligentia, te docet. « Vade » ad apem, et disce quam sit operatrix [5]. » Noli discere quo pacto stimulum habeat, sed quo pacto mel conficiat. Nam si apis stimulum fueris imitatus, reprehendet te David, di-

[1] Amos. III, 8. — [2] 1 Petr. V, 8. — [3] Psal. XCXI, 13. — [4] Id. XXXVI, 35. — [5] Prov. VI, 6.

cens : « Omnes gentes circumdederunt me sicut apes fa-» vum, et in nomine Domini ultus sum eos [1]. » Vides ut percutientes se comparet api pungenti, Justos autem assimilet ei, quæ mel stillet ? « Labra enim, inquit, Justorum stillant » sapientiam; et favus mellis sermones honesti : dulcedo » vero eorum sanitas animæ [2]. » Hanc itaque dulcedinem, dilectissimi, animarum, inquam, desideremus ex tota anima, favumque spiritalem in occulta animæ officina conficiamus, et eloquia divina pluris quam mel et favum faciamus. Sæpenumero fit ut, si multum mellis comedatur, dulcedinem mutet in amaritudinem, et stomachi vitiet appetitum, omnemque hominis statum evertat : sermo vero divinus, etsi multus accipiatur, animam non perturbat, sed potius sanat. « Dulcedo enim ejus sanitas animæ. » Quapropter Sapiens cum veliet mellis et sermonis inter se discrimen opponere : « Mel multum, ait, comedere non est » bonum, honorare autem oportet sermones gloriosos [3]. » Semper itaque, dilectissimi, tanquam favum quemdam varium, sacra eloquia reliucamus : et quemadmodum favus ille diversis quidem conficitur ex generibus, unum autem bonum habet : sic et nobis esto favus Scriptura divina, ex multis quidem ac diversis constans Prophetis, unum vero doctrinæ mel stillans. Talis et nobis patrum favus ex multis quidem ætatibus coacervatus, unam vero gratiam unamque spiritalem doctrinam distillans. Verum hæc quidem hactenus: nobis vero precibus et patrociniis communis Patris contingat, ut diligentia nostra sermonem augentes, divinam legem adimpleamus in mente nostra quovis tempore, idque faciamus, quod a Davide dictum est, ut Dei legem in medio ventris nostri semper habeamus [4], sive divinas sententias, ut naturæ terminos statuamus agnos-

[1] Psal. cxvii, 12. — [2] Prov. xvi, 24. — [3] Id. xxv, 27. — [4] Psal. xxxix, 9.

cere, ac veritatem colere, mundum contemnere, Deoque gloriam offerre, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

Ejusdem demonstratio primum hominem per inobedientiam abjecisse imaginem ad similitudinem Dei factam, et per novum Adamum eam rursus recuperasse.

I. Hominem ad imaginem et similitudinem Dei editum in lucem et procreatum esse cum ipsa Scriptura divina tradidit[1], tum doctrinæ sermo sensim quodammodo discendi cupidis subindicavit. Ac meministis omnino, qui inter auditores utique diligentiores estis, quo pacto de hoc argumento verba fecerimus, et qua ratione imprimis illud, « Ad » imaginem, » ad hominis dominatum et in omnes res creatas imperium referendum sit : similitudo vero imaginis hujus de perfectione virtutum intelligatur. Necessarium vero nunc est, fratres, ut doceamus, ac dilucide exponamus, quo tandem modo is, qui cæteris omnibus Dei creaturis honore fuerat antelatus homo, a propria primigeniaque divinæ formæ pulchritudine in brutarum animantium naturam et similitudinem fuerit devolutus. Nam cum benigni Dei imago esset, vitiis semetipsum deformavit, et sceleribus labefecit, vereque « Jumentis insipientibus com- » paratus est, et similis factus est illis[2]. » Quo vero pacto jumentis etiam insipientibus assimilatus fuerit homo, ex

[1] Gen. I, 27. — [2] Psal. XLVIII, 13.

ipsis operibus intelligamus oportet, non ut, quæ præcesserunt, vituperemus, sed ut præsentia corrigamus. Nam et quæ ad Adamum pertinent, omnisque eorum qui præcesserunt historia, non ut eos, qui præcesserunt, laudemus, aut vituperemus, lecta sunt, sed ut virtutem imitemur, et vitium declinemus. « Hæc autem, inquit admirabilis Paulus, scripta sunt ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt [1]. » Imaginem itaque ad similitudinem Dei factam primus homo per inobedientiam abjecit, eamque dæmonibus proterendam permisit, et brutarum animantium similitudine varia deturpavit : atque hunc quidem ob crudelitatem ac tyrannidem morum, leonem potius quam hominem reddidit ; illum autem lupum ob rapacitatem effecit. Testatur hoc Scriptura, quæ sic ait : « Principes vestri quasi leones rugientes, et judices vestri quasi lupi Arabiæ [2] : » leones appellans crudeles et tyrannidem exercentes, lupos autem rapaces ad avaritiam et prædam imminentes. Vides ut ad imaginem Dei factus homo in belluarum ordinem sit redactus ? Quando ergo tyranni more se gerit homo, leo appellatur : quando rapax est, lupi cognomen invenit : cum impuris libidinibus se coinquinat, et bestiarum in morem ad improba facinora præceps ruit, rursus equus invenitur homo : « Equi enim, inquit, amatores et emissarii facti sunt : unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat [3]. » Alios porro vitium ex hominibus canes fecit. Canes, curnam ? propter allatrandi consuetudinem, quodque tumultibus ac rixis valde delectentur, ac quibus et beatus David ex persona Salvatoris clamat per prophetiam : « Circumdederunt me canes. » Quinam vero canes ? « Concilium malignantium obsedit me [4]. » Alios rursus porcos appellat Scriptura, qui in fo-

[1] 1 Cor. x, 11. — [2] Sophon. III, 3. — [3] Jerem. v, 8. — [4] Psal. XXI, 17.

vea pravarum actionum inquinantur, de quibus per Evangelistam ait Dominus : « Ne mittatis sancta canibus, neque » margaritas ante porcos[1]. » Vides quomodo varius sit homo, et quo pacto imago illa, quæ ad similitudinem Dei facta erat, ad belluarum similitudinem devoluta sit, non altero quopiam vim afferente, sed homine seipsum præcipitem agente? Scriptura enim non necessitati transgressionem ascripsit, sed libero arbitrio ejus, qui honore affectus fuerat, et honorem non agnoverat. « Homo quippe, » inquit, cum in honore esset, non intellexit[2]. » Age vero rursus, si ita videtur, consideremus quomodo alios etiam quosdam propter varietatem et calliditatem, multæque simulationis plenam animi professionem, vulpes Scriptura nominet. Ea propter Herodem utique varium in consiliis, et in cogitationibus astutum, in impietate viventem, ac pietatis velo personatum, Salvator vulpem appellat. Cum enim advenissent nonnulli, atque ipsi renuntiassent Herodem ipsum videre velle, tum sancta illa et magna vox respondens ait : « Dicite vulpi isti, hodie et cras signa facio, » et tertia die consummor[3]. Dicite vulpi isti, » quasi dicat: « Animæ ad omnem calliditatem factæ, plenæ dolo, et omni malitia et fallacia. » Animadvertis, frater, quo pacto callidos Scriptura vulpes appellet? Quotiescumque igitur cum Psalmista dixeris : « Introibunt in inferiora terræ, partes » vulpium erunt[4], » intellige ænigma, neque existimes ænigma haud aliter quam per intelligentiam accipi. Et rursus alibi dicit : « Partes hypocritarum erunt: » qui enim veritatem ignorant, non cum fidelibus, sed cum hypocritis partem accipiunt: unde et Salvator hanc sententiam obsignans, ait de eo, qui male dispensatoris munere functus erat: « In- » trabit Dominus servi illius, et dividet eum, partemque

[1] Matth. VII, 6. — [2] Psal. XLVIII, 13. — [3] Luc. XIII, 32. — [4] Psal. LXII, 10, 11.

» ejus ponet cum hypocritis[1]. » Itaque hypocritas appellavit Scriptura vulpes. In tam multas ergo, fratres, dejecta est indecoras figuras et similitudines imago Dei, sic ut non aliis nominibus omnem terrarum orbem appellet Scriptura, priusquam ista cognitio pietatis illucesceret, quam brutorum jumentorum, et reptilium atque immanium bestiarum. Enimvero ipsum coryphæum Apostolorum Petrum cum benignissimus Deus admonere vellet, ut ex alienigenis omnes admitteret, qui se offerrent, admirabilem illam et inusitatam sindonem commonstravit illi, qui de cœlo quatuor initiis submittebatur, in qua erant omnia quadrupedia terræ, et volatilia cœli, et bestiæ et reptilia, et ait ad eum: « Surge, Petre, occide et manduca[2]. » Ait autem Apostolus : « Absit, Domine : nunquam enim manducavi omne » commune, et immundum[3]. » Ignorans enim ænigma similitudinis Petrus, putansque sensilia esse quæ videbat, manducaturum se negat, consuetudinem servans judaïcam, et ait : «Absit, Domine : nunquam enim manducavi omne com» mune, et immundum. » Dominus autem ad eum dixit : Quæ Deus purificavit, tu communia ne dixeris[4]. » Hæc itaque Salvator cum Apostolo disserebat de quadrupedibus apparentibus et bestiis ac volatilibus. Christi vero Apostolus Petrus intellexit postea Salvatorem non volatilia et belluas significasse per linteum, sed gentes omnes, aitque Cornelio, cum illo colloquens : « Vos scitis quomodo abo» minatum sit viro Judæo conjungi alicui alienigenæ : sed » mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum » dicere hominem[5]. » Didicisti, mi frater, quomodo varie belluarum appellationibus fuerimus ignominiose notati? Rursus cum legeris in propheta Esaïa : « Tunc lupus simul » cum agno pascetur, et pardalis cum hœdo accubabit, et

[1] Matth. xxiv, 51. — [2] Act. x, 13. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid. 28.

» leo et bos simul pascentur, et simul comedent paleas[1] : » intellige ænigma, et clare percipe ejus intelligentiam ; quod non brutorum animalium conventum significat, sed hominum potius congregationem, planeque pietatis communionem interpretatur, et salutem per gratiam omnibus mortalibus affulgentem. Cum enim in Ecclesia pauperem videris cum divite astantem, cum magistratu privatum, tenuem cum illustri, eumque qui exterius potestatem veretur, considera quid sibi velit illud, « Lupus cum agno » pascetur. » Lupum nimirum appellat divitem, agnum vero pauperem. Unde autem id constat ? quoniam communicabit lupus cum agno, quo modo dives cum paupere. Atque attende diligenter. Astitit plerumque dives et pauper in Ecclesia : comprehendit te hora mysteriorum : expellitur dives, ut minime initiatus mysteriis, permanet autem intra cœlestia tabernacula, astatque pauper : neque tamen indignatur dives, quippe qui noverit se a divinis mysteriis alienum. Quin etiam, o divinum beneficium, non modo æqualitas honoris est in Ecclesia, quæ a Deo est gratia, sed et cum utroque substitit, plerumque pauper pietate divitem antecellit. Neque quidquam diviti contulerunt ad pietatem opes, neque paupertas fideli fraudi fuit, sed eum cum fiducia coram sancto statuit altari.

II. Hæc autem, dilectissimi, de catechumenis a me dicuntur, non de quibusvis opulentis. Adverte, quæso, animum, mi frater, ac vide quo pacto sæpe dominus excedat ex Ecclesia, et servus fidelis sacris assideat mysteriis : egrediatur domina, et maneat ancilla : non enim accipit hominis faciem Deus. Non est ergo in Ecclesia servus et liber, sed illum novit Scriptura servum, qui servituti peccati addictus est[2]. « Qui enim, inquit, facit peccatum, servus est » peccati[3]. » Illum etiam liberum agnoscit, qui a divina

[1] Isaï. xi, 6, et lxv, 25. — [2] Gal. iv, 7, 8. — [3] Joan. viii, 34.

gratia in libertatem assertus est. Nam « Lex, inquit, spi-» ritus vitæ in Jesu Christo liberavit me a lege peccati [1]. » Cum igitur hæc imago variis modis, ut ante diximus, labefactata et dissoluta esset, venit Salvator, et propriam imaginem restauravit; et quam diabolus dissiparat, eam ipsam tulit Opifex homo factus, amator hominum, non ut dignitatem suam dedecore afficeret, sed suam erga nos benignitatem demonstraret. Unde hoc divinum et admirabile indumentum beatus David prænuntians dixit : « Dominus » regnavit, decorem indutus est [2]. » Neque vero Divinitati principio carenti et incorporeæ datur indumentum; nihil enim est ornatius Deo magisque decorum, quam ut ipse decorem induat; quin hoc humanæ naturæ convenit. Etenim nos homines membrorum deformitatem vestimentorum decore contegimus : verum cum Deus simplex sit et sine figura, « Solus habens immortalitatem, lucem habitans inac-» cessibilem [3], » quo decore eget, aut quo indumento ornatur? Unde perspicuum est Prophetam appellavisse decorem, corporis assumptionem? quin etiam vocat decentiam, propriam carnem, non ob corporis naturam, sed ob virtutum perfectionem. Idcirco decorum corpus Domini, non quod corpus fuerit solum, sed quod peccatum non fecerit neque dolus inventus sit in ore ejus. « Dominus regnavit, de-» corem indutus est. » Sic etiam ait Esaïas quod omnes homines induet, et circumdabit quasi ornamento sponsæ [4]. « Indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se [5], » et, « Accingere gladio tuo super femur tuum, potens [6], » et quæ sequuntur. Atque hæc tanquam armatum quempiam regem Christum demonstrant, arma quædam terreni corporis indutum, et merito terreni. Non enim similiter atque homines armatur, et audi quomodo. Nos homines, cum ple-

[1] Rom. VIII, 2. — [2] Psal. XCII, 1. — [3] 1 Tim. VI, 16. — [4] Isaï. XLIX, 18. — [5] Psal. XCII, 1. — [6] Id. XLIV, 4.

rumque armamur, quod infirmum est tutamur eo quod forte est? Sed Deus qui fortis est, et validus, et potens, terrenum et invalidum corpus induit, non dedecorans dignitatem suam, verum potestatis suæ præstantiam per infirmum ostendens : sicut dixit Paulo, qui supplicabat ipsi : « Sufficit tibi gratia mea, nam virtus mea in infirmitate »perficitur[1]. » Unde cum nobilis hic Apostolus præclare percepisset ea, quæ sibi dicta erant, ad Corinthios scribens ait : « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus[2]. In»dutus est Dominus fortitudinem : » hoc est, dispensationem elucentem per carnem. Quid enim illa pretiosa et sancta carne potentius? quid porro fortius? Etenim per corpus corporis expertes et malignos dæmones debellavit; et per crucem de adversariis potestatibus triumphavit. Attende diligenter. Indutum et circumamictum esse, significat circumscriptum esse. Cum igitur sancta et incircumscripta natura videretur in corpore circumscribi, non circumscripta quidem secundum propriam naturam, sed ejusmodi existimata ex visione apparente; merito dixit : « Indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se. » Et quid est quod mox inducitur? « Etenim firmavit orbem »terræ, qui non commovebitur[3]. » Quoniam ergo peccatum concusserat primum orbem terrarum, cum venisset Servator, fixit crucem, et orbem terræ firmavit. « Tu es Pe»trus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, »et portæ inferi non prævalebunt adversus eam[4]. » Et Paulus : « Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signacu»lum hoc[5]. » Duo itaque verba pronuntiavit Dominus : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ »inferi non prævalebunt adversus eam. » Non usus est magno verborum ambitu; non dixit : « Firmabo Ecclesiam; et,

[1] 2 Cor. XII, 9. — [2] 1 Cor. I, 25. — [3] Psal. XCII, 1. — [4] Matth. XVI, 18. — [5] 2 Tim. II, 19.

nec reges, nec principes, neque tyranni, neque carnifices, neque sapientes, neque rustici, neque oratores superabunt Ecclesiam. » Nam invictum et inexpugnabile est regnum Christi. Verum uno verbo vim et potentiam declaravit, ac simplici dictione promissionem munivit : « Su» per hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ » inferi non prævalebunt adversus eam. » Duo verba, non nuda et tenuia verba, sed Dei verba. Nam qui verbo cœlum firmavit, et terram fundavit verbo, etiam Ecclesiam ædificavit, et muro cinxit, et « Firmavit orbem terræ, qui non » commovebitur. » Procidamus itaque, dilectissimi, illi qui orbem terræ stabilivit, et ploremus, et ad misericordiam inducamus, ut per ipsius benignitatem et ineffabilem potentiam stabiles et incommutabiles in inconcusso et infracto fundamento permanentes, ipsi jugiter gloriam offeramus, et gratiarum actionem, simul cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 451.

Finis hujus sermonis finem præcedentis ad verbum repræsentat, ut attente legenti facile patebit. Hunc tamen, Benedictinorum exemplum secuti, de medio tollere noluimus, ne truncatus sermo mutilusque videretur.

Annot. (2), pag. 467.

In manuscripto vaticano et plurimis aliis codicibus extant hæ sex orationes sub nomine D. Chrysostomi : unde licitum fuit Savilio nomen sancti doctoris nostri retinere, quem secutus est P. Combefis in suo *Auctuario* (Parisiis, 1672.); verum vulgari opinione Severiano episcopo Gabalorum in Syria tribuuntur. Fuit ille nimirum Joanni Chrysostomo coætaneus, et invida in illum æmulatione ita percitus, ut initæ a Theophilo Alexandrino conjurationi socium sese adjunxerit, nomenque ideo infame reliquerit posteris. Cæterum non diffitemur esse in his homiliis plurima, quæ S. Chrysostomi ingenium, neque mentem et cogitandi dicendique vim redolent.

Annot. (3), pag. 475.

Hæc loquacitas non est D. Chrysostomi; arguit porro Severiani futile ingenium, rerum naturalium perquisitionem plerumque aggredientis inepte admodum; de quo ipsi auditores conquesti sunt.

Annot. (4), pag. 482.

Hic Severiani phrasim non sequimur, quia se ipse non sequitur. (Montfaucon.)

Annot. (5), pag. 490.

Hæc Chrysostomus in Isaïam iisdem prope verbis.

Annot. (6), pag. 503.

Lectori cuilibet facile erit advertere stylum hunc, argutiis refertum, liberam Chrysostomi elocutionem minime sapere. Insuper in descriptionibus parum accurate immoratur scriptor; videlicet ubi de mundo, quem negat esse rotundum, de igne, de aqua loquatur. Quin imo in rebus seriis aliquando nugatur; cum, exempli gratia, in nomine Adam quatuor mundi climata insulse deprehendit, in oratione quinta; et in sexta Adamum fuisse Prophetam ex his concludit verbis : *Hoc nunc os ex ossibus meis.*

Annot. (7), pag. 524.

Hæc sententia imperfecta, licet truncatum sensum præ se ferat, talis qualis legitur, lectori exponenda videtur.

Annot. (8), pag. 531.

Sacerdos hic Abiathar vocatus, sicut et apud Marcum II, 26, aliter appellatur Achimelech; sed sub duplici nomine unum eumdemque virum habeto, ut patebit ex collatis I Regum XXI, 1 ; XXII, 9, 20, et 2 Regum VIII, 17, et I Paralip. XVIII, 16, variis testimoniis, ubi modo Achimelech filius Achitob, et pater Abiatharis, modo Abiathar pater Achimelech dicitur.

ANNOT. (9), pag. 537.

Notandum est sæpius, lapsu memoriæ, Patribus accidisse nomen Prophetæ cujusdam aut Apostoli in medium proferre, dum verba prolata ad alium Apostolum et Prophetam referenda sunt. Id autem ex eo provenit, quod non ex scripto, sed ex tempore loquentes sacri doctores, non semper præsentem menti habuerint libri, ex quo extrahebantur citationes, auctorem. Quæ quidem annotatio pro præteritis, præsentibus et futuris sufficiat.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Homiliæ in Genesim, pag. 1-374.	Earumdem varia fragmenta passim reperiuntur, quæ propter brevitatem hic referre operæpretium non duximus.
Sermones in Genesim, I et II, p. 389-398.	Ejusdem fragmenta, t. XI, p. 375-387.

INDEX

TOMI SEPTUAGESIMI PRIMI.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI.

Homilia XXXVIII. In Genesim. Sara autem uxor Abram non peperit ei, sed habebat ancillam Ægyptiam nomine Agar. 3

Homilia XXXIX. Quando autem factus est Abram nonaginta novem annorum, apparuit ei Deus. 20

Homilia XL. Et dixit Deus Abrahæ : Sara uxor tua non vocabitur Sara, sed Sarra erit nomen ejus. 34

Homilia XLI. Apparuit autem Deus Abrahæ apud quercum Mambre, sedente ipso ad januam tabernaculi sui meridie. 44

Homilia XLII. Cum surrexissent autem viri, respexerunt in faciem Sodomorum et Gomorrhæ. 62

Homilia XLIII. Venerunt autem, inquit, duo Angeli Sodoma vespere. 79

Homilia XLIV. Diluculo autem venit Abraham ad locum ubi steterat coram Domino. 97

Homilia XLV. Et movit illinc Abraham in terram versus Africum, et habitavit inter Cades et inter Sur, et peregrinus fuit in Geraris. 110

Homilia XLVI. Et dixit Sarra : Quis annuntiabit Abrahæ quod lactat puerum Sarra? quod peperi filium in senectute mea? 124

Homilia XLVII. Et factum est post verba hæc, Deus tentabat Abraham. 134

Homilia XLVIII. Responderunt autem filii Chet ad Abraham, et dixerunt : Rex a Deo es tu in nobis, in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum. 144

Homilia XLIX. Hæc autem sunt generationes, inquit, Isaac filii Abraham. 160

Homilia L. Concepit autem Rebecca, et colludebant parvuli in illa. 167

Homilia LI. Facta est autem fames super terram, præter famem priorem, quæ fuerat tempore Abraham. 172

Homilia LII. Seminavit autem Isaac in terra illa, et invenit centuplicans hordeum in anno illo. 181

Homilia LIII. Erat autem Esaü annorum quadraginta, et duxit Judith filiam Beel Chettæi, et Basemath filiam Elom Evæi, et exasperabant Isaac et Rebeccam. 183

Homilia LIV. Rebecca autem, vocato filio suo juniore, dixit ei. 205

Homilia LV. Et dixit Laban ad Jacob : Quoniam frater meus es tu, non servies mihi gratis, dic mihi quæ merces tua. 219

Homilia LVI. Dixit autem Jacob ab Laban : Da mihi uxorem meam : impleti sunt enim dies, ut ingrediar ad eam. 230

Homilia LVII. Factum est autem, postquam peperit Rachel Joseph, dixit Jacob ad Laban : Dimitte me, ut abeam in locum meum et in terram meam. 244

Homilia LVIII. Et elevatis oculis Jacob vidit castra Dei metata, et occurrerunt ei Angeli Dei; quos cum vidisset, dixit Jacob ; Castra Dei sunt hæc, et appellavit nomen loci illius, Castra. 264

Homilia LIX. Et venit Jacob in Salem civitatem Secimorum, et emit partem agri ab Emor patre Sychem centum agnis : et erexit ibi altare, et invocavit Deum Israël. 275

Homilia LX. Et ædificato altari vocavit nomen loci, Bæthel : illic enim apparuit ei Deus, cum fugeret a facie Esaü fratris sui. 286

Homilia LXI. Hæ autem sunt generationes Jacob : Joseph septemdecim annorum erat pascens cum fratribus suis pecora. 295

Homilia LXII. Et vidit Judas hominis Chananæi filiam, quæ vocabatur Sava et duxit eam, et ingressus est ad eam : et concipiens peperit filium, et vocavit nomen ejus Er. 307

Homilia LXIII. Et nesciebat aliquid præfectus carceris propter Joseph. 320

Homilia LXIV. Exivit autem Joseph a facie Pharaonis, et peragravit omnem terram Ægypti, et fecit terra annis septem fertilitatis manipulos, et congregavit frumentum sicut arenam maris. 332

Homilia LXV. Et ascenderunt, inquit, ex Ægypto, et venerunt in terram Chanaan ad Jacob patrem suum, et nuntiaverunt ei, dicentes : Filius tuus Joseph vivit, et dominatur toti terræ Ægypti. Et obstupuit Jacob, non enim credidit eis. 351

Homilia LXVI. Appropinquaverunt autem, inquit, dies Israël ut morereturr, et vocavit filium suum Joseph, et dixit ei : Si inveni

gratiam apud te, suppone manum tuam subter femur meum, et facies mecum misericordiam et veritatem, ut non sepeliar ego in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis : et auferes me ex Ægypto, et sepelies me in sepulcro eorum. Ille autem dixit: Faciam secundum verbum tuum. Dixit autem : Jura mihi, et juravit ei, et adoravit Israël ad fastigium virgæ ejus. 364

Homilia LXVII. Dixit autem Israël ad Joseph : Ecce ego morior, et erit Deus vobiscum, et reducet vos Deus ex terra hac in terram patrum vestrorum. Ego autem do tibi Secima electa præ fratribus tuis, quæ cepi in gladio meo et arcu. 374

EJUSDEM SERMONES IN GENESIM.

Sermo I. *Habitus in principio quadragesimæ in illud :* In principio fecit Deus cœlum et terram ; *ac de jejunio et eleemosyna.* 389

Sermo II. *Cur in sole, et luna, et cœlo et aliis dixerit* : Fiat, *in homine autem,* Faciamus? *et quidnam sit illud,* Ad imaginem 398

Sermo III. *Quid sit illud,* Ad similitudinem, *et qua de causa, cum dixerit Deus nos dominari in feras, non dominemur, et hoc magnæ erga nos curæ argumentum esse.* 403

Sermo IV. *Quod servitutis modos tres induxerit peccatum : et in negligentes auditores, eosque qui parentes non honorant.* 408

Sermo V. *Quod non propter Adamum punimur, et majora per eum bona quam mala sunt importata, si nobis ipsis attendere voluerimus : et adversus eos qui pauperes prætereunt.* 417

Sermo VI. *De ligno, an ex eo cognitionem boni et mali Adamus adeptus sit, an vero antequam ederet, hac dignoscendi facultate præditus fuerit; itemque de jejunio; et quod oporteat domi meditari, quæ in Ecclesia dicuntur.* 427

Sermo VII. *Quare lignum scientiæ boni et mali vocetur illud : et quid sit,* Hodie mecum eris in paradiso. 432

Sermo VIII. *In diem nimbosum, et in conventum episcoporum, et de mandato quod traditum est Adamo, magnæque providentiæ fuisse quod legem acceperit.* 446

Sermo IX. *Quomodo oporteat fratrum peccata arguere, et quod eorum salutis curam habere conveniat, et quare Abram vocatus sit Abraham, et de nomine Noë : quod non frustra aut sine causa Justi illi fuerint his nominibus appellati, sed ita dispensante Dei providentia.* 452

ORATIONES DE MUNDI CREATIONE (dubiæ).

ORATIO I. *In primum diem creationis mundi.* 467
ORATIO II. *In secundum diem creationis, et adversus eum qui sibi dixerat non oportere nos Christianos in sanctificatione dicere*: Deus Sabaoth. 481
ORATIO III. *In diem tertium creationis, et de resurrectione.* 494
ORATIO IV. *In quartam diem creationis mundi.* 511
ORATIO V. *In quintam diem creationis.* 534
ORATIO VI. *In diem sextam creationis, et in primos parentes et in serpentem, et in lignum scientiæ; de habitatione in paradiso, deque Adami cum Deo colloquio.* 556

SERMONES II IN VARIA LOCA GENESIS.

SERMO I. *Sermo in illud :* Vidit Deus quæ fecerat : et ecce valde bona : *et de eo quod divina eloquia jucundis quibusque rebus antecellunt.* 583
SERMO II. *Ejusdem demonstratio primum hominem per inobedientiam abjecisse imaginem ad similitudinem Dei factam, et per novum Adamum eam rursus recuperasse.* 590
ANNOTATIONES. 599
CONCORDANTIA Bibliothecæ latinæ cum gallica. 602

EXPLICIT INDEX.

PL

BR65 .C42 1834 v.1-2
John Chrysostom, Saint,
407.
Operum

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
3 7387 0006 4097 7